R. BELLARMINI

OPERA OMNIA

3

BX890
B383
v.3

007941

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BELLARMINI OPERA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Y 2750 2

VEN. CARDINALIS

ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

OPERA OMNIA

EX EDITIONE VENETA, PLURIBUS TUM ADDITIS TUM CORRECTIS,

ITERUM EDIDIT

JUSTINUS FÈVRE,

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS

TOMUS TERTIUS

L. V.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, EDITOREM

VIA DICTA DELAMBRE, 13.

1870

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria "Alfonsina"

44631

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX 890
B383
v.3

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

CONTROVERSIARUM

DE MEMBRIS ECCLESIÆ

LIBER TERTIUS

DE LAICIS SIVE SÆCULARIBUS

CAPUT PRIMUM.

Ordo totius Disputationis.

Disseruimus de duobus membris Ecclesiæ, id est, Clericis, et Monachis, superest ut dicamus de tertio, id est, de Laicis, sive sæcularibus, et simul de membris ab Ecclesia præcisis, id est, de hæreticis, quæ omnia ad disputationem de Magistratu politico revocari possunt.

Tota hæc Disputatio sex quæstionibus continetur. Primum enim, de ipsa politica potestate agendum est. Deinde, de officio ejus in rebus politicis. Tertio, de officio ejus in causa religionis.

De Primo sunt quæstiones duæ. Prima, An ista potestas sit res bona, et proinde Christianis licita. Secunda, An per peccatum amittatur.

De Secundo sunt duæ quæstiones. Prima, de officio Magistratus in conservanda Republica ab improbitate civium per leges, et judicia, tam civilia, quam criminalia, id est: An liceat Christianis leges condere, judicia exercere et gladio ferire noxios, qui sunt actus proprii Magistratus. Secunda, de officio Magistratus in protegenda Repub. ab hostibus externis, id est: An liceat Christianis bella gerere, et huic addemus quasi corollarium propter Lutherum: An liceat bellare contra Turcas.

De Tertio sunt aliæ duæ questiones. Prima, An ad Magistratum pertineat cura religionis; An vero permittere possit, ut quisque credat, ut voluerit. Secunda, An Magistratus debeat hæreticos ab Ecclesia judicatos et damnatos punire, tam in libris eorum, quam in facultatibus, et in personis, etiam usque ad mortem.

CAPUT II.

Proponitur prima quæstio: An politica potestas sit bona, et Christianis licita.

Est una ex præcipuis hæresibus Anabaptistarum, et Trinitariorum hujus temporis: Non licere Christianis gerere Magistratus, nec debere esse ullo modo inter Christianos prætoria, tribunalia, judicia, jus gladii etc. Ministri, qui in Transylvania, Trinitatem, et Incarnationem, et parvulorum Baptismum oppugnant, ediderunt anno 1568, Albæ Juliæ, Antitheses Christi veri et falsi; quarum septima est, Christum falsum habere in sua Ecclesia Reges, Principes, Magistratus, gladios, Christum verum nihil tale in sua Ecclesia pati posse.

Argumenta eorum hæc sunt, vel, certe esse possunt. Primum, ex Scriptura. Matth. XVII: *Reges Gentium, a quibus accipiunt tributa etc. ergo liberi sunt filii.* Et Lucæ XXII. *Reges Gentium dominantur eorum: non sic erit inter vos.* Rom. XIII: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* I. Corinth VII: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* II. Corinth. VIII: *Unus Dominus.*

007041

Ephes. IV : *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus* (1).

Secundum, ab exemplis ; nam plerique Principum abutuntur potentia, et non solum non prosunt, sed etiam obsunt Reipublicæ ut patet in ipso initio mundi de Cain, Genes. IV. de filiis Principum, Genes. VI. qui accipientes varias uxores, corrupti sunt omni scelere, et eorum causa postea venit diluvium. Item de Nemrod, Pharaone, Nabuchodonosor, et de Saul, Roboam, et cæteris ; nam post divisionem regni, ex Regibus Israel nullus fuit bonus.

Tertium, a fine ; nam Magistratus permissus fuit Judæis propter imperfectionem temporis, erant enim pueri Judæi, et ideo regi debebant ab alio, ut patet Galat. IV. At nos viri sumus perfecti, et unctio docet nos de omnibus.

Quartum, ab efficiente ; nam ista potestas non est Deo introducta, sed ab hominibus tyrannice usurpata ; Quis enim fecit Nemrod Regem ? quis Nabuchodonosor ? quis Ninum ? quis Alexandrum ? quis Julium Cæsarem ? quis alios ? Hinc laudatur ille pirata, qui respondit Alexandro : ego quia cum parvo ligno discurro, pirata dicor ; tu quia cum magna classe orbem terrarum spoliας, Imperator diceris. Augustinus lib. IV. civit. cap. 4. ex Marc. Tull. lib. III. de Republica.

Quintum, ab origine. Nam Deus creavit hominem liberum, et per peccatum introducta est subjectio ; ergo cum a peccato per Christum liberati simus, etiam a subjectione esse debemus. Antecedens patet ; nam Genes. I. non dicitur : Dominamini hominibus, sed : *Dominamini piscibus maris etc.* Item mulier nunc non subjicitur viro, nisi politica subjectione, tamen hæc subjectio per peccatum introducta est, ut patet Genes. III : *Sub viri potestate eris* (2) ; et præterea ante diluvium primus, qui condidit civitatem, et inchoavit regnum politicum, fuit Cain, ut ex Genes. IV. deducit Augustinus lib. XV. civit. Dei cap. 4, post diluvium primus fuit Nemrod, Gen. X.

Denique id clare docent Patres. Augustinus libro XIX de civit. Dei c. 15 rationalem factum ad imaginem suam, noluit Deus nisi irrationabilibus dominari, non hominem pecori. Inde primi justi, pastores magis pecorum, quam Reges hominum constituti sunt ; ut hinc etiam insinuaret Deus, quid ordo postularet creaturarum, et quid meritum exigeret peccatorum. Gregorius libro XXI. moral. cap. 11. Omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis dispensatio occulta postponit. Ipsa autem diversitas, quæ accessit ex vitio, recte est divinis judiciis ordinata, ut quia omnis homo iter vitæ non æque graditur, alter regatur ab altero ; similia habet in Pastorali, part. 2. cap. 6.

Hanc hæresim non solum Catholici omnes execrantur, ac præcipue B. Thom. in opus. 20. et omnes Philosophi, sed etiam Philippus Melanchthon in locis, cap. de civili Magistratu, et Joan. Calvinus lib. IV. Institut. cap. 20. acerrime, et fusissime oppugnant, et Lutherus ipse in visit. Saxonica, etsi ab ipsius verbis in Babyl. Captivitate, cap. de Baptismo, occasionem sumpserunt Anabaptistæ.

Nos eam quinque argumentis refellemus ; nam tot etiam sunt adversariorum fundamenta. Primo, ex Scripturis. Secundo, ex exemplis Sanctorum. Tertio, ex fine seu necessitate. Quarto, ex causa efficiente. Quinto, ex origine.

CAPUT III.

Ex Scripturis asseritur politicus Magistratus.

Quantum ad Primum, Scriptura Testamenti veteris plena est testimoniis. Exod. XXII. Judices populi a Deo ipso vocantur Dii, sicut etiam Psalm. LXXXI : *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat* (3) ; cujus vocabuli rationem explicat Josaphat, II. Paralip. XIX. ubi dicit judices, non hominum, sed Dei judicia exercere, id est, loco Dei judicare. Et similiter Deuter. I. monet Moses judices populi, ut juste judicent quia Dei judicium est ; et Christus Joan. X : *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum etc.* (4) Ubi Christus vult dicere : Si Principes Deus vocat Deos, quia ad illos mandatum divinum factum est, ut judicent loco suo,

(1) Matth. XVII. 24 ; Luc. XXII. 25 ; Rom. XIII, 8 ; I. Cor. VII, 23 ; II. Cor. VIII. 5 ; Eph. IV, 5. — (2) Gen. I, 28 ; III. 16. — (3) Psal. LXXXI. 1. — (4) Joan. X. 35.

cur non magis, etc. non enim quadrat quod alii dicunt, vocatos Deos eos omnes, quibus Deus locutus est. Si ergo Principes vocantur Dii, quia locum Dei tenent, non potest reprehendi munus Principum, nisi reprehendatur Dei ipsius munus.

Præterea Deuteron. XVII. describit Moses leges Regi futuro, et in lib. Judicum cap. ult. in ultimis verbis reddere volens Spiritus sanctus causam omnium malorum, quæ acciderunt illo tempore, dicit : *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque, quod bonum sibi videbatur, hoc faciebat* (1). In eodem libro Judicum, et in libro Regum passim habemus Deum excitasse Israeli Judices, aut Principes, per quos populum liberaret. Prov. VIII : *Per me Reges regnant* (2).

Respondent Anabaptistæ, Judæis fuisse permissos Magistratus propter imperfectionem : ac aliam rationem esse Testamenti novi.

At contra ; nam in primis Prophetæ prædixerunt omnes Reges terræ servituros Christo, et Ecclesiæ : quod non potest fieri, ni sint Ecclesia sint Reges. Psam. II : *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, apprehendite disciplinam* (3) ; secundum Hebræum נשקו בר osculamini filium, quem in eodem Psalmo Scriptura vocat Messiam ; item Psalm. LXXI : *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei* (4) Isaiæ LX. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui.* Et cap. XLIX : *Erunt Reges nutricii tui, et Reginæ nutrices tuæ vultu in terra demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent* (5) ; quod certe impletum videmus in Constantino, Theodosio, Carolo Magno, et aliis, qui adoraverunt sepulchra Apostolorum et Martyrum, et Ecclesias ditaverunt, protexerunt.

Præterea, Christus, prædicans Evangelium regni, inter alia dixit : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, Matth XXII. et Paulus Roman. XIII. jubet, ut *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ; non enim est potestas, nisi a Deo etc* (6). Et ibidem ter repetit, Principes sæculares, quibus tributa redduntur, esse ministros Dei. Quo loco utitur etiam Irenæus lib. IV. cap. 70. Item I. Timoth. II. jubet Apostolus nominatim orari pro Regibus. Quo loco utitur Tertullianus in Apologet. cap. 31. quia calumniabantur Ethnici Christianos, quod Magistratibus nollent parere ; Ac certe si Evangelium non ferret Magistratum, oporteret orare pro destructione Regum et Principum. Ad Titum III : *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse* : et I. Petri II : *Deum timete, Regem honorificate* (7).

Sed respondent, ex his testimoniis probari, oportere nos parere Regi Ethnico, non autem licere Christianis regna possidere, et Magistratus gerere. Quibus nos respondemus, Primum, non esse mirum, in Testamento novo non fieri multam mentionem magistratuum ; nam Christus non venit constituere regnum politicum, sed regnum spirituale, et cœleste ; et similiter Apostoli in hoc regno spirituali commendando, et propagando occupati fuerunt : politicum reliquerunt, ut antea erat.

Addimus præterea, Licet non expresse Scriptura novi Testamenti approbet in Ecclesia magistratum politicum, tamen evidenter colligi ex adductis testimoniis ; nam si Christianis licet subesse Regi Ethnico, cur non potius Regi Christiano ? et si licet Christiano subesse, cur non præesse ? cum subesse, videatur magis contra libertatem Evangelicam, quam præesse.

Denique, si Christianæ libertati repugnaret subjectio, vel præfectura civilis, magis repugnaret Ecclesiastica, quia Christiana libertas magis pertinet ad Christianum, ut est civis Ecclesiæ, quam ut est civis mundi : At non repugnat Christianæ libertati præfectura, vel subjectio Ecclesiastica, ut patet ex illo Matth. XXIV : *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam ?* Et ex illo Rom. XII : *Qui præest in sollicitudine.* Et ex illo Hebr. XIII : *Obedite præpositis vestris* (8). Neque igitur repugnat præfectura, vel subjectio politica. Atque hinc solvitur primum argumentum contra allatum.

Ad Primum ergo locum Scripturæ, superiore capite contra allatum, dicendum est, Christum eo loco de scipso tantum loqui, et rectissime probare se, quia Filius Dei summi Regis esset, non fuisse obligatum solvere tributum ulli Principi, aliogni ipse idem jussit reddi censum Cæsari, Matth. XXII. et

(1) Jud. XXI, 24. — (2) Prov. VIII, 15. — (3) Psal. II, 10. — (4) Psal. LXXI. 11. — (5) Isai LX, 3 ; XLIX, 23 ; — (6) Matth. XXII, 21 ; Rom. XIII, 1. — (7) Tit. III, 1 ; I. Petr. II. 17. — (8) Matth. XIV. 45 ; Rom. XII, 8 ; Hebr. XIII, 17.

Apostolus Rom. XIII. *Cui tributum*, inquit, *tributum etc.* quamvis autem Christus de se proprie dixerit : *Ergo liberi sunt filii*, recte tamen ex hoc loco colligitur, Ecclesiasticos debere esse liberos a tributis, quia filius Regis ita liber est, ut propter eum etiam familia ejus libera sit, ut supra diximus in libro de Clericis cap. 25.

Ad Secundum, eo loco Christus instituit Ecclesiasticum Magistratum, et eum distinguit a politico, et a politico corrupto, cui pompæ, superbia, fastus, annexa esse solent, qualem etiam politicum Magistratum, si intelligamus prohibitum esse Christianis, nihil absurdi dicemus, ibi enim non reprehenditur regnum, sed modus regnandi.

Ad Tertium, non vult Paulus dicere, non sinatis vos obligari ulla lege, sed solvite mature omnia debita ; præcedit enim : *Reddite omnibus debita, cui tributum etc.* Et quia solius amoris debitum numquam ita reddi potest, quin semper teneamur amare, ideo ait : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (1).

Ad Quartum dico, fieri servum hominis eo loco significare servire homini propter hominem tantum, nam alioqui ibidem Paulus hortatur servos, ut etiam si possint fieri liberi, tamen magis eligant servitutem ; et Galat. V : *Servite*, inquit, *invicem* (2).

Ad Ultimum dico, ibi nomen Domini proprie accipi, quomodo non convenit nisi Deo ; nec propterea tolluntur Reges, et Principes, qui non proprie domini sunt, sed ministri Dei, qui unus verus est Dominus, nullus enim est titulus major. Nam verus Dominus duas habet conditiones, quæ nulli creaturæ conveniunt. Una est, ut possit pro libito uti re, cujus est Dominus, et eam augere, minuere, mutare, annihilare etc. Altera, ut nulli serviat, id est, nulla re indigeat, sed seipso sufficiat ad omnia ; ut recte notat Augustinus lib. de Genes. VIII. cap. 11. et deducit ex Psam. XV : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges* (3) ; nam in Hebræo est, dixi Domino, Dominus meus אתה et hinc est quod LXX. interpretes ubique nomen proprium Dei יהוה reddiderunt per κύριος, et Hieronymus per Dominum : hinc etiam Augustus, ut Tertullianus refert in Apologet. cap. 34. numquam se Dominum appellari passus est, quod intelligeret hunc titulum soli Deo convenire, et e contrario reprehenditur a Suetonio incredibilis arrogantiæ Domitianus, quod in Amphitheatro sibi acclamari libenter audiret : « *Domino, et Dominæ feliciter* : » et quod juberet de se scribi : « *Dominus, et Deus noster, sic fieri jubet.* »

CAPUT IV.

Idem asseritur exemplis Sanctorum.

Secunda ratio sumitur ab exemplis ; nam si res mala esset principatus, numquam viri sancti eum gessissent ; at habemus in Scriptura plurima exempla sanctorum Principum, ut Melchisedech Regis Salem, Josephi Patriarchæ, qui toti Ægypto utilissime præfuit, Moysis, Josue, omnium fere Judicum, Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Josaphat, Josiæ, Danielis, Mardochæi, Nehemiæ, Machabæorum, et aliorum.

In Testamento novo videmus Joan. IV. Regulum credidisse in Christum, nec tamen jussum renuntiare principatui ; et similiter Actor. XIII. Proconsulem conversum a Paulo, non propterea, deposuisse magistratum. Videmus deinde a S. Fabiano Papa, et Martyre, et a tota Ecclesia admissum fuisse Philippum Imperatorem, nec illi imperatum, ut deponeret imperium, ut ex historia Eusebii lib. VI. cap. 25. colligitur.

Quod autem non sit in Testamento novo major copia exemplorum, ratio est, quia Deus voluit Ecclesiam suam inchoare ab hominibus pauperibus, et vilibus ut dicitur I. Cor. I, ne putaretur augmentum Ecclesiæ opus humanum, si favore Principum crevisset : imo e contrario voluit Deus primis 300 annis, ut Ecclesia totis viribus oppugnaretur ab Imperatoribus totius mundi, ut inde ostenderet, opus suum esse Ecclesiam, et plus posse illam patiendo, quam possent illi cruciando.

Unde Augustinus in epist. 50. dicit Deum voluisse primo tempore impleri illam partem Psalmi II : *Astiterunt Reges terræ etc.* Deinde sequenti tempore illam aliam : *Et nunc Reges intelligite :* (4) sicut revera impletum videmus in Constantino, et successoribus ejus ;

(1) Rom. XIII. 7 et 8. — (2) Gal. V. 13. — (3) Psal. XV. 1. — (4) Psal. II. 2 et 10.

siquidem videmus Constantinum divinitus edoctum, et vocatum a Deo singulari miraculo, ut Eusebius refert lib. I. de vita Constantini. At si res mala esset principatus, quare Christus ipse Constantinum ad Ecclesiam vocasset ? Ubi nota obiter dissonantiam circa hanc historiam ; nam in historia Ecclesiastica Eusebii a Ruffino versa lib. IX. cap. 9. habetur Constantinum per soporem vidisse signum crucis in cœlo, et deinde Angelos ei dixisse : *In hoc vince ;* At lib. I. de vita Constantini Eusebius refert, in itinere cum corporeis oculis vidisse supra solem signum crucis cum illis litteris : *In hoc vince ;* et idem signum a toto exercitu conspectum, et noctu postea ei apparuisse Christum, qui mysterium explicuerit, atque hæc omnia se ab ipso Constantino coram audivisse. Itaque verisimile est quod in historia habetur a Ruffino additum fuisse. Alia plurima exempla addi possent Joviani, Gratiani, Theodosii junioris et senioris, Caroli Magni, Ludovici Pii, Othonis I. S. Henrici Imperatoris, S. Ludovici Regis Francorum, aliorumque multorum, qui vel in Britannia, vel in Hungaria, vel in Bohemia, vel in aliis regionibus sanctissime regnaverunt. Ad argumentum in contrarium dico Primo, falsum esse Principes ut plurimum esse malos ; hic enim non agimus de regno particulari, sed de politico principatu in genere, qualis Princeps fuit Abraham, et alii ; sicut ergo fuerunt mali Principes, Cain, Nemrod, Ninus, Pharao, Saul, Hieroboam, et alii Reges Israel ; ita e contrario fuerunt boni Principes, Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyses, Josue, omnes fere Judices, et plurimi Reges Juda.

Secundo dico, exempla malorum Principum non probare malum esse principatum, sæpe enim mali abutuntur rebus bonis, at exempla bonorum recte probant, principatum esse bonum, quia homines boni non utuntur rebus malis. Præterea, etiam Principes mali plus prosunt sæpe, quam obsint, ut patet de Saule, Salomone, et aliis. Denique utilius est Reipub. malum Principem habere, quam nullum, ubi enim nullus est non potest diu consistere Respublica, dicente Salomone Proverb. XI : *Ubi non est gubernator, corruet populus* (1) ; et ubi est, licet malus, conservatur unitas populi. Vide Beatum Thomam in opusc. 20. cap. 6. lib. I.

(1) Prov. XI. 14.

Tertio dico, quod in Regibus Israel nullus fuerit bonus, ad insignem Dei providentiam pertinere : Deus enim id permittere voluit, quia rebellio illa Israelitarum a tribu Juda, significabat schismata Hæreticorum ab Ecclesia, ut Eucherius, docet in fine lib. III. super libro Regum : sicut enim inter Catholicos sunt boni, et mali ; at inter Hæreticos nullus potest esse bonus, ita quoque inter Reges Juda multi fuerunt boni, multi etiam mali. Ex Regibus Israel nullus omnino inventus est bonus.

CAPUT V.

Idem asseritur ex fine principatus.

Tertia ratio ducitur a fine. Principatus politicus adeo naturalis, et necessarius est humano generi, ut tolli non possit quin natura ipsa destruatur. Hominis enim natura est, ut sit animal sociabile ; nam bruta quidem sunt a natura ita instructa, ut possint sibi singula sufficere, homo autem tam multis rebus indiget, ut solus vivere nullo modo possit. Nam bruta nascuntur vestita, et armata, et æstimativam habent ita determinatam ad omnia, quæ sibi conveniunt, ut naturaliter sine ullo doctore statim noverint nidos ædificare, alimenta quærere, et medicinam etiam sibi ipsis facere ; at homo nascitur sine vestibus, sine domo, sine alimentis, omnium rerum egenus ; et quamquam habet manus, et rationem, quibus omnia instrumenta parare potest, tamen singulæ longum tempus requirunt, et adeo longum, ut sit impossibile sibi unum hominem sufficere ad omnia ; præsertim cum nascamur rudes, et artes magis doctrina, quam experientia discantur ; ergo necesse est, ut simul vivamus, et unus alium juvet.

Præterea, etiamsi quisque sufficeret sibi ad vivendum, tamen numquam sufficeret ad protegendum se ab impetu ferarum, et latronum, sed ad hoc necesse est convenire, et collatis viribus resistere ; et licet sufficeret sibi etiam contra hostes, tamen semper maneret rudis, et expers sapientiæ, et justitiæ, multarumque aliarum virtutum, cum ta-

men ad hoc nati simus, ut mentem et voluntatem præcipue exerceamus. Nam scientiæ, et artes longo tempore, et a multis inventæ sunt, et sine doctore percipi non possunt : justitia autem non nisi in societate exerceri potest, cum sit virtus constituens æquitatem inter plures.

Denique, donum loquendi, et audiendi, id est, percipiendi distincte verba, quorsum homini collatum est, si deberet solitarius vivere? Itaque recte Aristoteles lib. I. politicorum, cap. 2. dicit, hominem natura civile esse animal, magis quam sint apes, et grues, et quæcumque animalia, et si quis solitarius vivat aut esse bestiam, aut Deum, id est, aut minus, aut majus homine, neque id est contra Eremitas nostros. Nam qui penitus solitarii vixerunt, ut Paulus primus Eremita, Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, et si qui sunt alii, dici possunt aliquid amplius homine habuisse, non natura, sed gratia; nam non sine miraculo alebantur a Deo, ut notum est; Cæteri autem etsi in solitudine degerent, tamen frequentes simul conveniebant, et Abbatibus suis subjecti erant, ut in disputatione de Monachis demonstravimus.

Jam vero, si natura humana socialem vitam requirit, certe requirit etiam regimen, et rectorem; nam impossibile est multitudinem diu consistere, nisi sit, qui eam continet, et cui sit curæ bonum commune : sicut in unoquoque nostrum nisi esset anima quæ contineret et conjungeret partes, et potentias, et elementa contraria, ex quibus constamus, statim omnia solverentur. Unde Proverb. XI: *Ubi non est gubernator populus corruet* (1). Deinde societas est multitudo ordinata, non enim dicitur societas multitudo confusa, et dispersa; ordo autem quid aliud est, quam series quædam inferiorum et superiorum? Necessario igitur rectores habendi sunt, si societas futura est.

Ex hac ratione solvitur tertium argumentum Anabaptistarum; falsum enim assumunt, cum dicunt, regimen politicum permissum Judæis ob imperfectionem eorum, nobis autem non convenire, quia unctio docet nos de omnibus : nam unctio hoc in primis docet esse necessarium, habere rectorem; nec sufficit scire omnia, sed oportet etiam multa facere, et parare, quæ non possumus sine aliorum auxilio.

Et præterea hinc deducitur falsum esse, quod M. T. dicit in primo de inventione, fuisse olim tempus, quo homines vagarentur more bestiarum, deinde a sapiente quodam et eloquente homine vi eloquentiæ persuasos convenire, et simul vivere. Quod idem etiam hoc tempore dicere solent quicumque eloquentiam laudandam suscipiunt. At revera numquam fuit, nec esse potuit, tale tempus. Nam Adam sapientissimus fuit, et sine dubio non permisit homines vagari more bestiarum, et Cain filius ejus ædificavit etiam civitatem materialem : ante Cain, et Adam nulli fuerunt. Sed non mirum Ciceronem et alios Ethnicos talia dicere; nam Ethnici quia putabant mundum fuisse ab æterno, et tamen videbant omnes artes esse novas, et non exstare memoriam nisi paucorum annorum, inde suspicati sunt, longissimo tempore homines vixisse more ferarum, et solum exstare memoriam rerum gestarum ab eo tempore, quo coperunt homines simul degere. Sed Christiani, qui ex testimonio Dei didicerunt, mundum creatum fuisse ante annos nondum sexies millenos, et primos homines urbes continuo habere cœpisse, mirum profecto est, cur dicere audeant, longissimo tempore homines sine rectore, et sine civitatibus more ferarum vixisse.

CAPUT VI.

Idem asseritur ratione ducta ab efficiente.

Quarta ratio ab efficiente sumitur; nam certum est politicam potestatem a Deo esse, a quo non nisi res bonæ, et licitæ procedunt. Id quod probat Augustinus in toto fere IV et V. libro de civit. Dei; Nam sapientia Dei clamat Proverb. VIII: *Per me Reges regnant.* Et infra : *Per me Principes imperant.* Et Daniel II : *Deus cæli, regnum et imperium dedit tibi etc.* Et Daniel IV : *Cum bestiis, feriisque erit habitatio tua, fenum, ut bos, comedes, et rore cæli infunderis, septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud* (2).

Sed hic observanda sunt aliqua. Primo, politicam potestatem in universum considerare, non descendendo in particulari ad Monarchiam, Aristocratiam, vel Democratiam, immediate esse a solo Deo : nam consequitur necessario naturam hominis, proinde esse ab illo, qui fecit naturam hominis. Præterea hæc potestas est de jure naturæ, non enim pendet ex consensu hominum : nam velint, nolint, debent regi ab aliquo, nisi velint perire humanum genus, quod est contra naturæ inclinationem. At jus naturæ est jus divinum, jure igitur divino introducta est gubernatio; et hoc videtur proprie velle Apostolus, cum dicit Roman. XIII: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (1).

Secundo nota, hanc potestatem immediate esse tamquam in subjecto, in tota multitudine : nam hæc potestas est de jure divino. At jus divinum nulli homini particulari dedit hanc potestatem : ergo dedit multitudini. Præterea sublato jure positivo, non est major ratio cur ex mullis æqualibus unus potius, quam alius dominetur. Igitur potestas totius est multitudinis. Denique humana societas debet esse perfecta Respublica : ergo debet habere potestatem seipsam conservandi, et proinde puniendi perturbatores pacis etc.

Tertio nota, hanc potestatem transferri a multitudine in unum vel plures eodem jure naturæ : nam Respublica non potest per seipsam exercere hanc potestatem : ergo tenetur eam transferre in aliquem unum, vel aliquos paucos; et hoc modo potestas principum in genere considerata, est etiam de jure naturæ et divino, nec posset genus humanum, etiamsi totum simul conveniret, contrarium statuere, nimirum, ut nulli essent principes vel rectores.

Quarto nota, in particulari singulas species regiminis esse de jure gentium, non de jure naturæ, nam pendet a consensu multitudinis, constituere super se regem vel consules, vel alios magistratus, ut patet; et si causa legitima adsit, potest multitudo mutare regnum in Aristocratiam aut Democratiam, et e contrario ut Romæ factum legimus.

Quinto nota, ex dictis sequi, hanc potestatem in particulari esse quidem a Deo, sed mediante consilio, et electione humana, ut alia omnia, quæ ad jus gentium pertinent. Jus enim gentium est quasi conclusio deducta ex jure naturæ per humanum discursum. Ex quo colliguntur duæ differentiæ inter potestatem politicam, et Ecclesiasticam; una ex parte subjecti, nam politica est in multitudine, Ecclesiastica in uno homine tamquam in subjecto immediate; altera ex parte efficientis, quod politica universa considerata est de jure divino, in particulari considerata est de jure gentium; Ecclesiastica omnibus modis est de jure divino, et immediate a Deo.

Ex his ad argumentum quartum Anabaptistarum respondeo, Primo : Argumentum solum probare de regno in particulari, non de ipso principatu in universum, nos autem hoc loco principatum in universum, non certam aliquam ejus formam constituere volumus. Adde secundo, sæpissime regna esse justa et injusta; a Deo, et non a Deo; nam ex parte ipsorum occupantium et invadentium, regna sunt latrocinia, et injusta, et proinde non a Deo; tamen ex parte divinæ providentiæ, quæ utitur mala intentione hominum, et illam ordinat vel ad peccata punienda, vel remuneranda bona opera, vel ad alios bonos fines, regna illa sunt justa, et legitima. Deus enim interdum admirabili ratione providentiæ suæ, ita quibusdam regna adimit, quibusdam largitur, ut et qui regno cadit, justissime cadat, nec tamen juste possideat, qui regnum invadit, daturus etiam ipse suo tempore illius invasionis justissimas pœnas. Ac longe alia ratione Deus filiis Israel Palestinam tradidit possidendam, quam illam eamdem vel Salmanasar, vel Nabuchodonosor postea tradiderit. Siquidem filii Israel, duce Josue, laudabili obedientia cum Palæstinis pugnabant, illisque ad internecionem deletis, terras eorum sibi vendicabant. Salmanasar vero, et Nabuchodonosor, detestabili sacrilegio, Dei populum captivum ducebant; neque enim imperio Dei, sed pravæ suæ cupiditati obsequi volebant, tametsi Deus ipsis et etiam ignorantibus utebatur ad id quod justissime fieri volebat.

Explicant hanc rem accurate S. Augustin. lib. de gratia, et libero arbit. cap. 20 et 21, et Hugo Victorinus lib. I. de Sacramentis, par. I. cap. 29, nec desunt scripturarum testimonia. Nam Isaiæ X. sic legimus : *Assur virgo furoris mei, et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam,*

(1) Prov. XI, 14. — (2) Prov. VIII. 15 et 16; Dan. II. 37; IV. 22.

(1) Rom. XIII. 2.

et ponam illum in conculcationem, quasi lutum platearum; ipse autem non sic arbitratur, et cor ejus non ita existimabit etc. (1) Ubi loquitur de Salmanasar, et Sennacherib, qui animo iniquo occupaverunt regiones Israel; tamen Deus illis nescientibus usus est eorum opera ad puniendum Israelitas.

Sic Isaiæ XLV : *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam. Ego ante te ibo, gloriosos terræ humiliabo etc. propter servum meum Jacob, et Israel electum meum; et vocavi te nomine tuo, assimilavi te, et non cognovisti me* (2). Ex quo loco apparet Cyrum acquisivisse sibi Monarchiam ex cupiditate dominandi, et non propter Dei obsequium : et tamen Deum illi affuisse, et Monarchiam, quam quærebat, illi dedisse, ut ipse liberaret populum Israel de Babylonica captivitate.

Hierem. XXVII : *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis servi mei; Insuper et bestias agri dedi ei, ut serviant illi, et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filii filii ejus, donec veniat tempus terræ ejus, et ipsius, et servient ei gentes multæ, et reges magni. Gens autem, et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, et quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis, in gladio et in fame et in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus omnipotens* (3). Et tamen quis dubitat, quin Nabuchodonosor mala intentione subjecerit sibi tot regna?

Ezechiel quoque ait, cap. XXIX : *Nabuchodonosor Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, et merces non est reddita ei de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eam.* Et infra : *Dedi ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus* (4).

Sic Romani non propter Deum, sed cupidate gloriæ quærebant Monarchiam, ut B. August. ostendit prolixe libr. V. civit. Dei cap. 12. et tamen Deus Monarchiam eis donavit, tum, ut mercedem redderet bonis eorum operibus moralibus, ut idem Augustin. docet lib. V. cap. 15. civit. Dei, tum etiam, ut per unionem omnium Gentium sub uno principatu pararetur via Evangelicæ prædicationi, ut B. Leo dicit serm. I. de SS. Petro et Paulo.

Adde tamen, quod etiamsi initio, qui regna constituerunt, fuerint invasores, ut plurimum; tamen successu temporis fiunt vel ipsi, vel successores eorum legitimi Principes, quia populi paulatim consentiunt. Hoc modo regnum Francorum nunc omnium consensu legitimum est, licet initio Franci injuste Gallias occupaverint. Atque idem dici potest de regno Hispanico, quod ab invasione Gothorum cœpit; et de regno Anglorum, quod cæpit ab injusta occupatione Anglosaxonum; et de ipso Imperio Romano, quod a Julio Cæsare patriæ oppressore constitutum est; quod tamen postea adeo legitimum esse cœpit, ut Dominus dixerit Matth. XXII : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari etc.* (5).

CAPUT VII.

Idem asseritur ex antiquitate.

Quinta ratio sumitur ab origine; Nam etsi subjectio servilis cœpit post peccatum Adæ, tamen politicus principatus fuisset etiam in statu innocentiæ; et probatur primo, quia etiam tunc homo fuisset naturaliter animal civile, et sociale, ac proinde rectore opus habuisset.

Secundo, ex ipsa creatione; Nam ideo Deus fecit mulierem ex viro, et non creavit simul multos viros, sed unum tantum, ex quo omnes alii nascerentur; ut indicaret ordinem et præfecturam, quam inter homines esse volebat, ut Chrysostom. observat homil. 34. in. I. ad Corinth.

Tertio, quia in illo statu fuisset disparitas sexuum, stattuum, ingeniorum, sapientiæ et probitatis : ergo et præfectura ac subjectio; nam in humana societate debuit esse ordo. Rectus autem ordo postulat, ut inferiore a superiore regatur, fœmina a viro, junior a seniore, minus sapiens a sapientiore, et minus bonus a meliore : quod autem hæ diversitates tunc etiam locum habuissent, sic ostendi potest.

In illo statu fuisset generatio, ut patet Genes. I. *Crescite, et multiplicamini* (6) : ergo et

(1) Isai X. 5 et seq. — (2) Isai XLV, 1 et seq. — (3) Jerem. XXVII, 6 et seq. — (4) Ezech. XXIX, 18. — (5) Matth. XXII, 21. — (6) Gen. I, 28.

sexus disparitas, quæ necessario præcedit generationem, et disparitas ætatum, quæ necessario sequitur generationem, et disparitas sapientiæ et probitatis, quæ sequitur ætatum disparitatem; non enim fuissent nati homines perfecti in illo statu, sed debuissent paulatim discere, et proficere. Fuissent quidem omnes nati in gratia Dei, et cum majori cognitione, quam nunc, ut Augustinus docet lib. I. de Baptismo parvulorum, c. 38. at sine dubio non fuissent tam perfecti, quam adulti : et inter ipsos adultos poterant per liberum arbitrium alii magis, alii minus applicari ad discendum.

Denique ingeniorum varietas oritur ex varietate corporum; fuissent autem tunc corpora varia magnitudine, forma, robore, et similibus, ut patet, quia illa corpora non erant exempta a legibus naturæ, et egebant cibo, aeris inspiratione, cœlorum influxibus : fuisset igitur etiam tunc ingeniorum diversitas. Vide B. Thomam I. par. quæst. XCVI et CV.

Quarto, inter Angelos est præfectura, et subjectio, cur ergo inter homines non fuisset in statu innocentiæ? Certe Beelzebub dicitur princeps Dæmoniorum, Matth. XII : qui sane principatum non acquisivit peccando, sed retinuit, quem ante habebat in eos Angelos, qui cum secuti sunt. Et Apocalyps. cap. XII. dicitur : *Michael, et Angeli ejus* (1). Denique Dionysius cap. 9. cœlestis Hierarchiæ, dicit primum Hierarchiam Angelorum præesse, et imperare secundæ, et secundam tertiæ. Et. B. Gregor. homil. 34. in Evangel. dicit, nomina Principatuum et Dominationum in Angelis, aperte significare, quod alii aliis præsint.

Ex his ad argumentum quintum respondetur, non pugnare libertatem, in qua creati sumus, cum politica subjectione, sed solum cum despotica, id est, cum vera et propria servitute. Differt autem politica subjectio a servili, quod subjectus serviliter est, et operatur propter alium; subjectus politice, est, et operatur propter se; servus regitur non in sui, sed in domini sui commodum; civis regitur in commodum suum, non in commodum magistratus; sicut e contrario Princeps politicus, dum regit populum, non suam, sed populi utilitatem quærit, Tyrannus autem, et Dominus, non populi, sed suam quærit, ut Aristot. docet, lib. VIII. de morib. cap. 10. Itaque revera si ulla est servitus in politico principatu, magis proprie servus dici debet qui præest, quam qui subjectus est, ut docet Augustinus lib. XIX. civitat. cap. 14. et hoc ad litteram significat illud Domini, Matth. XX : *Qui voluerit inter vos primus fieri, erit omnium servus* (2); quomodo Episcopi servos se plebium suarum, et summus Pontifex servum servorum Dei se nominat.

Ad primum locum ex cap. I. Genes. dico, ibi agi de principatu despotico; sic enim dominari debuit homo piscibus maris, et volatilibus cœli, aliisque animantibus.

Ad secundum dico, mulierem tam ante peccatum, quam post, sociam et subjectam esse viro, sociam in generatione, subjectam in gubernatione. Illud autem : *Sub viri potestate eris* (3), non significat quamcumque subjectionem, sed involuntariam, et cum tristitia ac timore, qualem ut plurimum experiuntur mulieres conjugatæ; ita docet B. Augustinus lib. XI. Genes. cap. 37 : « Neque enim, inquit, et ante peccatum aliter factam fuisse, decet credere, mulierem, nisi ut vir ei dominaretur, et ad eum ipsa serviendo converteretur, sed recte accipi potest hanc servitutem significatam, quæ cujusdam conditionis est potius, quam electionis. »

Ad tertium fateor, Cain primum ædificasse materialem civitatem, sed non propterea sequitur ibi cœpisse politicum regimen; nam etiam sine civitate materiali potest esse Respublica et Principatus; neque negari potest, quin Adamo subjecti fuerint filii et nepotes ejus.

Ad quartum dico, Augustinum loqui de servitute proprie dicta, ut ex toto illo capite patet; ubi inter alia sic ait : « Conditio servitutis jure intelligitur imposita peccatori etc. » Neque obstat quod Augustinus ibidem dicit, quod primi justi, pastores, magis pecorum, quam Reges hominum constituti sunt, ut hinc etiam insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, et quid exigat meritum peccatorum; nam hoc loco respicit ad abusum nominis regii, quod interdum accipiatur pro despotico principatu; nam ut idem Augustinus ait lib. V. de civit. Dei cap. 12, Rex dicitur a regendo, et consulendo, non a regnando atque dominando; et hoc modo Abraham, Isaac, et Jacob Reges dici potuissent : tamen quia fastus humanus

(1) Apoc. XII, 7. — (2) Matth. XX, 27. — (3) Gen. III, 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Dirección General de Bibliotecas

Regem dici putat a regnando et dominando, unde est illud Domini, Luc. XXII : *Reges Gentium dominantur eorum* (1), ideo primi justi, pastores pecorum potius, quam Reges hominum dicti sunt.

Ad quintum dico, Gregorium non loqui de principatu politico simpliciter, sed adjuncto metu, et tristitia, et timore etc. quæ per peccatum invecta sunt; et cum ait, omnes homines natura esse æquales, et per peccatum fieri inæquales, et ideo unum ab altero regi debere, non intelligit homines natura esse æquales sapientia vel gratia, sed æquales in essentia et specie humana; ex qua æqualitate recte colligitur, non debere unum alteri dominari, quomodo homo dominatur bestiis, sed solum debere unum ab altero regi politice. Unde ibidem subdit : « Nam contra naturam superbire, est ab æqualibus velle timeri; » Quia vero peccatores per peccatum similes fiunt bestiis, et degenerant ab ea naturæ integritate, in qua creati fuerant; ideo ibidem Gregorius dicit recte post peccatum unum alteri dominari cœpisse; cum terrore minando et puniendo, quod in statu innocentiæ non fuisset.

CAPUT VIII.

Principatum sive dominium in impiis esse posse.

Quod secundo loco proposuimus, videlicet principatum in impiis esse posse, facile probare poterimus. Ac primum occurrit error Armacani, qui lib. X. quæstionum Armenicarum, cap. 4. docet, titulum præcipuum dominiorum esse gratiam Dei, sive justitiam et charitatem : alios autem titulos omnes in hoc fundari, et qui justitia et gratia Dei carent, nullum habere verum dominium. Eumdem errorem eodem tempore docuit Joannes Wiclef, quem refellit optime Thomas Waldensis lib. II. doctrinalis fidei, cap. 81. et seq. usque in finem libri, et postmodum errorem eumdem asseruit Joannes Huss, ut patet ex Concilio Constantiensi, sess. XV.

Argumenta eorum erant tria. Primum ex Scriptura Oseæ VIII : *Ipsi regnaverunt, et non ex me, Principes exstiterunt, et non cognovi, argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent* (2). Ubi Dominus improbat dominia improborum Regum, et dicit, se non dedisse ea illis, et causam reddit, quia idola sibi fecerunt. Secundum argumentum ex illo Eccles. X : *Regnum a Gente in Gentem transfertur propter injustitias* (3). Argumentum tertium, ex ratione, quia non est Dominium, nisi a Deo, Deus autem nullo modo conferret dominia improbis, tum quia hostes ejus sunt; tum etiam, quia videretur approbare abusum; abutuntur enim omnes impii sua potestate.

Hic error facile refellitur. Primo, Scripturis Sapient. VI : *A Domino data est potestas vobis, et cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis etc.* Isaiæ XLV : *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro etc.* Hieremiæ XXVII : *Ego dedi*, inquit Dominus, *omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis etc.* Et Daniel. II : *Tues Rex Regum, et Deus cœli dedit regnum tibi etc* (4). Et Roman. XIII. et I. Pet. II, Apostoli Petrus et Paulus docent, Regum potestatem esse a Deo, et illis obediendum, cum tamen nulli tunc essent Reges, nisi infideles.

Secundo, ex Concilio Constantiensi, sess. VIII. et XV. ubi hunc errorem Ecclesia damnavit.

Tertio, ex Augustino, qui lib. V. de civit. Dei, cap. 21 : « Quæ cum ita sint, inquit, non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis, regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet. » Et infra : « Qui dedit, inquit, Mario, ipse et Cæsari, qui Augusto, ipse et Neroni, qui Vespasiano vel patri, vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo, et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse et Apostatæ Juliano. »

Quarto, ratione : Nam dominii fundamentum non est gratia, sed natura : homo enim quia factus est ad imaginem Dei, proinde mente ac ratione præditus est, ideo dominatur rebus inferioribus, ut ex I. cap. Genes. deduci potest : at natura in infidelibus manet, licet gratia careant, igitur et dominia vera habere possunt. Ad hæc, cum gratia et

(1) Luc. XXII, 25. — (2) Oseæ VIII, 4. — (3) Eccl. X, 8. — (4) Sap. VI. 4; Isai. XLV, 1; Jerem. XXVII, 6; Dan. II, 37.

justitia sit occultissima, et nemo sciat de se, vel de alio, an sit vere justus, si gratia esset titulus dominiorum, sequeretur, nullum dominium esse certum. Ex quo nasceretur incredibilis confusio et perturbatio inter homines. Neque argumenta eorum aliquid concludunt.

Ad primum dico, illis verbis non improbari a Deo Reges malos, sed improbari, quod Judæi voluerint habere Regem, cum Deus esset Rex eorum; nam, ut exponit B. Hieronymus, in hoc cap. VIII. explicat Osee causas, propter quas populus Israel tradendus erat in captivitatem, et unam dicit esse, quia voluerunt habere Regem; alteram, quod fecerunt sibi idola. Quod autem valde peccaverint, volentes Regem habere, perspicuum est ex lib. I. Reg. cap. XII. ubi post electum Saulem in Regem, Samuel sic ait ad populum : *State et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias; et scietis, et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem* (1).

Ad secundum dico, transferri regna de Gente in Gentem propter injustitiam, quia Deus propter peccata Regum sæpe donat victoriam hostibus eorum, sed non propterea eo ipso, quod peccant, jus regni amiserunt.

Ad tertium dico, Dei benignitatem decere, ut etiam hostibus suis benefaciat, ut legimus in Evangelio Matth. V : *Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (2). Neque propterea approbat abusum. Non enim donat regna impiis, ut eis abutantur, sed vel ut beneficentia ejus invitati convertantur a peccatis suis, ut B. Hieronymus exposuit in illud Isai. XLV : *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro : Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam, et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut scias, quia ego Dominus etc.* (3) vel ut remuneret quædam bonefacta eorum ut B. Augustinus docet lib. V. de civit. Dei, cap. 15. vel denique, qui interdum hoc merentur peccata populorum, ut idem August. docet lib. V. de civit. Dei, cap. 19. ex illo Job. XXXIV : *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi* (4). Idem tamen Augustin. lib. XIX. de civit. Dei, cap. 21. dicit, apud infideles non posse esse justitiam, nec jura, nec verum populum, aut Rempubl. etc. sed vocat veram justitiam, et vera jura, quæ ducunt ad vitam æternam. Vide lib. V. in Julian. cap. 3.

CAPUT IX.

Proponitur quæstio de potestate magistratus.

Sequitur tertia quæstio : Liceatne Christiano magistratui leges condere, judicia exercere, et punire improbos. Sunt autem duo errores refellendi. Primus est Waldensium et Anabaptistarum, qui hæc omnia negant. Argumenta vero eorum sunt, quod legum obligatio tollat Christianam libertatem; judicia autem prohibeantur, Matth. V : *Si quis voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, da ei et pallium.* Et I. Corinth. VI : *Delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos; cur non magis fraudem patimini? Quare non magis injuriam accipitis?* Denique punire gladio interdictum videtur Christianis, Matth. V. *Dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente, ego autem dico vobis non resistere malo*; constat autem in lege veteri non fuisse permissum, nisi magistratui, pœnam talionis inferre : ergo hoc ipsum Christus prohibet, qui etiam Matth. XXVI. ait : *Omnes qui acceperint gladium, gladio perient* (5).

Secundus error Calvini est, qui etsi lib. IV. Institut. cap. 20. probat contra Anabaptistas, in Ecclesia debere esse leges civiles, judicia et gladium, tamen lib. IV. Institut. cap. 10. §. 5. asserit leges civiles non obligare in conscientia : quod ante illum docuerat Joannes Gerson de vita spirituali lect. 4. et Almain de potestate Ecclesiastica quæst. I. cap. 10. Rationes hæ sunt.

Prima, quia potestas politica est temporalis : ergo nihil ei cum conscientia. Secunda, quia finis legum civilium est pax externa. Tertia, quia Princeps non judicat de internis. Quarta, quia Princeps non potest inferre

(1) I. Reg. XII. 16 et 17. — (2) Matth. V, 45. — (3) Isai XLV, 1. — (4) Tob. XXXIV, 30. — (5) Matth. V, 40; I. Cor. VI, 7; Matth. V, 38; Id. XXVI, 52.

pœnam spiritualem : ergo nec ad illam obligare. Quinta, quia Princeps non potest absolvere, ergo nec ligare. Sexta, quia bis puniretur idem peccatum, semel hic, semel in alio sæculo. Septima, quia Princeps ut plurimum non intendit obligare ad culpam. Octava, quia potius debemus prævaricari gravissimam legem civilem, quam levissimam divinam, ut illam de non mentiendo officiose ; at ista non obligat, nisi ad venialem culpam : ergo illa ad nihil obligat ; nam si obligaret ad peccatum, præcipue mortale, oporteret potius cavere mortale, quam veniale.

CAPUT X.

Prima Propositio.

Contra hos errores prima hæc erit propositio : « Licet Christiano Principi leges condere. » Probatur ; nam in primis proprium est Principis leges condere, juxta illud Proverb. VIII : *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Et Isaiæ XXXIII : *Dominus Rex noster, Dominus Legifer noster* ; nam Regis est jubere, et jubendo dirigere. Porro lex est ipsa jussio et regula : ergo si Christiani esse possunt Principes, certe etiam possunt leges condere ; et confirmatur ex Augustino lib. XIX. de civit. Dei cap. 17. : « Civitas, inquit, cœlestis, dum apud terrenam civitatem, vel ut captivam vitam suæ peregrinationis agit jam promissione redemptionis, et dono spirituali, tamquam pignore accepto, legibus terrenæ civitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat. » Et infra : « Hæc ergo cœlestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens, vel destruens, imo etiam servans, ac sequens. »

Secundo probatur ex necessitate legum civilium. Christiani ex eo quod Christiani sunt, non desinunt esse homines et cives, et proinde membra Reipublicæ temporalis : ergo debent habere regulam aliquam actionum suarum humanarum, qua dirigantur in commerciis, et consuetudine cum aliis hominibus. Non sufficit autem lex naturalis, quia solum principia generalia ostendit, neque ad particularia descendit. Non sufficit etiam lex Evangelica, quia illa tractat solum de rebus divinis et cœlestibus, ut notum est : lex autem divina politica Testamenti veteris jam cessavit, solum enim conveniebat uni illi populo Judæorum, et in illo statu : ergo necessaria est alia aliqua regula humana, nimirum arbitrium Principis, aut lex civilis auctoritate Principis constituta. Et quamquam arbitrium Principis aliquo modo sufficere possit, quando Princeps est sapiens, et populus exiguus ; tamen absolute necesse est, populum regi legibus, non solo arbitrio Principis, si recte regi debeat. Quod interdum sufficiat arbitrium Principis, patet, quia antiquiora sunt regna, quam leges. Justinus lib. I. histor. dicit, olim populos sine ullis legibus, solo Principum arbitrio, gubernari solitos ; et ex Livio lib. III. constat, Romanam Rempublicam ad annos 300. sine legibus gubernatam. Denique antiquissimus legislator vel est Moses, ut Josephus contendit in II. lib. contra Appionem, vel certe Phoroneus, qui 300 annis Mose fuit antiquior, ut Eusebius in Chron. et Augustin. lib. XVIII. civit. Dei cap. III. docent. Atqui ante Phoroneum constituta sunt regna Assyriorum, Argivorum, Ægyptiorum, et aliorum.

Quod autem melius sit regi populum legibus, quam solo Principis arbitrio, imo quod sit hoc aliquo modo necessarium, affirmat Aristotel. lib. III. polit. cap. 11. Et probatur primo, quia facilius est invenire unum vel duos bonos et sapientes, quam plurimos. Si Respubl. debeat regi arbitrio boni Principis, indigebit infinitis bonis Principibus, quorum unus alteri succedat, at si gubernetur legibus, sufficit semel fuisse aliquos, vel unum sapientem, qui legem fecerit.

Secundo, qui leges condunt multi sunt ; et diligenter eas examinant ; at Princeps est unus, et sæpe repente judicare debet.

Tertio, qui leges fecerunt, sine amore et odio judicarunt : nam de rebus absentibus judicarunt. Princeps de præsentibus judicat, ubi locum habent amici, propinqui, munera, terrores etc. unde judicium legum est judicium solius rationis, judicium hominis est judicium rationis et libidinis, id est, hominis et bestiæ.

Quarto, judicium Principis etiamsi rectissimum sit, vix unquam caret suspicione, invidia, querelis, maledictis ; at judicium legis his omnibus caret, quippe quod scitur non posse corrumpi muneribus.

Quinto, gubernatio per leges potest longissimo tempore eadem perseverare ; at judicia hominum sæpe mutantur.

Sexto, gubernatio per leges potest reduci ad artem, et facilior effici ; non autem gubernatio ad arbitrium hominis.

Septimo, melior est gubernatio Principis per se, quam per vicarios ; at gubernatio sine legibus necessario requirit multos vicarios, qui omnes ad arbitrium suum judicent ; quando autem per leges gubernatur, ipse Princeps omnia per se judicare censetur, cum ejus legibus judicetur.

Tertio probatur ; nam si non liceret Principi Christiano legibus obligare populum, id esset propter libertatem Christianam, sed hoc dici non potest. Nam tantum abest, ut lex opponatur libertati Christianæ, ut potius opponatur servituti contrariæ eidem libertati, id quod ostendo ex ipsa natura libertatis Christianæ : nam libertas Christiana opponitur servituti peccati, Joan. VIII : *Amen, amen dico vobis, qui facit peccatum, servus est peccati, servus autem non manet in domo in æternum : filius manet in æternum ; si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Et Rom. VI : *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ* (1). Vocatur autem hæc justificatio a peccato libertas quædam, quia qui in peccato est, donec non liberatur per gratiam, non potest velle bonum ordinatum ad vitam æternam ; habet quidem liberum arbitrium, quia potest ex pluribus malis eligere unum, et etiam eligere bonum morale ; at eligere bonum divinum non potest, nisi saltem liberari incipiat per Dei gratiam prævenientem, quia captivus tenetur a Diabolo ad ipsius voluntatem, ut dicitur II. Timoth. II. at liberum arbitrium liberatum per gratiam potest bonum divinum velle, et facere. Sed major adhuc libertas erat in statu innocentiæ, quia tunc homo poterat nullum unquam velle malum, quod nunc etiam justi non possunt ; maxima autem erit in cœlo, ubi non poterimus velle ullum malum.

Itaque triplex est gradus libertatis, sicut etiam triplex gradus vitæ corporalis. Primus est Beatorum, qui sic poterunt vivere, ut non possint mori, et sic poterunt bene agere, ut non possint peccare.

Secundus fuit Adami et Evæ in statu innocentiæ, qui sic poterant vivere, ut possent etiam numquam mori, et sic poterant bene agere, ut possent etiam numquam peccare.

Tertius noster, qui sic possumus vivere, ut non possimus aliquando non mori : et sic possumus bene agere, ut non possimus non peccare saltem venialiter. Infra hos tres gradus non est quartus, nisi non vivere, et non bene agere, qui gradus ad damnatos pertinet. Vide August. lib. de corrept. et grat. cap. II. Cum ergo libertas consistat in eo, ut possimus eligere bonum, et rejicere malum, manifestum est, legem non pugnare cum libertate ; non enim impedit, quo minus possimus eligere bonum, et rejicere malum, sed contra potius juvat : nam præbet materiam exercendæ libertatis. At servituti recte opponi dici potest lex, quia non potest impleri a servo peccati. Unde Paulus Rom. III : *Quid ergo*, inquit, *legem destruimus per fidem ? absit, sed legem statuimus* (2). Vide Augustin. de spiritu et littera, cap. 30.

Probatur secundo hoc idem. Lex divina non pugnat cum libertate : ergo nec lex humana. Antecedens patet, nam Adam liber creatus est, et tamen lex ei imposita fuit, ut non vesceretur ligno scientiæ boni et mali, Genes. II. Probatur consequentia ; nam lex divina et humana quoad obligationem sunt omnino æquales, ut patebit in seq. capite.

CAPUT XI.

Secunda Propositio.

« Lex civilis non minus obligat in conscientia, quam lex divina, etsi minus firma et stabilis sit hæc, quam illa. » Explico, lex divina et humana differunt quoad firmitatem, quia divina non potest abrogari ab homine, humana potest ; at quoad obligatio-

(1) Prov. VIII, 15 ; Isai XXXIII, 22.

(1) Joan. VIII, 34 ; Rom. VI, 18. — (2) Rom. III, 31.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem non differunt, utraque enim obligat in conscientia, nunc ad mortale, nunc ad veniale peccatum pro rerum ipsarum gravitate : ita ut nulla sit melior regula ad discernendum, utrum lex humana obliget ad mortale, an ad veniale, quam cogitare legem illam esse divinam, et videre, si divina esset, quomodo obligaret.

Probatur primo : vis obligativa est de essentia legis, ut dictum est lib. IV. de Pontifice, cap. 16. et obligare est effectus necessarius legis : ergo omnis lex et a quocumque feratur, sive a Deo, sive ab Angelo, sive ab homine, et homine sive Episcopo, sive rege, sive patre, eodem modo obligat. Probatur consequentia a simili, nam quia hominis essentia est, rationale esse, et propria passio esse risibilem, omnis homo est rationalis et risibilis, sive sit creatus a solo Deo, ut Adam, sive a Deo ex alio homine, ut Eva, sive ab hominibus genitus, ut Cain. Antecedens patet, nam lex est regula morum ; regulæ autem proprium est intrinsece ita dirigere, ut recessus ab ipsa sit peccatum in moribus, sicut recessus a regula in naturalibus dicitur peccatum naturæ, ut sunt monstra, et recessus a regula in artibus est peccatum artis.

Ubi notandum est, quod sicut res cæteræ, quoad existentiam, pendent ab agente, non quoad essentiam, essentiæ enim sunt æternæ ; sunt enim quædam participationes possibiles divinæ essentiæ : ita etiam lex, quoad existentiam, pendet a legislatore ; non enim erit lex, nisi dictetur ab eo, qui habet auctoritatem. At quoad essentiam non pendet ; quod enim lex obliget est quid æternum, et immutabile, et participatio quædam legis æternæ Dei, qui est prima et summa regula ; et hoc videtur voluisse dicere B. Augustin. lib. XXII. contra Faustum, cap. 27. cum ait : « Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum, contra æternam Dei legem. » Nam sive quis prævaricetur legem naturalem, sive positivam, sive divinam, sive humanam, semper peccat contra legem æternam, quia omnis lex est legis æternæ participatio. Et quamquam non potest fieri, ut aliqua vera lex non sit a Deo, cum lex non possit condi, nisi ab habente potestatem, et non sit potestas nisi a Deo, Roman. XIII. tamen si (per impossibile) esset lex non a Deo, adhuc obligaret ad culpam, sicut si (per impossibile) homo existeret non factus a Deo, adhuc esset rationalis.

Probatur secundo ; nam si lex obligaret solum quia divina, omnes leges divinæ æqualiter obligarent, ut patet ; nam eadem esset ratio obligationis in omnibus. At hoc est falsum : nam magis obligat lex, non occides, quam lex, non furaberis ; et magis lex, non furaberis, quam lex, non mentieris ; et lex, non mentieris, quam lex, non loqueris verbum otiosum.

Præterea tertio, ostensive, illa lex divina magis obligat, cujus violatio est magis contraria fini legis, id est, charitati ; ideo enim pejus est occidere quam furari, quia magis contra charitatem ; et ideo mortale est mentiri perniciose, veniale est mentiri officiose, quia illud est contra charitatem ; hoc vero præter charitatem : sed lex humana etiam habet pro fine charitatem, et ordinat media ad hunc finem ; quod enim ait Apostol. : *Finis præcepti est charitas* (1), de omni præcepto intelligitur, et patet, nam lex civilis justa, semper est vel conclusio, vel determinatio legis divinæ moralis : ergo habent eumdem finem, et solum in hoc videntur differre, quod lex humana dirigit actus humanos in ordine ad actus externos dilectionis, id est, ad pacem et conservationem Reipublicæ ; lex autem divina dirigit etiam in ordine ad internos actus charitatis : igitur eadem est ratio legis divinæ et humanæ, quod attinet ad obligationem.

Sed objicies : si ex natura rei, et ex ordine ad charitatem sumitur gravitas peccati, superfluæ sunt leges, nam æque obligamur ante legem, ac post legem ad id fugiendum, quod natura sua lædit charitatem, et ad id faciendum, quod est necessarium ad conservandam charitatem.

Respondeo, negatur consequentia : nam si lex non adsit generaliter aliquid præcipiens, aut prohibens, multa quæ sunt mala uni, non erunt alteri mala, v. g. si lex non sit, quæ prohibeat gestare arma, erit malum gestare arma ei, qui facile provocatur ad iram, et qui habet inimicos, quibus cupit nocere : at non erit malum homini pacifico, et qui solum cupit seipsum defendere. Tamen si id lex prohibeat, jam est malum omnibus ; lex enim non debet respicere, quid huic aut illi sit bonum vel malum, sed quid prosit, aut obsit Reipublicæ. Præterea

(1) I. Tim. 1. 5.

plurima sunt necessaria vel noxia bono communi, quæ tamen non sunt bona vel mala ulli in particulari, nisi lege præcipiantur, vel prohibeantur : v. g. tributum necessarium est Regi, tamen si lex non adsit, non est necessarium ut ego solvam ; nam parum prodest meum solius tributum Regi, neque ad me pertinet videre, quibus rebus indigeat Respublica, et sic possent omnes dicere. Similiter noxium est Reipublicæ exportari aurum ex provincia, at non est noxium notabiliter, quod ego solus exportem meum aurum, et sic omnes dicere possent ; Lex ergo necessaria est, quæ generaliter præcipiens et prohibens, publicæ utilitati prospiciat.

Quarto, lex divina positiva ideo obligat ad peccatum, quia constituit actum, quem præcipit in genere virtutis, cum ante non esset : nam si Judæus non ex contemptu, sed ex cibi appetitu moderate comedisset carnem suillam in lege prohibitam, sine dubio peccasset, non autem peccasset formaliter contra obedientiam, quia non ex contemptu, ergo contra temperantiam ; at moderate vesci carne suilla, ex se non est contra temperantiam, sed res quædam indifferens, ergo lex fuit, quæ illam abstinentiam fecit actum temperantiæ necessarium. At hoc idem videmus in lege humana : nam lex divina non alia de causa facit esse actum virtutis eum, qui ex se erat indifferens, nisi quia est regula morum ab eo posita, qui habuit auctoritatem præcipiendi. Sed homo etiam potest præcipere, et regulas morum constituere, ut supra ostendimus ; potest igitur homo lege sua constituere actum, alioqui indifferentem, in genere virtutis : proinde pares sunt lex divina et humana, quoad obligationem.

Quinto, lex divina et humana ita differunt, ut lex Regis et Proregis, sive lex Pontificis et ejus Legati. At istæ obligant eodem modo, et solum differunt firmitate, ergo et illæ. Propositio patet, nam Scripturæ passim testantur, Reges esse ministros Dei, et ab illo habere auctoritatem, et loco ejus judicare, Proverb. VIII. Sap. VI. Rom. XIII. I. Pet. II. Assumptio etiam patet, nam auctoritas Proregis est a Rege, et Legati a Papa ; et experientia idem testatur, et confirmatur ex sanctis Patribus Augustino et Bernardo. Augustinus in titulum Psal. LXX : « Ubi, inquit, hoc jubet pater, quod contra Dominum non sit, sic audiendus est, quomodo Deus etc. » Certum autem est, majorem esse Regis, quam patris auctoritatem, ut idem Augustinus dicit serm. 6. de verbis Domini. Bernardus tract. de præcept. et dispensat. « Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo » ; ubi clare dicit, differre leges ex parte materiæ, non autem ex parte præcipientium.

At objicies : nam B. Bernardus ibidem loquens de mandatis hominum, dicit, jussa sine culpa non negliguntur, sine crimine non contemnuntur, ubique enim et culpabilis neglectus, et contemptus damnabilis est : ubi videtur dicere, legem humanam numquam obligare ad culpam mortalem, nisi ratione contemptus. Respondeo : loquitur de præceptis rerum levium, in talibus enim non potest esse crimen, nisi ratione contemptus. Nec enim possunt Prælati pro arbitrio obligare ad culpam mortalem.

Sexto probatur, quia videtur implicare contradictionem, posse Principes obligare ad pœnam, et non ad culpam, si quidem culpa et pœna relativa sunt. Et B. Augustinus dicit lib. I. retract. cap. 9 : « Omnis pœna si justa est, pœna peccati est. » Et in epist. 105. et alibi, Deum ipsum fore injustum asserit, si quemquam damnaret innoxium. Quomodo igitur possunt Principes damnare ad mortem eos, qui leges suas prævaricantur, si illi nihil peccaverunt ? si culpam in conscientia non contraxerunt ?

Dices : quomodo ergo Regulæ quorumdam religiosorum obligant ad pœnam, et non ad culpam ? Respondeo : obligant non per modum legis, sed per modum conventionis et pacti, ut leges pure pœnales. Nec illa est propriæ pœna, sed pœnalis afflictio suscepta in auxilium spiritus.

Septimo et ultimo ex doctrina Apostolorum ; nam Roman. XIII, Paulus multis modis id asserit. Primo, cum ait : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ; non enim est potestas, nisi a Deo.* Secundo, cum ait : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Tertio, cum ait : *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Id enim de æterna damnatione exponunt Patres Græci et Latini in hunc locum. Quarto, cum ait : *Ideo necessitate subditi estote.* Quinto, cum ait : *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Sexto, cum ait : *Ministri enim*

Dei sunt. I. Pet. II: *Subjecti estote propter Deum* (1), id est, non solum timore pœnæ. Hæc loca satis demonstrant quod volumus: Nam si Principes a Deo potestatem habent imperandi, certe qui eis non parent, non solum Principes, sed etiam Deum offendunt; et si qui Principi resistunt, Dei ordinationi resistunt; certe peccant in conscientia, non secus ac si divinas leges prævaricarentur: et si qui resistunt, damnationem sibi acquirunt, certe culpam ea pœna dignam incurrunt. Et si necessitate subditi sint privati Principibus non solum propter iram sed etiam propter conscientiam, quomodo non peccant in conscientia qui eis non obediunt? Denique si Principes, Dei ministri sunt et eis propter Deum parendum est, profecto majestatem Dei lædunt, qui Principum mandata contemnunt. Ad argumenta in contrarium.

Ad primum, secundum, et tertium respondeo, ex eo, quod potestas politica est temporalis, et ejus finis est pax exterior, et homo non judicat de internis, recte colligi, eam non posse obligare, nisi ad actus temporales et exteriores; non autem non posse obligare in conscientia: nam etsi ista regula dirigat actus exteriores, tamen quia regula est, ab ipsa deviare, peccare est.

Dices: quomodo potest lex, vel potestas temporalis producere effectum spiritualem, id est, ligare conscientiam? Respondeo: licet potestas politica et ejus lex dicantur temporales ratione objecti, quia versantur circa temporalia, et exteriora; tamen in se res sunt spirituales. Præterea, ligare conscientiam non est aliquid efficere in rem spiritualem, sed solum imperare alteri, et sic imperare, ut si is non obediat peccet, et testimonio propriæ conscientiæ intelligat, vel intelligere possit, se peccare. Itaque quicumque potest jubere, potest ligare conscientiam, etiam si is de internis non judicet, nec scrutetur conscientiam alterius.

Ad quartum et quintum dico, Principem non posse inferre pœnam spiritualem et æternam, nec posse dimittere ejusmodi pœnam, et tamen posse obligare ad illam; quia id facit auctoritate Dei, qui ei concessit unum, et non alterum; sicut si Rex permitteret Proregi obligare subditos ad pœnam capitis, et tamen non permitteret ei per se exercere justitiam, vel condonare supplicium. Vel dicendum est, legem politicam obligare ad pœnam æternam, non ut est lex hominis, sed ut est lex ministri Dei. Qui enim ministrum Dei offendit, simul etiam Deum ipsum offendit; quocirca si (per impossibile) Deus non esset in rerum natura, et tamen lex politica similiter per impossibile extaret aliqua, illa obligaret in conscientia, et ejus prævaricatio peccatum esset, sed nulla sequeretur prævaricatorem pœna spiritualis aut æterna damnatio.

At sextum dico, non esse absurdum, idem peccatum puniri a pluribus, et pluribus in locis, quando plures offendit, sicut videmus homicidis sæpe abscindi manus in eo loco, ubi cædem patrarunt, et deinde in loco publicæ justitiæ abscindi caput.

Ad septimum dico, ex intentione legislatoris pendere; an velit revera imperare, et veram legem condere, an vero solum ostendere quid agendum sit, sine alio imperio: sed si velit serio imperare, et veram legem condere, non est in ejus potestate impedire, quin lex obliget ad mortale, aut veniale, pro rei magnitudine.

Ad ultimum dico, quod legi divinæ cedat humana, quando simul servari nequeunt, non esse causam, quia humana non obliget ad peccatum, sed quia lex humana minus firmiter statuta est; in tali enim casu desinit esse lex, et proinde etiam obligare. Vide quæ diximus in lib. IV. de Pontifice; et præterea Joannem Driedonem in III. lib. de libertate Christiana; Adrianum quodlib. 6. Franciscum Victoriam in relectione de potestate civili; Alphonsum a Castro, lib. I. de potestate legis pœnalis, cap. 4. et Dominicum a Soto, lib. I. quæst. 6. art. 4. de justitia et jure.

(1) Rom. XIII, 1 et seq.; I. Petr. II, 13.

CAPUT XII.

Tertia propositio.

« Judicia publica exercere non est illicitum Christianis. » Probatur Primo, quia proprium est Principis judicare. Scriptura enim fere conjungere solet Regem et Judicem, Psal II: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Isaiæ XXXIII: *Dominus Rex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Judex noster.* Hieremiæ XXIII: *Regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra* (1). Si ergo licet Christianis habere Principem, cur non et Judicem?

Secundo, quia nihil prodessent leges, si nulla esse deberent judicia: at leges tolli non debent, ut supra ostensum est, igitur nec judicia.

Tertio, Scriptura utriusque Testamenti judicia admittit; sic enim legimus Deut. XVI: *Judices et Magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio.* I. Corinth. VI: *Sæcularia judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum; sic non est sapiens quisquam in vobis, qui judicare possit fratrem suum* (2). Ubi Apostolus monet Corinthios, ut in iis causis, in quibus non tenebantur necessario adire tribunalia Gentilium, constituerent inter se judicem.

Neque difficile erit argumenta solvere, quæ initio posita sunt. Ad illa igitur verba Matth. V: *Si quis voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, relinque illi et pallium.* Respondeo cum S. Augustino in epist. 5. ad Marcellinum, ea solum intelligi debere secundum animi præparationem: nam ibidem Dominus ait: *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi et alteram.* Et tamen idem ipse Dominus Joann. XVIII, percussus in maxilla, non præbuit alterum, sed dixit: *Cur me cædis?* (3) Quo exemplo docuit, quemadmodum præcepta intelligenda sint.

Ad verba Apostoli I. Corinth. VI: *Delictum est in vobis etc* (4), dico primo, vocem *Delictum*, Græce esse ἥττημα, quod non peccatum, sed imperfectionem significat, et sic exponit Theodoretus. Dico secundo, si delictum significet peccatum, ut exponunt Chrysostomus et Ambrosius in hunc locum, et Augustin. in Enchirid. cap. 78. et lib. II. de serm. Domini in monte, cap. 15. et conc. 24. in Psalm. CXVIII. dico, inquam, vocari delictum, non quod in se peccatum sit, sed quia ut plurimum non caret peccato, vel ratione finis, ut quando litigatur ex avaritia, vel ratione medii, ut quando litigatur cum odio, rancore, jurgiis, vel ratione injustitiæ, ut quando miscentur doli et fraudes, vel ratione scandali, ut accidebat Corinthiis, qui cum offendiculo Gentilium litigabant. Dico tertio, non reprehendi judicia ex parte judicis, sed ex parte litigantium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset judicare; judicia enim finem imponunt litibus, quod est bonum.

(1) Psal. II, 10; Isai XXXIII, 22; Jerem. XXIII, 5. — (2) Deut. XVI, 18; I. Cor. VI. — (3) Matth. V, 40 et 39; Joan. XVIII, 23. — (4) I. Cor. VI, 7. — (5) Gen. IX, 6; XXXVIII, 24. — (6) Exod. XXI, 12; Matth. XXVI, 52. — (7) Rom. XIII, 4.

CAPUT XIII.

Quarta propositio.

« Licet Christiano magistratui gladio punire perturbatores publicæ quietis. » Probatur primo Scripturis; nam in lege naturæ, Mosis, et Evangelica habemus præcepta, et exempla hujus rei. Nam Genes. IX. Deus ait: *Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quæ verba non possunt sonare prædictionem, quia prædictio hujusmodi sæpe esset falsa, sed ordinationem et præceptum. Unde Chaldaica paraphrasis vertit: *Qui effuderit sanguinem cum testibus, ex sententia judicis fundetur sanguis illius.* Genes. XXXVIII. dixit Judas: *Producite eam, ut comburatur* (5). Ubi Judas Patriarcha tamquam princeps familiæ adjudicavit adulteram ad ignis supplicium.

In lege Mosis plurima sunt præcepta, et exempla. Exod XXI: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Et ipse Moses, Josue, Samuel, David, Elias, aliique SS. viri plurimos occiderunt. Matth. XXVI: *Qui acceperit gladium, gladio peribit* (6). Quæ verba non possunt recte intelligi, nisi hoc modo: Omnis, qui cædem injustam fecerit, debet a magistratu pariter occidi. Reprehendit enim Dominus Petrum, non quod justa defensio sit illicita, sed quod non tam se aut Dominum defendere, quam injuriam Domino factum ulcisci vellet, cum tamen ipse non haberet publicam auctoritatem, ut recte exponunt August. tract. 112. in Joan. et Cyrill. lib. XI. in Joan. cap. 35. præterea Rom. XIII: *Si male egeris, time; non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est* (7). Apostolus dicit datum gladium a Deo principibus contra facinorosos: ergo si in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dei sunt. I. Pet. II: *Subjecti estote propter Deum* (1), id est, non solum timore pœnæ. Hæc loca satis demonstrant quod volumus: Nam si Principes a Deo potestatem habent imperandi, certe qui eis non parent, non solum Principes, sed etiam Deum offendunt; et si qui Principi resistunt, Dei ordinationi resistunt; certe peccant in conscientia, non secus ac si divinas leges prævaricarentur: et si qui resistunt, damnationem sibi acquirunt, certe culpam ea pœna dignam incurrunt. Et si necessitate subditi sint privati Principibus non solum propter iram sed etiam propter conscientiam, quomodo non peccant in conscientia qui eis non obediunt? Denique si Principes, Dei ministri sunt et eis propter Deum parendum est, profecto majestatem Dei lædunt, qui Principum mandata contemnunt. Ad argumenta in contrarium.

Ad primum, secundum, et tertium respondeo, ex eo, quod potestas politica est temporalis, et ejus finis est pax exterior, et homo non judicat de internis, recte colligi, eam non posse obligare, nisi ad actus temporales et exteriores; non autem non posse obligare in conscientia: nam etsi ista regula dirigat actus exteriores, tamen quia regula est, ab ipsa deviare, peccare est.

Dices: quomodo potest lex, vel potestas temporalis producere effectum spiritualem, id est, ligare conscientiam? Respondeo: licet potestas politica et ejus lex dicantur temporales ratione objecti, quia versantur circa temporalia, et exteriora; tamen in se res sunt spirituales. Præterea, ligare conscientiam non est aliquid efficere in rem spiritualem, sed solum imperare alteri, et sic imperare, ut si is non obediat peccet, et testimonio propriæ conscientiæ intelligat, vel intelligere possit, se peccare. Itaque quicumque potest jubere, potest ligare conscientiam, etiam si is de internis non judicet, nec scrutetur conscientiam alterius.

Ad quartum et quintum dico, Principem non posse inferre pœnam spiritualem et æternam, nec posse dimittere ejusmodi pœnam, et tamen posse obligare ad illam; quia id facit auctoritate Dei, qui ei concessit unum, et non alterum; sicut si Rex permitteret Proregi obligare subditos ad pœnam capitis, et tamen non permitteret ei per se exercere justitiam, vel condonare supplicium. Vel dicendum est, legem politicam obligare ad pœnam æternam, non ut est lex hominis, sed ut est lex ministri Dei. Qui enim ministrum Dei offendit, simul etiam Deum ipsum offendit; quocirca si (per impossibile) Deus non esset in rerum natura, et tamen lex politica similiter per impossibile extaret aliqua, illa obligaret in conscientia, et ejus prævaricatio peccatum esset, sed nulla sequeretur prævaricatorem pœna spiritualis aut æterna damnatio.

At sextum dico, non esse absurdum, idem peccatum puniri a pluribus, et pluribus in locis, quando plures offendit, sicut videmus homicidis sæpe abscindi manus in eo loco, ubi cædem patrarunt, et deinde in loco publicæ justitiæ abscindi caput.

Ad septimum dico, ex intentione legislatoris pendere; an velit revera imperare, et veram legem condere, an vero solum ostendere quid agendum sit, sine alio imperio: sed si velit serio imperare, et veram legem condere, non est in ejus potestate impedire, quin lex obliget ad mortale, aut veniale, pro rei magnitudine.

Ad ultimum dico, quod legi divinæ cedat humana, quando simul servari nequeunt, non esse causam, quia humana non obliget ad peccatum, sed quia lex humana minus firmiter statuta est; in tali enim casu desinit esse lex, et proinde etiam obligare. Vide quæ diximus in lib. IV. de Pontifice; et præterea Joannem Driedonem in III. lib. de libertate Christiana; Adrianum quodlib. 6. Franciscum Victoriam in relectione de potestate civili; Alphonsum a Castro, lib. I. de potestate legis pœnalis, cap. 4. et Dominicum a Soto, lib. I. quæst. 6. art. 4. de justitia et jure.

(1) Rom. XIII, 1 et seq.; I. Petr. II, 13.

CAPUT XII.

Tertia propositio.

« Judicia publica exercere non est illicitum Christianis. » Probatur Primo, quia proprium est Principis judicare. Scriptura enim fere conjungere solet Regem et Judicem, Psal II: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Isaiæ XXXIII: *Dominus Rex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Judex noster.* Hieremiæ XXIII: *Regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra* (1). Si ergo licet Christianis habere Principem, cur non et Judicem?

Secundo, quia nihil prodessent leges, si nulla esse deberent judicia: at leges tolli non debent, ut supra ostensum est, igitur nec judicia.

Tertio, Scriptura utriusque Testamenti judicia admittit; sic enim legimus Deut. XVI: *Judices et Magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio.* I. Corinth. VI: *Sæcularia judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum; sic non est sapiens quisquam in vobis, qui judicare possit fratrem suum* (2). Ubi Apostolus monet Corinthios, ut in iis causis, in quibus non tenebantur necessario adire tribunalia Gentilium, constituerent inter se judicem.

Neque difficile erit argumenta solvere, quæ initio posita sunt. Ad illa igitur verba Matth. V: *Si quis voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, relinque illi et pallium.* Respondeo cum S. Augustino in epist. 5. ad Marcellinum, ea solum intelligi debere secundum animi præparationem: nam ibidem Dominus ait: *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi et alteram.* Et tamen idem ipse Dominus Joann. XVIII, percussus in maxilla, non præbuit alterum, sed dixit: *Cur me cædis?* (3) Quo exemplo docuit, quemadmodum præcepta intelligenda sint.

Ad verba Apostoli I. Corinth. VI: *Delictum est in vobis etc* (4), dico primo, vocem *Delictum*, Græce esse ἥττημα, quod non peccatum, sed imperfectionem significat, et sic exponit Theodoretus. Dico secundo, si delictum significet peccatum, ut exponunt Chrysostomus et Ambrosius in hunc locum, et Augustin. in Enchirid. cap. 78. et lib. II. de serm. Domini in monte, cap. 15. et conc. 24. in Psalm. CXVIII. dico, inquam, vocari delictum, non quod in se peccatum sit, sed quia ut plurimum non caret peccato, vel ratione finis, ut quando litigatur ex avaritia, vel ratione medii, ut quando litigatur cum odio, rancore, jurgiis, vel ratione injustitiæ, ut quando miscentur doli et fraudes, vel ratione scandali, ut accidebat Corinthiis, qui cum offendiculo Gentilium litigabant. Dico tertio, non reprehendi judicia ex parte judicis, sed ex parte litigantium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset judicare; judicia enim finem imponunt litibus, quod est bonum.

(1) Psal. II, 10; Isai XXXIII, 22; Jerem. XXIII, 5. — (2) Deut. XVI, 18; I. Cor. VI. — (3) Matth. V, 40 et 39; Joan. XVIII, 23. — (4) I. Cor. VI, 7. — (5) Gen. IX, 6; XXXVIII, 24. — (6) Exod. XXI, 12; Matth. XXVI, 52. — (7) Rom. XIII, 4.

CAPUT XIII.

Quarta propositio.

« Licet Christiano magistratui gladio punire perturbatores publicæ quietis. » Probatur primo Scripturis; nam in lege naturæ, Mosis, et Evangelica habemus præcepta, et exempla hujus rei. Nam Genes. IX. Deus ait: *Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quæ verba non possunt sonare prædictionem, quia prædictio hujusmodi sæpe esset falsa, sed ordinationem et præceptum. Unde Chaldaica paraphrasis vertit: *Qui effuderit sanguinem cum testibus, ex sententia judicis fundetur sanguis illius.* Genes. XXXVIII. dixit Judas: *Producite eam, ut comburatur* (5). Ubi Judas Patriarcha tamquam princeps familiæ adjudicavit adulteram ad ignis supplicium.

In lege Mosis plurima sunt præcepta, et exempla. Exod XXI: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Et ipse Moses, Josue, Samuel, David, Elias, aliique SS. viri plurimos occiderunt. Matth. XXVI: *Qui acceperit gladium, gladio peribit* (6). Quæ verba non possunt recte intelligi, nisi hoc modo: Omnis, qui cædem injustam fecerit, debet a magistratu pariter occidi. Reprehendit enim Dominus Petrum, non quod justa defensio sit illicita, sed quod non tam se aut Dominum defendere, quam injuriam Domino factum ulcisci vellet, cum tamen ipse non haberet publicam auctoritatem, ut recte exponunt August. tract. 112. in Joan. et Cyrill. lib. XI. in Joan. cap. 35. præterea Rom. XIII: *Si male egeris, time; non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est* (7). Apostolus dicit datum gladium a Deo principibus contra facinorosos: ergo si in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ecclesia tales reperiantur, cur gladio feriri non poterunt?

Secundo probatur ex Patrum testimoniis. Innocentius I, in epist. 3. ad Exuperium, cap. 3, interrogatus, an post Baptismum liceret magistratui gladio animadvertere in sontes? Respondet, omnino licere. Hilarius in can. 32. sive in cap. XXVI Matth. dicit licere occidere in duobus casibus, nimirum si quis judicis fungatur officio, aut in sui defensionem utatur gladio. Hieronymus in cap. XXII. Hieremiæ: « Homicidas, inquit, et sacrilegos, et venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. » Augustin. lib. I. de civit. Dei, cap. 21: « Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui personam gerentes publicæ potestatis sceleratos morte punierunt. »

Ultimo probatur ratione: Nam ad bonum principem, cui bonum commune tuendum commissum est, pertinet impedire, ne partes, quæ sunt propter totum, illud corrumpant, et ideo si non potest omnes partes integras servare, potius debet unam partem amputare, quam sinere ut bonum commune pereat: sicut agricolæ amputant ramos et sarmenta, quæ officiunt viti, vel arbori et medicus amputat membra, quæ totum corpus inficere possent.

Ad rationem Anabaptistarum ex Matth. V: *Oculum pro oculo etc.* duæ sunt solutiones. Una, quod lex vetus, quia dabatur hominibus imperfectis, permiserit vindictæ appetitum, et solum præceperit ne major expeteretur quam fuerit injuria: non quod petere vindictam sit licitum, sed quod sit minus malum expetere moderatam, quam immoderatam; porro Christum, qui perfectiores instruebat, hanc permissionem sustulisse. Ita August. lib. I. de serm. in monte, c. 35. et contra Adimantum, cap. 8. et idem sentit Chrysostomus et Hilarius in hunc locum; sed quia in Levit. cap. XIX. prohibetur vindicta: *Ne quæras ultionem.* Et in Eccles. cap. XXVIII. legimus: *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam* (1); rectius fortasse respondebimus cum S. Thoma, et S. Bonaventura, et aliis nonnullis in III. Sentent. dist. 30. Dominum cum ait: *Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo etc.* non reprehendere legem illam, nec prohibere magistratum infligentem pœnam talionis, sed reprehendere pravam Pharisæorum expositionem, et prohibere privatis hominibus desiderium, et postulationem vindictæ. Deus enim Exod. XXI. et Levit. XXIV. sanctam legem constituit, ut magistratus pœna talionis afficiat scelcratos; Pharisæi inde deducebant, licere privatis hominibus appetere vindictam; sicut ex eo quod lex dicebat: *Diliges amicum tuum*, deducebant licere odisse inimicos; Christus autem docet, istas esse legis corruptiones, et oportere diligere etiam inimicos, et non resistere malo, sed potius paratos nos esse debere, si opus sit, ad vertendam alteram maxillam el, qui unam percusserit. Et quod alloquatur Dominus privatos homines, patet ex iis, quæ sequuntur. Sic enim Dominus ait: *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in maxillam unam etc.* (2)

Est autem observandum, cum dicitur, *non resistere malo*, non prohiberi justam defensionem, sed repercussionem; jubet enim Christus, ne ferias eum qui te percussit, ut Theophylactus recte docet. Ille autem dicitur ferire, qui ferit ut noceat, non ille qui ferit ut se tueatur; ac breviter non defensio sed vindicta prohibetur, juxta illud Rom. XII: *Non vos defendentes charissimi*, id est, non vos ulciscentes. Sic enim est in Græca, ἐκδικοῦντες, unde sequitur: *Sed date locum iræ, scriptum est enim: Mihi vindictam, et ego retribuam* (3). Sed nec ipsa vindicta simpliciter prohibetur, si petatur a legitimo judice, et petatur ad bonum finem, nimirum, vel quia est emendandum hac pœna malefactorem, vel quia non aliter posset reprimi, et impediri ejus malitia, et pergeret nocere, si impunitus dimitteretur; solum ergo prohibetur vindicta, quam privati homines per se exercere volunt, et quam petunt a judice ex desiderio nocendi inimico, et satisfaciendi propriæ iracundiæ, atque odio.

(1) Levit. XIX, 18; Eccl. XXVIII, 1. — (2) Matth. V, 38 et 39. — (3) Rom. XII, 19.

CAPUT XIV.

Licere Christianis aliquando bella gerere.

Sequitur quæstio quarta, quæ est de bello. Continet autem hæc disputatio partes tres. Primum enim demonstrandum erit, licita esse aliquando Christianis bella. Secundo, explicandæ causæ justi belli. Tertio, propter Lutherum, probandum erit recte Christianos adversus Turcas arma sumere.

Ac ut a primo incipiamus, antiqua hæresis fuit Manichæorum, qui bellum ex natura sua illicitum asserebant, et ideo Mosem, Josue, Davidem, et cæteros veteris Testamenti Patres, qui bella gesserunt, tamquam impios accusabant, ut B. Augustinus refert lib. XXII. cont. Faustum, cap. 74. et seq. Eamdem hæresim nostro sæculo aliqui excitarunt; ac in primis Erasmus cum alibi, tum præcipue in annotationibus ad cap. III. et XXII. Luc. prolixa disputatione contendit bellum esse unum ex malis, quæ tolerantur, et veteribus Judæis a Deo permissum, Christianis autem a Christo et Apostolis interdictum.

Cornelius quoque Agrippa in libro de vanitate scientiarum, cap. 79. artem bellandi a Christo prohibitam esse affirmat. Idem etiam secutus est Joannes Ferus lib. IV. commentariorum in Matthæum, exponens illud XXVI. cap. *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Idem docent Anabaptistæ, ut testatur Melanchthon in locis Theologicis, capite de Magistratu. Idem etiam tribuit Joanni Œcolampadio Alphonsus a Castro, verbo bellum, quod mirum mihi videtur, cum Zwinglius ejus collega adeo probarit bellum, ut in prælio pugnans perierit, et similiter Calvinus lib. IV. institut. cap. 20. et Melanchthon, ubi supra, et cæteri hæretici hujus temporis, verbo et opere doceant esse bellandum.

Nos autem, ut semper docuit Ecclesia tota et verbis et exemplis, dicimus bellum ex natura sua non esse illicitum, et non solum Judæis, sed etiam Christianis fas esse bellum gerere, modo conditiones serventur, de quibus postea dicemus. Id quod probatur Scripturæ testimonio, Judicum III: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes qui non noverant bella Chananæorum, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem prœliandi.* Hæc sane verba non permissionem, sed absolutam Dei voluntatem ostendunt. Item I. Reg. XV: *Hæc dicit Dominus exercituum, recensui quæcumque fecit Amalech Israeli; nunc ergo vade et percute Amalech, et demolire universa ejus. Non parcas ei etc.* Hic etiam non permissionem, sed præceptum videmus, et similium plenum est Testamentum vetus. Item Luc III: *Interrogabant eum et milites, dicentes; Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris* (1). Anabaptistæ apud Melanchthonem dicunt Joannem permisisse bellum Judæis, ut imperfectis: Christum autem longe aliter docuisse.

At contra; nam Joannes præparabat viam Domino, non ergo debuit permittere id quod Christus mox ablaturus erat; nam nec illi potuissent uti ea concessione, cum eodem anno venerit Christus, et prohibuerit bellum, ut ipsi volunt; et præterea poterant suspicari homines Christum et Joannem non convenire inter se, quod absurdissimum fuisset. Respondet aliter Erasmus, hæc dici militibus, non ut ea servantes bene viverent, sed ut minus male viverent, ut videtur etiam explicare Theophylactus.

At contra; nam Joannes præmiserat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ, et omnis arbor non faciens fructum bonum, in ignem mittetur etc.* (2). Inde compuncti publicani et milites petierunt, quis esset fructus bonus, quem facere deberent: vel ergo Joannes eos decepit, vel possunt milites salvari, si servent quod Joannes illis præcepit.

Ad Theophylactum dico duo. Primo, eum non dicere bellum esse malum, sed solum dicere Joannem hortatum esse turbas, quæ erant innocentes, ad opera bona, id est, ad communicanda bona sua cum aliis: Publicanos autem et milites, qui non erant capaces hujus perfectionis, et non poterant facere bonum supererogationis, hortatum esse ut desisterent a malo. Putavit enim Theophylactus dare tunicam non habenti, et qui habet duas, esse opus consilii, et supererogationis, alioqui non vocaret turbas, quibus hoc dicitur, innocentes, nec distingueret hoc opus tamquam bonum a malo, nam si præceptum sit non retinere duas tunicas, retinere erit malum.

Dico secundo, Theophylactum non recte exponere hunc locum; nam vocat turbas innocentes, quibus Joannes dicit: *Genimina viperarum;* Et: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et præterea habere duas tunicas, est retinere superflua, ut Hieronymus dicit

(1) Judic. III, 1; I. Reg. V, 2; Luc. III, 14. — (2) Luc. III, 8.

quæst. I. ad Hedibiam, peccatum autem est retinere superflua. Præterea Matth. XXII. Dominus docuit tributum Cæsari esse solvendum; at certum est tributum non deberi Regibus, nisi ut possint alere milites in defensionem Reipub. quod exponit Apostolus Rom. XIII : *Ideo*, inquit, *et tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes*, nimirum, ut gladio puniant perturbatores publicæ pacis, id enim præmiserat : *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram* (1).

Probatur secundo exemplis Sanctorum, qui bella gesserunt; nam si bellum esset malum, certe a Sanctis non gereretur. In veteri Testamento Abraham, Mosen, Josue, Gedeonem, Samsonem, Davidem, Josiam, Machabæos magna cum laude bella gessisse legimus. In novo Testamento Matth. VIII. Centurio cum diceret Christo : *Habeo sub me milites, et dico huic, vade, et vadit etc.* (2) ejus fidem Dominus laudavit, non ut militiam desereret præcepit. Actor. X. Cornelius item Centurio dicitur, *Vir justus, et timens Deum* (3). Ita ut etiam Angelum videre meruerit, nec postea cum a S. Petro viam salutis doceretur, dictum est ei, ut militiam desereret.

Deinde post Christi in cœlum ascensionem semper fuisse Christianos, aliquos vere Sanctos et Deo gratos in militia, etiam sub Ethnicis principibus, docet Tertullianus in Apologet. c 5. ubi refert miraculum insigne a Christianis militibus factum, cum sub M. Aurelio in Germania bellum gereret; qui certe vel non militassent, si hoc esset malum, vel si militassent non ita Deo grati fuissent, ut etiam miracula facere possent. Vide histor. Eusebii lib. VIII. cap. 4. et lib. IX. cap. 10. Docet etiam Basilius in oratione de laudibus 40. militum Martyrum, fuisse multos Sanctorum in castris gentilium Imperatorum, et similiter Gregorius Nazianzenus orat. I. in Julianum ultra medium. Denique Constantinum, Theodosium, Valentinianum, Carolum Magnum, S. Ludovicum Regem Galliæ, S. Mauritium cum sua legione Thebæorum, aliosque plurimos SS. Christianos bella gessisse constat, quos S. Episcopi nunquam reprehenderunt, imo Theodosius consulebat de eventu belli Joannem Abbatem, ut Augustin. refert lib. V. de civit. Dei, cap. 26.

Tertio probatur, quia Deus sæpe justa bella adjuvat, quod nullo modo faceret, si bellum esset illicitum; nam mala permitti possunt, sed non etiam ad ea facienda auxilium dari. Gen. XIV. Abrahæ, cum debellasset quatuor reges cum solis 318 famulis suis, dictum est a Melchisedech : *Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt* (4). Exod. XVII. ad preces Mosis Deus dedit victoriam Hebræis contra Amalech. Josue X. pugnante Josue sol stetit, et Dominus pluebat de cœlo lapides magnos, et plures occidit Deus lapidibus grandinis, quam filii Israel hastis, et gladiis. II. Machab. X. Angeli in specie equitum pro Machabæis pugnabant, et cap. XV. legimus Deum non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dare dignis victoriam.

Constantinum Dei auxilio miraculis evidenter ostensis, vicisse in bellis testatur Eusebius in vita Constantini, et lib. IX. hist. c. 9. Cum Theodosio S. Joannem, et S. Philippum Apostolos palam pugnasse contra hostes ejus testatur Theodoretus lib. V. hist. c. 24. pro Theodosio juniore pugnasse Angelos contra Saracenos scribit Socrates lib. VII. cap. 18. De Clodoveo vide Gregorium Turonicum, lib. II. hist. Francorum, cap. 30. Honorii exercitum divino miraculo victoriam incredibilem de Gothis retulisse, scribit B. Augustinus lib. V. de civit. Dei, cap. 23. Innumerabilia exempla similia referri possent.

Probatur quarto ratione : Licet Reipub. defendere cives suos ab internis hostibus pacis, eos necando variis generibus supplicium, ergo etiam licebit bello atque armis, quando alia via non potest, defendere eosdem suos cives ab hostibus externis : quia ut possint conservari Respublicæ, necessarium est ut omnes hostes tam internos, quam externos arcere possint; et cum hoc sit jus naturæ, nullo modo credibile est, per Evangelium esse sublatum.

Probatur ultimo testimoniis Patrum. Tertullianus in Apolog. cap. 42 : « Navigamus, inquit, et nos vobiscum, et militamus, et rusticamur, et mercamur. »

S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace : « Licet, inquit, utriusque temporis habenda sit ratio, quandoquidem juxta illius legem, atque auctoritatem præclare interdum bellum suscipitur, quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus, hoc enim sublimius est, et divinius. »

(1) Rom. XIII. 6. — (2) Matth. VIII. 9. — (3) Act. X. 22. — (4) Gen. XIV. 20.

S. Joannes Chrysostomus homil. in Evang. de nuptiis, Joan. II. ex variis : « Militiam, inquit, prætexis, et dicis, non possum esse pius : Centurio nonne miles erat, nihilque nocuit illum sua militia? »

B. Ambrosius serm. 7 : « Non militare, delictum est, sed propter prædam militare, peccatum est. » Et lib. I. de officiis, cap. 40. et 41. numerat inter virtutes, bellicam fortitudinem, et cum nostris non defuisse multis exemplis probat. Item in oratione de obitu Theodosii, vehementer Theodosium a laude bellica commendat.

B. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum : « Nam si Christiana disciplina, inquit, omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent : dictum est autem, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. » Et epist. 205. alias 207. ad Bonifacium : « Noli, inquit, putare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat etc. » Idem docet lib. XXII. contra Faustum, cap. 74. et sequent. et lib. VI. quæstionum in Josue quæst. 10.

B. Gregorius lib. I. epist. cap. 72. ad Gennadium : « Sicut, inquit, excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiæ ejus omni vivacitate mentis, et corporis obviare etc. » Et cap. 73: « Si non ex fidei merito, ex Christianæ religionis gratia, tanta excellentiæ vestræ bellicarum actuum prosperitas eveniret, non summopere miranda fuerat, sed cum futuras (Deo largiente) victorias non carnali providentia, sed magis orationibus prævenitis, sit ut hoc in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat. »

Gregorius Turonicus, lib V. hist. cap. 1 : « Utinam et vos, o reges, in his prælia, in quibus parentes vestri, exerceretis, ut gentes vestra pace contentæ vestris viribus prærentur. »

B. Bernardus in serm. ad milites, cap. 3. « At vero Christi milites, inquit, securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum, quandoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda, et nihil habeat criminis, et plurimum gloriæ mereatur. »

At contra objiciunt. Primo Scripturas, ac primum Deut. XXXII : *Mea est ultio, et ego retribuam.* Et Rom. XII: *Non vos defendentes charissimi; scriptum est enim, mihi vindicta, et ego retribuam* (1). Respondeo, vindictam, quam exercent publicæ personæ, recte vocari vindictam Dei, Dei enim ministri sunt in hoc ipsum servientes, unde Paulus postquam dixerat in fine cap. XII. ad Rom. *Mihi vindicta, et ego retribuam*, Subdit in principio cap. XIII : *Si male egeris, time, non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui male agit* (2).

Addunt deinde illud Isaiæ II : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium* (3), quæ de tempore Christiano prædicta sunt. Respondeo, solum hoc loco prædicitur altissima pax futura, eo tempore, quo nasceretur Christus, ut B. Hieronymus exponit, et impletum esse scimus tempore Augusti Cæsaris. Illud enim (ultra) non significat, in æternum, sed in longum tempus. Præterea etiamsi non esset hoc impletum, nihil inde concluderetur; nam non prohibet Isaias bellum, si sint hostes, qui nos infestent, sed prædicit futurum, ut nulli sunt hostes. Donec igitur sunt hostes, etiam bellum geri potest. Potest etiam dici prædictum esse regnum Christi fore regnum pacificum, quandoquidem non est de hoc mundo, nec temporalia curat, et in hoc distingui a regno Judaico, quod bello, et cædibus firmandum, et conservandum fuit.

Denique objiciunt illa verba Matth. V : *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei et alteram : et diligite inimicos vestros : benefacite his, qui vos oderunt.* Et Matth. XXVI: *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Quibus similia sunt illa Rom. XII: *Nulli malum pro malo reddentes, et non vosmetipsos vindicantes charissimi etc.* (4).

Respondeo, eadem argumenta objecisse Julianum apostatam olim Christianis, ut

(1) Deut. XXXII, 25; Rom. XII, 19. — (2) Rom. XII, 19; XIII. 4. — (3) Isai II. 4. — (4) Matth. V, 39; XXVI. 52; Rom. XII, 17.

Gregorius Nazianzenus refert oratione prima in Julianum, procul a medio. Dicimus autem primo, hæc omnia, sive præcepta, sive consilia dari privatis hominibus; non enim Dominus vel Apostolus præcipit judici, ut non puniat eum, qui alteri fecit injuriam, sed præcipit unicuique, ut proprias injurias æquo animo ferat: bellum autem ad publicam justitiam, non ad privatam vindictam pertinet: et sicut dilectio inimici, ad quam omnes tenentur, non impedit judicem, aut carnificem ab officio suo; ita etiam non impedit milites et Imperatores a suo.

Dico præterea, etiam privatis hæc non semper esse præcepta, sed interdum præcepta, interdum consilia; præcepta sunt semper in animi præparatione, ita ut sit homo paratus præbere alteram maxillam, et auferenti tunicam dare etiam pallium potius, quam Deum offendere, sed re ipsa hoc præstare præceptum est, quando necessitas honoris Dei id exigit, alias solum est consilium, et aliquando ne consilium quidem, ut si ex eo quod præbeam alteram maxillam nulla sequitur utilitas, nisi quod ille iterum peccet. Ita respondent Gregorius Nazianzenus loco notato, et Augustinus epist. 5. ad Marcellinum.

Secundo objici possunt tria decreta Ecclesiæ. Primum est in Concilio Nicæno, can. 11. ubi gravissima injungitur pœnitentia iis, qui militiam, cui renuntiaverant, repetierint. Secundum est in epistola B. Leonis 90. ad Rusticum, et habetur etiam canon. Contrarium, de pœnit. distinct. 5. « Contrarium, inquit Leo, est Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem. » Et infra: « Non est liber a Diaboli laqueis, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare. » Tertium est Gregorii, eadem distinct. canone, Falsas, ubi dicitur eos, qui exercent negotium quod sine peccato non potest exerceri, non esse capaces pœnitentiæ, nisi negotio ejusmodi renuntient, et ponit Gregorius exemplum de milite.

Respondeo ad primum, agi de iis, qui ob confessionem fidei privati fuerant cingulo militari a Diocletiano, vel a Licinio, et postea repetebant cingulum, parati negare fidem. Vide Zonaram, et Balsamonem in eum canonem, et Ruffinum lib. X, hist. cap. 6. et quæ nos scripsimus de hac re lib. II de Conciliis, cap. 8.

Ad secundum et tertium dico, agi de iis, qui occasione militiæ multa peccata commiserant, quique propterea pœnitentiam egerant. Isti enim male faciunt, si ad militiam redeant, in qua experti sunt, se sine peccato vivere non posse, non ex vitio militiæ, sed ex proprio, et tunc præcipue male faciunt, quando imperatum eis fuerat a sacerdote, ne ad militiam redirent. Et quod revera isti canones non prohibeant absolute militiam, patet ex fine illius canonis, Falsas, ubi postea quam dictum fuerat male facere eos, qui post pœnitentiam ad militiam redeunt, subditur, ubi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia.

Tertio objiciuntur ab Erasmo plura loca Patrum, quibus addimus duo, unum Tertulliani, alterum Hieronym. Tertullianus lib. de corona militis, ultra medium, quærit an Christiano militia conveniat? et respondet: « Credimus ne, inquit, humanum Sacramentum domino superinduci licere? et in alium Dominum respondere post Christum? licebit in gladio conversari, Domino pronuntiante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus? et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniet? »

Respondeo, Tertullianum non damnare militiam tamquam per se malam. Quod patet primo, ex locis supra citatis, ex Apologetico cap. 5 et 42.

Secundo, quia in hoc libro de corona militis fatetur eos, qui milites erant ante Baptismum, posse manere milites etiam post Baptismum, et solum docet non debere ad militiam accedere post Baptismum eum qui liber est: « Plane, inquit, si quos militia præventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut eorum, quos Joannes admittebat ad lavacrum, ut Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, et quem Petrus catechizat, dum tamen suscepta fide, atque signata, aut descendum statim sit, ut multis actum, aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversus Deum committatur. »

Tertio patet, quia causæ præcipuæ, quas reddit, cur Christiani non debeant militare, sunt propter periculum idololatriæ, tunc enim omnes fere principes Gentiles erant. Itaque per accidens judicabat Tertullianus malum esse bellum eo tempore: « Excubabit, inquit, pro templis, quibus renuntiavit? et cunabit illic ubi Apostolo non placet? et quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit? vexillum quoque portabit æmulum Christo, etc. » Porro aliæ rationes ejus

supra positæ solum congruentiæ sunt, ut patet.

Hieronymus in epist. ad Ageruchiam de Monogamia: « Olim, inquit, bellatoribus dicebatur, accinge gladium tuum super femur tuum potentissime: nunc Petro dicitur, converte gladium tuum in vaginam etc. » Respondeo, vult dicere, in Testamento veteri bella fuisse imperata a Deo, et necessaria ad terram promissionis capiendam, et conservandam: in Testamento novo non esse imperata bella, sed potius pacem, quia ad regnum cœlorum acquirendum non sunt arma necessaria. Non tamen hinc sequitur, non posse Christianos, ut cives temporalis Reipubl. bella gerere cum iis, a quibus injuriam acceperunt.

Præter hæc objicit Erasmus aliquot alios Patres, ac primum Origenem, qui lib. II. cont. Celsum paulo ante medium dicit, Christum omnia bella sustulisse; et tract. 7. in Matth. exponens obiter illud Luc. XXII: *Qui non habet gladium, vendat tunicam, et emat gladium* (1). Dicit perniciosum esse hunc locum iis qui carnaliter eum intelligunt, qui revera putant esse tunicam vendendam ad emendum gladium.

Respondeo: in priore loco nihil esse pro Erasmo; cum enim Origenes dicit, Christum sustulisse omnia bella, non intelligit Christum prohibuisse bella, sed providentia sua generalem pacem mundo attulisse tempore nativitatis suæ. Imo ibidem aliquid est contra Erasmum: dicit enim Origenes, propterea Dei providentia factum esse, ut veniente Christo omnia Romano Imperatori subjecta essent, quia si multi fuissent Reges, necessaria etiam fuissent bella, quibus alii aliorum injurias propulsarent. In posteriore etiam loco nihil dicitur contra bellum: fatemur enim non ita crasse verba Domini intelligenda, ut debeat unusquisque necessario vendere tunicam, et emere gladium, sed solum modo illo loquendi Dominum explicare voluisse, in talibus angustiis, et necessitate Apostolos futuros tempore passionis, qualem patiuntur ii, qui ut se defendant, vendunt tunicam, et emunt gladium.

Sed quid hinc colligitur contra bellum? An quia Dominus hoc loco non jussit, ut Apostoli vere gladios emerent, ideo intelligetur prohibuisse bellum? quod item Origenes ait homil. 15. in Josue, non esse Christianis carnalia bella peragenda, significat militiam Christianam sub Imperatore Christo non esse carnalem contra homines, ut fuit militia Judæorum sub Josue, sed spiritualem contra Dæmones, non tamen hinc sequitur non licere Christianis, ut sunt cives politicæ Reipubl. bella gerere.

Ad eumdem modum solvuntur, quæ Erasmus affert ex Chrysostomo, Basilio, et Theophylacto ex catena B. Thomæ in cap. XXII. Lucæ, solum enim docent non jussisse Apostolis, ut vere gladios emerent.

Deinde objicit Ambrosium, qui lib. X. in Lucam exponens illud: *Qui non habet, vendat tunicam, et emat gladium*: « O Domine, inquit, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas premi? nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria, et videar potuisse vindicari, sed noluisse; Lex tamen referire non vetat, et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicis, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. » Respondeo primo, nihil hoc loco dici de bello, quod publica auctoritate exercetur, sed de privata defensione, vel ultione. Secundo dico etiam privatam defensionem, secundum Ambrosii sententiam, non pertinere ad prohibitionem præcepti, sed ad perfectionem consilii, ut illa verba clare indicant, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.

Item objicit Erasmus Augustinum, quem dicit non sibi constare, et si alicubi belli patrocinium susceperit, tamen alibi contra bellum scripsisse; nam in Psalm. XXXVII. scribit: « Non orare debemus, ut moriantur inimici, sed ut corrigantur. » Et epist. 5. ad Marcellinum multa scribit contra bellum, in epist. vero 158. et alibi supplicet eidem Marcellino, ut hæreticos Donatistas citra sanguinem puniat.

Respondeo: videtur Erasmus pueros putasse, cum quibus agebat, quid enim hæc ad propositum faciunt? nam in Psalm. XXXVII reprehendit odium inimici, quo aliqui Deum orant pro morte inimicorum. Quis autem negat esse malum optare mortem inimico ex odio, et cupiditate vindictæ? Tamen optare mortem inimico, et etiam inferre, secundum ordinem justitiæ malum non est, si fiat non odio hominis, sed amore justitiæ, et commu-

(1) Luc. XXII, 36.

nis boni. In epistola vero 5. nihil est contra bellum, sed potius pro bello, ut supra citavimus, nec scio quid Erasmus somniaverit. In epist. 138. supplicat judici pro vita sceleratorum, qui jam tenebantur captivi, et crimen fatebantur, quod Episcopi etiam modo facere solent. Sed quid hoc ad bellum? Num quicumque supplicat, ne latro aliquis suspendatur, continuo bellum prohibet?

Objicit etiam exemplum S. Martini, qui ut Sulpitius in ejus vita refert, Juliano Imperatori dixit : « Donativum tuum militaturus accipiat, ego Christianus sum, mihi pugnare non licet. » Respondeo, non satis fideliter verba S. Martini Erasmus retulit, non enim ait : « Ego Christianus sum, mihi pugnare non licet, » sed, « hactenus militavi tibi, nunc patere ut militem Deo, Christi ego miles sum, mihi pugnare non licet ; » quibus verbis non significavit se tantum esse Christianum, sed etiam voto, et proposito Monachum : id significat illud, patere ut militem Deo, et, Christi ego miles sum. Unde paulo ante Sulpitius scripserat, S. Martinum post Baptismum susceptum adhuc duos annos militasse, non quod non cuperet statim seculo renuntiare, sed quia tribunus militum, cui ipse contubernalis erat, promiserat se etiam exacto tribunatu seculo valedicturum, id est, cum ipso Monachum futurum. Itaque non Christiano, sed Monacho bellum interdictum asseruit, cum ipse Christianus existens duos jam annos militavisset.

Postremo sic Erasmus instat, arma Ecclesiæ sunt gladius verbi Dei, scutum fidei, galea salutis, lorica justitiæ, jacula orationum, ut Apostolus docet ad Ephes. VI. non ergo ferro et armis Christiani pugnare debent.

Respondeo primo, Apostolus non describit bellum contra homines, sed contra dæmones, ut patet ibidem : *Non est nobis colluctatio etc.* Secundo dico, præcipuæ Christianorum arma esse fidem et orationem, sed non propterea etiam arma ferrea non esse necessaria ; nam Exodi XVII. legimus Mose orante, et Josue pugnante victoriam Israeli a Deo donatam contra Amalec ; et Machabæos scimus orationibus, et armis pugnavisse, et Augustinus scribit ad Bonifacium, epist. 194. « Arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris. » Et eidem Bonifacio scribit epist. 205. alias 207 : « Alii pro vobis orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros. »

At, inquiunt, bellum opponitur paci, sed pax est bona, et effectus charitatis, igitur malum est bellum. Respondeo, bellum sic paci opponi, ut sit etiam medium ad pacem, sed hoc interesse inter bellum justum et injustum, quod bellum injustum opponitur paci bonæ, et ducit ad pacem malam, et ideo tale bellum vitiosum est : at bellum justum opponitur pacimalæ, et ducit ad pacem bonam sicut vulnera Chirurgi contraria sunt sanitati malæ, et imperfectæ quam habent ægroti, sed ad bonam et perfectam sanitatem, tamquam ad finem perducunt.

CAPUT XV.

Quot sint, et quæ justi belli conditiones.

Belli justi conditiones quatuor numerare solent, qui hæc tractant. Auctoritatem legitimam, causam justam, intentionem bonam, et modum convenientem. Sed de singulis seorsim dicendum est.

Prima igitur conditio est auctoritas legitima, dicit enim S. Augustinus lib. XXII. contra Faustum, cap. 75 : « Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes principem sit, exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci, salutique communi. » Et ratio idem probat ; nam privati homines, et qui superiorem habent, si ab aliquo injurias accipiant, possunt ad superiorem confugere, atque ab eo judicium petere. At principes si ab aliis principibus aliquid patiantur, non habent commune aliquod tribunal, ad quod illos accusent, et ideo licet ei bello injurias publicas propulsare.

Residet autem hæc auctoritas indicendi belli, secundum communem sententiam, in omnibus, principibus, et populis, qui in temporalibus superiorem non habent, quales sunt Reges omnes ; item Respub. Venetorum et similes etc. Item nonnulli Duces et Comites, qui nulli subsunt in temporalibus : non autem Duces et Comites, qui subsunt regibus immediate ; qui enim subsunt aliis, non sunt per se capita Reipub. sed potius membra. Nota tamen hanc auctoritatem non requiri ad bellum defensivum, sed solum ad offensivum, nam defendere se unicuique licet, non solum principi, sed etiam privato, at indicere bellum, et invadere hostem, solius est supremi capitis.

Secunda conditio est causa justa, non enim sine causa bellum indici potest, nec etiam propter quodcumque peccatum, sed tantum propter injuriam propulsandam. Ita B. Augustin. quæst. 10. in Josue : « Justa bella, inquit, definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est. » Ratio autem hujus est, quia princeps non est judex, nisi hominum sibi subditorum, ergo non potest quæcumque peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quæ cadunt in detrimentum populi sibi subjecti ; nam etsi non est judex ordinarius aliorum, est tamen defensor suorum, et ratione hujus necessitatis efficitur etiam quodammodo judex eorum, qui suis injuriam fecerunt, ita ut possit eos gladio punire.

Est vero observandum causam belli debere esse non levem, neque dubiam, sed magnam et certam, ne forte plus incommodi bellum afferat, quam sit utilitas, quæ inde speratur. Si autem dubia sit, distinguendum est de principe, et militibus ; nam princeps ipse sine dubio peccat ; nam bellum est actus justitiæ punitivæ, injustum est autem punire aliquem causa nondum probata : milites autem non peccant nisi constaret certo bellum esse illicitum ; debent enim subditi parere superiori, nec debent discutere imperia ejus, sed potius præsumere debent principem suum bonam causam habere, nisi manifeste contrarium noverint ; sicut etiam cum dubia est culpa alicujus particularis, peccat judex, qui eum damnat, non carnifex, qui damnatum occidit ; non enim tenetur carnifex discutere sententiam judicis, ita docet Bonifacius Papa in Sexto, de regulis juris, regula 25 : « Quod quis, inquit, mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse. » Et B. Augustinus lib. XXII. contra Faustum, cap. 75 : « Hoc etiam, inquit, fit ut vir justus, si forte sub rege sacrilego militet, recte possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. »

Nota tamen hoc intelligi de militibus, qui sunt obligati ei principi, qui bellum gerit, quales sunt subditi ejus, et etiam ii, qui ordinarium ab eo stipendium habent etiam tempore pacis, non autem de aliis qui aliunde adveniunt cum est bellandum ; Qui enim non sunt obligati militare, non possunt tuta conscientia ad bellum accedere, nisi sciant bellum esse justum ; Qui autem nihil cogitant, sed parati sunt militare, sive bellum sit justum, sive non, modo stipendium habeant, ii in statu damnationis versantur.

Tertia conditio est intentio bona. Nam cum finis belli sit pax et tranquillitas publica, non licet bellum suscipere propter alium finem. Unde graviter peccant tam reges, quam milites, qui vel ut noceant alicui, vel ut imperium dilatent, vel ut exerceant fortitudinem bellicam, vel alia de causa bellum suscipiunt, quam propter commune bonum, etiamsi auctoritas legitima, et causa justa non desint, ita Beatus Augustinus in epist. ad Bonifacium comitem, quæ est 207. alias 5 : « Pacem, inquit, habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate, et conservet in pace. Non enim pax quæritur ut bellum geratur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis unitatem vincendo perducas. » Et lib. XXII. contra Faustum, cap. 74 : « Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia, hæc sunt, quæ in bello jure culpantur. »

Sunt autem duo notanda. Primo, quoniam bellum est medium quoddam ad pacem, sed valde grave et periculosum, ideo non esse mox inferendum bellum, cum causa existit, sed esse prius procurandam pacem aliis rationibus facilioribus, nimirum pacifice petendo ab hostibus debitam satisfactionem. Deuteron XX. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem etc* (1). Et B. Augustinus epist. 207. ad Bonifacium : « Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. »

Sed quæret aliquis, quid si hostis nolit initio satisfacere, sed paulo post, bello jam inchoato, petat pacem, et satisfactionem offerat, an

(1) Deut. XX, 10.

tenebitur alter a bello cessare. Cajetanus verbo Bellum, dicit, quod non tenetur cessare, quando bellum jam est inchoatum, quamquam teneretur antea quam inchoaretur, acceptare satisfactionem. Sed (meliori judicio salvo) dicendum videtur, quod ex justitia numquam tenetur, qui habet justam causam, acceptare satisfactionem nec ante bellum inchoatum, nec postea : tamen ex charitate utroque tempore tenetur; nisi per accidens aliud expediat. Prioris ratio est, quia princeps habens justam causam belli, gerit personam judicis respectu alterius principis, qui injuriam fecit, judex autem non tenetur ex justitia condonare mortem rei, etiamsi offerat satisfactionem, quamquam possit condonare ex misericordia, si sit supremus judex, verbi gratia. Rex non tenetur donare vitam furi, etiamsi restituat, etsi ex misericordia potest. Ratio posterioris est, quia bellum est gravissimum supplicium, et quo non solum punitur qui peccavit, sed etiam per accidens multi innocentes involvuntur : ideo Christiana charitas semper id videtur exigere ut a bello cesseiur, quando qui nocuit debitam satisfactionem offert, nisi forte per accidens aliud expediat, id est, nisi talis sit hostis contra quem pugnatur, ut bono communi expediat cum vel subjectum esse alteri, velle funditus interire, quales erant Amorrhæi, quos Deus jussit penitus deleri, Deuter. XX.

Secundo notandum, differre hanc tertiam conditionem a duabus primis, quod illæ si desint, faciunt bellum esse injustum, hæc vero si desit, facit bellum esse malum, sed non injustum proprie. Qui enim sine auctoritate vel sine justa causa bellum movet, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccat, et non tam est miles, quam latro : qui vero auctoritatem, et causam justam habet, et tamen amore vindictæ vel augendi imperii, vel propter alium finem malum bellat, non agit contra justitiam, sed solum contra charitatem, nec est latro, sed malus miles.

Ex quo deducitur, quod cum solum desit hæc tertia conditio, non tenentur milites, nec reges ad ullam restitutionem, sed solum ad pœnitentiam : cum autem desit prima vel secunda, tenentur omnes ad restitutionem damni illati, nisi excusentur ignorantia invincibili. Ignorantia enim crassa, et culpabilis sicut a peccato non excusat, ita nec a restitutione, ut habemus capite finali, de injuriis et damno dato. Qui autem laborat ignorantia invincibili, non tenetur restituere donec ea ignorantia laborat; at cum cognoverit bellum fuisse injustum, tenetur restituere, non damnum tempore belli illatum, sed si quid habet alienum ex illo bello : et si nihil habet in specie, sed tamen rebus venditis factus est ditior, tenetur restituere tantum, quantum est ditior factus; nam res aliena retineri non potest, etiamsi propter ignorantiam sine peccato acquisita sit, sed reddi debet vel domino si scitur, vel pauperibus.

Quarta conditio est, modus debitus, qui in eo præcipue consistit, ut nulli innocenti noceatur, quod explicuit Joannes Baptista Luc. III : *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris* (1). Quibus verbis prohibet injurias, quas milites inferre solent innocentibus aut vi, aut fraude, vel in persona, vel in bonis. Cum dicit : *Neminem concutiatis*, prohibet injuriam, quæ aperta violentia infertur personæ, ut cum rusticos cædunt, nisi ad nutum obediant. Cum dicit : *Nemini calumniam faciatis*, prohibet injuriam, quæ fraudibus, et calumnia infertur, ut cum dicunt aliquem esse proditorem vel hostem, etiamsi contrarium noverint esse verum, et eo nomine vel ipsi eum spoliant, aut occidunt, vel deferunt ad ducem, vel præfectos. Cum vero addit : *Contenti estote stipendiis vestris*, prohibet injuriam, quæ alicui non in persona, sed in bonis infertur, ut cum furantur, et rapiunt undecumque possunt, vel etiam exigunt, et extorquent ab iis a quibus non debent.

Est autem observandum, tria esse genera personarum, quibus milites damnum inferre non possunt secundum regulam Joannis Baptistæ. Primum est eorum omnium, qui ad Rempub. hostium non pertinent. Ex quo excusari non possunt milites, qui damnum inferunt civibus, aut rusticis amicis, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt. Neque excusantur si dicant, sibi stipendia non solvi; nam non propterea illis obligata sunt bona privatorum civium, neque luere debet pœnam civis, aut rusticus, si rex aut dux peccat non solvendo stipendia militibus, nisi forte justa de causa damnati sint homines alicujus loci ad hanc pœnam, ut milites alant, quod tamen rarius accidit.

(1) Luc. III. 14.

Secundum est quorumdam, qui etsi aliquo modo ad Rempub. hostium pertinent, tamen excipiuntur capite Innovamus, de tregua, et pace, ubi sic dicitur : « Innovamus, ut Presbyteri, Monachi, conversi, peregrini, mercatores, rustici, euntes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes, et animalia, quibus arant, et semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur. » Ubi nomine mercatorum non videntur intelligi ii, qui in civitate hostium resident, et sunt pars quædam civitatis, sed solum ii, qui transeunt, vel ad nundinas veniunt, qui non sunt pars civitatis.

Tertium genus est hominum ineptorum ad bellum, quales sunt pueri, senes, mulieres : tales enim, etsi capi et spoliari possunt, quia sunt pars civitatis, tamen occidi juste non possunt, nisi forte casu et per accidens occidantur : ut cum miles jaculatur in cuneum hostium, et forte occidit puerum, aut mulierem, aut etiam sacerdotem non peccat, sed tunc peccat, cum ex intentione occidit, et potest, si velit, non occidere. Nam et ratio naturalis hoc docet, et etiam Deus hoc jubebat Hebræis Deuter. XX. nimirum ut parcerent parvulis et mulieribus, et Theodosius graviter ab Ambrosio reprehensus fuit, quod cum punire vellet Thessalonicenses, sine delecto obvios quosque necari jussit, ut refert Theodoretus lib. V. hist. cap. 17. et 18. Quod si Moses aliquando jussit etiam mulieres, et parvulos occidi, ut patet Deuter. II. et III. et alibi, non propterea id etiam nostris militibus licet; nam ille Dei revelatione clare cognoscebat Deum sic velle, cui nemo dicere potest, cur ita facis?

CAPUT XVI.

Licere bellum gerere Christianis contra Turcas.

Jam vero quæstio de bello contra Turcas omitti potuisset, nisi Lutherus inter alia sua paradoxa etiam hoc protulisset, ac defendere conatus esset, non licere Christianis contra Turcas bellum gerere, ut patet ex art. 34. in Bulla Leonis damnato. Luthero videtur assentiri Theodorus Bibliander in Chronologia tabul. 13. ubi sic ait : « Urbanus, seu potius turbo sævissimus, a spiritu malo homicidiis gaudente impulsus, bellum pro recuperanda Judæa commovit. »

Est autem observandum, Lutherum non negare bellum contra Turcas esse licitum, quia putet in genere omne bellum esse illicitum; nam in assertione ejusdem articuli suadet bellum contra Pontificem, quem Turcissimum Turcam esse dicit; neque quia existimet non habere Christianos justam causam; constat enim omnibus Turcas nullo jure occupasse regna Christianorum, et quotidie plura occupare velle. Constat etiam eum extinguere cupere omnem religionem, et dare omnem operam, ut homines ex Christianis fiant Mahumetani. Denique constat et antiquos Pontifices, ut Urbanum II. Pasohalem II. Eugenium III. et alios multos, necnon generalia Concilia, ut Lateranense, Lugdunense, Viennense, et alia, generale bellum indixisse Mahumetanis, et S. Bernardum, aliosque sanctos viros concionibus publicis excitasse populos ad hoc bellum, et sermonem miraculis confirmasse, ut ipsemet B. Bernardus modeste indicat initio libri. II. deconsideratione, nec aliquid horum Lutherus negat; sed sunt aliæ tres causæ cur senserit non licere contra Turcas bellare.

Prima, quia voluntas Dei esse videtur, ut a Turca, tamquam flagello quodam puniamur, neque licet nobis Dei voluntati resistere, quod autem ista sit voluntas Dei, probat in assertione art. 34. ab experientia, quæ docuit hactenus nihil Christianis profuisse bellum contra Turcas.

Sed hæc prima causa parum valet; nam etsi voluntas Dei sit ut peccata nostra per Turcam puniantur, tamen non est voluntas ut Turcæ non resistamus; imo voluntas ejus est ut resistamus; id quod ex fine probatur. Non enim Deus permittit Turcam in nos sævire ut pereamus, sed ut convertamur, tunc autem ad conversionem perducimur, cum Turcæ nos oppugnanti resistere conamur, resistendo laboramus, laborando nostram infirmatem agnoscimus, atque inde ad Deum toto corde revertimur, et ejus auxilium imploramus. Itaque ex fine, quo Deus permittit Turcam in nos sævire, sequitur manifeste ipsum velle ut Turcæ resistamus. Præterea, ita flagellum Dei est bellum Turcæ, sicut pestis, fames, hæresis, fomes peccati, et similia; nemo autem tam est stultus, qui ideo putet non esse quærenda medi-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE NUEVA ROMA DE NUEVO LEÓN
COLECCIÓN DIGITAL DE BIBLIOTECAS

camenta contra pestem, neque terrum colendam, ne moriamur fame, neque hæresi et fomiti resistendum.

Neque verum est quod Lutherus dicit, experientiam docere nihil nobis prodesse bellum contra Turcas; nam ut omittam plurimas victorias de Turcis relatas, certe cum primum arma illata sunt in terram promissionis felicissimo eventu Hierusalem a nostris recuperata fuit, et regnaverunt Christiani annis 88, et semper plura, et plura recuperabant, donec oriri cœperunt inter ipsos Christianos Principes contentiones, quemadmodum et nunc Turca plura occupat ob discordiam nostrorum, quam sua virtute, et harum discordiarum potissima causa fuit Lutherus ipse. Nam ut ex Joanne Cochlæo patet in actis Lutheri anni 1526, Hungaria perit, quia Germani a rege Hungariæ vocati in auxilium, maluerunt Luthero parere tunc concionanti contra bellum in Turcas, quam cogitare quid bonum communæ postularet. Saltem hoc boni habet bellum, quod impeditur Turca ne tantum noceat quantum vellet. Nisi enim hactenus cum eo pugnatum esset, jamdudum ille omnia obtineret.

Secunda causa ejus est, quia Ecclesiæ utilior est tribulatio, et persecutio, quam victoria, et tranquillitas; unde in sermone de matrimonio reprehendit Ecclesiæ consuetudinem, qua orat pro pace, et quiete, cum potius pro tribulationibus orandum esset. Sed respondemus, tribulationem, et persecutionem esse quidem utilem, sed periculosam et ideo non expetendam, sed tolerandam, cum aliter fieri non potest. Unde Matth. VI. jubemur orare : *Et ne nos inducas in tentationem.* Et I. Tim. II. Apostolus jubet orare pro regibus, ut quietam, et tranquillam vitam agamus. Et B. Augustinus lib. X. Confessionis, cap. 28. dicit, miserias tolerandas, non amandas, nec desiderandas, et petendas.

Tertia causa, eoque præcipua fuisse videtur, odium Pontificis, tanto enim odio Pontificem aliquando Lutherus persequebatur, ut plane optaret videre Turcam occupantem omnia regna Christianorum, ut saltem eo modo nomen Pontificis extingueretur. Neque hoc fuisse votum, ac desiderium ejus nos divinamus, sed ex verbis ejus colligimus, nam in libro ad nobilitatem Germaniæ, cap. 25. dicit, nullum esse pulchrius regimen usquam quam apud Turcas, qui legibus Alcorani gubernantur, nullum autem turpius, quam apud Christianos, qui jure canonico, et civili reguntur. Et in assertione articuli 34. dicit, Pontificem et Pontificios esse multo pejores, et truculentiores Turcis, et stultum esse pugnare pro pejoribus Turcis contra meliores, et in epistola quadam contra duo mandata Imperialia : « Oro, inquit, cunctos pios Christianos, ne ullo modo sequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies prudentior, probiorque est, quam sunt Principes nostri.» Quibus verbis quid aliud suadere conatus est, quam esse juvandos Turcas contra Christianos?

Sed hæc sententia tantam absurditatem, et impietatem continet, ut ipse idem Lutherus postea, cum ille ardor nonnihil defervbuisset, plane contrarium scripserit. Sic enim ait in libro de visitatione Saxonica? « Clamant, inquit, aliqui prædicatores temerarie, non resistendum esse Turcæ. Hic sermo seditiosus est, qui neque ferri, neque permitti debet. Tenentur igitur potestates resistere Turcis, qui non solum cupiunt provincias devastare, uxores ac liberos violare, et interficere, verum etiam jura provinciæ, cultum Dei, omnemque ordinationem bonam abrogare ac tollere. Idcirco debent Principes ob id præcipue belligerare etc. » Et ibidem : « Multo, inquit, tolerabilius foret viro bono videre filiorum suorum interitum, quam Turcicis eos moribus imbui : Turcæ enim nullam prorsus honestatem vel sciunt, vel curant. » Hæc ille.

CAPUT XVII.

Ad magistratum non pertinere judicium de Religione.

Quinta sequitur quæstio de officio magistratus politici in causa religionis. Tres in hac parte sunt errores. Primus eorum, qui nimis multum tribuunt magistratibus, ut Brentil in Prolegomenis, Philippi in Locis, capite de magistratu, et aliorum, qui reges esse volunt non solum custodes et defensores religionis, sed etiam judices et magistros. Dicunt enim ad eos, ut ad præcipua Ecclesiæ membra pertinere, judicare controversias

fidei, præsidere Conciliis generalibus, constituere ministros, et pastores, et similia.

In quem errorem multa disputavimus in controversiis de judice controversiarum, de summo Pontifice, et de Conciliis; ubi ostendimus reges habere primum locum inter Christianos, ut Christiani homines sunt, id est, ut sunt cives terrenæ civitatis, non ut sunt cives Sanctorum, et domestici Dei, ac ut Ecclesiæ membra sunt. Sic enim primum locum habent Episcopi, et præcipue summus Pontifex, secundum Presbyteri, tertium Diaconi, aliique ministri Ecclesiastici, ultimum Laici, inter quos etiam Reges et Principes numerantur.

Unde Chrysostomus homil. 83. in Matthæum alloquens Diaconos : « Si Dux quispiam, si Consul ipse, si is, qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe, et coerce, majorem tu illo habes potestatem. » Et Gelasius in epist. ad Anastasium Imperatorem : « Nosti, inquit, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis exspectas, inque sumendis cœlestibus Sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. »

Denique, Christus Ecclesiam regendam Petro et Episcopis commisit, non Tiberio, et ejus præfectis, et per annos 300, sine ullis regibus Christianis, exceptis paucissimis, qui vel brevissimo tempore imperarunt, ut Philippus Cæsar, vel solum in aliqua provincia, ut Lucius Rex Britannorum, Ecclesia a solis Episcopis et Presbyteris optime gubernata est. Vide cætera locis citatis.

CAPUT XVIII.

Ad magistratum pertinere defensionem Religionis.

Secundus error est aliorum, qui ad alterum extremum deflectentes, docent reges debere curare Rempublicam suam, et pacem publicam; de religione autem non curare, sed permittere singulis ut sentiant prout voluerint, et vivant ut voluerint, modo non perturbent pacem publicam. In hoc errore fuerunt olim Ethnici, qui omnes religiones approbabant, et omnium Philosophorum sectas admittebant, ut August. dicit lib. XVIII. de civit. Dei cap. 51. unde beatus Leo serm. I. de SS. Petro et Paulo : « Hæc autem civitas, inquit, ignorans suæ provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnum sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.» Et Themistius Philosophus, ut refert Socrates lib. IV, hist. c. 27. Valenti Imperatori persuadere conatus est, Deo gratam esse sectarum varietatem, dum ita pluribus modis colitur; et pluris fit, dum difficilius cognoscitur. Item hæresiarcha quidam nomine Rethor apud Augustinum libro de hæresibus, cap. 72. omnes sectas veras esse docuit.

Denique, hanc libertatem voluerunt et obtinuerunt Germani anno 1526, quando Principes Imperii Spiræ congregati fuerunt : et nunc idem feruntur in Flandria petere; quorum argumenta quatuor præcipue sunt. Unum, quod fides sit libera. Alterum, quod sit donum Dei. Tertium, quod experientia doceat cogendo nihil profici. Quartum, quod Christiani semper Judæos toleraverint, cum tamen Christi hostes sint.

At hic error perniciosissimus est, et sine dubio tenentur Principes Christiani non permittere subditis suis libertatem credendi, sed dare operam, ut ea fides servetur, quam Episcopi Catholici, et præcipue summus Pontifex docet esse tenendam. Probatur primo Scriptura, Proverb. XX : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Item : *Dissipat impios Rex sapiens.* Porro impios esse hæreticos negari non potest. Item Psalm. II : *Et nunc Reges intelligite, eruditmini, qui judicatis terram, servite Domino in timore* (1).

Augustinus epist. 50 : « Aliter servit, inquit, Rex Deo, quia homo est, aliter quia Rex est; quia homo est, et servit vivendo fideliter; quia verò etiam Rex est, servit, leges justa præcipientes, et contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo : sicut

(1) Prov. XX. 8; Psal. II, 10.

servivit Ezechias, lucos et templa idolorum destruendo : sicut servivit Rex Josias, talia et ipse faciendo : sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo : sicut servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando : sicut servivit Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. » Et ibidem subjungit : « Quis mente sobrius Regibus dicat, Nolite curare in regno vestro, a quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri? Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus; quibus non potest dici : Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse pudicus, quis impudicus. »

Præterea in testamento novo Apoc. II. reprehenditur Angelus Pergami, quod haberet apud se aliquos tenentes doctrinam Nicolaitarum, et Angelus Thiatyræ, quod permitteret Jezabel seducere servos Dei. Ex quibus colligitur, noxiam esse Ecclesiæ, mixtionem hæreticorum cum Catholicis. Roman. XVI, jubentur Christiani declinare hæreticos. Galat. V : *Utinam*, inquit, *abscindantur*, Tit. I. *Increpa illos dure ut sani sint in fide* (1), ergo Reges, qui sunt Ecclesiæ nutricii, Isaiæ XLIX. non debent permittere istam confusionem.

Secundo probatur testimoniis Pontificum et Imperatorum. Leo epist. 75. ad Leonem Augustum : « Debes, inquit, Imperator incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quæ bene sunt statuta, defendas, et veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas. » Anastasius II. Papa in epist. ad Anastasium Imperatorem : « Hoc, inquit, præcipue instituo serenitati tuæ, ut cum causæ Alexandrinorum patuerint piissimis auribus vestris, ad Catholicam et sinceram fidem eos auctoritate, sapientia, divinisque vestris mandatis redire faciatis. » Similia habet Gregorius lib. IX, epist. 60. ad Regem Angliæ, lib. XI, epist. 44. ad Leontiam Augustam. Similia habet Agatho in epistola ad Constantinum IV.

Porro Imperatores pii idem senserunt; nam Theodosius L. cunctos populos, C. de summa Trinitate, et fide Catholica, radicitus evulsit libertatem credendi, quam aliqui Principes permiserant, ac jussit omnes credere eo modo, quo Romanus Pontifex docet esse credendum. Valentinianum juniorem laudat Ambrosius in oratione funebri, quod Romæ repetenti antiquam libertatem in religione, ut colere posset sacrificiis Deos, fortissime restiterit. Similiter Martianus C. eodem, L. Nemo, severe prohibet, ne quis ea, quæ sunt in Conciliis Episcoporum definita, revolvat, aut de iis publice disputare præsumat.

Constantinus Magnus initio quidem imperii permisit libertatem religionis omnibus, ut patet ex Historia Eusebii lib. X, cap. 5. tamen postea jussit claudi templa idolorum, et solam Christianam religionem vigere, ut Optatus refert lib. II. contra Parmen. quem filii sunt imitati, Constans et Constantinus, ut Augustinus refert epist. 166. et (apud Ruffinum lib. X, cap. 5.) exilium minatus est Constantinus iis omnibus qui non acquiescerent Nicæni Concilii definitioni.

Qui libertatem credendi concesserunt, tres inveniuntur. Jovianus, qui tamen ne Catholicos cum hæreticis misceret, graviter admonitus est a Concilio Antiocheno, ut scribit Socrates lib. III. capite 21. Valens Imperator Arianus omnibus hæreticis et Ethnicis liberam permisit religionem, ut scribit Theodoretus, lib. IV, cap. 22. Denique Julianus Apostata, qui ideo permisit libertatem, quia sic sperabat posse interire Christianismum; sic enim ait Augustinus epist. 166. alias 165 : « Julianus, inquit, desertor Christi et inimicus, hæreticis libertatem perditionis permisit, et tunc Basilicas hæreticis reddidit, quando templa Dæmoniis; eo modo putans, Christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, invideret, et sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret. »

Probatur tertio rationibus. Primo, potestas temporalis et spiritualis in Ecclesia non sunt res disjunctæ et separatæ, ut duo regna politica, sed sunt conjunctæ, ita ut unum corpus faciant; vel potius ita se habent, ut corpus et anima in uno homine, est enim potestas spiritualis quasi anima, et temporalis quasi corpus, ut Nazianzenus docet in oratione ad populum timore perculsum; ergo debet potestas temporalis spirituali servire, eamque ab hostibus suis protegere ac defendere, ac (ut B. Gregorius ait, lib. II, epist. 61.) terrenum regnum cœlesti famulari; sed Ecclesiæ exitialis est hæc libertas; nam vinculum Ecclesiæ est unius fidei confessio, ad Ephes. IV. *Una fides*, et ideo dissensio in fide, Ecclesiæ est dissolutio. Debent igitur Principes hanc libertatem nullo modo permittere, si fungi munere suo volunt.

(1) Gal. V, 12; Tit. I, 13.

Secundo, quando apud Judæos vera religio florebat, non poterant Reges permittere libertatem religionis, ergo multo minus debent permittere Reges Christiani; non enim minus ordinata debet esse Ecclesia, quam fuerit Synagoga. Antecedens patet Deuter. XVII. ubi ex sententia judicis politici jubentur occidi, qui non obediunt Sacerdoti. Et cap. XVIII. Pseudoprophetæ similiter exterminari jubentur; et idem patet exemplis, quæ affert Augustin. epist. 50. de Ezechia, Josaphat, Josia, et aliis piis Regibus, qui destruebant lucos, et templa idolorum, et severe puniebant idololatras, et populum ad cultum veri Dei compellebant. Quod autem paulo ante Christi tempora cœperint permitti variæ hæreses, ac præcipue Sadducæorum, qui negabant resurrectionem, non est mirum, quia Synagoga tunc ad interitum propinquabat, nec habebat Regem vere Judæum, qui ista curaret, sed Idumæum Herodem, Pontifices autem nihil poterant.

Tertio, libertas credendi perniciosa est, etiam temporali bono regnorum, et publicæ paci, ut patet primum ex Gregorio lib. IV, epist. 32. ubi dicit, Reipub. civilis incolumitatem, ex Ecclesiæ pace pendere. Deinde ratione; nam ubi servatur fides et obedientia Deo, ibi etiam servatur Principi; nam fides ipsa hoc docet et exigit. Item dissensio in fide parit animorum et voluntatum dissensiones : omne autem regnum in seipsum divisum, desolabitur; et experientia nostri temporis adeo manifeste hoc ostendit, ut frustra id probare nitamur.

Quarto, libertas credendi perniciosa est illis ipsis, quibus conceditur; nam libertas credendi nihil est aliud, quam libertas errandi, et errandi in re omnium periculosissima; nam fides vera non est nisi una, Ephes. IV. *Una fides*, ergo libertas ab ista una fide recedendi, est libertas in errorum barathrum ruendi. Sicut ergo salubriter non permittitur ovibus libertas vagandi per montes, et salubriter non liberatur gubernaculo, nec sinitur libere a quolibet vento circumferri navis; ita quoque salubriter non conceditur populis libertas credendi, postea quam uni veræ fidei se adjunxerunt. Argumenta solventur in sequenti Quæstione.

CAPUT XIX.

Non posse conciliari Catholicos cum hæreticis.

Tertius error est Georgii Cassandri in libro de officio pii viri, ubi docet, debere Principes invenire rationem pacis inter Catholicos, Lutheranos, Calvinistas etc. Sed interim dum non inveniunt, debere permittere unicuique suam fidem, modo omnes recipiant Scripturam et Symbolum Apostolicum. Sic etiam omnes sunt vera Ecclesiæ membra, licet in particularibus dogmatibus dissentiant. Similia docuerunt olim pacificantes, auctore Zenone Imperatore, de qua re vide Evagrium, lib. III. cap. 14. et 30. Item Apelles, qui apud Eusebium lib. V, hist. cap. 13. dicebat, non esse discutiendam rationem fidei, sed sat esse credere in crucifixum. Illic est manifestus error, et contra eum scripsit ex Catholicis Doctoribus Joannes a Lovanio, ex hæreticis Joannes Calvinus.

Potest autem facile refelli hæc sententia; primum enim, non possunt Catholici, Lutherani, et Calvinistæ eo modo conciliari; nam in ipso Symbolo non convenimus, exempli gratia, per articulum : *Descendit ad inferos*, diversissima intelligimus; nos enim credimus, Christi animam a corpore separatam, secundum substantiam suam descendisse ad limbum Patrum; hæreticorum alii volunt descendisse Christum ad inferos, nihil esse aliud, quam sepultum fuisse; alii passum dolores inferni. Similiter articulum : *Credo sanctam Ecclesiam*; diversis modis intelligimus. Et illud etiam : *Sanctorum communionem*; nam de singulis Sacramentis sunt controversiæ. Denique de illo : *Remissionem peccatorum*, maxime dissentimus.

Dicet Cassander, sat est, quod omnes fatemur, Symbolum esse verum, et illud recipimus.

Contra; primo, Symbolum unum est, et non in verbis, sed in sensu est fides, non ergo habemus idem Symbolum, si in explica-

tione dissidemus. Præterea si sufficeret verba Symboli recipere, nulli fere veterum hæreticorum jure damnati fuissent. Nam Ariani, Novatiani, Nestoriani, et alii fere omnes verba Symboli Apostolici recipiebant, sed quia in sensu dissensio erat, ideo damnati, et ab Ecclesia Catholica ejecti fuerunt.

Secundo, fundamentum Cassandri est falsum; non enim possunt vera membra Ecclesiæ vocari Lutherani et Calvinistæ, etiamsi in Symbolo nobiscum convenirent; nam præter illam fidem requiritur subjectio ad legitimum caput Ecclesiæ a Christo constitutum, et communicatio cum aliis membris; Ecclesia enim est unum corpus visibile, et proinde caput et membra habet visibilia, nec potest dici membrum, quod a capite et corpore reliquo separatum est. Certe Acrius, etiam quoad sensum in Symbolo conveniebat cum Catholicis, tamen quia nolebat subesse Episcopo, et cæteris membris communicare, ab Epiphanio et Augustino in Catalogo hæreticorum ponitur, et Cyprianus lib. IV, epist. 2, dicit, Novatianum esse extra Ecclesiam, quia non volebat subjici Pontifici Coraelio, etiamsi nullam aliam hæresim introduxisset.

Tertio, Cassander ita disputat, quasi inter Catholicos, Lutheranos, et Calvinistas solum dissensiones sint de ritibus et cæremoniis humanis; at multa dogmata sunt maximi momenti, in quibus dissentimus, quæque non habentur expresse in Symbolo, et propter quæ nulla pax sperari potest inter Catholicos, et Lutheranos. Nam verbi gratia, nos dicimus, Missam esse divinissimum cultum Dei; illi dicunt esse horrendam idololatriam: similiter invocare Sanctos nobis est pietas, illis impietas etc.

Quarto, sancti Patres docuerunt nos, ut non solum fidei Symbolum, sed etiam omnia alia dogmata fidei, licet minuta videantur, inviolata servemus, nec propter hæreticos ullo modo immutari patiamur, Galat. II. Paulus dicit, se nec ad horam cedere voluisse falsis fratribus. Et cum olim Ariani peterent a Catholicis, ut saltem unam vocem omitterent, quæ non habetur in Scriptura, nec in Symbolo Apostolorum, vel unam litteram immutarent, id est, non dicerent ὁμοούσιον, sed ὁμοιούσιον, et si hoc fieret, pacem pollicerentur: Catholici noluerunt, et Imperatori scripserunt, nefarium esse de rebus jam definitis aliquid immutare; et si quid justarum sanctionum fuerit immutatum, non propterea pacem futuram; nec enim apud eos pacem esse posse, qui pacis jura nescirent. Vide Theodoretum lib. II hist. c. 18 et 19. vel Trip. lib. V, cap. 21 et 33. et hoc verum esse patuit in Concilio Ariminensi; nam cum simpliciores Catholici ab Arianis decepti, nomen ὁμοούσιον, tollendum esse decrevissent, mox Ariani toto orbe terrarum prædicaverunt, se vicisse; et non contenti sustulisse vocem ὁμοούσιον, et pro ea substituisse ὁμοιούσιον, paulo post ipsum ὁμοιούσιον, in ἑτερούσιον, id est, dissimilis substantiæ, transformarunt, ut Theodoretus refert, lib. II hist. cap 21.

Hinc Basilius roganti Præfecto Valentis Imperatoris, ut tempori pareret, et non tot Ecclesias, propter parvam dogmatum subtilitatem, vexari pateretur, respondit: « Qui divinis innutriti sunt eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus, ne unam quidem syllabam patiuntur, sed pro his, si contingat, omnes etiam mortis species amplectuntur. » Vide Theodoretum lib. IV, cap. 17. Historiæ Ecclesiasticæ. Eadem constantia præditi fuerunt Eustathius et Sylvanus, quibus cum Imperator exilium minaretur, nisi vocem ὁμοούσιον, abrogarent, responderunt, potestatem habes puniendi, non tamen nos Patrum statuta destruimus. Vide hist. Tripar. lib. V, cap. 24.

Denique Gelasius in epistola ad Euphemianum, petenti hæretico, ut Papa eis condescenderet, id est, aliquid remitteret de religione Catholica, pacis gratia, eleganter ejus petitionem irrisit. «Cum autem, inquit, dicis, condescendere nos debere vobiscum: interim jam vos descendere, aut descendisse monstratis. Unde quæso, vel quo ista descensio est? Utique ex superiore quodam loco ad inferiora quæque depositos, a Catholica, Apostolicaque communione ad hæreticam, damnatamque prolapsos videtis, cognoscitis, non negatis: sed etiam in superiore manentes sede, vultis impelli, condescendere nos vobiscum invitatis ad ima de summis; nos coascendere vos nobiscum rogamus ad summa de imis. »

Quinto, non potest liberum esse credere in uno quolibet dogmate, quin eadem ratione liberum esse debeat in omnibus, etiam in iis, quæ in Symbolo Apostolico continentur; nam una est regula fidei indubitata, et certa in omnibus quæ creduntur, nimirum verbum Dei per Ecclesiam explicatum. Si ergo credo Ecclesiæ tradenti mihi Symbolum Apostolorum, quod non scio aliunde esse Apostolorum, nisi quia Ecclesia dicit; eadem ratione credere debeo Sanctos invocandos, quia eadem Ecclesia hoc dicit; vel si hoc possim non credere, eadem ratione possum non credere, Symbolum illud esse Apostolorum.

Sexto, opinio ista Cassandri nova est, et ab ipso primum excogitata, ut ipse initio fatetur, suspecta igitur haberi debet. Ut enim pulchre docet Vincentius Lirinensis in suo opusculo contra profanas novitates, suspicione carere non potest, quod novum est; cum vera fides una sit, et antiquissima.

Septimo, ista opinio facit veram Ecclesiam omnino occultam et invisibilem; imo ex solis adulatoribus et simulatoribus conflatam; nam Cassander dicit, ad veram Ecclesiam requiri duo, fidem in Christum, et pacem cum hominibus, et inde deducit eos, qui hostiliter insectantur Catholicos, et Lutheranos, non esse de Ecclesia, sed eos solum, qui cum omnibus pacem habent: ergo illi, qui sunt de Ecclesia, non possunt esse nisi occulti, et qui cum Catholicis simulant se hostes Lutheranorum, et cum Lutheranis hostes Catholicorum; nam Catholici non patiuntur in suo grege ullos, qui ostendant ullo signo externo, se favere Lutheranis: inter Lutheranos quoque, etsi permittuntur in iisdem provinciis omnes sectæ, tamen nulla secta in suo grege patitur amicos aliarum sectarum, ut notum est: ergo isti pii, et pacifici viri necessario sunt omnes ficti et simulati, aliud ore profitentes, aliud in corde celantes, et similes Herodi, qui cum Ethnicis erat Ethnicus, cum Judæis Judæus; nam et Cæsari templa erexit, et simul Deo vero, ut Josephus refert lib. XV Antiquit. cap. 13 et 14.

Adde, quod fatetur Cassander, suos istos collegas esse paucos et occultos, sed hinc apparet, eos non posse Ecclesiam constituere; nam Ecclesia est manifesta et visibilis adeo, ut a Domino, Matth. V. dicatur civitas supra montem posita. Denique, vera Ecclesia sine Pastoribus esse non potest, ad Ephesios IV. isti autem homines occulti nullos pastores habent, nec habere possunt, dum ita manent occulti; proinde nullam Ecclesiam habent.

CAPUT XX.

Libros hæreticorum abolendos esse.

Postrema restat quæstio de pœnis hæreticorum, quas post Ecclesiæ judicium et declarationem, Principes politici infligere possunt ac debent. Incipiemus autem a libris eorum, ac breviter ostendemus, libros hæreticorum jure interdici, et exuri. Id igitur Probatur Primo ex antiqua et perpetua consuetudine, non solum Christianorum, sed etiam Ethnicorum.

Primo, refert Valerius Maximus lib. I, c. 1. quod cum Romæ reperti fuissent libri quidam, qui nonnihil videbantur solvere religionem, Prætor Urbanus, ex auctoritate Senatus, in conspectu populi eos cremavit. Marcus Tullius lib. I de natura Deorum refert, Protagoram Abderitem, quod libros noxios religioni scripsisset, Atheniensium jussu, urbe atque agro exterminatum, librosque ejus in concione combustos.

Deinde, tempore Apostolorum, refert Lucas Actor XIX. multos ab Apostolis conversos, libros curiosos et vanos contulisse, et combussisse coram omnibus, et Clemens lib. I constitut. Apostol. cap. 7. dicit, Apostolos prohibuisse initio fidelibus libros Gentilium, et falsorum Prophetarum. Scribit etiam Eusebius lib. VII histor. cap. 6. Dionysium Episcopum Alexandrinum, qui floruit circa annum 250. a fidelibus reprehensum, quod libros hæreticorum legeret.

Consequente postea tempore crevit zelus fidelium contra libros hæreticorum; Nam Nicænum Concilium libros Arii igni adjudicavit, ut Nicephorus testatur lib. VIII, cap. 18. et Constantinus id executioni mandari jussit, proposita pœna capitis, si quis libros Arii occultasset, ut patet ex epistola ejus apud Socratem lib. I, cap. 6. et Nicephorum lib. VIII, cap. 25. Scribit etiam Socrates lib. I, cap. 24. Marcellum Ancyranum damnatum fuisse, quod libros suorum errorum comburere noluisset; non enim recipiebantur ad pœnitentiam hæretici, nisi prius libros suos combussissent.

Circa eadem tempora Epiphanius in Synodo Cypri coacta, vetuit libros Origenis legi, ut Socrates lib. VI, cap. 9. historiæ re-

tione dissidemus. Præterea si sufficeret verba Symboli recipere, nulli fere veterum hæreticorum jure damnati fuissent. Nam Ariani, Novatiani, Nestoriani, et alii fere omnes verba Symboli Apostolici recipiebant, sed quia in sensu dissensio erat, ideo damnati, et ab Ecclesia Catholica ejecti fuerunt.

Secundo, fundamentum Cassandri est falsum; non enim possunt vera membra Ecclesiæ vocari Lutherani et Calvinistæ, etiamsi in Symbolo nobiscum convenirent; nam præter illam fidem requiritur subjectio ad legitimum caput Ecclesiæ a Christo constitutum, et communicatio cum aliis membris; Ecclesia enim est unum corpus visibile, et proinde caput et membra habet visibilia, nec potest dici membrum, quod a capite et corpore reliquo separatum est. Certe Acrius, etiam quoad sensum in Symbolo conveniebat cum Catholicis, tamen quia nolebat subesse Episcopo, et cæteris membris communicare, ab Epiphanio et Augustino in Catalogo hæreticorum ponitur, et Cyprianus lib. IV, epist. 2, dicit, Novatianum esse extra Ecclesiam, quia non volebat subjici Pontifici Coraelio, etiamsi nullam aliam hæresim introduxisset.

Tertio, Cassander ita disputat, quasi inter Catholicos, Lutheranos, et Calvinistas solum dissensiones sint de ritibus et cæremoniis humanis; at multa dogmata sunt maximi momenti, in quibus dissentimus, quæque non habentur expresse in Symbolo, et propter quæ nulla pax sperari potest inter Catholicos, et Lutheranos. Nam verbi gratia, nos dicimus, Missam esse divinissimum cultum Dei; illi dicunt esse horrendam idololatriam: similiter invocare Sanctos nobis est pietas, illis impietas etc.

Quarto, sancti Patres docuerunt nos, ut non solum fidei Symbolum, sed etiam omnia alia dogmata fidei, licet minuta videantur, inviolata servemus, nec propter hæreticos ullo modo immutari patiamur, Galat. II. Paulus dicit, se nec ad horam cedere voluisse falsis fratribus. Et cum olim Ariani peterent a Catholicis, ut saltem unam vocem omitterent, quæ non habetur in Scriptura, nec in Symbolo Apostolorum, vel unam litteram immutarent, id est, non dicerent ὁμοούσιον, sed ὁμοιούσιον, et si hoc fieret, pacem pollicerentur: Catholici noluerunt, et Imperatori scripserunt, nefarium esse de rebus jam definitis aliquid immutare; et si quid justarum sanctionum fuerit immutatum, non propterea pacem futuram; nec enim apud eos pacem esse posse, qui pacis jura nescirent. Vide Theodoretum lib. II hist. c. 18 et 19. vel Trip. lib. V, cap. 21 et 33. et hoc verum esse patuit in Concilio Ariminensi; nam cum simpliciores Catholici ab Arianis decepti, nomen ὁμοούσιον, tollendum esse decrevissent, mox Ariani toto orbe terrarum prædicaverunt, se vicisse; et non contenti sustulisse vocem ὁμοούσιον, et pro ea substituisse ὁμοιούσιον, paulo post ipsum ὁμοιούσιον, in ἑτερούσιον, id est, dissimilis substantiæ, transformarunt, ut Theodoretus refert, lib. II hist. cap 21.

Hinc Basilius roganti Præfecto Valentis Imperatoris, ut tempori pareret, et non tot Ecclesias, propter parvam dogmatum subtilitatem, vexari pateretur, respondit: « Qui divinis innutriti sunt eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus, ne unam quidem syllabam patiuntur, sed pro his, si contingat, omnes etiam mortis species amplectuntur. » Vide Theodoretum lib. IV, cap. 17. Historiæ Ecclesiasticæ. Eadem constantia præditi fuerunt Eustathius et Sylvanus, quibus cum Imperator exilium minaretur, nisi vocem ὁμοούσιον, abrogarent, responderunt, potestatem habes puniendi, non tamen nos Patrum statuta destruimus. Vide hist. Tripar. lib. V, cap. 24.

Denique Gelasius in epistola ad Euphemianum, petenti hæretico, ut Papa eis condescenderet, id est, aliquid remitteret de religione Catholica, pacis gratia, eleganter ejus petitionem irrisit. «Cum autem, inquit, dicis, condescendere nos debere vobiscum: interim jam vos descendere, aut descendisse monstratis. Unde quæso, vel quo ista descensio est? Utique ex superiore quodam loco ad inferiora quæque depositos, a Catholica, Apostolicaque communione ad hæreticam, damnatamque prolapsos videtis, cognoscitis, non negatis: sed etiam in superiore manentes sede, vultis impelli, condescendere nos vobiscum invitatis ad ima de summis; nos coascendere vos nobiscum rogamus ad summa de imis. »

Quinto, non potest liberum esse credere in uno quolibet dogmate, quin eadem ratione liberum esse debeat in omnibus, etiam in iis, quæ in Symbolo Apostolico continentur; nam una est regula fidei indubitata, et certa in omnibus quæ creduntur, nimirum verbum Dei per Ecclesiam explicatum. Si ergo credo Ecclesiæ tradenti mihi Symbolum Apostolorum, quod non scio aliunde esse Apostolorum, nisi quia Ecclesia dicit; eadem ratione credere debeo Sanctos invocandos, quia eadem Ecclesia hoc dicit; vel si hoc possim non credere, eadem ratione possum non credere, Symbolum illud esse Apostolorum.

Sexto, opinio ista Cassandri nova est, et ab ipso primum excogitata, ut ipse initio fatetur, suspecta igitur haberi debet. Ut enim pulchre docet Vincentius Lirinensis in suo opusculo contra profanas novitates, suspicione carere non potest, quod novum est; cum vera fides una sit, et antiquissima.

Septimo, ista opinio facit veram Ecclesiam omnino occultam et invisibilem; imo ex solis adulatoribus et simulatoribus conflatam; nam Cassander dicit, ad veram Ecclesiam requiri duo, fidem in Christum, et pacem cum hominibus, et inde deducit eos, qui hostiliter insectantur Catholicos, et Lutheranos, non esse de Ecclesia, sed eos solum, qui cum omnibus pacem habent: ergo illi, qui sunt de Ecclesia, non possunt esse nisi occulti, et qui cum Catholicis simulant se hostes Lutheranorum, et cum Lutheranis hostes Catholicorum; nam Catholici non patiuntur in suo grege ullos, qui ostendant ullo signo externo, se favere Lutheranis: inter Lutheranos quoque, etsi permittuntur in iisdem provinciis omnes sectæ, tamen nulla secta in suo grege patitur amicos aliarum sectarum, ut notum est: ergo isti pii, et pacifici viri necessario sunt omnes ficti et simulati, aliud ore profitentes, aliud in corde celantes, et similes Herodi, qui cum Ethnicis erat Ethnicus, cum Judæis Judæus; nam et Cæsari templa erexit, et simul Deo vero, ut Josephus refert lib. XV Antiquit. cap. 13 et 14.

Adde, quod fatetur Cassander, suos istos collegas esse paucos et occultos, sed hinc apparet, eos non posse Ecclesiam constituere; nam Ecclesia est manifesta et visibilis adeo, ut a Domino, Matth. V. dicatur civitas supra montem posita. Denique, vera Ecclesia sine Pastoribus esse non potest, ad Ephesios IV. isti autem homines occulti nullos pastores habent, nec habere possunt, dum ita manent occulti; proinde nullam Ecclesiam habent.

CAPUT XX.

Libros hæreticorum abolendos esse.

Postrema restat quæstio de pœnis hæreticorum, quas post Ecclesiæ judicium et declarationem, Principes politici infligere possunt ac debent. Incipiemus autem a libris eorum, ac breviter ostendemus, libros hæreticorum jure interdici, et exuri. Id igitur Probatur Primo ex antiqua et perpetua consuetudine, non solum Christianorum, sed etiam Ethnicorum.

Primo, refert Valerius Maximus lib. I, c. 1. quod cum Romæ reperti fuissent libri quidam, qui nonnihil videbantur solvere religionem, Prætor Urbanus, ex auctoritate Senatus, in conspectu populi eos cremavit. Marcus Tullius lib. I de natura Deorum refert, Protagoram Abderitem, quod libros noxios religioni scripsisset, Atheniensium jussu, urbe atque agro exterminatum, librosque ejus in concione combustos.

Deinde, tempore Apostolorum, refert Lucas Actor XIX. multos ab Apostolis conversos, libros curiosos et vanos contulisse, et combussisse coram omnibus, et Clemens lib. I constitut. Apostol. cap. 7. dicit, Apostolos prohibuisse initio fidelibus libros Gentilium, et falsorum Prophetarum. Scribit etiam Eusebius lib. VII histor. cap. 6. Dionysium Episcopum Alexandrinum, qui floruit circa annum 250. a fidelibus reprehensum, quod libros hæreticorum legeret.

Consequente postea tempore crevit zelus fidelium contra libros hæreticorum; Nam Nicænum Concilium libros Arii igni adjudicavit, ut Nicephorus testatur lib. VIII, cap. 18. et Constantinus id executioni mandari jussit, proposita pœna capitis, si quis libros Arii occultasset, ut patet ex epistola ejus apud Socratem lib. I, cap. 6. et Nicephorum lib. VIII, cap. 25. Scribit etiam Socrates lib. I, cap. 24. Marcellum Ancyranum damnatum fuisse, quod libros suorum errorum comburere noluisset; non enim recipiebantur ad pœnitentiam hæretici, nisi prius libros suos combussissent.

Circa eadem tempora Epiphanius in Synodo Cypri coacta, vetuit libros Origenis legi, ut Socrates lib. VI, cap. 9. historiæ re-

fert, et Concilium Carthaginiense IV, can. 16. permittit solis Episcopis, ut tempore necessitatis libros hæreticorum legant. Non diu postea cum Nestorii hæresis in Concilio Ephesino damnata fuisset, libri quoque Nestorii in eodem Concilio interdicti fuere, et a Theodosio Imperatore exuri jussi, ut Liberatus refert cap. 10. Breviarii, et exstat adhuc lex Theodosii, L. Damnato, C. de hæreticis. Circa idem tempus prodiit lex Honorii et Theodosii, qua jubentur Mathematici omnes suos libros, in quibus aliquid est adversum Catholicæ religioni, in oculis Episcoporum cremare, L. Mathematicos, C. de Episcopali audientia. Pari ratione in Concilio Chalcedonensi damnantur libri Eutychetis, et ab Imperatoribus Valentiniano et Martiano severa lege prohibetur, ne ullus eos legere, aut habere audeat, sed omnes diligentissime quæsiti crementur, ut patet ex Concilio Chalcedonensi Actor. III. et ex ipsa lege, quæ adhuc exstat L. Quicumque, §. Nulli, et §. Omnes, C. de Hæreticis.

Eodem tempore B. Leo in epist. 91. ad Turbium, cap. 15. et 16. interdixit lectionem librorum hæreticorum quorumdam, et addidit eos Episcopos, qui eos in domibus fidelium haberi sinerent, hæreticos censendos; Paulo post Gelasius in Concilio 70 Episcoporum, ut habetur dist. 15. can. S. Romana, proposuit indicem hæreticorum, quorum libros a fidelibus vitandos esse dicit.

Postmodum in V. Synodo damnato Anthymo, damnantur etiam ejus libri, et Justinianus Imperator gravem pœnam statuit, nimirum amputationis manuum, in eos, qui ejusmodi libros describunt, ac jussit ubique comburi. Habetur hæc constitutio in I. Act. Synodi V, et in Novellis, constit. 42. B. Gregorius lib. XIV Moralium cap. 32. refert jussu Tiberii Imperatoris, crematum librum Eutychii, quem ipse Gregorius hæresis conviverat. In VII etiam Synodo Act. 5. interdicuntur et comburi jubentur libri hæreticorum, et can. 9. excommunicantur, qui libros hæreticorum legunt. Concilium Constantiense sess. 8. confirmat decretum Concilii Romani, quo interdicta fuerat lectio librorum Joannis Wiclefi. Denique, Concilium Tridentinum indicem librorum hæreticorum fieri jussit, ut omnes scirent, qui libri cavendi et exurendi essent. Ex quo apparet, semper eamdem fuisse consuetudinem in Ecclesia.

Accedit etiam in argumentum hujus rei, quod nulli fere exstent libri veterum hæreticorum; quomodo enim evanuerunt tot volumina Valentini, Marcionis, Arii, Eunomii, Nestorii, Pelagii, et aliorum, quibus SS. Patres respondent?

Probatur Secundo ratione; nam colloquia hæreticorum sunt periculosissima, et ideo diligenter vitanda, ergo multo magis libri sunt noxii et pestilentes, ac vitandi. Ad Rom. XVI: *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab eis; nam per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* II. Timoth. III.: *Hos devita.* Titum. III: *Hæreticum devita.* II. epistola Joannis: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Ave ei dixeritis.* (1)

S. Irenæus lib. III, cap. 3: « Tantum, inquit, Apostoli, et horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem. »

S. Cyprianus lib. I, epist. 3. ad Cornelium: « Declinent, inquit, fortiter, et evitent dilectissimi fratres nostri verba, et colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit. » Et infra: « Nulla cum talibus commercia, nulla convivia, nulla colloquia misceantur, simusque ab eis tam separati, quam sunt illi ab Ecclesia profugi. »

S. Athanasius de S. Antonio in ejus vita: «Numquam, inquit, Manichæis, aut aliis hæreticis saltem amicabilia verba largitus est, denuntians talium amicitiam, atque sermones, perditionem esse animæ. Sic etiam Arianos detestabatur, ut omnibus diceret, nec juxta eos quidem esse accedendum. » Et ipse B. Anton. jam moriturus: « Hæreticorum, inquit, et schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini; scitis ipsi, quod nullus mihi, nec pacificus quidem sermo cum eis unquam fuerit. »

S. Augustinus in epist. 62: « Hæreticum, inquit, sicut vitandum monemus, ne infirmos, et parvulos fallat, ita non abnuimus quibuscumque modis possumus corrigendum etc. » S. Leo serm. 18. de passione Domini: « Viperea, inquit, hæreticorum vitate colloquia, nihil vobis commune sit cum eis, qui solo sunt nomine Christiani. » Hæc ille.

(1) Rom. XVI, 17; II. Tim. III. 5; Tit. III. 10; II. Joan. 10.

Jam igitur, si tantopere vitanda sunt colloquia hæreticorum, quanto magis libri? Nam oratio in libris scripta, est magis composita, et artificii plena, quam quæ in colloquiis usurpatur. Deinde, est semper ad manus: nam conciones et colloquia sunt rara, et verba ore prolata mox transeunt; at verba in libris manent perpetuo, et semper nobis adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent. Præterea libri magis sparguntur; potest enim aliquis per libros toti fere orbi terrarum simul loqui, et multorum domos et cubicula libri penetrant, quos auctor libri numquam vidit, et ad quos forte numquam admitteretur. Denique, experientia idem docet; nam Joannes Wiclefus viva voce paucissimos pervertit; docuit enim solum in Anglia, et ibi pene nullos reliquit sui erroris hæredes: at per libros totam Bohemiam pervertit. Vide Cochlæum in historia Hussitarum.

At contra objiciunt. Primo, quia multa bona sunt in libris hæreticorum, et stultum videtur, propter aliqua mala privare se etiam bonis: et confirmatur, quia alioqui multorum Patrum scripta comburenda erunt. Item, quia Ecclesia tolerat libros Gentilium, Judæorum, Turcarum, et veterum etiam hæreticorum, ut Origenis, Tertulliani, Eusebii, Pelagii.

Respondeo, veritatem quidem non esse negandam, tamen nec legendam in libris hæreticorum; nam, ut ibi est, nocet, non prodest. Scribit B. Gregorius lib. V. moral. cap. 11. hoc esse proprium hæreticorum, ut veris falsa permisceant, et bonis mala; nam si sola falsa et mala dicerent, ab omnibus repellerentur; si sola vera et bona, hæretici non essent. Itaque omnia miscent, ut ex malis bona inficiant, et per bona mala sua abscondant; quæ etiam causa est, cur Christus et Apostoli prohiberent Dæmones vera dicere, ne videlicet per ea vera fidem sibi acquirerent, et postea falsa etiam illis crederentur. Luc. IV: *Dominus non sinebat Dæmones dicere: Tu es Christus Filius Dei.* Et Actor. XVI: Paulus prohibuit Diabolo dicere: *Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis* (1).

Præterea, etiam non decet, ut veritas ab hæreticis suscipiatur, qui hostes sunt veritatis. Ut scribit Gellius lib. XVIII. cap. 3. apud Lacedæmonios; cum de summa Reipublicæ ageretur, vir quidam disertus et doctus, sed improbus et impurus, optimam sententiam dixit, quæ cum placeret omnibus, et juxta eam decretum faciendum videretur, et tamen ferre non possent, ut optimum consilium turpitudine actoris fœdaretur, electus est vir quidam gravissimus, qui omnium consensu eamdem sententiam diceret, et nulla prioris habita mentione, hujus sententia in decretum referretur.

Ad Primam confirmationem de scriptis Patrum, respondeo in primis, Patres non esse hostes Ecclesiæ, et eorum errata non hæreses, sed humanos esse errores. Præterea errores Patrum, esse errores extinctos et mortuos, qui nocere non possunt; nam error nocet quamdiu defenditur pertinaciter: Patrum autem errores non fuerunt detecti, dum Patres ipsi viverent, alioqui enim vel ipsi eos emendassent, vel ab Ecclesia ejecti fuissent: sed post mortem eorum detecti, notatique sunt, et ab omnibus improbati, sicut etiam ab ipsis improbarentur, si viverent.

Ad illud de Gentilibus dico eos tolerari, quia non nocent, cum sint errores mortui. Nulli enim nunc sunt, qui non rideant dogmata Gentilium; nec unquam audimus Christianos depravatos libris Gentilium, deficere ad Gentilismum, ut quotidie deficiunt ad hæreticos; Quia vero tempore Apostolorum multi erant, qui propugnabant dogmata Gentilium, Clemens scribit interdictos, fuisse Gentilium libros, lib. I. Const. cap. 7. et eadem de causa prohibentur libri Gentilium in Concilio Carthaginiensi IV, cap. 16.

Ad illud de Judæorum et Turcarum libris dico, libros Judæorum et Turcarum melioris conditionis esse, quam hæreticorum; illi enim sunt aperti hostes Christianorum, nec fallunt sub nomine Christiano, ut hæretici faciunt. Itaque etiam simplicissimi quique norunt discernere dogmata Judæorum et Turcarum a Christianis dogmatibus, discernere autem hæreses non possunt, nisi homines valde docti. Præterea etiam Judæorum et Turcarum libri prohibentur, quando continent blasphemias in Christum, aut judicantur perniciosi Christianis, ut patet de Thalmud Judæorum.

Ad illud de Origene, Tertulliano, Eusebio, Pelagio, dico, eorum libros permitti, quia hæreses illæ sunt extinctæ, et libri pro-

(1) Luc. IV, 41; Act. XVI. 17.

sunt propter antiquitatem. Adde quod Pelagii nihil habemus sub nomine Pelagii, sed sub nomine S. Hieronymi, qualia sunt commentaria brevia in omnes epistolas B. Pauli, Symbolum falso inscriptum ad Damasum, et epistola quædam ad Demetriadem, quæ habetur in IV. tomo ubi sunt etiam alia Pelagii hæresim sapientia.

Argumentum Secundum: ex Paulo, qui I. Thessal. V. dicit: *Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est, tenete* (1): est enim sensus: Si quis futura prædicat, vel scripturas interpretetur, aut verbo, aut scripto, nolite rejicere, sed audite, vel legite, et quod Catholicæ fidei consonum est, accipite, reliquum omittite.

Respondeo, Apostolus loquitur de prophetia et scriptis, quæ nondum constat, an sint bona vel mala, et talia non vult rejici, nisi prius examinata; sed quando scriptum aliquod jam est examinatum, et constat esse malum, vult omnino rejici, et talia sunt scripta omnia, quæ nobis prohibentur; sunt enim probata, id est, examinata omnia, et ideo prohibita, quia mala reperta sunt.

Deinde licet Apostolus ad totam Ecclesiam scribat, tamen non vult omnia fieri ab omnibus, sed ab iis, qui possunt, et quibus ex officio incumbit, sicut cum ad Universitatem aliquam mittuntur articuli aliqui suspecti examinandi, non ad omnes, qui sunt in Universitate, pertinet eos examinare, sed solum ad Magistros, vel quos ipsi designaverint; ita igitur cum Apostolus jubet, in Ecclesia examinari prophetias et Scripturarum interpretationes, certe non vult hoc fieri a sartoribus et cæmentariis, sed ab Episcopis, et aliis, quos Episcopi sibi adjungunt.

Aliud argumentum sumunt ex testimoniis quatuor veterum Patrum, Dionysii Alexandrini, Theophili item Alexandrini, B. Hieronymi, et Gelasii; nam Dionysius, ut scribit Eusebius lib. VII. hist. cap. 6. cum reprehenderetur quod libros hæreticorum legeret, respondit, se visionem habuisse, qua sibi dicebatur: « Lege omnia, quæ in manus tuas veniunt, valebis enim omnia expendere, et probare. » Theophilus, quoque cum argueretur quod Origenem legeret, respondit, ut Socrates refert lib. VI. hist. cap. 15. se legere, ut quod bonum est excerperet, quod malum respueret. B. Hieronymus in epistola ad Alexandrum et Minerium, dicit, se legere libros hæreticorum, ut bona inde excerpat, etiamsi sciat, aliquos propterea de se murmurare.

Gelasius in tomo de vinculo anathematis, probare volens, posse Concilium Chalcedonense partim recipi, partim non recipi, affert exemplum librorum hæreticorum, qui partim recipiuntur, partim rejiciuntur, et allegat illud: omnia probate, quod bonum est, tenete.

Ad hoc ultimum respondeo, exemplum Gelasii in eo consistere, quod sicut in Concilio Chalcedonensi quædam erant bona, quædam mala; et quædam recipienda, quædam rejicienda, ita et in libris hæreticorum: non tamen vult dicere, posse recipi libros ipsos hæreticorum propter vera admixta, sicut recipitur Concilium Chalcedonense, nam alia ratio est Conciliі sanctorum Patrum, alia librorum hæreticorum, ut diximus, quamquam veritas ipsa inserta libris hæreticorum bona sit, et recipienda, si tamen alibi reperiatur; verba ejus hæc sunt: « Numquidnam in ipsorum hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertinent, posita legunitur? Numquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi pravitas inest, refutantur? Aut ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illic inserta est, non negatur? »

Ad alia respondeo. Primum; ex his locis colligi, semper in Ecclesia fuisse morem vitandi lectionem librorum hæreticorum, alioqui enim nemo istos Patres reprehendisset. Dico Secundo, semper concessum fuisse, et modo etiam concedi Episcopis, et aliis multis lectionem librorum hæreticorum, et ideo non mirum, si Dionysius et Theophilus, qui Patriarchæ erant, et S. Hieronymus, qui semper doctissimus est habitus, poterant suo jure omnes libros legere. Dico Tertio, nullam tunc fortasse fuisse legem universalis Ecclesiæ, sed solum consuetudinem de non legendis libris hæreticorum, exceptis libris Arii; at nunc lex est Ecclesiæ universalis, cui parendum est.

(1) I. Thessal. V. 20 et 21.

CAPUT XXI.

Posse hæreticos ab Ecclesia damnatos, temporalibus pœnis, et etiam morte mulctari.

Joannes Huss art. 14. in Concilio Constantiensi, sess. 15. recitato, asseruit, non licere hæreticum incorrigibilem tradere sæculari potestati, et permittere comburendum. Idem Lutherus in art. 33. et in assertione ejusdem. Nec novus est error, nam etiam Donatistæ olim idem docuerunt, ut Parmenianus, Petilianus, et Gaudentius, ut Augustinus testatur lib. I. contra epistolam Parmeniani cap. 7. lib. II. contra litteras Petiliani cap. 10. Lib. II. contra epist. Gaudentii cap. 17. et 26. et epist. 50. ad Bonifacium.

Contrarium docent omnes Catholici, et aliqui etiam ex hæreticis. Nam Calvinus posteaquam Michaelem Servetum tamquam hæreticum publice supplicio extremo affecisset, et ab aliis sectariis argueretur, libellum edidit, in quo demonstrat, licitum esse in hæreticos gladio animadvertere. Benedictus quoque Aretius in historia de supplicio Valentini Gentilis, eumdem Gentilem ob hæresim jure cæsum a Bernensi Magistratu, contendit. Fusius vero id ipsum docet Theodorus Beza in lib. de hæreticis a magistratu puniendis.

Nos igitur breviter ostendemus, hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos, posse ac debere ab Ecclesia rejici, et a sæcularibus potestatibus, temporalibus pœnis, atque ipsa etiam morte mulctari.

Probatur Primo Scripturis. Scriptura veteris Testamenti Deut. XIII. severissime jubet falsos Prophetas, qui suadent colere Deos alienos, sine ulla misericordia occidi, et cap. XVII. postquam dixerat, ut in rebus dubiis consuleretur summus Sacerdos, mox subdit: « *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex sententia judicis moriatur* (1). Et rursum cap. XVIII. Prophetа falsus interfici jubetur. Et re ipsa legem hanc servarunt Elias, Josias, Jehu, et alii, qui falsos Prophetas plurimos occiderunt, ut patet III. Reg. XVIII. et IV. Reg. X. et XXIII. nullum est autem fere discrimen inter nostros hæreticos et falsos Prophetas illius temporis. Nec solum sancti Reges et Prophetæ blasphemos morte mulctarunt, sed etiam Nabuchodonosor (ut dicitur Daniel. III.) edictum constituit, ut quicumque blasphemaret Deum Danielis, id est, verum Deum, interficeretur, et domus ejus vastaretur; in quo edicto, Deo vero obsequium justissimum fecit, ut B. Aug. dicit in epist. 50. et alibi. In novo Testamento habemus in primis Matth. XVIII. posse Ecclesiam eos, qui obedire nolunt, a se rejicere, et habere ut Ethnicos et Publicanos, ac proinde permittere eos potestati sæculari, tamquam non amplius Ecclesiæ filios. Habemus deinde Roman. XIII. sæcularem potestatem, posse scelestos homines gladio punire: *Non enim*, inquit, *sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram etc.* (2) Ex quibus duobus locis aperte colligitur, licitum esse hæreticos, qui omnium judicio sunt rebelles Ecclesiæ et publicæ pacis perturbatores, ab Ecclesia abscindi, et a sæculari judice morte mulctari.

Præterea Christus et Apostolus ejus hæreticos iis rebus comparaverunt, quæ sine controversia ferro et igne repelluntur; nam Matth. VII: Dominus ait: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Actor. XX. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessum meum lupi rapaces* (3). Nomine luporum certum est hæreticos intelligi debere, ut pulchre explicat S. Ambrosius in commentario ad initium capitis decimi B. Lucæ. At lupi rapaces optimo jure occiduntur, si aliter abigi non possunt; pluris enim facienda est vita ovium, quam mors luporum. Item Joan. X: *Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde ille fur est et latro* (4); ubi nomine furis et latronis intelliguntur hæretici, et omnes seductores, ac sectarum inventores, ut Chrysostomus et Augustinus exponunt; fures autem et latrones, quomodo puniantur notum est. Item II. Timoth. II. hæresis comparatur cancro, qui non curatur medicamentis, sed ferro exsciudi debet, alioqui perpetuo serpit, et totum corpus corrumpit. Denique Christus Joan. II. flagello coegit negotiatores egredi de templo. Petrus Actor. V. Ananiam, et Saphiram, quia mentiri ausi

(1) Deut. XVII. 12. — (2) Rom. XIII. 4. — (3) Matth. VII. 15; Act. XX. 29. — (4) Joan. X. 1.

fuerant Spiritui Sancto, occidit: et Paulus Act. XIII. falsum Prophetam, qui proconsulem a fide impedire conabatur, cæcitate percussit.

Probatur Secundo sententiis; et legibus Imperatorum, quas Ecclesia semper probavit. Constantinus I. Imperator ad petitionem Nicænæ Synodi Arium cum aliquot sociis in exilium relegavit, ut auctor est Sozomenus lib. I. cap. 20. historiæ; item Donatistas supplicio affecit, ut Aug. refert lib. I. contra epist. Parmeniani cap. 7. et in epist. 166. ad Donatistas, ubi enumerat multos Imperatores optimos, qui severissimas leges tulerunt contra hæreticos, et unum solum Julianum Apostatam hæreticis favisse.

Deinde Theodosius Valentinianus, Martianus, et alii religiosissimi Imperatores, leges tulerunt in hæreticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exilio et verberibus, interdum ultimo supplicio mulctari voluerunt, ut patet C. de hæreticis L. Manichæos. L. Ariani. L. Quicumque, qua ultima lege, quæ est Valentiniani, et Martiani jubentur occidi omnes, qui prava docere tentant; qui vero eos docentes audiunt, aliquot libris auri mulctari. Justinianus apud Paulum Diaconum lib. XVI. lege edita omnes hæreticos de finibus totius Imperii ejecit, concessis trium mensium ad conversionem induciis; deinde Michael Imperator apud eumdem Paulum Diaconum lib. XXIV. capitalem pœnam in hæreticos constituit.

Probatur Tertio legibus Ecclesiæ cap. Ad abolendam, et cap. Excommunicamus, extra de hæreticis, et in Sexto de hæreticis cap. super eo, definit Ecclesia, hæreticos incorrigibiles sæculari potestati tradendos, ut ab eis debito modo puniantur. Item Constantiense Concilium sess. XV. damnavit sententiam Joannis Huss; et ipsum Joannem et Hieronymum de Praga tradidit sæculari potestati, a qua ambo exusti fuerunt; denique Leo X. articulos Lutheri damnavit.

Probatur Quarto testimoniis Patrum. Cyprianus lib. de exhortatione martyrii cap. 5. postquam retulerat ex Deuter. XIII. necandos esse Pseudoprophetas, subdit: « Si hoc in Testamento veteri fiebat, nunc magis faciendum esse. »

Hieronymus in illud Galat. V. Modicum fermentum totam massam corrumpit: « Igitur, inquit, scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, et fermentum a massæ vicina semovendum; secandæ putridæ carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, et pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. »

Augustinus lib. II. retract. cap. 5. et in epistol. 48 et 50. retractat. quod aliquando senserat, non esse vi cogendos hæreticos ad fidem, et prolixe probat id utilissimum; semper tamen excipit supplicium mortis, non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum quia hoc dedecere Ecclesiæ mansuetudinem existimabat, tum etiam quia nondum ulla exstabat lex Imperatorum, qua hæretici juberentur occidi; illa enim Lex, Quicumque, C. de hæreticis, paulo post mortem Augustini lata est.

Quod autem Augustinus existimaverit, justum esse, si hæretici occiderentur, perspicuum est; nam lib. I. contra epistolam Parmeniani cap. 7. ostendit, quod si punirentur morte Donatistæ, juste punirentur. Et tract. 11. in Joan: « Occidunt, inquit, animas, affliguntur in corpore, sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur etc. » ubi dicit falso illos conqueri, quod occiderentur ab Imperatoribus: tamen si etiam verum esset, adhuc injuste conquererentur. Denique in epist. 50. ad Bonifacium dicit; Ecclesiam quidem nolle ullum hæreticum occidi, tamen sicut domus David non potuit habere pacem nisi Absalon extingueretur, et David pace regni mœrorem mortis filii consolatus est: sic cum ex legibus Imperatorum contra hæreticos sequitur aliquorum mors, Ecclesiam dolorem materni cordis lenire ac sanare tantorum liberatione populorum.

S. Leo in epist. 91. ad Turbium cap. 4: « Merito, inquit, Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter agere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur; quando etiam Principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem ejus, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent; et profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. » Optatus Milevitanus lib. III. respondens calumniæ hæreticorum, qui ægerrime ferebant duos ex suis a Machario præfecto interfectos: « Videtis, inquit, a Mose, et Phinee, et Elia, et Machario similia esse facta, quia ab omnibus unius Dei vindicta processit. »

S. Gregorius lib. I. epist. 72. ad Gennadium Exarchum Africæ, laudat eum, quod magno zelo hæreticos armis persequeretur, et hortatur ut pergat.

S. Bernardus serm. 66. in Cantica: « Melius, inquit, procul dubio gladio coercerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos trajicere permittantur: Dei enim minister ille est, vindex in iram ei, qui male agit. Mirabantur aliqui, qui non modo patienter, sed etiam læti, ut videbantur, ducerentur ad mortem; sed qui minus advertunt, quanta sit potestas Diaboli, non solum in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederat: Nonne plus est sibimet hominem injicere manus, quam id libenter ab alio sustinere. »

Probatur Ultimo rationes naturali. Primo, hæretici excommunicari jure possunt, ut omnes fatentur, ergo et occidi. Probatur consequentia, quia excommunicatio est major pœna, quam mors temporalis. Augustinus lib. I. contra advers. Legis et Prophetarum cap. 17. dicit, horribilius esse tradi Satanæ per excommunicationem, quam gladio feriri, flammis absumi, ferisve subjici ad devorandum.

Secundo, experientia docet, non esse aliud remedium; nam Ecclesia paulatim progressa est, et omnia remedia experta; primo solum excommunicabat; deinde addidit mulctam pecuniariam, tum exilium; ultimo, coacta est ad mortem venire: Nam excommunicationem contemnunt hæretici, ac dicunt esse fulmina frigida; si mineris mulctam pecuniariam, nec Deum timent, nec homines reverentur, scientes non defuturos stultos, qui illis credant, et a quibus alantur. Si in carcere concludas, vel in exilium mittas, corrumpunt vicinos verbis, et longe positos libris. Ergo solum remedium est, mittere illos mature in locum suum.

Tertio, falsarii omnium judicio merentur mortem; at hæretici falsarii sunt verbi Dei.

Quarto, ex ratione Augustini epist. 50. gravius est non servare fidem hominem Deo, quam fœminam viro, sed hoc morte punitur, cur non illud?

Quinto, tres causæ sunt propter quas ratio docet homines occidendos esse, quas pulchre scribit Galenus in libro, cujus titulus est, quod mores animi corporis temperamentum sequantur, circa finem libri.

Prima causa est, ne mali bonis noceant, neve innocentes a nocentibus opprimantur; atque hinc justissime omnium judicio occiduntur homicidæ, adulteri, latrones. Secunda est, ut paucorum supplicio multi corrigantur: et qui noluerunt prodesse Reipub. vivendo, prosint moriendo. Atque hinc videmus etiam justissime omnium judicio quædam horrenda flagitia morte puniri, licet proximis non noceant, nisi exemplo, ut Necromantiam, quædam nefanda et contra naturam, ista ideo gravissime puniuntur, ut cæteri intelligant, immania esse scelera, et non audeant similia perpetrare. Tertia est, quia ipsis hominibus, qui occiduntur, sæpe utile est occidi, quando videlicet semper fiunt pejores, et non est probabile unquam eos ad sanitatem mentis reversuros.

Hæ autem rationes omnes suadent hæreticos occidendos; nam primum nocent proximis magis, quam ullus pirata vel latro, quandoquidem animas occidunt, imo tollunt fundamentum omnis boni, et Rempub. tumultibus replent, qui necessario religionum diversitatem sequuntur.

Deinde, plurimis prodest eorum supplicium; multi enim, quos impunitas faciebat torpentes, supplicia proposita excitant, ut cogitent qualis sit hæresis, quam sequuntur, et videant ne forte vitam præsentem misere finiant, et ad futuram beatitudinem non perveniant. Itaque et B. Aug. in epist. 48. testatur, plurimos conversos esse, postquam leges Imperatorum non sinebant hæreticos impunitos, et nos quotidie idem videmus fieri in locis, ubi viget inquisitio.

Denique, hæreticis obstinatis beneficium est, quod de hac vita tollantur; nam quo diutius vivunt, eo plures errores excogitant, plures pervertunt, et majorem sibi damnationem acquirunt.

CAPUT XXII.

Solvuntur objectiones.

Superest argumenta Lutheri atque aliorum hæreticorum diluere. Argumentum Primum, ab experientia totius Ecclesiæ : « Ecclesia, inquit Lutherus, ab initio sui usque huc nullum combussit hæreticum ; » ergo non videtur esse voluntas spiritus, ut comburantur.

Respondeo, argumentum hoc optime probat, non sententiam sed imperitiam, vel impudentiam Lutheri ; Nam cum infiniti propemodum vel combusti, vel aliter necati fuerint, aut id ignoravit Lutherus, et tunc imperitus est, aut non ignoravit, et impudens ac mendax esse convincitur ; nam quod hæretici sint sæpe ab Ecclesia combusti, ostendi potest, si adducamus pauca exempla de multis. Priscillianus hæresiarcha cum sociis, a Maximo Christiano Imperatore necatus est, ut S. Hieronymus in lib. de viris illustribus testatur, et de Donatistis occisis meminit Optatus lib. III. contra Parmenianum.

Basilius quidam Magus, ac proinde hæreticus ; nam vix ulli sunt vere Magi non hæretici, Romæ combustus est a Christiano, et Catholico populo, ut B. Gregorius testatur lib. I. Dialogorum cap. 4.

Rursum alius Basilius auctor hæresis Bogomilorum ab Alexio Comneno Imperatore publice exustus est, ut scribit Zonaras in vita Alexii.

Tempore etiam B. Bernardi, quod hæretici ultimo supplicio afficerentur, testatur ipse in Cantica serm. 66. Temporibus Innocentii III. fuerunt aliquando simul exusti 180. hæretici Albigenses, cum antea et verbis, et miraculis eos S. Dominicus convicisset, et multos eorum socios convertisset. Scribit rem totam B. Antonius III. parte tit. 19. cap. I. § 4. historiæ.

Ac ut alios infinitos omittam, Joannes Huss, et Hieronymus de Praga in Constantiensi Concilio ab Imperatore Sigismundo exusti fuerunt.

Respondet Lutherus ad hoc ultimum exemplum : Ego de hæreticis loquor, Huss autem, et Pragensis non fuerunt hæretici. Contra. Saltem Priscillianus, et Bogomiles, et Albigenses fuerunt hæretici. Præterea Joannes Huss, et nobis Catholicis, et ipsi Luthero hæreticus fuit ; quod nobis, notum est : quod Luthero, probatur ; nam Lutherus in lib. contra Regem Angliæ asserit impium esse, et blasphemum negare verum panem in Eucharistia cum corpore Domini : et pium, atque Catholicum, negare conversionem panis in corpus. At Joannes Huss usque ad mortem in contraria sententia fuit, et protestatus est in ea fide se mori, credens firmissime panis conversionem in corpus Christi, ut Joannes Cochlæus refert lib. II. de historia Hussitarum, pag. 76.

Argumentum Secundum, experientia testatur, non profici terroribus. Respondeo, experientia est in contrarium ; nam Donatistæ, Manichæi, et Albigenses armis profligati et extincti sunt. Item Augustinus testatur plurimos conversos suo tempore ob metum pœnæ, epist. 48.

Argumentum Tertium, Ecclesia tolerat Judæos, cur non hæreticos? Respondeo Primo, Judæi numquam susceperunt fidem Christianam, hæretici susceperunt. Secundo, Judæi religionem colunt, quam Deus instituit saltem pro tempore, hæretici eam, quam Diabolus invenit. Tertio, secta Judæorum Ecclesiæ utilis est, quia eorum libri sunt prophetiæ nostrarum rerum, et eorum cæremoniæ figuræ nostrarum mysteriorum, et hinc probamus Gentilibus nos non finxisse hæc vaticinia, quandoquidem servantur a nostris inimicis ; denique Judæi non conantur pervertere Christianos, ut plurimum, sicut faciunt hæretici. Vide Concilium Toletanum IV, can. 55 et 56. et Augustinum in Psalm. LIX. Item Bernardum in epist. 322. ad Spirenses, et 323. ad Episcopum Moguntinum.

Argumentum Quartum, ex Isaia II : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (1). Respondeo, non est ad propositum, nam ut B. Hieronymus exponit, describit Propheta tempus adventus Messiæ, ac dicit futurum tempus altissimæ pacis, ita ut homines convertant instrumenta militiæ in instrumenta agriculturæ, et non exerceantur ultra, id est, in longum tempus ad prælium ; hoc autem tempus impletum est in

(1) Isai. II, 4.

Christi nativitate ; numquam enim fuit tam generalis, et tam diuturna pax in toto orbe, quam tempore Augusti. Deinde, si verum est, numquam futura in Ecclesia bella, ut Lutherus ex hoc loco deducit, manifestum erit apud Lutheranos non esse Ecclesiam, qui et inter se, et contra Catholicos gravissima bella moverunt, quale fuit illud contra Carolum V. in quo captus fuit Dux Saxoniæ et Landgravius.

Argumentum Quintum, ex Isaia XI : *Non occident, et non nocebunt in omni monte sancto meo* (1). Respondeo, argumentum est contra ipsum Lutherum, nam non dicit Propheta quod Catholici non occident hæreticos, sed potius contra quod hæretici non occident, et non nocebunt Catholicis ; loquitur enim Propheta de leonibus, et ursis, et serpentibus, regulis, aliisque venenatis bestiis, de quibus dixerat : *Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli mittet manum suam etc.* (2) his autem bestiis Diabolus, et hæretici ejus ministri significantur, ut Hieronymus, et Cyrillus exponunt : Ac dicit, quod non occident, neque nocebunt in omni Ecclesia ; tametsi enim hæretici videntur Ecclesiæ nocere, tamen re vera non nocent, sed eam exercent, et in sapientia, ac patientia proficere faciunt.

Argumentum Sextum, Matth. XVIII. Dominus constituit, ut hæretici haberentur pro Ethnicis et Publicanis, non ut comburerentur. Et Paulus ad Titum III. jubet hæreticum vitari, non occidi, ergo non licet eos occidere. Respondeo, Christum quidem, et Paulum hoc loco non præcepisse, sed nec prohibuisse, ut comburerentur hæretici : ac proinde nihil ex hoc loco deduci. Et hæc est solutio ; quia ipse etiam Lutherus uti consuevit ; nam in lib. II. contra Carolstadium, objicienti Carolstadio, cur vocaret Sacramenta, quæ Christus non præceperat sic vocari ; respondit Lutherus, et quare tu prohibes ea vocari Sacramenta, quæ Christus non prohibuit vocari. Præterea Christus, et Paulus nusquam jubent adulteros, et falsarios occidi, suspendi fures, comburi latrones, et tamen id fieri, et recte fieri, neque Lutherus negare auderet.

Argumentum Septimum, B. Martinus apud Sulpitium lib. II sacræ historiæ circa finem, vehementer redarguit Idacium, et Ithacium Episcopos, qui procurabant mortem Priscillitani hæretici apud Imperatorem ; eosdem etiam tamquam ingentis criminis reos propter eamdem causam ibidem Sulpitius accusat.

Respondeo, duabus de causis merito accusari illos Episcopos. Primo, quia causam Ecclesiasticam ad Imperatorem deferebant ; nam Priscillianus accusatus apud Concilium, provocavit a Concilio ad Imperatorem, et hoc Episcopi permiserunt ; et de hac re ait B. Martinus, novum, et inauditum nefas est, ut causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret. Secundo, quia Episcopi illi assumpserunt officium accusatoris in causa sanguinis ; etsi enim Episcoporum est hæreticos excommunicare, et relinquere judici sæculari, et hortari etiam judices, ut munere suo fungantur, non tamen decet Episcopum accusatorem agere. Quod autem Sulpitius putaverit juste Priscillianum occisum cum sociis, patet ex illis verbis ejus : « Hoc modo, inquit, homines luce indignissimi pessimo exemplo necati sunt. »

Argumentum Octavum. I. Coriath. XI : *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant* (3), ergo non debent extirpari. Respondeo sensus illius sententiæ est, posita nequitia Diaboli, qui semper hæreses seminat, et natura hominum corrupta, atque ad malum propensa, et postremo divina permissione, necesse est in mundo hæreses inveniri, sicut dicimus, oportet in horto esse aliquas malas herbas et sicut Dominus ait : *Necesse est ut veniant scandala*, Matth. XVIII (4). Itaque non jubet Apostolus ut hæreses seminemus, vel ut eas pro viribus non extirpemus, sed solum prædicit id quod semper in mundo erit : sicut scandala tollere, et malas herbas de horto extirpare justissime conamur, licet sciamus nunquam omnia scandala tollenda.

Argumentum Nonum. Luc. XI. Discipulis cupientibus comburere Samaritas, Dominus ait : *Nescitis cujus spiritus estis* (5). Respondeo, Primo latissima differentia est inter Samaritas illos, et hæreticos ; illi enim nunquam promiserant se Christi religionem servaturos, sed tunc primum eis offerebatur, et ideo compellendi non erant. At hæretici promiserunt, professique sunt se Christi fidem servaturos, ideo merito compelluntur. Deinde Jacobus et Joannes non tam

(1) Isai XI, 9. — (2) Id., 8. — (3) I. Cor. XI, 19. — (4) Matth. XVIII, 7. — (5) Luc. IX, 55.

zelo salutis animarum, quam amore vindictæ cupiebant Samaritas comburi, et ideo merito arguuntur. Ecclesia vero zelo salutis animarum, quas hæretici pervertunt, eos persequitur, quo zelo ipse Christus bis flagello ejecit ex templo vendentes oves et boves: *Et mensas nummulariorum subvertit*, Joan. II. et Matth. XXI. Petrus occidit Ananiam et Saphiram, Actor. V. Paulus tradidit fornicarium *Satanæ in interitum carnis*: I. Corinth. V. ut omittam Mosem, Phinees, Eliam, Mathathiam, et alios, qui zelo Dei plurimos occiderunt.

Argumentum decimum. Matth. XIII: *Sinite utraque crescere usque ad messem* (1). Hic aperte Dominus de hæreticis loquitur, et prohibet eos occidi, ut Chrysostomus hunc locum exponens ait, ut etiam Cyprianus lib. III. epist. 3. ad Maximum, et Urbanum, ubi de hac parabola loquens dicit, soli Domino concessum esse, vel fictilia vasa confringere, vel zizania evellere.

Respondeo, nomine zizaniorum non intelliguntur soli hæretici, sed omnes homines mali, ut patet ex ipsa Domini explicatione, ait enim: « Bonum semen, filii sunt regni, zizania filii nequam. » Et infra: « Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi: Mittet filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. » Cum autem prohibet Dominus extirpari malos non prohibet ne iste, aut ille occidatur, sed prohibet ne boni conentur omnes malos ubique extirpare, et nullum omnino permittere, id enim fieri non posset sine ingenti clade bonorum, et hoc est quod Dominus ait, ne forte cum eis eradicetis simul et triticum. Itaque parabola generalis est, et solum docet nunquam futurum ante mundi consummationem, ut omnes mali eradicentur.

Cum autem in particulari quæstio est vel de hæreticis, vel de furibus, vel de aliis malis; An sint extirpandi; semper considerandum est, juxta rationem Domini, an id possit fieri sine detrimento bonorum; et si quidem potest fieri, sunt procul dubio extirpandi: si autem non possunt, quia vel non sunt satis noti, et periculum est ne plectantur innocentes pro nocentibus, vel sunt fortiores nobis, et periculum est ne si eos bello aggrediamur plures ex nobis cadant quam ex illis, tunc quiescendum est. Ita respondet Augustin. lib. III. contra epist. Parmen. cap. 2. hunc locum explicans sibi a Donatistis objectum. Neque aliud Chrysostomus docet, ut patet ex his verbis: « Dominus, inquit, prohibet evelli zizania, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant; nam si tunc trucidarentur hæretici, atrox et irreconciliabile bellum orbe inferretur. » Porro Cyprianus non de hæreticis, sed de malis Christianis in ea epistola hanc paraboiam intelligit, nec tam prohibet occidi scelestos, sed dicit solius Domini esse discernere malos a bonis, et frumenta a zizaniis omnino purgare.

Argumentum undecimum. Joan. VI. cum multi ex discipulis recessissent, Dominus ait: *Vultis et vos abire?* (2) Ergo sic etiam Ecclesia facere debet.

Respondeo, negatur consequentia; Primo, quia illi non obligaverant se ad manendum, sicut hæretici se per Baptismum obligaverunt. Secundo, quia docebat ut Christus, qui venerat judicari non judicare, non per se suas injurias ulciscerctur, sed eas vindicandas filiis suis spiritualibus relinqueret, cujus rei figuram habemus in David, quousque vixit, numquam occidi voluit Semei, qui sibi maledixerat, sed tamen in morte præcepit Salomoni, ut ipse peccatum illud non relinqueret inultum, III. Reg. II.

Argumentum duodecimum. Fides est donum Dei, nemo igitur ad eam compelli potest. Respondeo, sic eam esse donum Dei, ut etiam sit actus liberi arbitrii, alioqui etiam castitas, et cæteræ virtutes sunt dona Dei, et tamen recte puniuntur adulteri, homicidæ, latrones, et coguntur caste, ac juste vivere. Sapientia quoque est Donum Dei, et tamen scriptum est Proverb. XXIX: *Virga, et correptio tribuunt sapientiam* (3). Denique fides est donum Dei, sed Deus hoc donum conservat variis modis, quorum unus correptio est.

Argumentum decimumtertium. Dominus attribuit Ecclesiæ gladium spiritus, quod est verbum Dei, non autem gladium ferri, imo Petro volenti gladio ferreo ipsum defendere, ait: « Mitte gladium tuum in vaginam. » Joan. XVIII.

Respondeo, Ecclesia sicut habet Principes Ecclesiasticos, et sæculares, qui sunt quasi duo Ecclesiæ brachia, ita duos habet

(1) Matth. XIII, 30. — (2) Joan. VI, 68. — (3) Prov. XXIX, 15.

gladios, spiritualem, et materialem, et ideo quando manus dextera gladio spirituali non potuit hæreticum convertere, invocat auxilium brachii sinistri, ut gladio ferreo hæreticos coerceat, et hoc fortasse significavit Dominus, cum prohibuit Petrum, qui erat futurus Princeps Ecclesiasticorum, uti gladio ferreo.

S. Bernardus lib. IV. de consideratione: « Quid, inquit, tu denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negant, non satis mihi videntur attendere verbum Domini, dicentis sic: Converte gladium tuum in vaginam; tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, et si non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus Apostolis: Ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ et spiritualis scilicet gladius, et materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exercendus est: ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum Imperatoris. » Hæc ille. Posset tamen brevius dici, solum prohibuisse Dominum usum gladii privata auctoritate; tunc enim Petrus nondum Pontifex, sed discipulus erat.

Argumentum Decimumquartum. Ecclesia non parcit hæreticis nisi semel, Apostolus autem ad Titum III. jubet ut bis ad minimum hæreticis parcatur.

Respondeo, etsi nunc tam Latini, quam Græci codices constanter habeant: *Post unam et alteram correptionem* (1). Tamen olim in Græcis et in Latinis quibusdam non habebatur, nisi: *Post unam correptionem devita*; ut patet ex Irenæo lib. III. cap. 3. Tertulliano de præscript. Cypriano lib. III. ad Quirinum cap. 78. Ambrosio et Hieronymo in hunc locum Apostoli. Itaque incertum est quæ sit vera lectio. Dico præterea, in hunc locum Apostoli, qui tamen S. Hieronymus magis approbat lectionem nostram eamque dicit magis placuisse S. Athanasio, ideo dico Apostolum non loqui de venia danda hæretico converso, sed de admonitione, quæ præmittitur antequam hæreticus excommunicetur per sententiam judicis: hoc autem Ecclesia servat non solum in hæreticis, sed etiam in omnibus aliis, quos excommunicat, semper enim duas admonitiones ut minimum præmittit.

(1) Tit. III, 10. (2) I. Cor. V, 12.

Argumentum Decimumquintum, Hæretici sunt extra Ecclesiam: *At nihil ad nos de iis, qui foris sunt*, I. Corinth. V. (2) Respondeo, sunt extra Ecclesiam, sed cum debito atque obligatione manendi intus, et ideo cogi possunt ut redeant, sicut cogimus oves, quando de grege fugerunt.

Argumentum Decimumsextum. Contra mansuetudinem Ecclesiæ esse videtur velle mortem hæreticorum.

Respondeo, Primo, non est contra mansuetudinem Ecclesiæ, quia tenetur misereri filiorum suorum, et tunc vere immitis, et crudelis esset, si mallet parcere lupis, quam ovibus. Secundo, quia Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset; Nam *initio*, ut supra diximus, solum excommunicabat, deinde videns hoc non sufficere addidit pœnam pecuniariam, tum amissionem omnium bonorum, postea exilium, tandem huc devenit, ut satis patet ex variis legibus antiquiorum Imperatorum in C. tit. de hæreticis.

Argumentum Decimumseptimum. Fides est libera. Respondeo, liberum duobus modis accipitur. Uno modo ab obligatione, quomodo dicimus liberum est vovere castitatem, intrare religionem; at non est liberum frangere votum, egredi religionem; et hoc modo fides in iis, qui eam nunquam receperunt, libera est ab obligatione humani juris, sed non divini; et ideo homines non cogunt, Deus tamen punit. At in iis, qui eam in Baptismo professi sunt, non est libera ab obligatione, nec juris divini, nec humani, et ideo cogunt homines, ut ea servetur. Altero modo sumitur liberum, ut distinguitur contra necessarium, et hoc modo liberum est non credere, sicut liberum est alia peccata committere, sed hæc libertas non impedit, quin homines male agentes puniantur. Imo potius exigit ut puniantur, nam si liberum est credere, et non credere, ergo potuit credere et manere in Ecclesia, sicut debuit et quia non fecit, merito punitur: ita respondet S. August. in epist. 50. ad Bonifacium, et lib. II. contra epistolam Gaudentii cap. 11: « Datum est homini, inquit, liberum arbitrium, sed ut si esset male faciens, fieret mala patiens: »

Argumentum Decimumoctavum. Numquam Apostoli brachium sæculare contra

hæreticos invocaverunt. Respondet S. Augustinus in epist. 50. et alibi, Apostolos id non fecisse, quia nullus tunc erat Christianus Princeps, quem invocarent. Tunc enim implebatur illud Psalm. II : *Astiterunt Reges terræ, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* At postquam tempore Constantini cœpit illud impleri, quod sequitur in eodem Psalmo : *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore* (1) : Mox Ecclesia auxilium sæcularis brachii imploravit.

(1) Psal. II, 2 et 10.

SEXTA CONTROVERSIA GENERALIS

DE ECCLESIA

QUÆ EST IN PURGATORIO

DUOBUS LIBRIS EXPLICATA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hæreticos invocaverunt. Respondet S. Augustinus in epist. 50. et alibi, Apostolos id non fecisse, quia nullus tunc erat Christianus Princeps, quem invocarent. Tunc enim implebatur illud Psalm. II : *Astiterunt Reges terræ, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* At postquam tempore Constantini cœpit illud impleri, quod sequitur in eodem Psalmo : *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore* (1) : Mox Ecclesia auxilium sæcularis brachii imploravit.

(1) Psal. II, 2 et 10.

SEXTA CONTROVERSIA GENERALIS

DE ECCLESIA

QUÆ EST IN PURGATORIO

DUOBUS LIBRIS EXPLICATA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PRÆFATIO

Disseruimus hactenus de ea parte Ecclesiæ, quæ est in terris : Nunc de ea disputandum est, quæ degit infra terram; disputaturi ultimo de illa, quæ regnat in cœlis; et quoniam fideles jam defuncti, necdum beati, et corpore, et animo sunt infra terram, diversis in locis, ideo primum de loco animarum dicemus; secundo de loco corporum, id est, de sepultura.

Sed antequam ad quæstiones veniamus, tria præmittenda sunt. Primo, quid nomine Purgatorii hoc loco intelligamus. Secundo, qui fuerint errores de Purgatorio. Tertio, quo ordine sit explicanda hæc disputatio.

Scripserunt autem de Purgatorio Joannes Roffensis contra articulos Lutheri; Joannes Eckius lib. IV. de Purgatorio; Joannes Bunderius in suo Compendio titul. 18. Joannes Garetius lib. de orat. pro defunctis; Jacobus Latomus in explicatione artic. sexti Lovaniensium; Jodocus Clichthovæus in lib. de Purgatorio; Bernardus Lutzenburg. lib. unico de Purgatorio; Alphonsus de Castro, verbo Purgatorium; Martinus Peresius Ajala de traditionibus; Claudius Coussord contra Waldenses; Cajetanus tom. I. tract. 23 et 24; Franciscus Orantius lib. V. de locis Catholicis; Hugo Etherianus de regressu animarum ab inferis; Catharinus lib. de veritate Purgatorii.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONTROVERSIARUM

DE ECCLESIA PATIENTI

LIBER PRIMUS

DE PURGATORIO.

CAPUT I.

De nomine Purgatorii.

Tria in Scripturis inveniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum, et purgatoria dici possunt. Primo, Christus ipse, de quo dicitur ad Hebr. I: *Purgationem peccatorum faciens.* Joan. I: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (1). Sed de hoc non loquimur, tum quod non soleat Christus vocari Purgatorium, tum quod sit extra controversiam eum purgatorem peccatorum esse.

Secundo, tribulationes hujus vitæ, de quibus ad litteram videtur intelligendus Malachias cap. III: *Ipse sedebit quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum* (2). Nam, ut recte exponit B. Hieronymus, hic agitur de tribulatione, quæ præcedet diem judicii ad purganda peccata fidelium, et Joan. XV: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat* (3). De hoc Purgatorio non loquimur, tum quod sit extra controversiam, tum etiam quod non semper tribulatio hujus vitæ sit purgatoria. Nam multi justi affliguntur, non ut purgentur, sed ut exerceantur, et probentur juxta illud Ecclesiast. XXVII: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (4). Et multi injusti affliguntur, non ut purgentur, sed ut incipiant damnationis suæ pœnas gustare.

Vocatur ergo tertio Purgatorium, locus quidam, in quo tamquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac non plene purgatæ fuerunt, ut nimirum sic purgatæ in cœlum ingredi valeant, quo nihil intrabit coinquinatum. De hoc est tota controversia.

CAPUT II.

De erroribus circa Purgatorium.

Multi, et inter se contrarii errores fuerunt de Purgatorio. Primus omnium, qui aliquid sensit contra Purgatorium, videtur fuisse Aerius, qui teste Epiphanio hæres. 75. et Augustino hæres. 53. docuit, non esse pro defunctis orandum. Hinc enim sequitur, aut non egere precibus, aut non posse juvari, quorum utrumque Purgatorio repugnat, saltem eo modo existenti, quo ab Ecclesia ponitur.

Diserte autem Purgatorium negaverunt Waldenses, ut Guido Carmelita in Summa de hæreticis et B. Antoninus IV. part. tit. 11. cap. 7. §. 2. Summæ Theologiæ referunt.

Idem docuerunt Apostolici apud B. Bernardum serm. 66. in Cantic. et forte Waldenses proles sunt Apostolicorum; nam in erroribus, qui eis tribuuntur, conveniunt,

(1) Hebr. I. 3; Joan. I. 29. — (2) Malach. III. 2 et 3. — (3) Joan. XV. 2. — (4) Eccl. XXVII. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et tempore sunt vicini. Nam Waldensium secta exorta est circa annum Domini 1160. juxta Trithemii Chronicum, vel 1170. juxta Guidonem in sua Summa cap. I. et Reynerium, qui floruit ante annos 300. cujus testimonium vide in fine libri Claudii Caussordii contra Waldenses. Apostolicis autem sunt paulo antiquiores, nam exorti sunt tempore B. Bernardi, qui obiit anno 1153. vocari autem voluisse Apostolicos, etiam ipsos Waldenses, quod Apostolorum paupertatem sectarentur, manifestum est ex historia ipsorum apud Æmilium lib. VI. de gestis Francorum, et Abbatem Urspergensem in Chronico anni 1212.

Idem cum Waldensibus docuerunt eodem tempore Henricus et Petrus Bruis, contra quos scribit B. Bernardus epist. 240. et Petrus Cluniacensis in epistola ad omnes Episcopos.

Idem postea docuerunt Albigenses, qui tamen non solum Purgatorium, sed etiam infernum tollebant, testis B. Antonin. IV. par. tit. XI. cap. 7. §. 5.

Idem tribuit Wiclefistis, et Hussitis Bernardus Lutzenburgensis in præfatione libri sui de Purgatorio, sed fortasse falso, cum nihil tale eis tribuat Concilium Constantiense, nec Thomas Waldensis; Æneas autem Sylvius, qui inter errores Hussitarum hunc etiam numerat libro de origine Bohemorum cap. 35. videtur confundere Hussitas cum Waldensibus.

Idem tribuitur Armenis et Græcis a Guidone Carmelita in summa de hæreticis, et quamquam Græci ipsi in Concilio Ferrariensi, sess. I. affirmabant se non negare Purgatorium, sed ignem tantum, et existimare Purgatorium esse locum tenebricosum, et laborum plenum, tamen credibile est Græcos de hac hæresi saltem suspectos fuisse; nam B. Thomas in opusculo contra Græcos refellit etiam hunc errorem, et probat, Purgatorium esse, et in Concilio Florentino sess. ult. damnatus est idem error, cum tamen in eo Concilio solum damnati sint errores Græcorum, aut certe de quibus Græci suspecti erant.

Denique Lutherus, et omnes posteri ejus, licet in varias sectas dissecti, in hoc tamen conveniunt, ut Purgatorium tollant, quamquam Lutherus ipse valde varius fuit. Nam primo, Purgatorium plane Catholice admittebat; nam in disputatione Lipsiaca, quæ adhuc exstat: « Ego, inquit, qui credo fortiter, imo ausim dicere, scio Purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem. »

Deinde Purgatorium admisit quidem, sed multis admixtis erroribus. Primus error fuit, Purgatorium non posse probari ex Scripturis. Secundus, animas in Purgatorio non esse certas de salute consequenda. Tertius, animas in Purgatorio posse mereri, et demereri. Quartus, animas in Purgatorio sine intermissione peccare, dum horrent pœnas, et requiem quærunt. Quintus, animas, quæ liberantur per suffragia Ecclesiæ, minus beari, quam si per se satisfecissent. Isti quinque habentur inter articulos a Leone damnatos in fine.

Ultimo, simpliciter sustulit Purgatorium, suffragia pro defunctis, et asseruit nullum esse Purgatorium post hanc vitam, sed solum in vita, et in morte; horror enim et pœna mortis purgat, si quid purgandum superest, Ita docuit in lib. de abroganda Missa privata, ubi dicit melius esse in totum negare Purgatorium, quam credere B. Gregorio referenti animarum apparitiones, suffragia petentium, et in lib. ad Waldenses de Eucharistia: « Cum, inquit, negatis Purgatorium, damnatis Missas, vigilias, cœnobia, monasteria, et quidquid per hanc impostura erectum est, per omnia etiam probo. »

Hoc ultimum secuti sunt omnes hæretici hujus temporis. Lutherani rigidi, ut Centuriatores, Centur. I. lib. II. cap. 4. col. 470. et Cent. IV. cap. 4. colum. 304. Lutherani molles, ut Philippus in Locis cap. de satisfactione, et Brenlius in Confess. Wirtembergensi, cap. de Purgatorio. Item Zwingliani apud Cochlæum in actis Lutheri anni 1526. Item Bernardinus Ochinus in Dialogo de Purgatorio. Calvinus lib. III. Instit. cap. 5. §. 6. ubi dicit, Purgatorium esse exitiale Satanæ commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei misericordiæ irrogat, quod fidem nostram labefacit, et evertit. Petrus Martyr in c. III. I. ad Corinth. duo dicit. Primo, sive sit, sive non sit Purgatorium certe non esse dogma fidei. Secundo, dicit nec esse probabile Purgatorium existere. Denique Anabaptistæ Trinitarii lib. II. cap. 1. ex iis, quos nuper ediderunt anno 1567. dicunt Lutherum jecisse fundamentum reformationis Ecclesiæ, cum Purgatorium, Missas, et similia sustulit;

Fundamentum omnium Lutheranorum est, quia tollunt satisfactionem, et discrimen peccati mortalis a veniali; isto enim fundamento posito, necessario sequitur nullum esse Purgatorium.

Porro non defuerunt, qui adeo Purgatorium probarint, ut nullas pœnas nisi purgatorias post hanc vitam agnoverint. Ita Origenes sensit, qui omnibus impiis hominibus, et dæmonibus tandem salutem pollicetur, ut refert Epiphanius in epistol. ad Joan. Hierosolymitanum, et Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. 17. ubi addit aliorum opinionem, qui non quidem dæmonum, sed hominum tamen omnium pœnas solum purgatorias agnoscebant, et eodem lib. XXI. cap. 13. dicit eamdem sententiam Platonicorum fuisse, nullam videlicet esse pœnam post hanc vitam, nisi purgatoriam, et probat ex illis Virgilii verbis in VI Æneidos.

Quin et supremo cum lumine vita reliquit.
Non tamen omne malum miseris, nec funditus [omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse [est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum,
Supplicia expendunt etc.

Quamquam in ipsius Platonis operibus aliud legimus; nam in Phædone, et in Gorgia, tria facit hominum genera eorum, qui ad judicium evocantur post mortem. Unum eorum, qui pie justeque vixerunt, et hos statim ad insulas beatorum transmitti dicit. Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, et hos asserit ad tempus exerceri pœnis, donec scelus eluatur. Tertium eorum, qui peccata incurabilia commiserunt et hos dicit in tartarum dejici in æternum puniendos, quorum supplicia ipsis quidem nihil prosunt, sed aliis tamen prosint ad exemplum, et Virgilius quoque id non tacuit, ubi ait Æneid. VI.

— Sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus, Phlegiasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere divos.

Sed de his satis.
Disputatio tota decem capitibus continetur. Primo, ostendemus esse Purgatorium. Secundo, id fide tenendum. Tertio, quibus personis conveniat, an justis, an peccatoribus omnibus, an quibusdam tantum. Quarto, de statu eorum qui sunt in Purgatorio, an videlicet certi sint, de salute. Quinto, possint ne mereri ac demereri. Sexto, de loco Purgatorii. Septimo, de tempore quo durat. Octavo, de ipsa pœna, qualis sit, et a quibus infligatur. Nono, de remedio pœnæ. Decimo, de sepultura corporum.

CAPUT III.

Purgatorium esse probatur ex Scripturis Testamenti veteris.

Primum igitur Purgatorium esse, quinque generibus argumentorum probabimus. Afferemus, primo enim Scripturas Testamenti veteris. Secundo, Scripturas Testamenti novi. Tertio, Concilia. Quarto, Patres. Quinto, rationes, et tum demum solvemus argumenta. Primus locus habetur II. Machab. cap. XII. ubi posteaquam Scriptura narravit, Judam Machabæum misisse in Hierusalem 12000 drachmarum argenti in sacrificia pro mortuis expendenda, subjungit: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (1).

Hinc enim sequitur. Primo, posse mortuos post hanc vitam a peccatis solvi, et proinde esse Purgatorium. Secundo, sacrificia, et orationes vivorum prodesse defunctis. Tertio, non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, ut Lutherus dicit: Nam isti pro quibus orari jussit, mortui erant morte violenta, et pro religione, tamen credebat Judas adhuc illos non plene esse purgatos. Quarto, posse hominem sancte et pie mori, et tamen habere debitum aliquod solvendum, vel propter venialia peccata non remissa in vita, vel propter satisfactionem pro mortalibus remissis non plene expletam: Nam Scriptura hoc loco dicit eos, pro quorum peccatis jussit orari Judas, cum pietate dormitionem accepisse. Quinto, hoc esse de fide.

Ad hunc locum respondent adversarii.

(1) II. Mach. II, 42 et seq.

007041

Primo, librum hunc non esse canonicum, cum auctor ipse in fine libri veniam petat, si qua in re erraverit : « Ergo, inquit Brentius, demus illi veniam quod erraverit, cum suffragia pro defunctis laudavit. »

Secundo, quia saltem hæc pars non potest esse canonica (*sancte et pie de resurrectione cogitans, nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum pro defunctis orare*) continet enim exploratum errorem quod nimirum animæ cum corporibus moriantur et resurgant, alioqui non esset superfluum et vanum orare pro mortuis, etiamsi non resurgerent. Addit Ochinus, ex hac ipsa particula tolli posse Purgatorium : Nam si Purgatorium esset, etiamsi resurrectio mortuorum non esset, non tamen fuisset vanum orare pro mortuis, quia profuisset illis oratio ad liberationem a pœnis Purgatorii.

Tertio, quia illa conclusio : *Sancta ergo et salubris est cogitatio etc.* non videtur historico convenire, et forte erat annotatio aliqua marginalis, et inde in textum violenter intrusa est.

Quarto, quia non fit mentio in hac Scriptura Purgatorii, sed solum resurrectionis; dicitur enim Judas jussisse orare pro mortuis sancte, et pie de resurrectione cogitans.

Quinto, quia sacrificia, et orationes jubentur fieri a Juda Machabæo pro illis, quos constabat in peccato mortali decessisse; nam ibidem habemus reperta fuisse sub tunicis omnium illorum occisorum quædam de donariis idolorum, quæ illi rapuerant contra expressum prohibitionem Deuteronom. VII : *Invenerant*, inquit, *sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerant, a quibus lex prohibet Judæos.* Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse, ergo vel superstitiosum fuit factum hoc Judæ, vel non orarunt ut animas illas juvarent, sed solum ut seipsos consolarentur.

Sexto, quia non sequitur : oratum et sacrificatum est pro mortuis, ergo erant in Purgatorio; nam potuerunt, pro quibus orabatur, esse in inferno, et potuerunt qui orabant, orare et sacrificare, ut pium erga eos affectum, et memoriam ostenderent, et seipsos consolarentur.

Septimo, quia Scriptura ista non profert legem aliquam, aut decretum, sed solum unius hominis exemplum, non tenemur autem imitari, imo nec possumus omnia exempla Scripturarum. Neque obstat quod laudatur hoc loco exemplum Judæ; nam in eodem libro laudatur exemplum Raziæ, qui se occidit, II. Machab. XIV.

Ad primum dico, lib. Machabæorum non esse Canonicum apud Judæos, sed apud Christianos esse, siquidem Ecclesia universa legit hunc librum in Missa, et legebat jam olim, ut patet ex epistola Petri Cluniacensis contra Petrobrusianos, et tamen prohibitum fuerat in Concilio III Carthag. cap. 47. ne ullus liber legeretur in Ecclesia sub nomine divinorum librorum, nisi canonicus esset. Præterea eum numerat cum divinis libris, ex Conciliis Carthaginens. III. canon 47. ex Pontificibus, Innocentius I. in epist. ad Exuperium, cap. ult. ex Patribus, August. lib. XVIII. Civ. Dei cap. 36. ubi sic ait : « Libros Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet. »

Ex quibus testimoniis refellitur mendacium impudentissimum Ochini, qui in Dialogo de Purgatorio sic ait « : Quod apocryphi sint, ex Laodicensi, et Africana Synodo manifestum est, imo ex omnibus sacris doctoribus qui sacrorum librorum catalogum percensentes, de Machabæicis nullam mentionem faciunt. » Hæc ille. Qui quam aperte mentiatur, facile cognoscet, qui legerit Carthagin. Concilium III, quod Ochinus Africanum vocat, et præterea Innocentium loco citato, Augustin. lib. II. de doctrina Christiana cap. 8. Gelasium in decreto de libris canonicis, quod edidit in Concilio 70 Episcoporum, Isidorum lib. VI etymologiarum, cap. I. aliosque Patres a nobis citatos lib. I. de Verbo Dei, cap. 15.

Respondet Petrus Martyr in cap. 3. I. Corinth. ab Augustino, et Ecclesia ipsa hunc librum receptum in Canonem, non eorum librorum, qui valent ad confirmanda dogmata, sed eorum qui valent ad morum ædificationem, et probat : quia August. lib. II. contra epist. Gaudentii. cap. 23. dicit hunc librum non esse paris auctoritatis cum lege, prophetis et Psalmis, sed tamen utilem esse si sobrie legatur. (Item quia Cyprianus in expositione Symboli dicit, hos libros non valere ad probanda dogmata.)

At perfide agit Pseudomartyr; nam August. adeo putabat hunc librum valere ad confirmanda dogmata, ut lib. I. de cura pro mortuis, cap. I. ex solo hoc libro argumenta petat ad probandum orandum esse pro mortuis, et hoc esse dogma fidei ; idem August.

docet, cum in lib. de hæres. cap. 53. ponit Aerium in numero hæreticorum, quia negaverat orationes pro defunctis. In II. autem lib. contra Gaudentium, cap. 23. non dicit eos libros non esse pares Psalmis, Legi, et Prophetis in Ecclesia, sed apud Judæos : « Et hanc quidem Scripturam, inquit, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi sicut Legem, et Prophetas, et Psalmos, sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur, vel audiatur. » Ex quo apparet insignis fraus Martyris. Quod autem Augustin. dicit, debere sobrie legi, non ideo dicitur, quia sint in hoc libro aliqui errores, sed propter exempla eorum, qui se occiderunt, qui in hoc libro narrantur, et imitanda non sunt; quomodo etiam Genesis sobrie legenda est, ne putemus imitandum factum Judæ Patriarchæ, qui incestum perpetravit.

Deceptus est autem idem Martyr. cum Cyprianum pro Ruffino adduxit; illa enim Symboli explicatio, Ruffini est, non Cypriani, ut patet ex præfatione, ubi auctor indicat, se esse Aquileiensem, et Aquileiæ baptizatum, et educatum, et ibidem meminit Photini hæretici, qui centum annis Cypriano posterior fuit, et ubi libros sacros enumerat, ibidem meminit Donati, Manichæi, Arii, Eunomii, aliorumque hæreticorum, qui post Cypriani obitum exorti sunt. Neque mirum esse debet, si Ruffinus hos libros non esse canonicos putavit : Nam libri Machabæorum sunt ex eorum numero, de quibus aliquando etiam inter Catholicos dubitatum est, et postea tamen ab universa Ecclesia, tamquam vere canonici, recepti sunt.

Ad probationem dico, auctorem non petere veniam errorum, sed elocutionis, quomodo etiam B. Paulus excusat sermonis sui imperitiam.

Ad secundum dico, ideo videri ineptam sententiam hujus libri, quia non observatur apud Judæos olim fuisse usitatissimum, habere pro eadem quæstione illam de resurrectione et illam de animorum immortalitate, etsi revera distinctæ sunt. Nam apud Judæos, qui negabant unum, negabant alterum, ut Sadducæi; et qui unum fatebantur, fatebantur alterum, ut Pharisæi, ut patet Actor XXII. Nec immerito ; nam cum anima rationalis sit vera forma corporis, et proinde vera pars hominis, non est verisimile, Deum voluisse animam perpetuo vivere sine corpore. Hinc Dominus Matth. XXII. probaturus Sadducæis resurrectionem, utitur illo testimonio Scripturæ : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*, et subgit : *Non est Deus mortuorum, sed viventium*(1), ex quibus inferre intendit, ergo mortui resurgunt.

Ad hoc argumentum nihil concludit, nisi præsupponatur, quæstionem de immortalitate animorum, et de resurrectione corporum accipi pro una et eadem; posset enim alioquin negari consequentia. Nam Deus erit Deus viventium, etiam si mortui non resurgant, quandoquidem animi ipsi vivunt. Pari ratione Apostolus cum ait I. Corinth. XV : *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? comedamus, et bibamus, cras enim moriemur*(2), nisi præsupponat animas esse mortales, si corpora non resurgunt, nihil concludit. Nam si animus est immortalis, etiamsi corpora non resurgant; multum proderit jejunare, et bene vivere, quia proderit ad gloriam animæ acquirendam. Scriptura ergo libri Machabæorum loquitur omnino eodem modo, quo hic D. Paulus, et idem præsupponit. Vult enim dicere : Si mortui non resurgunt, inde sequi, animas esse mortales, et proinde superfluum et vanum orare pro mortuis, nisi speretur resurrectio.

Ad tertium dico, in textu Græco non haberi particulam. Ergo, sic enim legimus : *διὰ ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον, ὅσιόν τε καὶ εὐσεβὲς ἡ ἔντευξις, ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξίλασμον ἐποιήσατο, τοῦ ἁμαρτεῖν ἀπολυθῆναι*, hoc est : *Deinde considerans, iis qui cum pietate obdormierant optimam repositam gratiam, quæ sancta et pia consideratio fuit, ideo pro mortuis expiationem fecit, ut a peccato solverentur.* Tamen sensus est omnino idem. Nec potest rejici Latina lectio, quin rejiciatur etiam Græca. Neque est insolitum historicis, aliquid interdum colligere ex rebus gestis, quod ad imitationem, et bonos mores pertineat.

Ad quartum dico, non esse necesse fieri mentionem expressam Purgatorii, cum satis aperte colligatur ex iis, quæ hic habentur. Non enim de nomine, sed de re ipsa contendimus. Neque vero cum dicitur Judas jussisse orare pro mortuis, bene et religiose de resurrectione cogitans, sensus est, jussisse eum orare pro mortuis, ut resurgerent, sed esse sensus, Judam, cum religiose cogitaret resurrectionem futuram, et proinde animas

(1) Matth. XII. 32. — (2) I. Cor. XV. 32.

esse immortales, et formidaret ne animæ interfectorum militum suorum, propter peccatum aliquod, in alio sæculo punirentur, jussisse pro eis orari et sacrificari, ut a peccatis solverentur, ut in fine capitis exprimitur.

Ad quintum dico, peccatum illorum aut fuisse veniale, quia forte ignorabant legis prohibitionem, et non acceperunt ex donariis illis in honorem idolorum, sed solum ditescendi cupiditate, quæ venialis esse potest; aut certe si mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato, et quoad culpam remissum illis fuisse, juxta illud Psalm. LXXVII : *Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur* (1); aut saltem Judam Machalæum ita existimasse, alioqui non diceret Scriptura, cum considerasse eos, qui cum pietate obdormierant, optimam habere repositam gratiam. Adde ultimo, saltem incertum fuisse statum illorum, et propterea licuisse pro eis orare, etiamsi damnati fuissent.

Ad sextum dico, nostram consequentiam non esse istam, orarunt pro illis, ergo erant in Purgatorio; sed, orarunt pro quibusdam defunctis, ergo existimarunt posse fieri, ut illi essent in Purgatorio; vel istam, laudatur in Scriptura oratio pro defunctorum peccatis, ergo Purgatorium est in alia vita : Nam alioquin frustra oraretur, et Scriptura erraret laudando ejusmodi orationem. Quod autem hoc loco laudetur oratio pro expiatione peccatorum, et non pro humano affectu ostendendo, patet, tum ex eo, quod occasio hujus orationis fuit peccatum illorum mortuorum detectum ob donaria inventa sub vestibus eorum, ut historia dicit, tum ex eo, quod expresse dicitur Judas misisse 12000. drachmas offerri sacrificium pro peccatis mortuorum, et infra, ut a peccatis solvantur.

Adde, quod si nullum esset Purgatorium, liceret quidem fiere ad humanum affectum ostendendum; at orare non item. Quorsum enim oratio pro illis, qui aut non egent, aut juvari non possunt?

Ad septimum dico, argumentum non sumi ab exemplo unius hominis, sed partim ab antiquo et solemni ritu Ecclesiæ Testamenti veteris; partim a testimonio infallibili scriptoris sacri. Quod enim hic fuerit solemnis ritus Ecclesiæ, patet, cum hoc loco dicitur : *Omnes qui cum Juda erant ad preces conversos*, et deinde : *Collatione facta*, id est, singulis conferentibus aliquid, collectam esse multam pecuniam, et missam a Juda, nomine omnium in Hierusalem, ad sacrificia pro mortuis; et hoc quidem magnum est argumentum : sed majus est, ad fidem Catholicam faciens, quod sumitur a verbis Scripturæ sacræ laudantis orationem pro peccatis mortuorum tamquam sanctam, piam et religiosam. Neque valet instantia de laude Raziæ, qui se occidit; Nam, ut Augustinus ostendit lib. II. contra epist. Gaudentii, cap. 23. Razias laudatur, quod fortiter et viriliter egerit, non quod pie et sancte, vel, si volunt probari hoc factum ab auctore hujus libri, potius dicendum est, habuisse Raziam peculiarem inspirationem, et præceptum Dei, ut hoc faceret sicut habuit Samson, teste Augustino lib. I. de Civ. Dei cap. 21. quam dicendum esset, hunc auctorem potuisse errare. Præter hunc locum sunt alia quædam, quæ solum probabiliter suadent, et quibus tamen sancti Patres usi sunt. Igitur ea quoque hic breviter adnotabimus.

Secundus locus est Tobiæ IV : *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare, et bibere cum peccatoribus* (2). Hujus loci non potest esse alius sensus, quam is, quem communiter expositores tradunt, videlicet. Instrue convivium, et voca fideles pauperes, ut ipsi post acceptam eleemosynam orent pro anima defuncti. Hinc enim nata est illa consuetudo, quæ et olim in Ecclesia fuit, et nunc etiam est, ut affines defuncti convivium faciant, et mittant etiam cibum et potum pauperibus et religiosis, ut orent pro anima defuncti. Chrysostomus hom. 32. in Matth. « Cur, inquit, post mortem tuorum pauperes convocas? Cur Presbyteros, ut pro eis velint orare obsecras? » Neque valet quidquam commentum Munsteri, qui interpretatur nomine sepulchri, ora pauperum justorum, quia scriptum est Ps. V : *Sepulchrum patens est guttur eorum* (3), ut sensus sit : Pone panem tuum in ore justorum, ut non moriantur fame. Hæc enim falsa expositio est. Primo, quia nusquam Scriptura vocat sepulchrum os justi, sed solum os peccatoris, unde exhalant fœtores vitiorum. Secundo, quia Tobias in eodem capite multis verbis commendaverat pauperes vivos, et deinde transiit ad commendationem mortuorum, ut in littera patet.

(1) Psal. LXXVII, 34. — (2) Tob. IV, 18. — (3) Psal. V, 11.

Tertius locus est I. Reg. ult. ubi legimus, quod habitatores Jabes Galaad audita morte Saul, jejunaverunt septem dies. Et II. Reg. I. David flevit, et jejunavit pro Saule, et Jonatha, et aliis occisis, quod idem fecit pro Abner, II. Regum III. Quamvis enim hæc videbantur fieri in signum doloris et tristitiæ, tamen credibile est, præcipue facta esse ad juvandas animas defunctorum, ut Beda exponit in fine commentarii in lib. I. Reg. id quod ex duobus colligimus. Primo, ex eo, quod irrationabile fuisset in signum doloris septem dies jejunare. Secundo, ex eo, quod David II. Reg. XII. jejunavit, et oravit pro filio suo infantulo, dum ægrotaret; postea vero quando audivit eum esse mortuum, non amplius jejunavit, quo facto suo ostendit, se jejunare solitum, ut aliquid a Deo impetraret; ideo enim pro morte pueri non jejunavit, quia sciebat, non esse puerum ad vitam rediturum, et præterea eum suffragiis non egere, quo etiam spectat illa sollicitudo Patriarcharum, qui cupierunt in terra promissionis sepeliri, Genes. XLVII et L. nimirum ut essent participes precum et sacrificiorum, quæ ibi offerebantur.

Quartus locus est Psal. XXXVII : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (1). Etsi enim hæc verba varie exponi possint, tamen B. Augustinus ita exponit, ut in furore argui a Deo, sit in æternum damnari; in ira corripi, sit puniri severe post hanc vitam, ad correptionem tamen et emendationem. Unde subdit : « In hac vita, inquit, purges me, talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit etc. » Eodem modo exponit Beda, Haymo, Dionysius Carthusianus, et alii.

Quintus locus est Psal. LXV : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (2). Hic etiam locus potest habere varios sensus, tamen Origenes hom. 25. in Num. et B. Ambrosius in Psalm. XXXVI et serm. 3. in Psalm. CXVIII. exponit per aquam, Baptismum; per ignem, Purgatorium : «Hic, inquit, per aquam, illic per ignem; per aquam ut abluantur peccata; per ignem ut exurantur. »

Sextus locus est Isa. IV : *Purgabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii, et spiritu combustionis* (3). Hunc locum exponit de pœna Purgatorii B. Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 25.

Septimus locus est Isai. IX : *Succensa est quasi ignis impietas, et spinas devorabit.* (4) Basilius in hunc locum dicit, per confessionem peccatum arefieri, ut igne Purgatorio post hanc vitam absumi possit, et ex hoc loco probat.

Octavus locus est Michææ VII : *Ne lætetis inimica mea; nam si cecidi, resurgam; cum sedero in tenebris, iram Domini portabo, donec causam meam judicet. Adducet me in lucem, videbo justitiam ejus* (5). Hunc locum afferri solitum pro Purgatorio, docet Hieronymus in cap. ult. Isa. et Glossa ordinaria exponit; Iram Domini portabo hic vel in Purgatorio.

Nonus locus est Zach. IX : *Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua* (6). Etsi enim hunc locum adducunt passim pro liberatione Patrum ex limbo, tamen melius convenit liberationi animarum ex Purgatorio, quas Christus eduxit, cum eo descendit post mortem suam. Primo, quia isti rectius dicuntur vincti. Secundo, quia in Purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in limbo : ut patet Luc. XVI. de Lazaro : *Hic vero consolatur.* Unde Augustinus epistol. 99. ad Evodium, et lib XII. in Genes. cap. 33. contendit, Christum, cum descendit ad inferos, non solum Patres invisisse, sed etiam eos, qui cruciabantur in inferno, id est, in Purgatorio, et multos eorum inde liberasse.

Decimus locus est Malach. III : *Ipse sedebit quasi ignis conflans, et purgabit filios Levi, et colabit eos etc.* (7) Hunc locum exponunt de pœna purgatoria Origenes hom. 6. in Exod. S. Ambrosius in Psalm. XXXVI. B. Augustinus lib. XX. de Civ. Dei cap. 25. et B. Hieronymus in hunc locum, et quamquam pœna illa purgatoria non est ea, de qua nunc agimus : Nam illa purgabit viventes, nos autem agimus de pœna mortuorum; tamen inde recte infertur Purgatorium. Nam ideo tunc præcedet tribulatio gravissima, et postea etiam ignis descendet, et purgabit celerrime omnes reliquias peccatorum in hominibus justis, quia, ut Irenæus etiam notat in fine lib. V. tunc repente Ecclesia, quæ est in terris, assumenda erit ad sponsum, nec erit tempus purgationis ulterius, ut nunc est post mortem ante judicium.

(1) Psal. XXXVII, 1. — (2) Psal. LXV, 12. — (3) Isai IV, 4. — (4) Isai IX, 18. — (5) Mich. VII 8 et 9. — (6) Zach. IX, 11. — (7) Malach. III, 2 et 3.

CAPUT IV.

Purgatorium esse probatur ex Testamento novo.

Primus locus est Matth. XII, ubi dicit Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Hinc enim colligunt sancti Patres, quædam peccata remitti in futuro sæculo, per orationes, et suffragia Ecclesiæ : ita B. August. lib. XXI. de Civit. Dei cap. 24. et lib. VI. in Julianum cap. 5. B. Gregorius lib. IV. Dialogorum cap 39. B. Beda in cap. III. Marc. B. Bernardus hom. 66. in Cant. qui hoc solo testimonio contentus fuit contra hanc hæresim. Item Petrus Cluniacensis in epistola contra Petrobrusianos. Rabanus lib. II. de Institut. Cleric. cap. 44. et omnes Glossæ, ut ordinaria, interlinearis, etc.

At contra hunc locum objicit primo, Petrus Martyr, hæc dici per exaggerationem. Respondeo, hoc modo poterimus etiam tollere infernum, et dicere esse exaggerationem, cum dicitur : *Ite in ignem æternum*. Præterea exaggeratio non debet esse inepta, qualis est, cum fit partitio, et uni membro nihil respondet.

Secundo, dicunt aliqui esse comminationem. Respondeo eodem modo.

Tertio, objiciunt alii, Christus comparat peccatum in Spiritum Sanctum cum gravissimis peccatis mortalibus, cum blasphemia in Patrem, et in Filium ; ergo si vellet dicere, aliqua peccata posse remitti in alio sæculo, intelligeret maxime de iis, quibuscum comparabat tunc peccatum in Spiritum sanctum ; at hoc est falsum, quia sola venialia dimittuntur, per nos, in alio sæculo etc. Respondeo, Christus loquitur de perfecta remissione, quæ complectitur remissionem culpæ et pœnæ, quomodo peccata gravissima remittuntur etiam in alio sæculo, quia ibi completur eorum remissio.

Quarto, inquiunt, Christus videretur significare, graviora peccata remitti in futuro sæculo, in hoc autem solum leviora, si aliqua ibi remitti vellet, alioqui non diceret : Neque in hoc sæculo, neque in futuro, sed e contrario dixisset : Non dimittetur, neque in futuro, neque in hoc, ut oratio crescat. Respondeo, orationem crescere, quia in futuro majus spatium est diluendi peccata, quam hic ; et præterea præponitur hoc sæculum, qui hic inchoatur, ibi perficitur remissio delictorum.

Quinto, objicit Calvinus, Dominus loquitur de remissione culpæ, ergo male allegatis hunc locum pro remissione pœnæ Purgatorii. Respondeo, in Purgatorio remitti etiam culpas saltem veniales ; præterea falsum est, loqui Christum de sola culpa. Hic enim est sensus : Peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in hoc sæculo, nec in futuro, neque quantum ad culpam, neque quantum ad pœnam, cum alia peccata vel remittantur in hoc sæculo, quoad culpam, et in alio interdum quoad pœnam, ut mortalia ; vel et hic et ibi quoad culpam, et quoad pœnam, ut venialia.

Sexto, inquit Calvinus, in hoc sæculo et in futuro, vult dicere : In hoc judicio et in novissimo non remittetur, et sic nulla fit mentio Purgatorii. At contra ; nam qui erunt illi, quibus hic non est remissum, et in judicio remittetur ; nonne illi, qui aut venialium purgatione in igebunt, aut solius pœnæ debitores erunt ? Qui enim hinc cum injustitia decedunt, certe in judicio non absolventur.

Septimo, objicit Petrus Martyr, quia ex negatione non sequitur affirmatio in bona Dialectica : non licet inferre, peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in futuro sæculo, ergo quædam alia peccata in eo remitti possunt, sicut non bene sequitur, Rex Philippus non est Rex Venetorum, ergo aliquis alius est Rex Venetorum. Et confirmat Ochinus : Nam potuit Christus dicere : Hoc peccatum non remittetur, in hoc sæculo, neque in inferno : et tamen non colligeremus inde, quædam peccata remitti in inferno.

Respondeo, non sequi secundum regulas Dialecticorum, id quod inferimus ex verbis Domini, sed tamen sequi secundum regulam prudentiæ, quia alioqui faceremus Dominum ineptissime locutum. Inepte enim diceret : Hoc peccatum non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, si in futuro nullum remittitur ; sicut inepte loqueretur qui diceret : Rex Philippus non absolvet te neque in aula Hispaniæ, neque in aula Franciæ. Non autem loqueretur inepte, si diceret, neque in aula Hispaniæ, neque in aula Brabantiæ. Unde Joan. XIX. cum dixisset Christus : *Regnum meum non est de hoc mundo*. Intulit Pilatus : *Ergo Rex es tu* (1) ; nec respondit Christus, non bene sequi ex negativo affirmativum, sed approbavit. Neque valet similitudo allata ab Ochino ; nam Christus non potuit dicere : Neque in hoc sæculo, neque in inferno, nisi inepte loqui voluisset, tum quia sæculum tempus est, infernus vero locus ; proinde, non opponuntur, sicut sæculum præsens, et futurum : tum etiam, quia in inferno constat nullam fieri remissionem.

Octavo, objiciunt illud : *Neque in hoc sæculo, neque in futuro*, idem significare, quod numquam, sive in æternum, ut exposuit Marcus, qui cap. III. ita ait : *Non habet remissionem in æternum*. Et sicut Petrus ait Joan. XIII : *Non lavabis mihi pedes in æternum* (2).

Respondeo, non debere exponi Matthæum per Marcum, sed potius Marcum per Matthæum, cum Matthæus pluribus verbis utatur, et constet Matthæum copiosius scripsisse, et Marcum fecisse quasi compendium ex Evangelio Matthæi. Neque ita accepit Marcus vocem, In æternum, sicut Petrus apud Joannem. Nam inepte dixisset Petrus : non lavabis mihi pedes, neque in hoc sæculo, neque in futuro, cum in futuro non laventur pedes. Non autem inepte dixit Dominus apud Matthæum : *Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Itaque Petrus apud Joannem accepit vocem : *In æternum*, improprie pro solo tempore hujus vitæ, Marcus autem proprie pro toto spatio hujus sæculi et futuri. Præterea aut Christus dixit, ut habet Matthæus, vel ut habet Marcus, vel utroque modo, si primum vel tertium, habeo intentum ; si secundum, quamquam hoc non est probabile, tunc Matthæus, duce Spiritu sancto, exposuit verba Christi, et nisi inepte exposuerit, indicavit, in alio sæculo dimitti aliqua peccata.

Nono, dicunt esse phrasim Hebraicam. Respondeo, falsum esse, phrasis quidem Hebraica est illa Petri : *In æternum* ; dicunt enim passim Hæbræi לעולם etiam de rebus temporalibus : *At neque in hoc sæculo, neque in futuro*, non est propria phrasis Hebræorum. Neque Marcus phrasi Hebraica utitur, sed proprie loquitur.

CAPUT V.

Probatur iterum ex novo Testamento.

Secundus locus I. Corin. III. ubi Apostolus dicit : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (3). Nota in primis, locum istum Apostoli I. Cor. III. esse unum ex difficillimis, et utilissimis totius Scripturæ : Nam ex eo statuunt Catholici duo Ecclesiastica dogmata, Purgatorium, et venialia peccata contra hæreticos et hæreticorum fautores, qualis in primis fuit Erasmus, qui annotatione in hunc locum conatur ostendere, nec Purgatorium, nec peccata venialia ex hoc loco statui posse.

Quod sit difficillimus, testatur Augustinus lib. de fide et operibus cap. 15 : « Diligenter, inquit, oportet attendere, quomodo accipienda sit Apostoli Pauli illa sententia plane ad intelligendum difficilis, ubi ait : Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum etc. » Et infra : « In his deputanda est quæ Petrus dicit, esse in Scripturis ejus quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines pervertere ad proprium suum interitum. » Et cap. 16 : « Fateor, inquit, me malle audire intelligentiores atque doctiores. » Idem repetit q. I. ad Dulcitium.

Nos igitur, ut locum istum diligenter explicemus, exponemus primum Metaphoram, qua Apostolus usus est : deinde proponemus, et solvemus difficultates, quæ circa hunc locum occurrunt. Quantum ad primum, hæc sunt Apostoli verba : « Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens Architectus fundamentum posui. Alius autem superædificat, unusquisque autem videat quomodo superædificet ; fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit,

(1) Joan XVIII, 36. — (2) Marc. III, 29 ; Joan. XIII, 8. — (3) I. Cor. III, 15.

mercedem accipiet; si cujus opus arserit detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.»

Utitur autem Apostolus in hac sententia similitudine duorum Architectorum, quorum unus super fundamentum lapideum et solidum erigit domum ex pretiosa materia et quæ ignem non timet, qualia sunt aurum, et argentum, lapides pretiosi, ut Jaspis, Porphiriticus, Parius lapis. Nam ex auro et argento fiunt laminæ, et columnæ, ut de templo Salomonis legimus; ex lapide pario, et porphiritico etiam integri parietes erigi possunt. Alter vero super simile fundamen tum, id est, lapideum et solidum, erigit domum more pauperum rusticorum ex asseribus et stipitibus, eamque tegit fœno et sti-pulis.

Hac posita similitudine, fingamus utrique domui adhiberi ignem, videbimus priorem nihil penitus lædi, et si Architectus intus fortasse sit, similiter nihil pati. At posteriorem domum videbimus continuo ignem concipere, et brevi tempore totam consumi, et si Architectus intus sit, et velit salvus egredi, videbimus eum exire non posse, nisi per ignem. In quo transitu non quidem morietur, sed tamen barba et capilli non egredientur incolumes, nisi fortasse fiat miraculum trium puerorum, qui in fornace Babylonica non comburebantur. Hæc est similitudo, qua B. Paulus utitur, cum ait: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Quantum ad secundam: quinque sunt difficultates hujus loci. Prima, quid intelligatur per ædificantes. Secunda, quid intelligatur per aurum, argentum, lapides pretiosos. ligna, fœnum, et stipulas. Tertia, quid intelligatur per diem Domini. Quarta, quid intelligatur per ignem, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit. Quinta, quid intelligatur per ignem, de quo dicitur: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. His explicatis, sententia erit perspicua.

Prima igitur difficultas est. Qui sint Architecti, qui superædificant. B. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 16, et in Enchir. cap. 68, et alibi, censet omnes Christianos dici hic ab Apostolo Architectos, et superædificare super fidei fundamentum, vel opera bona, vel mala. Idem mihi docere videntur, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, et Œcumenius in hunc locum.

Alii permulti docent, Architectos hic ab Apostolo non vocari, nisi Doctores et Prædicatores Evangelii; ita Ambrosius et Sedulius in hunc locum. Idem insinuat Hieronymus lib. II. in Jovinian. Idem recipiunt. B. Anselmus et B. Thomas in hunc locum, etiamsi priorem sententiam non rejiciant. Idem multi recentiores, ut Dionysius Carthusianus, Lyranus, Cajetanus, et alii in hunc locum.

Utraque expositio est bona, et ex utraque deducitur assertio Purgatorii et peccatorum venialium, tamen magis litteralis est posterior, id quod patet manifeste ex verbis præcedentibus et sequentibus ejus capitis; dixerat enim antea: *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Deinde in eodem sensu statim subjungit: *Ego ut sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.* Et ibidem: *Qui plantat et qui rigat unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Ubi apertissime comparat se et alios prædicatores Evangelii agricolis, et architectis; populos autem qui docentur comparat agris et ædificiis. Item in verbis sequentibus iterum loquitur de Doctoribus, cum ait: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens.* Et rursum: *Nemo itaque glorietur in hominibus; omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas,* id est, nolite gloriari in Doctoribus et Prædicatoribus vestris, et dicere: *Ego sum Pauli, ego vero Apollo* (1). Nam omnes sunt unum, et pro vobis omnes laborant. Itaque sicut dixerat, se plantasse, et Apollinem rigasse, ita nunc dixit: Ego fundamentum posui prædicans Christi fidem; alii autem superædificant docentes ea, quæ ad vitam et mores pertinent, et etiam explicantes latius fidei nostræ mysteria. Et in hac prima questione conveniunt nobiscum Calvinus, et Petrus Martyr, atque Ochinus.

Altera difficultas est paulo gravior; sunt enim sex sententiæ. Quidam nomine fundamenti intelligunt fidem veram, sed informem. Nomine auri, argenti, lapidum pretiosorum, opera bona. Nomine ligni, fœni, stipulæ, peccata mortalia; ita Chrysostomus in hunc locum, quem sequitur Theophylactus.

At hoc defendi non potest. Primo, quia, ut Gregorius dicit lib. IV. Dialog. cap. 39. peccata mortalia potius compararentur ferro et plumbo. Secundo, quia sequeretur, veram esse hæresim Origenis; quod omnes salvarentur, quia Apostolus dicit: Salvus erit quasi per ignem.

(1) I. Cor. III, passim.

Respondent Græci: Salvus erit, id est, nunquam penitus consummetur, sed quasi per ignem, quia semper ardebit. Hæc solutio in primis est dura et coacta; deinde est contra omnem usum loquendi Scripturarum. Nunquam enim in Scripturis accipitur nomen Salutis in malam partem, sed semper in bonam, ut in Concilio Florentino ante sessionem primam Latini ostenderunt. Præterea illud (*Per*) significat transitum, non mansionem. Non dicit Apostolus: *Salvus erit, sic tamen quasi in igne; sed Salvus erit quasi per ignem*; id est, ad similitudinem ejus, qui evadit mortem, transiens per ignem. Denique ex communi consensu Doctorum. Nam summa consensione volunt alii omnes tam Græci, quam Latini hunc locum intelligi de venialibus peccatis, quorum sententias in quinta difficultate proferemus. Neque vero hinc putet aliquis. Chrysostomum negasse Purgatorium, vel peccata venialia. Nam Purgatorium esse sæpissime docet, sed præcipue hom. 3. in epist. ad Philip. et hom. 69. ad populum Antiochenum. Item peccata venialia concedit hom. 24. in Matth. in hoc vero loco aliter exposuit, ut hæresim Origenis refelleret, quæ docet, pœnas Gehennæ non esse æternas, ut patet ex ipsa homilia.

Secunda, sententia est, nomine fundamenti intelligi Christum, sive fidei prædicationem; nomine auri, argenti, et lapidum pretiosorum intelligi Catholicas expositiones; nomine ligni, fœni, et stipulæ intelligi hæretica dogmata. Ita videtur docere commentarius Ambrosii, ita etiam Hieronymus exponens illud Isaiæ V: *Væ qui conjungitis domum ad domum* (1). Atque huc propendet Calvinus, Martyr, et Ochinus, qui docent, per ligna, fœnum, stipulas intelligi humanas traditiones et commenta, quæ pugnant cum verbo Dei.

Hæc sententia minus defendi potest, quam præcedens. Primo, quia hæretici non salvantur per ignem purgatorium, sed damnantur ad ignem æternum. Secundo, quia hæretici non ædificant super fundamentum, quod est Christus, nisi nomine tenus. Omnis enim hæresis quantumcumque de Christo magnifice loquatur, tamen non verum Christum prædicat, sed alium, quem sibi finxit. Neque ista sententia, quam refellimus, est Ambrosii vel Hieronymi. Nam commentarius Ambrosii intelligit nomine ligni, fœni, et stipulæ, hæreses quidem, et falsa dogmata, sed per imprudentiam prolata, et sine pertinacia: dicit enim, ejusmodi Doctores salvos futuros per ignem purgatorium. Hieronymus vero aperte de hæreticis loquitur, sed ex mente aliorum, non sua; cum enim posuisset suam expositionem, subdit: «Quidam autem, inquit, hæc de hæreticis intelligunt etc.»

Tertia sententia, nomine fundamenti intelligit fidem vivam: nomine auri, argenti, et lapidum pretiosorum intelligit opera supererogationis: nomine ligni, fœni, et stipulæ intelligit omissionem consiliorum, et affectum quemdam carnalem ad bona hujus mundi, licitum quidem, sed qui dolorem adfert, cum illa bona amittuntur. Ita B. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 16. quæ sententia vera quidem est, sed non conveniens huic loco, nisi cum illo carnali affectu intelligamus peccata saltem venialia; nam non dantur opera media in particulari. Aut ergo ille amor carnalis est bonus, aut malus; si bonus, quare ardebit more stipulæ, si malus, ergo saltem admixtum habuit peccatum veniale.

Quarta sententia est eorum, qui exponunt per aurum, argentum etc. opera bona; per stipulam, fœnum etc. peccata venialia: ita B. Gregorius lib. IV. Dialogorum cap. 39. et alii, quæ bona est, sed alia est melior.

Quinta est eorum, qui intelligunt per aurum, argentum etc. bonos auditores; per stipulas, malos auditores. Sunt enim auditores opificium Doctoris, et quidem Doctor salvus erit; sed ex auditoribus alii sic, alii non etc. Ita Theodoretus, et Oecumenius; at refellitur recte a Chrysostomo; nam detrimentum tribuitur etiam Architecto, et ipse dicitur ædificare stipulam, ergo non est sola culpa et pœna auditorum.

Sexta sententia, quam omnibus anteponimus, est, ut nomine fundamenti intelligatur Christus, a primis prædicatoribus annuntiatus, quales erant Apostoli, qui fidem Christi et Evangelium detulerunt ad eos populos, qui nihil unquam de Christo audierant. Hinc enim B. Paulus ait: *Ego plantavi, et ego ut sapiens Architectus fundamen-*

(1) Isai V, 8

tum posui. Hinc etiam qui primi in aliqua regione fidem prædicant, dicuntur Apostoli ejus regionis. Nomine vero auri, argenti, et lapidum pretiosorum intelligatur doctrina utilis et salutaris aliorum prædicatorum, qui eos docent, qui jam fidem receperunt, et docent non solum verbo, sed etiam exemplo, ita ut vere auditores suos ædificent, et promoveant in religione et pietate. Nomine autem ligni, fœni, et stipulæ intelligatur doctrina, non quidem hærefica, vel mala, sed tamen curiosa, inutilis, supervacanea eorum prædicatorum, qui ad Catholicum populum Catholice concionantur, sed absque eo fructu et utilitate, quam Deus requirit, ita ut sicut priores cum magno merito concionantur, ita isti non solum sine magno merito, sed etiam non sine peccatis venialibus concionentur.

Hæc expositio maxime probatur propter tria. Primo, quia (ut ostendimus) nomine ædificantium intelliguntur soli Doctores, ergo nomine operis ipsorum intelligi debet doctrina.

Secundo, quia valde convenit hæc similitudo sic explicata Doctoribus Corinthiorum. Erant enim plus æquo dediti eloquentiæ et Philosophiæ, quæ licet ex se juvent, tamen interdum impediunt fructum concionum; quocirca B. Paulus de utroque Corinthios in hac epistola reprehendit.

Tertio, quia hoc totum caput optime explanatur, siquidem B. Paulus in hoc capite tres similitudines posuit. Primam, de agricolis plantantibus et rigantibus, qua solum bonos Doctores complexus est. Secundam, de ædificantibus super bonum fundamentum, qua non solum bonos, sed etiam malos Doctores comprehendit. Tertiam, de corruptoribus templi, qua solos malos contineri voluit, et malos non quomodocumque, sed perfecte malos, ut hæreticos, errores pro veritate, et vitia pro virtutibus docentes, de quibus non dicit, quod salvi erunt, quasi per ignem, sed quod disperdet illos Deus.

Tertia difficultas est de die Domini. Aliqui intelligunt nomine diei præsentem vitam, sive tempus tribulationis, in quo discernuntur sæpe boni a malis, ita B. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 16. et Gregorius lib. IV. Dialog. cap. 39.

Hæc sententia non videtur ad mentem B. Pauli. Primo, quia Græce est dies cum articulo, ἡ γὰρ ἡμέρα, ex quo apparet certum quemdam et definitum diem significari, sicut, I. Timot. IV : *Quam reddet mihi Dominus in illa die.* Et II. Tim. I. *Certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Et paulo infra : *Det ei Dominus invenire misericordiam in illa die* (1).

Secundo, quia præsens tempus non dicitur in Scripturis dies Domini, sed dies nostra, sicut contra, tempus alterius vitæ dicitur dies Domini, non nostra, ut Luc. XIX : *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Luc. XXII : *Hæc est hora vestra.* Galat. VI : *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Psal. LXXIV : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Sophoniæ I : *Juxta est dies Domini magnus.* Joel II : *Veniet dies Domini, dies tenebrarum, et caliginis* (2).

Tertio, tempore vitæ præsentis non declaratur opus uniuscujusque quale sit. Tribulationes enim communes sunt bonis et malis, justis et injustis.

Quarto, quia omnes Doctores intelligunt hanc diem esse diem judicii; licet enim Augustinus et Gregorius docuerint posse diem illam referri ad hanc vitam, tamen in eisdem locis docent, etiam posse intelligi de tempore futuro post hanc vitam. Verum cum dies judicii sit duplex, una dies judicii particularis, altera dies judicii universalis, quidam, ut Cajetanus, et alii, volunt, Apostolum loqui de die judicii particularis. Primo, quoniam post hanc diem, de quo Apostolus loquitur, aliqui purgandi sunt per ignem; id vero fieri non potest post diem ultimi judicii.

Secundo, quia si hæc dies, de qua Apostolus loquitur, esset dies ultimi judicii, sequeretur nullum Sanctorum ingredi posse in cœlum ante diem judicii, qui est error damnatus in Concilio Florent. sess. ult. Consequentia probatur; Nam in hac die sunt examinanda omnia ædificia, et post examen aliqui statim coronandi, aliqui puniendi. Præterea cum nihil inquinatum intret in regnum cœlorum, si purgatio a venialibus non fieret, nisi in die ultimi judicii, omnes qui cum venialibus hinc migrant, expectare deberent eam diem, antequam in cœlum intrare possent.

Tertio, quia Græcus textus non habet,

(1) I. Tim. IV, 8; II. Tim. I, 12. — (2) Luc. XIX, 42; XXII, 53; Galat. VI, 10; Psal. LXXIV, 3; Sophon. I, 7; Joel. II, 1 et 2.

revelabitur, sed revelatur : ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται, quoniam in igne revelatur. Dies autem ultimi judicii non revelatur, ergo de die judicii particularis loquitur, qui singulis diebus modo uni, modo alteri revelatur. Omnes tamen veteres videntur accepisse per illam diem, diem ultimi judicii, ut Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, et alii, quorum mihi videtur verissima sententia, quamvis neutra repugnet Purgatorio.

Primo, quia ubique in Scripturis dies Domini, significat diem ultimi judicii.

Secundo, quia dicitur in illa die, quo designatur una quædam certa dies, quo omnium hominum opera simul probantur; At dies judicii particularis non est una, sed multiplex, neque in ea probantur omnium hominum opera.

Tertio, quia dicit Apostolus : *Dies Domini declarabit*, quasi dicat, tunc erunt omnia omnibus manifesta, ut capite sequenti dicit : *Donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*; id autem non fiet, nisi in novissimo judicio.

Quarto, quia sequitur, *Quia in igne revelatur.* Dicitur enim dies judicii revelari in igne, quia ultimum signum, et omnium notissimum erit conflagratio totius mundi, et propterea semper fere dies judicii describitur per ignem; ut Psal. XCVI : *Ignis ante ipsum præcedet.* Joel. II : *Ante faciem ejus ignis vorax.* II. Thessal. I : *In revelatione Domini nostri Jesu Christi de cœlo, cum Angelis virtutis ejus in flamma ignis.* II. Pet. III : *Elementa ignis ardore tabescent* (1). Quod si non placeat hic per ignem accipere ignem materialem, sed ipsum judicium Dei, ut alii exponunt, adhuc non potest intelligi per hanc diem, nisi dies ultimi judicii; Nam tunc sensus est, quia in igne revelatur, id est, quia illa dies erit notissima propter judicium acerrimum, et maximum, quod in illa exercebitur; At dies judicii particularis non est notissima propter judicium, sed magis propter mortem; Nam ipsum judicium particulare paucis est notum. Nec me movent argumenta in contrarium.

Ad primum dico, posi judicium novissimum non fore purgatorium, et ideo illa verba : *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, non significant : salvus erit, dummodo prius transeat per ignem, sed : salvus erit, dummodo prius transierit per ignem; sive : salvus erit, ut illi qui per ignem transierunt.

Ad secundum dico, si hoc concluderet, sequeretur, etiamsi Purgatorium non esset, neminem beatificari, vel damnari, ante diem judicii; nam Scriptura passim tribuit distributionem præmiorum et pœnarum ultimo judicio; imo et examen operum, ac sententiam judicis, ut patet Matth. XXV. et alibi. Sicut ergo sententia fertur in morte uniuscujusque, et tunc incipiunt aliqui puniri, aliqui præmiari; et tamen dicuntur hæc eadem fieri in novissimo judicio, quia tunc fient coram toto mundo manifestissime, et cum summo honore justorum, et ignominia impiorum, ita et examen fieri potest in morte uniuscujusque privatim, et iterum postea in ultimo judicio publice.

Ad tertium dico, pro uno verbo quod hic habetur in præsenti in Græco, haberi tria in futuro, nimirum φανερὸς γενήσεται, ἡμέρα δηλώσει, et πῦρ δοκιμάσει; et valde credibile est etiam illud unum ἀποκαλύπτεται in textibus correctioribus fuisse in futuro ἀποκαλύψεται, quandoquidem noster interpres vertit revelabitur. Adde, quod frequentissime tempus præsens non ponitur ad significandam actionem certi temporis, sed consuetudinem, opinionem, professionem, aut aliquid simile, ut : *Virum non cognosco.* Luc. I. ut ait B. Virgo, et Sadducæi dicebant : *Mortui non surgunt* (2). Et Carthusiani dicunt : « Non vescimur carnibus. » In hac difficultate dissentimus a Calvino et Martyre; nam illi intelligunt Paulum de judicio particulari; sed nihil hoc facit ad quæstionem de Purgatorio.

Quarta difficultas est, quis sit ignis, qui in Die Domini uniuscujusque opus probabit. Aliqui intelligunt tribulationes hujus vitæ, ut Augustinus et Gregorius locis notatis, sed hoc jam rejecimus. Alii intelligunt ignem æternum, verum id esse non potest, nam ille ignis non examinabit ædificium ex auro et argento, imo nec ædificium ex ligno et fœno, ut patet. Alii videntur intelligere ignem conflagrationis mundi, qui judicium universale præcedet. Id quoque esse non potest, quia ille ignis non comburet nisi inimicos Dei, Psal. XCVI : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus* (3). Iste autem, de quo Apostolus loquitur, omnes tanget, etiam eos, qui aurum et argen-

(1) Psal. XCVI, 3; Joel. II, 3; II. Thessal. I, 7; II. Petr. III, 12. — (2) Luc. I, 34. — (3) Psal. XCVI, 3.

tum superædificaverunt. Præterea iste ignis non potest probare opera, cum sit ignis materialis, et opera non sint nisi in mente, quia transierunt.

Alii intelligunt de pœnis Purgatorii, sed neque id recte dici potest. Primo, quia ignis Purgatorii non probat opera eorum, qui ædificant aurum et argentum. At iste ignis de quo loquimur : *Uniuscujusque opus quale sit probabit*. Secundo, Apostolus aperte distinguit inter opera et operantes ; et de isto igne dicit, quod comburet opera, non operantes : ait enim : *Si cujus opus manserit*, et : *Si cujus opus arserit*. At ignis Purgatorii, qui verus et realis est ignis, non potest opera comburere, quæ sunt actiones transeuntes, et jam transierunt.

Denique sequeretur, omnes homines etiam sanctissimos transire per ignem Purgatorii, et salvari per ignem ; nam per hunc ignem, de quo loquimur, omnes transeunt. At omnes transire per ignem Purgatorii, et salvari per ignem, est aperte falsum ; nam Apostolus hic aperte dicit solum eos, qui ædificant ligna et fœnum salvandos quasi per ignem. Ecclesia quoque perpetuo sensit sanctos Martyres et Infantes post Baptismum morientes, mox in cœlum recipi sine ullo transitu per ignem, ut Concilium Florentinum docet, sess. ult. Idem etiam Sancti Patres docent. B. Hieronymus lib. II. in Jovin. et B. Augustinus in Psal. XXXVII : « Si ædificarent, inquit, aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroque igne securi essent, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. »

Superest, igitur, ut dicamus hic Apostolum loqui de igne severi et justi judicii Dei, qui non est ignis purgans vel affligens, sed probans et examinans. Ita exponit Ambrosius in Psalm CXVIII. concione 20. super illud : Vide humilitatem meam : « Omnes nos, inquit, fornax probabit, ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus, ut judicio probari mereamur divino, teneamus hic positi humilitatem, ut cum unusquisque nostrum venerit ad judicium Dei, ad illos ignes, quos transituri sumus, dicat, vide humilitatem meam etc. » Item Sedulius in hunc locum : « Examinationem judicii, inquit, igni volui comparare secundum consuetudinem Scripturarum ; » eodem modo exponunt Dionysius Carthusianus, Lyranus, Cajetanus, et alii in hunc locum.

Quod hæc sententia verissima sit, probatur primo, quia non aliter potest intelligi, quomodo ignis probet eos, qui aurum et argentum ædificarunt.

Secundo, quia hæc expositio optime convenit verbis Apostoli, cum ait : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit ; si cujus opus manserit, mercedem accipiet ; si cujus opus arserit, detrimentum patietur* (1). Licet enim opera transierint ab oculis hominum, et igne materiali examinari non possint, tamen non transierunt ab oculis Dei, sed, ut dicitur Eccles. ult. *cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium*, et ea examinabit, et si cujus *opus manserit*, id est, si cujus opus judicium Dei sustinere poterit, sicut aurum sustinet ignem, mercedem accipiet, probabitur, et coronabitur a Deo ; si cujus opus arserit, id est, si cujus opus judicium Dei non sustinuerit, sicut fœnum et stipula non sustinent ignem, detrimentum patietur, reprobabitur et rejicietur.

Tertio, quia judicium Dei rectissime vocatur ignis, cum sit purissimum, celerrimum, efficacissimum, et maxime penetrativum ; unde Dan. VII : *Fluvius igneus egredietur de ore ejus*. Et quoniam Deus totus est justitia, totus judicium, inde etiam in Scripturis vocatur ignis, Malach. III : *Ipse quasi ignis conflans*. Et Hebr. XII : *Etenim Deus noster ignis consumens est* (2). Et in hoc non dissentimus a Calvino et Martyre.

Quinta et ultima difficultas est, quid per ignem intelligatur, cum ait : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Aliqui intelligunt tribulationes hujus vitæ. At hoc non potest convenienter dici, quia tunc etiam qui ædificant aurum et argentum, salvarentur quasi per ignem. Quocirca B. Augustinus et Gregorius, qui sunt auctores hujus sententiæ, cum in ea non acquiescerent, etiam aliam posuerunt, de qua infra dicemus. Alii intelligunt ignem æternum, ut Chrysostomus et Theophylactus, sed hoc jam refutavimus. Alii ignem conflagrationis mundi. Id quoque dici non potest, propter rationes antea positas ; et præterea, quia sequeretur eos qui habent peccata venialia, non posse ad beatitudinem pervenire ante diem judicii ; nec enim intrabit in cœlum aliquid coinquinatum.

(1) I. Cor. III, 13 et 14. — (2) Dan. VII, 18 ; Malach. III, 2 ; Hebr. XII, 23.

Calvinus et Martyr, Ochinus et Lutherus art. 37. intelligunt per hunc ignem judicium Dei, quod doctrinam veram approbat, falsam confutat, sicut ignis perficit aurum, consumit fœnum. Dicunt autem hoc judicium fieri, dum quis convertitur, et præcipue in hora mortis, tunc enim illustrantur multi, et sic intelligunt se deceptos, et jacturam fecisse doctrinæ suæ, et confunduntur etiam, et erubescunt, et sic per ignem salvi fiunt. Addit Martyr se non dubitare, quin B. Bernardus, B. Franciscus, B. Dominicus, et alii Patres hoc modo salvi facti sint, quia nimirum in morte a Deo illustrati intellexerunt, et damnaverunt errores suos de Monachatu, de Missa etc.

At contra ; Primo, quia istud judicium fit solum in morte, adhuc vivente homine, vel potest fieri etiam post mortem : si potest fieri etiam post mortem, ergo post mortem fiet aliqua remissio et purgatio peccati, saltem per illam confusionem, et pœnitentiam, quod ipsi nullo modo admittunt ; hoc enim esset genus quoddam Purgatorii : si autem solum in ipsa morte fit hoc judicium, peto, quomodo agetur cum illis, qui superædificarunt lignum, fœnum, stipulas, et moriuntur repente, ita ut non habuerint tempus pœnitentiæ ? Isti enim non salvantur quasi per ignem, qui non habuerunt ignem istum judicii, et refutationis suorum errorum, nec tamen possunt damnari ad Gehennam, quia habuerunt Christum in fundamento, et Paulus de omnibus talibus pronuntiat, quod salventur. Nec possunt etiam salvari, nisi admittatur purgatorium, quia cum decesserint in peccato cum suis stipulis et fœno, non possunt salvari nisi per ignem.

Secundo, ignis iste, de quo Paulus loquitur, afficiet pœna proprie et vere, præter jacturam ipsorum operum, et confusionem, quæ inde oritur, ergo illud judicium confutans errores, non est ignis de quo hic agitur. Probatur antecedens primo ex illo verbo, *ipsum detrimentum patietur*. Græce ζημιωθήσεται mulctabitur, dabit pœnas. Nihil enim est apud Græcos frequentius quam ζημιοῦσθαι θανάτῳ morte mulctari ; Item ex illo, *salvus erit quasi per ignem*, similitudo transeuntis per ignem significat pœnam, ac dolorem ; qui enim transiret per ignem sine ulla læsione, non diceretur transire per ignem, quasi per ignem, sed quasi per flores, ut de sancto Tiburtio legimus.

Tertio, quia Apostolus opponit hunc transitum per ignem mercedi, sicut enim dixerat : *Si cujus opus manserit, mercedem accipiet*, ita nunc dicit, *si cujus opus arserit, detrimentum patietur*, et : *salvus erit quasi per ignem*. At illa merces significat aliquid præter ipsum bonum opus, et præter lætitiam, quam ex se affert bonum opus. Non enim diceret, mercedem accipiet, si nihil aliud esset merces, quam id quod ex se habebat, qui ædificavit aurum etc. ergo etiam detrimentum, et transitus per ignem ejus, qui superædificavit stipulam, est aliqua pœna præter jacturam operum, et præter confusionem, quam ex se affert.

Quarto, quia illud judicium confutans errores, non adfert detrimentum, sed lucrum ; nam est illustratio quædam mentis, ut ipsi dicunt, et veritatis cognitio ; et sicut qui habet aurichalcum putans esse aurum, non existimat detrimentum, si quis ei aurichalcum illud auferat, et aurum verum donet ; ita qui habebat errores in mente et per divinam illustrationem discit veritatem, non detrimentum patitur, sed lucrum acquirit. At Paulus dicit : *Detrimentum patietur*, ergo etc.

Quinto, quia sequeretur, omnes qui salvantur, salvari quasi per ignem, contra Apostoli distinctionem ; nam etsi Paulus hic solum agat de peccatis, quæ committuntur in docendo, tamen eadem est ratio omnium aliorum peccatorum. Sicut enim Deus judicabit doctrinam, ita etiam opera omnia. At secundum Calvinum, et Lutheranos omnes, omnia opera nostra, quamvis justissima videantur in oculis hominum, tamen peccata sunt in oculis Dei, nec ferre possunt judicium divinum, sed arguentur eo modo plane, quo falsa doctrina, quare si ignis, de quo Paulus loquitur, est judicium Dei, omnes salvabuntur quasi per ignem. Nec valet responsio, quod justorum opera non sint arguenda, quia sunt tecta per non imputationem, impiorum autem qui non sunt per fidem justificati, arguenda sint ; nam Paulus cum dicit, *Salvus erit quasi per ignem*, loquitur de justis, qui ædificarunt stipulas, retento vero fundamento, id est, vera fide in Christum.

Quod autem Martyr ait de Beatis, Bernardo, Dominico et Francisco, impudentissimum est mendacium. Illi enim usque ad ultimum spiritum commendaverunt suis perseverantiam in Monasterio, et obedientiam Romanæ Ecclesiæ. De S. Francisco scribit B. Bonaventura, cap. 14. vitæ ejus : « Hora, inquit,

transitus sui propinquante, fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem, de patientia, et paupertate, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide servandis sermonem protraxit; et insuper adjecit : valete filii omnes in timore Domini, et permanete in eo semper; et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his, quæ coperunt, ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo. » Hæc est Palinodia scilicet, quam somniat Pseudomartyr Petrus.

Est igitur communis Theologorum sententia, nomine ignis hoc loco intelligi pœnam aliquam purgatoriam, et temporalem, ad quam post mortem adjudicantur, qui in judicio particulari inveniuntur ædificasse lignum, fœnum, aut stipulam. Hæc expositio præterquam quod optime convenit textui, satis probatur ex communi consensu Patrum. Latini omnes hoc docent. Cyprianus lib. IV. epist. 2. ad Antonianum : « Aliud est, inquit, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei, et virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse. » Hic B. Cyprianus non meminit aperte hujus loci B. Pauli, sed tamen cum nusquam in Scriptura fiat mentio ignis, ubi aperte de Purgatorio agitur, nihili dubium est, quin B. Cyprianus ad hunc locum respexerit.

Ambrosius in hunc locum : « Sed cum, inquit, Paulus dicit (sic tamen quasi per ignem) ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. » Idem habet serm. 20. in Psalm. CXVIII.

Hieronymus in IV. caput Amos, exponens illud : « *Facti estis sicut torris raptus de incendio* : Juxta illud, inquit, quod in Apostolo legimus, Ipse autem salvus erit quasi per ignem; qui ergo salvatur per ignem, quasi torris de incendio rapiatur. » Idem docuit in ultimis verbis ultimi libri super Isaiam, et lib. II. in Jovinianum ultra medium.

Augustinus in Psalm. XXXVII : « In hac vita, inquit, purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non est. » Et infra explicans locum Apostoli : « Dicitur, inquit, salvus erit quasi per ignem, et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis, ita plane quamvis salvi per ignem, gravior tamen est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. »

Grégorius lib IV. Dialogorum, cap. 39 : « Quamvis hoc (inquit, explicans hunc locum I. Cor. 3.) de igne tribulationis in hac vita nobis adhibitæ possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est, quia illum per ignem dixit salvari, non qui super hoc, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata majora et idcirco duriora, atque tunc jam insolubilia, sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minuta, atque levissima, quæ ignis facile consumit. » Alcuinus lib. III. de Trinitate. Rupertus in III. cap. Genes. exponens illud, quod ibi dicitur de gladio flammeo, et versatili, Magister in IV. dist. 21. et cum eo B. Bonaventura, et alii Scholastici. Item B. Anselmus, Haymo, et Beatus Thomas in hunc locum. Denique Innocentius III. in Psalmum XXXVII. et omnes Latini recentiores sic exponunt.

Ex Græcis habemus in primis Origenem apertissime hoc docentem, hom. 6. in Exod. et homil. 14. in Levit. et hom. 12. in Hieremiam. Homil. 6. in Exod. sic ait : « Sed illuc cum convenitur, si quis multa opera bona et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tamquam plumbum igne resolvitur et purgatur etc. » Præterea Oecumenium in hunc locum, qui etiam testatur Basilium hunc locum intellexisse de igne purgatorio; Adducit etiam B. Thomas in opusculo primo contra Græcos, Theodoretum explicantem hunc locum his verbis : « Hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ, ut aurum in conflatorio. » Gagneius vero eamdem Theodoreti sententiam ex Græcorum scholiis Græcis verbis ita citat : τουτο τὸ πῦρ πιστευομεν καθαρτήριον ἐν ᾧ καθαρίστονται αἱ ψυχαι, καθάπερ χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ.

At contra objiciunt, primo, absurdum esse, quod Apostolus in eadem sententia varie accipiat nomen ignis semel pro judicio, et semel pro vero igne purgatorio.

Respondeo primo, nos cogi ab ipso textu ad æquivocationem non unam; sed duas admittendas; nam cum dicit diem judicii manifestari per ignem, videtur omnino loqui de igne conflagrationis; cum addit, cujusque opus ignis probabit, non potest loqui de igne materiali, qui non potest probare

opera quæ transierunt; rursum cum secundo isto igne dicat Apostolus omnia opera examinanda; tertio vero, non opera, sed operarios, et eos non omnes, sed eos solum, qui ædificant lignum, fœnum, stipulam; necessario diversi ignes esse debent. Nec tamen propria æquivocatio, sed elegans allusio mihi videtur esse in verbis Pauli. Hic enim est sensus totius hujus loci : Dies Domini per ignem conflagrationis declarabitur, et sicut ipsa dies per ignem declarabitur, ita eadem dies manifestabit per ignem, nimirum judicii, uniuscujusque opus; et sicut opera per ignem manifestabuntur, ita etiam operarii, qui purgatione egebunt, per quemdam ignem purgabuntur.

Secundo dico, non esse insuetum B. Paulo in eadem sententia uti varie aliquo nomine; varie enim accipit vocem peccati, cum ait II. Corinth. V : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et Rom. VIII : *De peccato damnavit peccatum* (1).

Tertio dico, quod si quis omnino non vellet significationum varietatem admittere, sed ubique acciperet ignem pro judicio, adhuc non efficeret, quin ex hoc loco Purgatorium statueremus. Tunc enim hic esset sensus : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, si cujus opus judicium Dei sustinere non poterit, opus quidem reprobabitur, ipse vero salvus erit, sed sic tamen quasi is, qui per ignem divini judicii transiit, quod judicium cum sit justissimum, omnino aliqua pœna eum affecit.

Objiciunt secundo particulam, *quasi*, quæ non veritatem, sed similitudinem significare solet. Respondeo, particulam, *quasi*, similitudinem significare non ignis, quasi ignis ille non sit verus, sed phantasticus, sed transeuntis per ignem, ita ut sit sensus : Ad salutem perveniet, qui ædificavit lignum, sed ad eum modum perveniet, quo pervenit ad aliquem locum is, qui transit per ignem, sicut dicitur Joannis I : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*, id est, vidimus eum gloriosum ad eum modum, quo decet gloriosum esse Filium Patris unigenitum.

CAPUT VI.

Probatur ex novo Testamento.

Tertius locus est, I. Cor. XV : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis* (2)? Hic locus aperte convincit, quod volumus, si bene intelligatur, ideo breviter eum expendamus. Sex invenio hujus loci expositiones.

Prima est, quod Apostolus probet futuram resurrectionem, ex errore quorumdam, qui Baptismum suscipiebant nomine alicujus amici sui defuncti sine Baptismo; existimabant enim, quod sicut orationes et jejunia vivorum prosunt defunctis, ita et Baptismus prodesset. Ita exponunt Tertullianus lib. V. in Marcionem, et libro de resurrectione, Ambrosius, Anselmus, et Haymo; secundum quam expositionem colligitur oratio pro defunctis ex hoc loco, quia docent isti Patres, quod Apostolus, licet non probet errorem istorum, tamen probat intentionem, quam habebant juvandi defunctos, et ex ea argumentatur; si igitur Apostolus probat intentionem juvandi mortuos, certe reprobari non potest, nec debet ab ullo Christiano; tamen non puto veram hanc expositionem.

Primo, quia Apostolus debuisset saltem insinuare hunc esse errorem, ne daret occasionem errandi. Secundo, quia non solide argumentaretur Apostolus; posset enim responderi, non bene probari resurrectionem ex eo, quod ita credant quidam errantes. Sicut enim errant in eo, quod baptizant unum pro alio, sic possunt errare in eo, quod credunt futuram resurrectionem. Tertio, quia nullus veterum historicorum tradit hunc errorem tempore Apostolorum fuisse; tribuit enim Phylaster hunc errorem Montanistis qui 100 annis post obitum S. Pauli exorti sunt; eamdem tribuunt Chrysostomus et Theophylactus, ubi supra, Marcionistis, qui etiam post obitum Pauli 80. annis inceperunt; denique Epiphanius hæresi 28. hoc tribuit Cerinthianis, quorum secta 20 annis post obitum Pauli orta est. Adde quod

(1) II. Cor. V, 25; Rom. VIII. 3. — (2) I. Cor. XV. 29.

transitus sui propinquante, fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem, de patientia, et paupertate, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide servandis sermonem protraxit; et insuper adjecit : valete filii omnes in timore Domini, et permanete in eo semper; et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his, quæ coperunt, ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo. » Hæc est Palinodia scilicet, quam somniat Pseudomartyr Petrus.

Est igitur communis Theologorum sententia, nomine ignis hoc loco intelligi pœnam aliquam purgatoriam, et temporalem, ad quam post mortem adjudicantur, qui in judicio particulari inveniuntur ædificasse lignum, fœnum, aut stipulam. Hæc expositio præterquam quod optime convenit textui, satis probatur ex communi consensu Patrum. Latini omnes hoc docent. Cyprianus lib. IV. epist. 2. ad Antonianum : « Aliud est, inquit, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei, et virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse. » Hic B. Cyprianus non meminit aperte hujus loci B. Pauli, sed tamen cum nusquam in Scriptura fiat mentio ignis, ubi aperte de Purgatorio agitur, nihili dubium est, quin B. Cyprianus ad hunc locum respexerit.

Ambrosius in hunc locum : « Sed cum, inquit, Paulus dicit (sic tamen quasi per ignem) ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. » Idem habet serm. 20. in Psalm. CXVIII.

Hieronymus in IV. caput Amos, exponens illud : « *Facti estis sicut torris raptus de incendio* : Juxta illud, inquit, quod in Apostolo legimus, Ipse autem salvus erit quasi per ignem; qui ergo salvatur per ignem, quasi torris de incendio rapiatur. » Idem docuit in ultimis verbis ultimi libri super Isaiam, et lib. II. in Jovinianum ultra medium.

Augustinus in Psalm. XXXVII : « In hac vita, inquit, purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non est. » Et infra explicans locum Apostoli : « Dicitur, inquit, salvus erit quasi per ignem, et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis, ita plane quamvis salvi per ignem, gravior tamen est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. »

Grégorius lib IV. Dialogorum, cap. 39 : « Quamvis hoc (inquit, explicans hunc locum I. Cor. 3.) de igne tribulationis in hac vita nobis adhibitæ possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est, quia illum per ignem dixit salvari, non qui super hoc, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata majora et idcirco duriora, atque tunc jam insolubilia, sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minuta, atque levissima, quæ ignis facile consumit. » Alcuinus lib. III. de Trinitate. Rupertus in III. cap. Genes. exponens illud, quod ibi dicitur de gladio flammeo, et versatili, Magister in IV. dist. 21. et cum eo B. Bonaventura, et alii Scholastici. Item B. Anselmus, Haymo, et Beatus Thomas in hunc locum. Denique Innocentius III. in Psalmum XXXVII. et omnes Latini recentiores sic exponunt.

Ex Græcis habemus in primis Origenem apertissime hoc docentem, hom. 6. in Exod. et homil. 14. in Levit. et hom. 12. in Hieremiam. Homil. 6. in Exod. sic ait : « Sed illuc cum convenitur, si quis multa opera bona et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tamquam plumbum igne resolvitur et purgatur etc. » Præterea Oecumenium in hunc locum, qui etiam testatur Basilium hunc locum intellexisse de igne purgatorio; Adducit etiam B. Thomas in opusculo primo contra Græcos, Theodoretum explicantem hunc locum his verbis : « Hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ, ut aurum in conflatorio. » Gagneius vero eamdem Theodoreti sententiam ex Græcorum scholiis Græcis verbis ita citat : τουτο τὸ πῦρ πιστευομεν καθαρτήριον ἐν ᾧ καθαρίστονται αἱ ψυχαι, καθάπερ χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ.

At contra objiciunt, primo, absurdum esse, quod Apostolus in eadem sententia varie accipiat nomen ignis semel pro judicio, et semel pro vero igne purgatorio.

Respondeo primo, nos cogi ab ipso textu ad æquivocationem non unam; sed duas admittendas; nam cum dicit diem judicii manifestari per ignem, videtur omnino loqui de igne conflagrationis; cum addit, cujusque opus ignis probabit, non potest loqui de igne materiali, qui non potest probare

opera quæ transierunt; rursum cum secundo isto igne dicat Apostolus omnia opera examinanda; tertio vero, non opera, sed operarios, et eos non omnes, sed eos solum, qui ædificant lignum, fœnum, stipulam; necessario diversi ignes esse debent. Nec tamen propria æquivocatio, sed elegans allusio mihi videtur esse in verbis Pauli. Hic enim est sensus totius hujus loci : Dies Domini per ignem conflagrationis declarabitur, et sicut ipsa dies per ignem declarabitur, ita eadem dies manifestabit per ignem, nimirum judicii, uniuscujusque opus; et sicut opera per ignem manifestabuntur, ita etiam operarii, qui purgatione egebunt, per quemdam ignem purgabuntur.

Secundo dico, non esse insuetum B. Paulo in eadem sententia uti varie aliquo nomine; varie enim accipit vocem peccati, cum ait II. Corinth. V : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et Rom. VIII : *De peccato damnavit peccatum* (1).

Tertio dico, quod si quis omnino non vellet significationum varietatem admittere, sed ubique acciperet ignem pro judicio, adhuc non efficeret, quin ex hoc loco Purgatorium statueremus. Tunc enim hic esset sensus : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, si cujus opus judicium Dei sustinere non poterit, opus quidem reprobabitur, ipse vero salvus erit, sed sic tamen quasi is, qui per ignem divini judicii transiit, quod judicium cum sit justissimum, omnino aliqua pœna eum affecit.

Objiciunt secundo particulam, *quasi*, quæ non veritatem, sed similitudinem significare solet. Respondeo, particulam, *quasi*, similitudinem significare non ignis, quasi ignis ille non sit verus, sed phantasticus, sed transeuntis per ignem, ita ut sit sensus : Ad salutem perveniet, qui ædificavit lignum, sed ad eum modum perveniet, quo pervenit ad aliquem locum is, qui transit per ignem, sicut dicitur Joannis I : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*, id est, vidimus eum gloriosum ad eum modum, quo decet gloriosum esse Filium Patris unigenitum.

CAPUT VI.

Probatur ex novo Testamento.

Tertius locus est, I. Cor. XV : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis* (2)? Hic locus aperte convincit, quod volumus, si bene intelligatur, ideo breviter eum expendamus. Sex invenio hujus loci expositiones.

Prima est, quod Apostolus probet futuram resurrectionem, ex errore quorumdam, qui Baptismum suscipiebant nomine alicujus amici sui defuncti sine Baptismo; existimabant enim, quod sicut orationes et jejunia vivorum prosunt defunctis, ita et Baptismus prodesset. Ita exponunt Tertullianus lib. V. in Marcionem, et libro de resurrectione, Ambrosius, Anselmus, et Haymo; secundum quam expositionem colligitur oratio pro defunctis ex hoc loco, quia docent isti Patres, quod Apostolus, licet non probet errorem istorum, tamen probat intentionem, quam habebant juvandi defunctos, et ex ea argumentatur; si igitur Apostolus probat intentionem juvandi mortuos, certe reprobari non potest, nec debet ab ullo Christiano; tamen non puto veram hanc expositionem.

Primo, quia Apostolus debuisset saltem insinuare hunc esse errorem, ne daret occasionem errandi. Secundo, quia non solide argumentaretur Apostolus; posset enim responderi, non bene probari resurrectionem ex eo, quod ita credant quidam errantes. Sicut enim errant in eo, quod baptizant unum pro alio, sic possunt errare in eo, quod credunt futuram resurrectionem. Tertio, quia nullus veterum historicorum tradit hunc errorem tempore Apostolorum fuisse; tribuit enim Phylaster hunc errorem Montanistis qui 100 annis post obitum S. Pauli exorti sunt; eamdem tribuunt Chrysostomus et Theophylactus, ubi supra, Marcionistis, qui etiam post obitum Pauli 80. annis inceperunt; denique Epiphanius hæresi 28. hoc tribuit Cerinthianis, quorum secta 20 annis post obitum Pauli orta est. Adde quod

(1) II. Cor. V, 25; Rom. VIII. 3. — (2) I. Cor. XV. 29.

Chrysostomus et Epiphanius, non ipsi Marcioni et Cerintho, sed posteritati eorum hunc errorem tribuunt, et merito. Alioqui enim quomodo Irenæus et Tertullianus hunc errorem non refutassent, qui diligentissime refutarunt omnes errores Cerinthi, et Marcionis. Dicit quidem Tertullianus, hunc errorem fuisse tempore Apostolorum, sed non habet nisi hinc. Itaque merito Chrysostomus et Epiphanius et Theophylactus, hanc expositionem ut falsam rejiciunt.

Altera expositio est, quod Apostolus nomine mortuorum intelligat peccata, cum dicit, qui baptizantur pro mortuis, quasi dicat: Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, id est, pro peccatis diluendis? ita Sedulius, et B. Thomas in hunc locum Apostoli.

At contra; Primo, quia Apostolus subdit: *Si mortui non resurgunt: ut quid baptizantur pro illis?* nimirum hominibus mortuis, qui non resurgunt; itaque clare docet, se non de peccatis, sed de hominibus agere. Non enim vult probare, quod peccata resurgant, sed quod homines resurgant. Secundo, quia tota vis argumenti perit, si dicatur, quid facient qui baptizantur pro peccatis diluendis, si mortui non resurgunt? Posset enim responderi, multum prodesse diluere peccata, etiamsi mortui non resurgant, quia bonum est in hac vita frui testimonio bonæ conscientiæ. Tertio, quia peccata non dicuntur mortua, nisi quando sunt deleta, et extincta, non ergo Paulus nomine mortuorum intelligit peccata, quæ adhuc delenda sunt.

Tertia expositio est, baptizari pro mortuis, esse, baptizari simpliciter Baptismo Christi, sed ideo dici baptizari pro mortuis, qui baptismum suscipiunt, quia antequam baptizentur, recitant Symbolum, in quo est unus articulus: *Carnis resurrectionem*, ita illud *pro mortuis*, significet pro spe resurrectionis, vel pro corporibus mortuis, id est, in eum finem, ut corpora nostra quæ moritura sunt, aliquando immortalia resurgant. Ita Chrysostomus, Oecumenius et Theophylactus; sed certe dura et violenta expositio est.

Primo, quia non diceret Apostolus: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis*, sed, quid facimus qui baptizamur pro mortuis? Non enim quidam, sed omnes sic baptizantur. Apostolus autem de quibusdam tantum loquitur, ut patet tum ex forma verborum, tum ex eo quod sequitur, ut quid et nos periclitamur tota die? Secundo, quia inauditum est, ut nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis, vel corpora mortua, cum in Græco sit νεκροί, in genere masculino, et corpora sint generis neutri σώματα. Tertio, quia si ideo diceremur baptizari pro mortuis, quia recitamus articulum de mortuorum resurrectione, etiam possemus dici baptizari pro Deo Patre, et pro Christo, et pro Spiritu sancto, et pro Ecclesia, quia hæc omnia recitamus in Symbolo. Quarto, quia Apostolus videtur omnino nomine mortuorum, homines mortuos intelligere, et nihil aliud, cum enim ait: *Si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* quid possumus intelligere per vocem, *illis*, nisi illis mortuis, qui non resurgunt?

Quarta expositio est, baptizari pro mortuis esse baptizari Baptismo Christi; dici autem Baptismum pro mortuis, quia dum baptizamur, agimus et repræsentamus personam mortui, dum mergimur in aquam; et resurgentis, dum surgimus ab aquis, et sic profitemur resurrectionem, et ex hac professione Apostolus probat futuram resurrectionem. Ita exponunt Theodoretus et Cajetanus.

At contra; Primo, quia neque Hebraice, neque Græce, neque Latine, agere pro aliquo, significat eum representare, sed agere loco ejus, vel in ejus utilitatem. Quis unquam dixit de agente in theatro personam Davi, aut Pamphili, ille egit pro Davo, aut pro Pamphilo?

Secundo, quia qui baptizantur, repræsentant mortem Christi, et simul mortem suam, ut patet ex Apostolo, Rom. VI: *Quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per Baptismum etc.* (1) Itaque baptizari pro mortuis, erit baptizari pro se, et pro Christo, quod absurdissimum est. Nec in Scripturis unquam reperitur baptizari pro Christo, sed solum baptizari in Christo, vel in ejus nomine, ut patet Roman. VI. Gal. III. Act. X et XIX.

Tertio, quia argumentum Apostoli nullum esset; nam ex eo quod qui baptizatur, agit personam mortui, non sequitur quod profiteatur resurrectionem. Debuisset ergo Apostolus dicere: Quid facient qui baptizantur

(1) Rom. VI, 3.

pro suscitatis, vel pro mortuis, et suscitatis? sed etiamsi hoc dixisset, adhuc leve esset argumentum ejus, quia posset responderi, in Baptismo repræsentari resurrectionem, non carnis a morte, sed animæ a peccato. Id enim Apostolus significat Rom. VI: *Ut in novitate vitæ ambulemus.* Et Colos. III: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite* (1).

Quinta expositio est Epiphanii, hæresi 28, quam adfert Petrus Martyr, quod Paulus loquatur de Baptismo eorum, qui baptizabantur in lecto, cum essent in extremis, qui olim dicebantur Clinici, et quos Cyprianus festive opponit Peripateticis lib. IV. epist. 7 ad Magnum, quod nimirum Clinici non ambulent, sed hæreant lecto affixi; κλινὴ enim lectum significat. Volunt ergo quidam hunc esse Apostoli sensum: Quid facient qui baptizantur pro mortuis, id est, baptizantur quando habentur magis pro mortuis, quam viventibus, quanto certum est eos non baptizari pro ullo commodo hujus vitæ, cum pro mortuis habeantur.

Hæc expositio refellitur. Primo, ex illis verbis, ut quid baptizantur pro illis? nam dicere debuisset, ut quid baptizantur pro se, non pro illis; Secundo, quia illud, pro mortuo, non potest dici, nisi in iis actionibus quæ fiunt circa mortuos. Verbi gratia, recte dicimus, ille cecidit ex loco edito; et pro mortuo sublatus fuit, vel pro mortuo lotus, sepultusque fuit, etiamsi viveret. At non recte dicitur, ille ambulabat, vel comedebat, vel loquebatur pro mortuo. At baptizari aliquem pro mortuo, etiamsi agat in extremis, sed potius deberet dici baptizari pro vivo, etiamsi fere sit mortuus.

Est igitur sexta expositio vera et germana, quod Apostolus loquatur de Baptismo lachrymarum et pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo etc. Et sensus sit: « Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent, » id est, quid facient qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? ita exponunt Ephrem in suo testamento, Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobrusianos, Dionysius, Hugo, Gagneius, et alii in hunc locum.

Hæc expositio verissima est. Primo, quia baptizari passim in Scriptura et Patribus accipitur pro affligi, ut Marc. X: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, et Baptismo quo ego baptizor baptizari?* Luc. XII: *Baptismo habeo baptizari* (2). Patres passim vocant pœnitentiæ afflictionem Baptismum laboriosum, et secundam tabulam. Cyprianus in sermone de cœna Domini: « Lacrymis, inquit, se baptizat. » Et in Prœmio lib. de exhortatione martyrii, mori pro Christo, frequenter vocat Baptisma; et Gregorius Nazianzenus oratione de Epiphania: « Scio, inquit, quartum Baptisma, quod per martyrium, et sanguinem fit, scio et quintum, lacrymarum et pœnitentiæ. »

Secundo, quia ipsa pœna Purgatorii a Scriptura et Patribus vocatur Baptisma; nam quod legimus Matth. III: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (3). B. Hieronymus exponit in Spiritu sancto, in hac vita, igne vero, in futura; sicut ante eum exposuerat B. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 15. et post eos Beda in cap. III. Lucæ. Item Gregorius Nazianzenus in fine orationis de Epiphania, vocat ignem Purgatorii in alia vita, ultimum Baptisma. Itaque elegantissime Apostolus dixit, eos baptizari pro mortuis, qui affligentes se oratione et jejunio, sumunt in se partem illius Baptismi ignei, quo animæ baptizantur in Purgatorio.

Tertio, quia hæc expositio maxime quadrat cum sequentibus: *Ut quid et nos periclitamur tota die?* quasi dicat; Cur quidam se affligunt orando pro mortuis, et ego affligo me prædicando Evangelium, si mortuorum resurrectio non est?

Quarto, quia ista sententia eadem est cum illa: II. Machab. XII. si mortui non resurgunt, superfluum est et vanum orare pro mortuis.

At contra hanc expositionem duo argumenta objiciantur. Primum est, quia non debuisset Apostolus dicere, quid facient qui baptizantur pro mortuis, sed quid faciemus qui baptizamur pro mortuis; nam omnes Christiani orant pro mortuis. Respondeo, Apostolus argumentari voluit non a consuetudine Christianorum, quæ tamquam nova rejici potuisset ab incredulis, sed a consuetudine Judæorum, qui more veteri, et secundum scripturarum exempla orabant et jejunabant pro mortuis, quasi dicat: Quid facient illi, qui imitantes antiquos Patres jejunant, et orant, ac se affligunt pro mortuis, si mortui non resurgunt?

(1) Rom. VI, 4; Coloss. III, 1. — (2) Marc. X, 48; Luc. XII, 50. — (3) Matth. III, 11.

Secundum argumentum est, quia non videtur bene probari mortuorum resurrectio, ex eo, quod oratur pro mortuis, quia oratur non ut resurgant, sed ut a pœnis illis liberentur, atque ad requiem transeant. Respondeo, quæstionem de resurrectione et de immortalitate animorum ita fuisse conjunctas tempore Apostolorum, ut pro una haberentur, ut supra ostendimus, cum testimonium ex libris Machabæorum exponeremus. Sive igitur hanc expositionem sequamur, quæ nobis verissima videtur, sive primam, quæ melior est cæteris tribus, aperte colligitur oratio pro defunctis.

CAPUT VII.

Probatur ex novo Testamento.

Quartus locus est, Matth. V. et Luc. XII: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tortori, et mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (1); exponendum est quid sit via, quid adversarius, quid judex, quid tortor, quid carcer, quid quadrans.

De primo Chrysostomus in cap. V. Matth. docet, viam hic accipi proprie pro vera via, qua itur ad judicem in hoc mundo; Chrysostomus enim existimat nullam hic esse parabolam, sed Dominum ad litteram terrere dissidentes comminatione humani periculi, ita ut etiam judex intelligatur homo, tortor homo, carcer materialis hujus vitæ, et quadrans verus nummus æreus. Quo etiam modo contendit Ochinus esse hunc locum exponendum. De qua explicatione duo dico.

Primo, eam simpliciter non esse probabilem, tum quod repugnent omnes alii expositores, Origenes, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Beda, Anselmus, et recentiores, Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Jansenius, et alii, qui omnes docent, hic viam significare vitam præsentem, ut cum dicitur: *Beati immaculati in via*, Psalm. CXVIII, et magna ex parte hunc sermonem esse metaphoricum; tum etiam quod non soleat Dominus tam serio docere et instruere humanam prudentiam, cum ipse sæpe testatus sit, filios hujus sæculi prudentiores esse filiis lucis. Adde, quod non tam assertive Dominus diceret: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*; si loqueretur de humano judicio, cum sæpe videamus contrarium accidere, ut rei liberentur favore alicujus, vel per se fugiant et nihil solvant.

Dico secundo, si Chrysostomi sententia recipi debeat, ut probabilis, solum recipi posse pro iis verbis quæ habentur Matthæi V, quæ ipse exponit; pro iis autem quæ habentur Lucæ XII. nullo modo recipi posse; ut enim Ambrosius recte notavit, bis Dominus hæc verba locutus est, diversisque oblatis occasionibus. Nam Matthæi V. dixit hæc verba, cum loqueretur de amore inimicorum, et de injuriis condonandis, et ideo tolerari utcumque expositio Chrysostomi potest. At Lucæ XII. Dominus loquitur de judicio futuro; dicit enim: *Sint lumbi vestri præcincti*. Et postea: *Vigilate quia qua hora non putatis Dominus veniet*. Et in fine concludit: *Cum ergo vadis cum adversario tuo ad Principem*. Ubi aperte ostendit se loqui de futuro judicio, quod erit post hanc vitam; quod etiam confirmatur ex verbis immediate præcedentibus, ait enim: *Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est? Cum enim vadis cum adversario etc.* (2). Vult enim eos admonere, parabolam hanc sumptam ex iis quæ homines facere solent; nam debitores, dant omnem operam liberandi se a creditore antequam ad judicium veniatur. Quocirca Theophylactus, et Euthymius qui in cap. V. Matth. sequuntur Chrysostomum, tamen in cap. XII. Lucæ dicunt recte intelligi per viam, vitam; per judicem, Deum etc.

De secundo, etsi parum refert, quod attinet ad nostrum propositum de Purgatorio, quis sit adversarius, quia tamen res est dignissima cognitione, explicemus breviter. Quidam per adversarium intelligunt Diabolum, ut Origenes hom. 35. in Lucam; Ambrosius, Euthymius, et Theophylactus in c. XII. Lucæ, et Hieronymus in epist. 8. ad Demetriadem. Neque Hieronymus hanc sententiam reprehendit in commentario Matth. V. cum ait: « Quidam coactius differunt etc. » Nam illud, *Coactius*, est error impressorum, et debet legi, *Cautius*.

(1) Matth. V, 25; Luc. XII, 47. — (2) Luc. XII, 35 et seq.

Si petas quomodo debemus esse consentientes Diabolo, cum e contrario jubeamur illi resistere? Respondet Hieronymus, debere nos consentire illi, quatenus tenemur stare pactis cum ipso initis in Baptismo; tunc enim renuntiavimus Diabolo, et pompis ejus; si enim rursum appetamus et invadamus pompas ejus, quibus renuntiavimus, merito nos coram Domino accusabit. Hæc opinio non est multum probabilis, et ab August. refellitur lib. I. de sermone Domini in monte, cap. 22. nam Græca vox est εὔνοος, id est, Benevolus, et concors, at Diabolo non possumus esse benevoli; deinde cum ipse cupiat ut concupiscamus pompas ejus, et ad hoc nos tentet, tunc essemus consentientes illi, si appeteremus ejus pompas, et Deum offenderemus.

Alii exponunt per adversarium, carnem; sed refelluntur merito ab Augustino, cum non possit juberi spiritui ut consentiat carni, cum hoc peccatum sit. Alii intelligunt spiritum per adversarium, cui caro jubetur consentire. Refellit hoc Hieronymus, quia non est credibile spiritum traditurum judici suam carnem; neque ibit in carcerem caro sine spiritu, sed vel solus spiritus et caro. Alii per adversarium, saltem apud Lucam, intelligunt peccatum, quia Lucas dicit: *Da operam liberari ab eo*, ita Ambrosius, sed non est probabile; nam liberari ab adversario, non est ab illo fugere, vel illum extinguere, sed componere cum illo, ut patet tum ex Matthæo, tum ex verbo ἀντίδικος, id est, litigator, sive actor. Alii intelligunt per adversarium, alterum hominem, qui nimirum nos læsit, aut nos illum; ita Hilarius, Anselmus, et Hieronymus in caput Matthæi V. Quæ sententia etsi probabilis est, quantum ad locum Matthæi, tamen eam refellit Augustinus loco citato. Primo, quia videtur hic Dominus loqui de adversario qui semper nobiscum est in via, et cum quo semper possumus concordare, dum via durat: at adversarius homo sæpe moritur ante suum adversarium, et illum deserit in via. Nec tamen dicendum est, non posse justum, qui est in via, per pœnitentiam salvari, licet non possit cum adversario consentire.

Secundo, quia non proprie unus homo tradet alterum Deo judici; vel saltem multa sunt alia: quæ magis proprie dicantur tradere, ut dicemus, præsertim quia vox Græca est ἀντίδικος, quæ non significat adversarium ratione injuriæ, sed ratione litis, id est, actorem, sive accusatorem.

Est ergo verissima expositio, adversarium esse Dei legem, sive Deum ipsum, quatenus præcipit contraria carni, sive conscientiam, quæ Dei legem semper objicit peccanti; hæc enim fere in idem coincidunt; ita exponunt Ambrosius, Beda, et Bonaventura in cap. XII. Lucæ. Item Anselmus, et Augustinus in c. V. Matthæi, necnon idem Augustinus homil. 1. de verbis Domini, homil. 3. in lib. 50. homiliarum, et in libro de decem chordis, cap. 3. Gregorius homil. 39. et Bernardus serm. 85. in Cantica. Nam lex Dei et conscientia nostra semper sunt nobiscum in via, semper adversantur pravis desideriis, iisque utilissimum est cito consentire, et ab eorum inimicitia liberari, denique accusatores et testes erunt contra nos in judicio.

Unum solum obstare videtur huic expositioni, quod Matth. V. immediate ante hanc parabolam Dominus loquebatur de reconciliatione adversarii hominis. Respondeo, Dominum posteaquam docuit debere hominem homini reconciliari, monere voluisse hac parabola, ut etiam recordaretur reconciliari cum Deo sive cum ejus lege. Præterea, etiamsi probabile sit propter eam rationem, Matthæi V. per adversarium intelligi hominem, tamen Lucæ XII. non possumus intelligere nisi legem Dei, aut conscientiam; unde Cajetanus qui Matthæi V. exposuit de homine, Lucæ XII. exposuit de conscientia.

De tertio, conveniunt omnes, judicem esse Christum; nam Scripturæ passim hoc docent, et præcipue Joan. V: *Pater omne judicium dedit filio* (1).

De quarto, Ambrosius in cap. XII. Lucæ, et Augustinus lib. I. de sermone Domini in monte, cap. 21. intelligunt per ministros, Angelos bonos. Gregorius homil. 39. et Theophylactus in XII. Lucæ, intelligunt Dæmones, utrumque est probabile.

De quinto, conveniunt similiter omnes carcerem esse infernum, in quo tamen multæ sunt mansiones, aliæ pro damnatis, aliæ pro his, qui purgantur. Exstitit olim absurdissima hæresis Carpocratis, ut refert Irenæus lib. I. cap. 24. qui dicebat, debere unumquemque exerceri in omni genere flagitiorum, et ideo animas a corpore, quasi a carcere abeuntes examinari a judice, et nisi omnia flagitia patrassent, rursum remitti in

(1) Joan. V, 22.

aliud corpus tamquam in carcerem, et toties id fieri, donec per omnia omnino flagitia transissent, et hoc voluisse Dominum dicere cum ait : *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.* Sed absurdior est sententia, quam ut refutari debeat.

De sexto, conveniunt etiam fere omnes, per novissimum quadrantem intelligi minuta peccata, quadrans enim est minima moneta. Quod enim Augustinus dicit, ultimum quadrantem significare peccata terrena, quia terra est ultimum elementum, nimis durum, et coactum videtur, quia tamen non vult dicere Dominus, solum quadrantem solvendum, sed totum debitum usque ad ultimum quadrantem, dubium manet, an hæc solutio fiat in Gehenna, an in Purgatorio. Augustinus putat hic agi de pœnis æternis Gehennæ, et ideo dicit, illud : *Donec reddas*, non significare certum tempus, sed æternitatem, sicut cum dicitur Matth. I. *Non cognovit eam donec pareret filium suum.* Et Psalm. CIX : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et I. Cor. XV : *Oportet illum cœlum suscipere, donec omnia subjiciantur pedibus ejus* (1). Non enim licet colligere, ergo postquam Maria peperit, cognovit eam Joseph etc.

Alii, ut Albertus et Cajetanus exponunt de Gehenna, et purgatorio simul, ut sensus sit; si debitum erit insolubile, numquam exibis; si erit solubile, exibis, cum totum exacte solveris; alii intelligunt de solo Purgatorio, nempe ii, quos statim citabimus.

Tertia hæc sententia est omnium verissima. Probatur primo, quia hoc modo hunc locum intellexerunt vetustissimi Patres. Tertullianus libro de anima, cap. 17 : « Ille te in carcerem, inquit, mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso. » Ubi nota, solum esse manendum in carcere Purgatorii ad summum, usque ad resurrectionem.

Cyprianus lib. IV. epist. 2, « Aliud est ad veniam stare; aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem : aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari, et purgari diu igne : aliud peccata omnia passione purgasse. »

Origenes homil. 35. in Lucam : « Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille, qui scribitur decem millia talenta debuisse, quanto tempore claudamur in carcere, non possum manifeste pronuntiare : si enim qui parum debet non egreditur nisi exsolvat minutum quadrantem, utique qui tanto debito fuerit obnoxius infinita ei ad reddendum sæcula numerabuntur. » Et in epistola ad Rom : « Quamvis, inquit, promittatur exeundum esse quandoque de carcere, tamen designatur non inde exiri posse, nisi reddat quisque novissimum quadrantem. »

Eusebius Emissenus seu potius Cæsarius Arelatensis, vel quicumque fuit auctor earum homiliarum, homil. 3. de Epiphania : « Illi vero, inquit, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quod non exeunt inde, donec reddant novissimum quadrantem, per fluvium igneum transibunt etc. »

Ambrosius in cap. XII. Luc. exponens hunc locum : « Quadrantem, inquit, in balneis dare solere reminiscimur, cujus oblatione, ut illic unusquisque lavandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi. Quia uniuscujusque peccatum suprascriptæ generi conditionis eluitur, cum tamdiu exercetur noxius pœnis, ut commissi supplicia erroris expendat. »

Hieronymus in cap. V. Matth : « Hoc est, inquit, quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata persolvas. » Bernardus serm. de obitu Huberti : « Illud, inquit, scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur, usque ad novissimum quadrantem. »

Probatur secundo, quia illud : « *Donec solvas ultimum quadrantem*, non videtur recte posse dici, nisi aliquando sit futurus finis solutionis. Neque exempla B. Augustini satisfaciunt; nam cum dicitur : *Non cognoscebat eam donec pareret*, non licet quidem inferre, ergo postea cognovit eam, sed inferre licet, ergo illa aliquando paritura erat; similiter cum dicitur : *Sede a dextris meis, donec ponam etc.* recte infertur, ergo aliquando ponentur omnes inimici Christi sub pedibus ejus; alioqui illud : *Donec*, inepte diceretur; ita ergo cum dicitur : *Non exies donec solvas ultimum quadrantem*, inferimus recte, ergo aliquando solvet ultimum quadrantem, et consequenter exhibit inde.

Tertio probatur ex fundamento et scopo

(1) Matth. I, 25; Psal. CIX, 1; I. Cor. XV, 25.

ipsius parabolæ; nam similitudo non est sumpta ab homicida, vel adultero, vel proditore, qui damnantur ad mortem, vel ad perpetuos carceres, vel triremes, sed a debitore, qui non propter crimen, sed propter debitum pecuniarium conjicitur in carcerem, donec solvat. Solent autem hujusmodi homines ordinarie egredi post aliquod tempus, ut patet. Itaque scopus parabolæ est, ut in hac vita componamus cum Deo, quando facile impetramus remissionem pœnæ peccatis nostris debitæ, nec exspectemus sæculum futurum, in quo severissime agetur. Atque hæc de isto loco.

CAPUT VIII.

Probatur ex novo testamento.

Quintus est Matth. V : *Qui iracitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit fratri suo raca, reus erit Concilio; qui dixerit fatue, reus erit Gehennæ ignis* (1). Nota, hic certum esse agi de pœna injungenda in foro Dei, ut patet ex illo : *Reus erit Gehennæ ignis.* Unde Augustinus lib. 1. de serm. in monte, cap. 19. exponit omnia tria de pœnis animarum post hanc vitam. Nota secundo, certum etiam esse hic distingui tria genera peccatorum, et pœnarum, ut ibidem Augustinus exponit, et damnationem æternam solum tribui tertio generi peccatorum, id est, criminibus. Aliis autem utpote levioribus peccatis, pœnas leviores, ac proinde temporales; ex quibus infertur, animas aliquas post hanc vitam puniri temporalibus pœnis.

Dices, at Christus dixerat : Qui occiderit, reus erit judicio; ergo reum esse judicio est damnari ad Gehennam : nam homicidium crimen læthale est. Respondeo, cum ait Dominus : *Dictum est antiquis : qui occiderit, reus erit judicio*, loquitur de judicio humano, et temporali, quo homicidia mulctantur morte temporali; nec enim lex vetus aliam mortem comminabatur homicidis, ut patet Exodi XXI. Vult ergo Dominus dicere homicidium puniri morte in hoc mundo, at in alia vita commotionem iræ internam, etiamsi peccatum sit veniale, puniri pœna quadam, temporali quidem, sed quæ æquetur morti temporali; iram autem exterius prodeuntem puniri adhuc gravius; at verbum contumeliosum, et multo magis homicidia puniri morte æterna.

Dices rursum, esto, hoc loco loquatur Dominus de pœnis infligendis judicio Dei, non tamen sequitur in alia vita esse pœnas temporales; nam Deus in hac vita potest infligere hujusmodi pœnas.

Respondeo primo, ab Augustino aliisque Patribus hunc locum intelligi de pœnis post hanc vitam. Secundo dico, saltem ex hoc loco posse deduci pœnas aliquas post hanc vitam purgatorias esse; nam hinc habemus quædam peccata non mereri nisi pœnam temporalem; sed potest fieri, ut quis moriatur cum talibus peccatis, quia potest mori repente; vel dormiens, ita ut nullum habeat spatium pœnitentiæ, ergo in alia vita purgabitur, alioqui vel ibit in cœlum alioqui coinquinatum, vel injuste damnabitur ad pœnas æternas, qui non merebatur nisi temporales.

Sextus locus est Luc. XVI : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (2). Per *(deficere)* intelligunt omnes mori, per *(amicos)* intelligunt sanctos, qui cum Christo regnant, ex quibus sequitur homines post mortem juvari precibus Sanctorum.

Sed quia possel aliquis dicere hic agi de virtute eleemosynæ, et sensum esse, eos qui eleemosynas fecerunt, cum moriuntur salvari propter opera illa bona, quæ fecerunt; observandum est, non hoc solum velle Dominum, sed etiam velle post mortem juvari animas precibus Sanctorum; nam primo ad id cogunt verba illa : *Facite amicos, qui recipiant.* Nam eleemosyna, quæ datur malis hominibus, bona tamen intentione, meritoria est, et tamen non facit amicos, qui possint recipere in æterna tabernacula; unde Hieronymus lib. contra Vigilantium in fine, dicit, hic Dominum hortari ut detur eleemosyna potius bonis quam malis, ut bonorum intercessione salventur qui eleemosynas faciunt; similiter Ambrosius in hunc locum, et Augustinus libro XXI. de civit. Dei, cap. 27. dicunt, hic per amicos intelligi sanctos cum Christo regnantes, qui suis precibus nos juvant, et juvabunt cum mortui fuerimus.

Secundo, ad id nos cogit ipsa similitudo; nam parabola sumpta est a quodam œcono-

(1) Matth. V, 22. — (2) Luc. XVI, 9.

mo, qui depositus ab officio, et egenus factus opem implorabat amicorum suorum : quod autem in applicatione parabolæ deponi ab officio sit mori, Dominus ipse explicat.

Adde tertio, quod Augustinus lib. XXI, de civit. Dei, cap. 27. ex hoc loco Purgatorium demonstrat. Dicit enim esse quosdam tam sanctos, qui recta ad cœlum evolant post mortem, et qui non solum ipsi salvantur, sed etiam alios juvare possunt ; rursum quosdam alios tam malos, qui nec seipsos juvare possunt, nec ab aliis juvari, sed ad pœnas æternas sine remedio descendunt. Denique esse quosdam medios, qui ita moriantur, ut nec digni sint morte æterna, nec tamen sufficiant eis propria merita ad salutem, nimirum statim recipiendam, et isti sunt, inquit, qui recipiuntur in æterna tabernacula precibus amicorum.

Ad hunc locum nihil respondet Petrus Martyr, sed objicit sibi nomine Catholicorum ea, quæ sequuntur post hanc parabolam, aitque nos asserere Epulonem fuisse in Purgatorio, cum ab Abrahamo auxilium petiit, et hoc argumentum, quasi noster esset Achilles, operose solvit, et simul inde deducit non posse animas juvari a viventibus; quandoquidem nec Abraham, nec Lazarus Epulonem juvare potuerant, et per jocum miratur, cur Epulo non petierit anniversaria et Missas pro se fieri. Sed catholici fere omnes Epulonem in Gehenna esse dicunt, proinde Petrus Martyr in ventum pugnat.

Septimus locus est Luc. XXIII : *Memento mei dum veneris in regnum tuum* (1). Numquam hoc diceret bonus ille vir a Spiritu sancto edoctus, nisi crederet post hanc vitam posse remitti peccata, et auxilio animas indigere, et juvari posse. Certe Augustinus lib. VI. in Julian. cap. 5. hinc probat aliqua peccata remitti post mortem.

Octavus est Actor : *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneriem ab illis* (2). Hunc locum ita intelligit B. Augustin. epist. 99. ad Evodium, et lib. XII. Genes. cap. 33. ut sensus sit, Christum cum descendit ad inferos, multos liberasse a cruciatibus inferni, quod cum non possit intelligi de damnatis, necessario videtur accipiendum de iis, qui purgabantur. Quod etiam affirmat Epiphanius in hæresi Tatiani, quæ est ultima primi libri ; dicit enim Christum, cum descendit ad inferos, liberasse eos, qui per ignorantiam peccaverunt, nec tamen a Dei fide recesserunt; et præter horum Patrum auctoritatem, probatur ex ipsis verbis Scripturæ ; nam illud : *Solutis doloribus inferni*, non potest intelligi de doloribus ipsius Christi, dolores enim Christi in cruce finiti sunt, ut patet ex illis verbis Luc. XXIII : *Hodie mecum eris in Paradiso*. Nec de doloribus damnatorum, ut patet, quia illi æternis ignibus addicti sunt ; nec de doloribus sanctorum Patrum, illi enim nullos patiebantur dolores, ut Augustinus docet locis citatis, et Gregorius homil. 22. Relinquitur igitur ut de doloribus animarum Purgatorii hoc loco agatur.

Dices : Græci non legunt solutis doloribus inferni, sed solutis doloribus mortis τοῦ θανάτου, non τοῦ ᾅδου. Respondeo, nobiscum facere Primo, vulgatam antiquam editionem Latinam. Secundo, Syriacam, quæ similiter legit : *Deus*, inquit, *excitavit illum, et solvit funes inferni*. Tertio, antiquissimos Patres Græcos et Latinos ; nam B. Polycarpus initio epistolæ suæ, citans hunc locum, scribit *solutis doloribus inferni*. Item Cyprianus serm. de cœna Domini initio ad hunc locum respiciens ait : « Sed volebat, inquit, pius Magister ostendere impossibile esse suam animam ab inferno detineri. » Epiphanius quoque et Augustinus sine dubio ita legerunt. Denique probatur ex verbis sequentibus ; nam probat Petrus id quod dixerat ex Psalm. XV : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (3).

Nonus locus est Philipp. II : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum*(4). Utitur hoc loco B. Augustinus lib. XII. de Gen. c. 33. quamquam per illud infernorum non improbabiliter accipiuntur Dæmones. Similis huic est locus Apocal. V. *Quis dignus est aperire librum, et solvere septem signacula ejus ? et nemo inventus est neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram* (5). Per eos qui sunt in cœlo intelliguntur Angeli, per eos qui in terra homines justi, per eos qui sub terra, non possunt intelligi animæ Purgatorii, nec enim id damnatis tribueretur. Patres autem qui fuerant in limbo jam liberati erant.

Utuntur nostri hoc loco, sed tamen non videtur multum urgere ; nam probabile est

(1) Luc. XXIII, 42. — (2) Act. II, 24. — (3) Psal. XV, 8. — (4) Philipp. II, 10. — (5) Apoc. V, 2.

intelligi per eos qui sunt infra terram, Patres, qui erant in limbo ; etsi enim quando Joannes hæc scripsit Patres exierant ex limbo, non tamen exierant eo tempore, quo loquitur ; loquitur enim de tempore, quod præcessit Christi mortem, ideo enim subjungitur : *Vicit Leo de tribu Juda radix David aperire librum etc.* Christus enim morte sua aperuit mysteria libri usque ad illam diem clausa ; similiter quod offertur ex hoc eodem cap. V. Apocal. ubi dicuntur creaturæ quæ sunt in cœlo et in terra, et quæ subtus terram dedisse laudem Deo, non convincit ; nam possunt hic per creaturas intelligi res inanimes, ut, *Ignis, grando, etc.* Quæ in Psalm. CXLVIII. ad Deum laudandum invitantur, præsertim cum Joannes addat etiam ea quæ sunt in mari.

CAPUT IX.

Asseritur purgatorium testimoniis Conciliorum.

Secundum argumentum sumitur ex Conciliis, et Ecclesiæ consuetudine ; nam in primis quid Ecclesia Africana senserit, patet ex Concilio III Carthaginiensi, cap. 29 : « Et Sacramenta altaris, inquit, non nisi a jejunis hominibus celebrentur, si autem aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat ; » similia habes in Concilio IV Carthaginiensi, cap. 79.

Idem sensit Ecclesia Hispanica, ut patet ex Concilio Bracarensi I, cap. 34. ubi jubet non orari pro illis, qui seipsos interimunt, et cap. 39. ubi jubet dividi inter Clericos oblationes factas, ut oraretur pro defunctis.

Idem Ecclesia Gallica, ut patet ex Concilio Cabilonensi, et habetur de consecrat. dist. I. can. Visum est : « Visum est, inquit, præterea, ut in omnibus Missarum solemnibus pro spiritibus defunctorum loco competenti in Ecclesia ad Dominum deprecetur. » Vide etiam Concilium Aurelianense II, cap. 14.

Idem sensit Ecclesia Germanica, ut patet ex Concilio Wormatiensi, cap. 10. ubi definitur, etiam pro suspensis in patibulo esse orandum, et sacrificandum.

Idem Ecclesia Italica, ut patet ex Concilio VI, sub Symmacho, ubi dicitur sacrilegium, fraudare animas defunctorum orationibus etc.

Item Ecclesia Græca, ut patet ex Græcorum Synodis a Martino Bracarensi Episcopo collectis, canone 69. Imo videntur aliqui Græci etiam nimium voluisse juvare animas defunctorum, nam in Concilio VI, can. 83. reprehenduntur illi, qui iis, qui sine communione sacra obierant, sacram Eucharistiam in os ingerere conabantur.

Accedant Concilia totius Ecclesiæ generalia, Lateranense sub Innocentio III, can. 66. Florentinum ses. ult. in decreto de Purgatorio, et Tridentinum sess. XXV. in initio, et omnes Liturgiæ, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii etc. Nam in omnibus sit oratio pro defunctis.

Respondet Petrus Martyr tripliciter loco notato. Primo : « Solet, inquit, nobis objici, Ecclesiam semper pro defunctis orasse, quod quidem non inficior, sed assero, istius facti neque verbi Dei, neque exempli, quod desumitur ex sacris litteris, auctoritatem habere. Facile moventur homines naturali quadam charitate impulsi, et amore in defunctos, ut illis bene cupiant, et in aliquas preces pro eis erumpant, sed affectio hæc vehementior, videndum est, ne fidei et justæ pietati adversetur. » His verbis arguit totam Ecclesiam Martyr, quod sine testimonio Scripturæ oret pro defunctis, et quod id faciat ex vehementiore affectu erga mortuos ; quæ affectio fidei, et pietati repugnat.

Primæ parti accusationis satisfacit Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. I : « Adjungis, inquit, vacare non posse quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consueverit. » Et infra, approbans hanc sententiam B. Paulini, ad quem scribit : « In Machabæorum, inquit, libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas ; ubi in precibus sacerdotis, quæ Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet etiam commendatio defunctorum. »

Secundæ parti accusationis facile respondetur ; Nam quod ex naturali affectu prorumpatur in preces pro caris defunctis, etiamsi quis putet nihil eis prodesse, potest contingere in precibus privatis, et quæ ex tempore recitantur ; at in solemnibus precibus Eccle-

siæ, quæ leguntur ex libro, et maturo judicio compositæ sunt, et a Concilio Episcoporum approbatæ, quomodo potest id fieri?

Tertiæ parti satisfecit B. Paulos, cum dicit : *Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis* (1). Necnon Augustinus, qui epist. 118. dicit insolentissimæ insaniæ esse disputare contra id, quod universa Ecclesia facit. Denique ipsa ratio; nam si universa Ecclesia potest veræ fidei et justæ pietati adversari, ut Martyr dicit, potest ergo tota Ecclesia ruere contra Christi prædictionem, Matth. XVI : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (2). Utrum autem credibilius sit, Ecclesiam universam posse ruere, et Christum, ac Paulum mentiri, an Petrum Martyrem insolentissima insania laborare, cujuslibet hominis, modo sani, appello judicium.

Secunda solutio Martyris est, quod Ecclesia non oret pro defunctis, ut eos liberet a Purgatorio, sed ut memoriam eorum se habere testetur, et conservet etiam quam diutissime potest : « Et alia causa, inquit, citra Purgatorium esse potuit, ut pro defunctis in Ecclesia preces fierent. Noluerunt enim defunctorum nomen, et memoriam facile interire. » At Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 4. tractat quæstionem : An prosint animabus defunctorum preces Ecclesiæ, et dicit prodesse illis, qui in hac vita non fuerunt valde mali, et qui meruerunt, ut sibi prodessent; non autem illis, qui fuerunt valde mali, et proinde nihil tale meruerunt; Proinde commentitia Petri Martyris solutio est.

Tertia solutio est, Ecclesiam fungi munere suo erga mortuos ac si adhuc viverent, et ideo precari illis id quod putat jam eos consecutos, quomodo Christus oravit pro Lazari excitatione, etiamsi sciret, jam se accepisse quod petebat; et Ambrosius in oratione de obitu Theodosii gratulatur illi quod jam cum Christo regnaret, et tamen ibidem orat pro illo, ut optatam requiem Deus illi concedat; et Epiphanius hæresi 75. dicit orari etiam pro sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, et Martyribus.

Respondeo : si ita esset, Ecclesia oraret pro omnibus æqualiter, etiam pro Martyribus. At non ita facit; nam ut Augustinus dicit tract. 84. in Joan.: « Ideo ad ipsam mensam non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut orent ipsi pro nobis. »

Neque videtur ullo modo convenire, ut quis petat quod jam habet; et Christus cum oravit pro Lazaro, nondum acceperat quod petebat, neque enim Lazarus adhuc resurrexerat. Aliud autem est petere id quod scimus nos accepturos, aliud petere id quod jam accepimus. Porro Ambrosius sperabat, Theodosium jam esse in cœlo, et ideo gratulabatur ei, et simul, quia non certo sciebat, an ita esset, pro illo orabat. Epiphanius vero nusquam dicit in Ecclesia orari pro sanctis, sed dicit memoriam fieri in Ecclesia omnium defunctorum fidelium tam peccatorum, quam justorum; et addit : *Peccatorum* quidem, ut illis a Deo misericordiam imploremus : *Justorum* autem, ut eos a Christo separemus.

Separamus autem sanctos a Christo, non, ut Martyr dicit, quia pro sanctis oramus, non pro Christo, sed quia pro sanctis offerimus sacrificium gratiarum actionis : Pro Christo autem non offerimus, sed ipsi potius Christo cum Patre, et Spiritu sancto offerimus. Quod intelligi potest ex liturgia Græcorum, de qua Epiphanius loquitur, et quæ exstat in quinto tomo Chrysostomi; ibi enim fit commemoratio omnium Sanctorum, et dicitur : « Offerimus tibi, Domine, sacrificium pro Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Martyribus, et præcipue pro Beatissima Deipara; » quod autem hoc sacrificium non offeratur pro peccatis, sed pro gloria eorum, patet: Nam statim subjungit liturgia : « Quorum supplicationibus respice nos Deus; » et deinde oratio subjungitur pro aliis defunctis : « Et memento, inquit, omnium fidelium defunctorum, qui dormierunt in spe resurrectionis, et quiescere eos facito, ubi videtur lumen vultus tui. » Idem potest cognosci ex Augustino tract. 84. in Joan. et ex Cyrillo catechesi 5 Mystagogica, et ex nostra liturgia; quæ omnino talis est, qualem Cyrillus, Epiphanius, et Augustinus describunt.

(1) I. Tim. III. 15. — (2) Matth. XVI. 18.

CAPUT X.

Asseritur Purgatorium testimoniis Patrum Græcorum et Latinorum.

Primus ex Patribus, Clemens lib. VIII. constit. c. 47. longam orationem describit pro defunctis fieri solitam. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cap. 7. par. 3: « Accedens, inquit, deinde venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit, precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, et regione vivorum. » Athanasius vel quicumque fuit auctor quæst. 34. ad Antiochum, quærit, num animæ sentiant utilitatem ex orationibus vivorum. Respondet, sentire omnino. Basilius in liturgia instituit orationem pro mortuis.

Gregorius Nazianz. in orat. in Cæsarium circa fin. « Ipsi Deo, inquit, et nostras et eorum, qui quasi in via pariores prius ad hospitium pervenerunt, animas commendemus. » Ibidem orat pro anima ejusdem Cæsarii. Ephrem in suo testamento : « Assidue, inquit, in vestris orationibus mei memoriam facitis; etenim in vanitate, et iniquitate vitam peregi meam. »

Cyrillus catechesi 5. Mystagogica : « Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, et tremendi sacrificii. » Eusebius lib. IV. de vita Constantini, dicit, eum voluisse sepeliri in celebri templo, ut fieret particeps multarum orationum. Epiphanius in fine operis contra hæreses, numerat inter dogmata Ecclesiæ orationem pro defunctis, et hæresi 75. Aerium hæreticum facit, quia hoc negabat.

Chrysostomus homil. 41. in priorem ad Corinth : « Juvetur, inquit, mortuus non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis. » Et infra : « Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes. » Homil. 69. ad populum : « Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis, defunctorum agatur commemoratio : sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam. » Idem homil. 32. in Matth. et 84. in Joan. homil. 3. in epist. ad Philipp. et 21. in Acta Apostolorum, et alibi. Theodoretus lib. V. histor. cap. 26. scribit, Theodosium juniorem procubuisse ad reliquias S. Joannis Chrysostomi, et orasse pro animabus parentum suorum Arcadii, et Eudoxiæ jam defunctorum.

Theophylactus in cap. XII. Luc : « Hoc autem dico, inquit, propter oblationes et distributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam iis, qui in gravibus delictis mortui sunt. » Damascenus in lib. de iis qui in fide migrarunt, probat hanc veritatem testimoniis multis Dionysii, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, et aliorum. Vide etiam Palladium in historia Lausiaca, cap. 41.

Veniamus ad Latinos. Tertullianus in lib. de corona militis, inter traditiones Apostolicas numerat suffragia pro defunctis, et lib. de Monogamia ultra medium : « Pro anima, inquit, ejus conjugis defuncti, orat, et refrigerium interim adpostulet ei, et in prima resurrectione consortium, et offerat annuis diebus dormitionis ejus; nam hæc nisi fecerit vere repudiavit quantum in ipsa est. » Idem lib. de exhortatione castitatis procul a medio.

B. Cyprianus lib. I. epist. 9 : « Episcopi, inquit, antecessores nostri censuerant, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam, Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. » Et infra : « Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit actorem constituere, non est quo pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua. »

B. Ambrosius lib. II. epist. 8. ad Faustinum de obitu sororis : « Itaque, inquit, non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam. » Vide etiam orationes de obitu Theodosii, de obitu Valentiniani, et de obitu Satyri, in quibus omnibus pro animabus prædictorum Deo supplicat, et sacrificia se oblaturum pollicetur.

B. Hieronymus in epist. ad Pammachium de obitu Paulinæ uxoris ante medium : « Cæteri mariti, inquit, super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque pur-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pureos, Pammachius noster sanctam favillam, ossaque venerandæ eleemosynæ balsamis rigat, his pigmentis, atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum : sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum. »

B. Paulinus Nolanus in epist. ad eumdem Pammachium laudat eum, quod et corpori, et animæ uxoris defunctæ satisfecerit, corpori lachrymis, animæ eleemosynis. Idem in epist. 5. ad Delphinum Episcopum commendans illi animam fratris sui : « Vae, inquit, ut orationibus tuis condonetur tibi, et ut illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito destillans refrigerii gutta respergat. » Et in epist. sequenti, quæ est prima ad Amandum, similia dicit, commendans eamdem animam Amando Episcopo.

B. Augustinus de cura pro mortuis, cap. 2 : « In Machabæorum, inquit, libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed et si nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ,quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. » Et cap. 4 : « Cum itaque recolit animus ubi sepultum sit carissimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyr animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus : qui cum defunctis a fidelibus exhibetur, cum prodesse non dubium est. » Et infra : « Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana, et Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii,aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi. » Vide eumdem in Enchirid. cap. 110. lib. IX. Confess. cap. 13. serm. de verbis Apostoli 17. et 34. lib. XXI. civitat. cap. 24. tract. 84. in Joan. quæst. 2. ad Dulcitium, ac demum lib. de hæresibus, cap. 53. ubi propterea hæreticum facit Aerium, quod negasset pro defunctis sacrificia offerenda.

B. Gregorius lib. IV. Dialog. cap. 55: « Multum, inquit, solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnumquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. » Et cap. 50 : « Quos gravia, inquit, peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt. »

Isidorus lib. I. de officiis divinis cap. 18: « Nisi Catholica Ecclesia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. » Victor. lib. II de perseq. Wandal. : « Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? »

Denique B. Bernardus serm. 66. in Cantica, et Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobrusianos, directe in hunc errorem scripserunt. Malachias apud Bernardum : « Nec parum spei mihi repositum, inquit, in illa die, qua defunctis tanta a vivis beneficia impenduntur. »

Sed operæ pretium est audire quid ad hæc Calvinus, et Petrus Martyr respondeant. Petrus Martyr respondet, fere omnes patres in aliqua re errasse, et enumerat eorum errores. At errarunt in privatis opinionibus,quas alii refutarunt, at simul omnes in uno errore convenire non possunt, quin Ecclesia universa erret, et pereat.

Calvinus autem quatuor dicit, lib. III. Institut. c. 5. §. 10. Primo sic ait : « Ante 1300 annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. » Et aliquot interpositis : « Sed omnes, falcor, in errorem abrepti fuerunt. » Certe ista confessio sufficit ad Calvinum damnandum. Quomodo enim credibile est Ecclesiam per annos mille trecentos in tam crasso errore versatam, et nullum fuisse ex antiquis, qui restiterit, excepto Aerio, quem et nos, et Calvinistæ pro hæretico habemus?

Secundo dicit, veteres orasse pro mortuis, non ut eos juvarent, sed ut ostenderent erga eos pium affectum, et ut sæpsos consolarentur. At hoc mendacium est; aperte enim patres citati dicunt juvari animas, et distinguunt solatia vivorum ab auxiliis mortuorum, ac præsertim Augustinus in Enchirid. cap. 110. et libro de cura pro mortuis passim.

Tertio dicit, vulgus Christianorum cœpisse orare pro mortuis ex imitatione gentilium, Patres autem se accommodasse opinioni vulgarium, ut patet ex Augustino, qui in libro de cura pro mortuis, ubi præcipue de hac re agit : « Ita dubie, hæsitanter et frigide disputat, ut suo frigore zelum extinguere possit pugnantium pro Purgatorio ; Quod autem oravit pro matre, id fecit, inquit Calvinus, quia anile votum matris non examinavit ad Scripturas, et privato quodam affectu omnibus probari voluit. »

At hoc etiam mendacium est ; nam in primis numquam fuerunt Patres diligentiores in Ethnicorum ritibus prohibendis, quam quando multi Ethnici convertebantur. Certe Tertullianus et Cyprianus severissimi fuerunt castigatores omnis Ethnicæ superstitionis, adeo ut Tertullianus acerrime reprehenderit Christianos milites, qui coronam gestarent more militum Ethnicorum ; et tamen isti ipsi ad orationem pro defunctis hortantur. Præterea Patres non solum non reprehendunt hunc usum,sed etiam statuunt in suis Conciliis sic esse faciendum, hortantur ut sic fiat, ipsi exemplo suo præcedunt, ac demum multi eorum dicunt, hanc esse Apostolicam traditionem, et inter hæreticos numerant Aerium contrarium sentientem; quid amplius dicere poterant? B. Augustinus autem in lib. de cura pro mortuis, cap. 4. diserte dicit, non dubium esse quin juventur animæ, et in toto libro non est una syllaba, quæ dubium vel insinuet, de quo Calvinus loquitur; quod vero vocat anile votum S. Monicæ, et B. Augustinum arguit quod illud implere curaverit, non est mirum ; est enim familiare Calvino reprehendere, et ridere sanctos.

Quarto dicit, de Purgatorio autem adeo nihil asseruisse Patres, ut illud pro re incerta haberent. At hæc etiam est intoleranda impudentia, vel imperitia ; nam in primis, etiamsi nusquam nominassent Purgatorium tamen satis intelligi poterat quid Patres de eo sentirent ex eo, quod tam perspicue docent, animas quorumdam fidelium egere refrigerio, et juvari orationibus viventium.

Deinde sunt apertissima loca in Patribus, ubi asserunt Purgatorium, quorum pauca quædam afferam. Gregorius Nyssenus in orat. pro mortuis procul a medio : « Vel, inquit, in præsenti vita precibus sapientiæque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem. » Et infra : « Non poterit, inquit, a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit. » Et infra : « Aliis, inquit, post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes abstergentibus etc. »

Ambrosius in illud Psalm. XXXVI. Gladium evaginaverunt peccatores : « Et si salvos faciet, inquit, Dominus servos suos, salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen uremur. Quomodo tamen alii remaneant in igne, alii pertranseant, alio loco nos docet Scriptura divina, nempe in mare rubrum demersus populus est Ægyptiorum, transivit autem populus Hebræorum, Moyses pertransivit, præcipitatus est Pharao, quoniam gravia cum peccata merserunt, eo modo præcipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardentis etc. » Vide etiam eumdem serm. 20. in Psal. CXVIII.

B. Augustinus lib. XXI. civit. Dei, cap. 16. loquens de infantibus baptizatis morientibus : « Non tantum pœnis, inquit, non præparatur æternis, sed nec ulla post mortem purgatoria tormenta patitur. » Et cap. 24. loquens de adultis fidelibus, qui tamen cum levibus peccatis decedunt : « Tales, inquit, constat ante judicii diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos, æterni ignis suppliciis non tradendos. » Idem homil. 16. ex lib. 50. homiliarum : « Qui temporalibus pœnis, inquit, digna gesserunt, per ignem quemdam purgatorium transibunt ; de quo Apostolus inquit : salvus erit sic tamen quasi per ignem. » Et lib. II. de Genes. contra Manich. cap. 20 : « Qui forte agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis ; et post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. » Denique in Psal. XXXVII : « Quia dicitur, inquit, salvus erit, ille ignis contemnitur, ita plane quamvis salvus per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. »

Quare cum B. Augustinus lib. XXI. civit. Dei, c. 26. et in Enchirid. cap. 69 dicit, posse dubitari, et quæri, an post hanc vitam animæ torqueantur purgatorio igne : non dubitat de pœna animarum, sed de modo et qualitate ; nam in priore loco solum dubitat, an ignis purgatorius sit idem in substantia cum igne Gehennæ; de quo dicitur Matth. XXV : *Ite in ignem æternum.* In posteriore autem dubitat, an post hanc vitam urentur animæ igne illo doloris de amissione temporalium, quo hic uri solent, cum rebus valde dilectis carere coguntur.

B. Hieronymus in fine commentarii in

Isaiam : « Sicut, inquit, Diaboli, et omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerant in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiæ sententiam judicis. »

B. Gregorius lib. IV Dialogorum, cap. 39 : « De quibusdam, inquit, levibus culpis esse ante judicium, purgatorius ignis credendus est. » Et in Psalmum tertium pœnitentialem in ipso initio : « Scio, inquit, futurum esse, ut post hujus vitæ exitum, alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. »

Origenes homil. 6. in Exodum : « Qui salvus fit, inquit, per ignem salvus fit, ut si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, et resolvat, ut efficiantur omnes aurum purum. »

Gregorius Nazianz. orat. in sancta lumina, circa finem : « In altero suo, inquit, igni baptizabuntur, qui postremus est Baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascitur, vitiique levitatem absumit. »

Basilius in cap. IX. Isaiæ : « Si igitur per confessionem, inquit, detexerimus peccatum, jam succrescens gramen aræ cimus, dignum plane quod depascatur ac devoret purgatorius ignis. » Et infra : « Non omnimodam, inquit, interrecionem, et exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, juxta Apostoli sententiam. Ipse autem salvus erit quasi per ignem. »

Eusebius Emyssenus homil. 3. de Epiphania : « Hæc pœna, inquit, infernalis illos manebit, qui amisso, et non servato Baptismo in æternum peribunt. Hi vero qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluvium ignem, per vada ferventibus globis horrenda transibunt. »

Theodoretus in scholiis Græcis in I. Corinth. III : « Hunc ipsum ignem purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur, et repurgantur, sicut aurum in conflatorio. » Œcumenius in eumdem locum : « Salvabitur et ipse quoque, non tamen citra dolorem, ut par est eum qui transit per ignem, et a concretis levioribus maculis expiatur. » Tertullianus lib. de anima, cap. 17 : « In carcerem te mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso. » Cyprianus lib. IV. epist. 2 : « Aliud est pro peccatis longo tempore cruciatum purgari, et emendari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse. »

Hieronymus lib. I. contra Pelagianos ultra med. : « Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et Diabolo tribuit pœnitentiam : quid ad nos qui Diabolum et satellites ejus, omnesque impios et prævaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato prævenit fuerint, salvandos esse post pœnas. »

Paulinus epist. I. ad Amandum : « Ob hoc impense rogamus, ut quasi frater orandi laboro conspires, ut misericors Deus refrigeret animam ejus stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras etc. » Boetius lib. IV. Prosa 4. « Nulla ne supplicia animarum post defunctum morte corpus relinquis ? et magna quidem, quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto. » Isidorus lib. I. de divinis officiis, cap. 18 : « Nam et cum Dominus dicit : Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro, demonstrat quibusdam illic dimittenda esse peccata, et quodam purgatorio igne purganda. »

Beda in Psalm. XXXVII : « Quidam, inquit, committunt quædam peccata venialia graviora et leviora, et ideo necesse est, ut hi tales in ira corripiantur, id est, in purgatorio igne nunc iterum ante diem judicii ponantur, ut quæ in eis immunda sunt, per illum exuruntur, et sic tandem idonei esse cum his, qui in dextra coronandi sunt, inveniantur. » Ibidem dicit hunc ignem graviorem esse pœnis latronum, martyrum etc.

Petrus Damianus in serm. 2. de S. Andrea : « Non tibi blandiaris si graviter peccanti levior pœnitentia a mansueto, vel a dissimulante dictatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quidquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quæsiti Altissimus. »

Anselmus in I. Corinth. III : « Nam de quibusdam levibus culpis esse ante corporum resurrectionem, purgatorius ignis credendus est. » Et ibidem asserit esse gravissimam pœnam.

Bernardus serm. de obitu Humberti : « Volat fratres irrevocabile tempus, et dum creditis vos cavere istam pœnam minimam, incurritis ampliorem : illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quam durum sit homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere, sed durius, et multo durius erit futuras molestias tolerare. »

Lactantius lib. VII. cap. 21 : « Quorum peccata pondere aut numero prævaluerint, perstringentur igne atque amburentur etc. »

Hilarius in Psal CXVIII. in illud : *Concupivit anima desiderare judicia justitiæ tuæ* : « Nobis, inquit, est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ a peccatis animæ supplicia. »

CAPUT XI.

Idem asseritur ratione.

Argumentum quartum ex rationibus. Prima ratio : Quædam peccata sunt venialia, solaque temporali pœna digna. At fieri potest, ut cum solis talibus homo decedat ex hac vita ; igitur necesse est in alia vita posse purgari.

Esse autem quædam peccata venialia, probatur ex Jacobo, qui sic ait, Jacobi I : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua ; concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum ; peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem* (1). Hic describitur peccatum veniale ex imperfectione actus. Neque locum hic habet distinctio hæreticorum de imputatione ; nam Jacobus explicat processum peccati secundum se, ac docet post tentationem concupiscentiæ, quæ sine peccato esse potest, continuo sequi peccatum, si quis non caveat ; nam ex concupiscentia oritur delectatio in parte inferiori, quæ nonnullum peccatum est non tamen mortiferum, si non adsit consensus mentis deliberatus ; ideo enim subjungit : *Peccatum vero si consummatum fuerit*, accedente nimirum pleno consensu, *generat mortem*.

Præterea I. Corinth. III : *Qui superædificat ligna, fœnum, stipulas, salvus erit quasi per ignem* (2). Hic describitur veniale ex levitate materiæ, et quomodocumque intelligamus verba Apostoli sive de hac vita, sive de alia, sive de doctrina, sive de omnibus operibus necessario cogitur exponere per ligna, fœnum, stipulas, peccata venialia, quandoquidem qui ista habet, salvatur quasi per ignem.

Augustinus lib. LXXXIII. q. 26 : « Alia, inquit, sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ ; infirmitas contraria est virtuti, imperitia sapientiæ, malitia bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quæ sint venialia peccata ; et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, et hic, et in futuro sæculo, quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur, et quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum per pœnitentiam. »

Probatur ultimo ratione ; nam intelligibile non est quomodo verbum otiosum ex natura sua dignum sit perpetuo odio Dei, et sempiternis flammis. Hic enim in terris stultissimus haberetur, qui ob levissimam offensionem amici, nec malo animo factam, nollet amplius esse amicus, imo usque ad mortem persequeretur eum, quem amicum paulo ante habuerat. Maneat igitur, quædam esse peccata venialia, ac sola pœna temporali digna. Quod autem cum ejusmodi peccatis aliqui interdum de hac vita migrent, ac proinde in alia vita purgatione temporali egeant, probatur hoc modo. Potest quis dum moritur, habere voluntatem permanendi in peccato veniali, igitur tale peccatum deleri in morte non potest : præterea cum *septies in die cadat justus*, ut dicitur Proverb. XXIV, 16, et multi moriantur repente, quomodo credibile est, non mori aliquos cum peccato veniali ? Hæc est igitur prima ratio.

Secunda ratio : Cum reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur semper cum peccato tota pœna temporalis : at potest fieri, et sæpe fit, ut in tota vita aliquis non satisfecerit plene pro temporali illa pœna : ergo necessario statui debet Purgatorium. Probatur major propositio breviter : nam alibi ex professo probabitur, II. Reg. XII. cum David dixisset : *Peccavi Domino*, ait Propheta, *Deus quoque transtulit a te iniquitatem*,

(1) Jac. I. 14 et 15. — (2) I. Cor. III. 12 et 15.

Isaiam : « Sicut, inquit, Diaboli, et omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerant in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiæ sententiam judicis. »

B. Gregorius lib. IV Dialogorum, cap. 39 : « De quibusdam, inquit, levibus culpis esse ante judicium, purgatorius ignis credendus est. » Et in Psalmum tertium pœnitentialem in ipso initio : « Scio, inquit, futurum esse, ut post hujus vitæ exitum, alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. »

Origenes homil. 6. in Exodum : « Qui salvus fit, inquit, per ignem salvus fit, ut si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, et resolvat, ut efficiantur omnes aurum purum. »

Gregorius Nazianz. orat. in sancta lumina, circa finem : « In altero suo, inquit, igni baptizabuntur, qui postremus est Baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascitur, vitiique levitatem absumit. »

Basilius in cap. IX. Isaiæ : « Si igitur per confessionem, inquit, detexerimus peccatum, jam succrescens gramen aræ cimus, dignum plane quod depascatur ac devoret purgatorius ignis. » Et infra : « Non omnimodam, inquit, interrecionem, et exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, juxta Apostoli sententiam. Ipse autem salvus erit quasi per ignem. »

Eusebius Emyssenus homil. 3. de Epiphania : « Hæc pœna, inquit, infernalis illos manebit, qui amisso, et non servato Baptismo in æternum peribunt. Hi vero qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluvium ignem, per vada ferventibus globis horrenda transibunt. »

Theodoretus in scholiis Græcis in I. Corinth. III : « Hunc ipsum ignem purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur, et repurgantur, sicut aurum in conflatorio. » Œcumenius in eumdem locum : « Salvabitur et ipse quoque, non tamen citra dolorem, ut par est eum qui transit per ignem, et a concretis levioribus maculis expiatur. » Tertullianus lib. de anima, cap. 17 : « In carcerem te mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso. » Cyprianus lib. IV. epist. 2 : « Aliud est pro peccatis longo tempore cruciatum purgari, et emendari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse. »

Hieronymus lib. I. contra Pelagianos ultra med. : « Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et Diabolo tribuit pœnitentiam : quid ad nos qui Diabolum et satellites ejus, omnesque impios et prævaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato prævenit fuerint, salvandos esse post pœnas. »

Paulinus epist. I. ad Amandum : « Ob hoc impense rogamus, ut quasi frater orandi laboro conspires, ut misericors Deus refrigeret animam ejus stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras etc. » Boetius lib. IV. Prosa 4. « Nulla ne supplicia animarum post defunctum morte corpus relinquis ? et magna quidem, quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto. » Isidorus lib. I. de divinis officiis, cap. 18 : « Nam et cum Dominus dicit : Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro, demonstrat quibusdam illic dimittenda esse peccata, et quodam purgatorio igne purganda. »

Beda in Psalm. XXXVII : « Quidam, inquit, committunt quædam peccata venialia graviora et leviora, et ideo necesse est, ut hi tales in ira corripiantur, id est, in purgatorio igne nunc iterum ante diem judicii ponantur, ut quæ in eis immunda sunt, per illum exuruntur, et sic tandem idonei esse cum his, qui in dextra coronandi sunt, inveniantur. » Ibidem dicit hunc ignem graviorem esse pœnis latronum, martyrum etc.

Petrus Damianus in serm. 2. de S. Andrea : « Non tibi blandiaris si graviter peccanti levior pœnitentia a mansueto, vel a dissimulante dictatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quidquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quæsiti Altissimus. »

Anselmus in I. Corinth. III : « Nam de quibusdam levibus culpis esse ante corporum resurrectionem, purgatorius ignis credendus est. » Et ibidem asserit esse gravissimam pœnam.

Bernardus serm. de obitu Humberti : « Volat fratres irrevocabile tempus, et dum creditis vos cavere istam pœnam minimam, incurritis ampliorem : illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quam durum sit homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere, sed durius, et multo durius erit futuras molestias tolerare. »

Lactantius lib. VII. cap. 21 : « Quorum peccata pondere aut numero prævaluerint, perstringentur igne atque amburentur etc. »

Hilarius in Psal CXVIII. in illud : *Concupivit anima desiderare judicia justitiæ tuæ* : « Nobis, inquit, est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ a peccatis animæ supplicia. »

CAPUT XI.

Idem asseritur ratione.

Argumentum quartum ex rationibus. Prima ratio : Quædam peccata sunt venialia, solaque temporali pœna digna. At fieri potest, ut cum solis talibus homo decedat ex hac vita ; igitur necesse est in alia vita posse purgari.

Esse autem quædam peccata venialia, probatur ex Jacobo, qui sic ait, Jacobi I : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua ; concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum ; peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem* (1). Hic describitur peccatum veniale ex imperfectione actus. Neque locum hic habet distinctio hæreticorum de imputatione ; nam Jacobus explicat processum peccati secundum se, ac docet post tentationem concupiscentiæ, quæ sine peccato esse potest, continuo sequi peccatum, si quis non caveat ; nam ex concupiscentia oritur delectatio in parte inferiori, quæ nonnullum peccatum est non tamen mortiferum, si non adsit consensus mentis deliberatus ; ideo enim subjungit : *Peccatum vero si consummatum fuerit*, accedente nimirum pleno consensu, *generat mortem*.

Præterea I. Corinth. III : *Qui superædificat ligna, fœnum, stipulas, salvus erit quasi per ignem* (2). Hic describitur veniale ex levitate materiæ, et quomodocumque intelligamus verba Apostoli sive de hac vita, sive de alia, sive de doctrina, sive de omnibus operibus necessario cogitur exponere per ligna, fœnum, stipulas, peccata venialia, quandoquidem qui ista habet, salvatur quasi per ignem.

Augustinus lib. LXXXIII. q. 26 : « Alia, inquit, sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ ; infirmitas contraria est virtuti, imperitia sapientiæ, malitia bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quæ sint venialia peccata ; et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, et hic, et in futuro sæculo, quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur, et quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum per pœnitentiam. »

Probatur ultimo ratione ; nam intelligibile non est quomodo verbum otiosum ex natura sua dignum sit perpetuo odio Dei, et sempiternis flammis. Hic enim in terris stultissimus haberetur, qui ob levissimam offensionem amici, nec malo animo factam, nollet amplius esse amicus, imo usque ad mortem persequeretur eum, quem amicum paulo ante habuerat. Maneat igitur, quædam esse peccata venialia, ac sola pœna temporali digna. Quod autem cum ejusmodi peccatis aliqui interdum de hac vita migrent, ac proinde in alia vita purgatione temporali egeant, probatur hoc modo. Potest quis dum moritur, habere voluntatem permanendi in peccato veniali, igitur tale peccatum deleri in morte non potest : præterea cum *septies in die cadat justus*, ut dicitur Proverb. XXIV, 16, et multi moriantur repente, quomodo credibile est, non mori aliquos cum peccato veniali ? Hæc est igitur prima ratio.

Secunda ratio : Cum reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur semper cum peccato tota pœna temporalis : at potest fieri, et sæpe fit, ut in tota vita aliquis non satisfecerit plene pro temporali illa pœna : ergo necessario statui debet Purgatorium. Probatur major propositio breviter : nam alibi ex professo probabitur, II. Reg. XII. cum David dixisset : *Peccavi Domino*, ait Propheta, *Deus quoque transtulit a te iniquitatem*,

(1) Jac. I. 14 et 15. — (2) I. Cor. III. 12 et 15.

sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi morte morietur (1). Num. XII, Cum Maria murmurasset contra Dominum, punita est morbo lepræ : orante autem pro ea Moyse, dimissa est ei culpa, et tamen pœnam voluit Deus ut illa lueret per unam hebdomadam.

Ad hæc et similia respondet Calvinus lib. III. Instit. cap. 4. § 31. duo esse genera flagellorum Dei ; quædam enim sunt proprie pœnæ, et infligantur a Deo ut judice in vindictam peccatorum præteritorum, ut justitiæ satisfiat ; quædam autem sunt castigationes, quæ infligantur a Deo ut patre, non in vindictam peccatorum præteritorum, sed ad futurorum remedium, nimirum ut homo admoneatur flagello, ne iterum facilis sit ad peccandum. Primum genus, inquit Calvinus, ad solos inimicos pertinere, secundum ad solos amicos ; et proinde cum non sint istæ pœnæ ex justitia lucendæ, non esse opus ut maneat earum debitum post mortem, quando non est periculum recidendi in peccatum.

At frustra laborat Calvinus ; nam etsi fatendum est flagella justorum esse etiam paternas castigationes, et remedia contra peccata futura, tamen simul est agnoscenda vera pœna et satisfactio debita culpæ præteritæ ex justitia. Quod sic probatur ; nam in primis II. Reg. XII. exprimitur causa cur puniretur David, et non dicitur : ne iterum peccet ; sed : *Quia blasphemare fecisti nomen Domini.*

Deinde mors est vera pœna peccati originalis, et eam luunt homines justi, non ut abstineant a peccato, sed ut satisfaciant justitiæ divinæ. Quod patet, quia non est inflicta a Deo post peccatum, ut sunt castigationes paternæ, sed est lege statuta ante peccatum tamquam pœna peccati, et eadem perseverat post peccatum et peccati remissionem, ut patet Genes. II : *Quocumque die comederis, morte morieris.* Et Rom. V : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt.* Et Rom. VI : *Stipendium peccati mors* (2). Et Calvinus ipse lib. II. Institut. cap. 1. § 8. aperte confitetur, mortem veram esse peccati pœnam ; denique quomodo potest esse mors flagellum paternum ad peccatum cavendum institutum? Qui enim moritur non potest amplius emendari.

Præter mortem istam communem quæ, est pœna peccati originalis, habemus alia exempla in Scriptura eorum, qui puniti sunt morte violenta, cum eis remissum esset peccatum, cum tamen mors non possit esse paterna castigatio in remedium peccati futuri ; nam Exod. XXXII. Deus pepercerat populo orante Moyse, et tamen Moyses in vindictam peccati jussit occidi multa millia de populo sine ullo delecta. Et similiter Numer. XIV. Cum populus murmurasset, et Deus placatus a Moyse fuisset, plurimi tamen in deserto perierunt. Incredibile est autem ex tot milibus nullum fuisse qui delicti pœnituerit. III. Regum XIII. Propheta Domini quia inobediens fuit voci Domini, a leone extinguitur, juxta quod ei ab altero Propheta prædictum fuerat, et tamen ut intelligeremus ei culpam antea remissam fuisse, et sancte illum obiisse, neque ejus cadaver, neque jumentum, quo vectus fuerat Ieo tetigit, sed utrumque potius custodivit, donec venerunt qui eum sepelirent ; denique I. Corinth. XI. dicitur : *Ideo inter vos multi imbecilles, et dormiunt multi* (3). Ubi, ut exponunt Ambrosius et alii, Apostolus indicat in primitiva Ecclesia multos eorum, qui indigne communicabant, morte a Deo punitos fuisse, quibus tamen culpam antea remissam patet ex eo quod Apostolus subjungit : *A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* (4).

His accedant duo clarissima B. Augustini testimonia. Primum est tract. 124. in Joan. : « Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum, productior est enim pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa si cum illa finiretur et pœna : ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. » Secundum est in Psalm. L : « Veritatem, inquit, dilexisti ; hoc est, impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis non reliquisti, sic prærogasti misericordiam ut servares et veritatem, ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti, sic servatur misericordia, et veritas. »

Probatur jam assumptio hujus argumenti ;

(1) II. Reg. XII. 13 et 14. — (2) Gen. II, 17 ; Rom. V, 12 : Rom. VI, 23. — (3) I. Cor. XI, 30. — (4) Id. 32.

nam multi qui plurima peccata commiserunt, in articulo mortis convertuntur, quando nullam possunt agere pœnitentiam ; ex quo certe illud sequitur, ut post hanc vitam satisfacere debeant. Respondent in morte deleri omnia. Contra : nam mors est pœna peccati originalis, et ideo communis omnibus etiam infantibus, ergo pro actualibus debet inveniri alia pœna. Præterea Deus injuste ageret, nec videretur habere providentiam rerum nostrarum, si una et eadem pœna, id est, naturali morte puniret peccata magna et parva, multa et pauca.

Tertia ratio sumitur a communi opinione omnium Gentium : id enim confitentur Hebræi, Mahumetani, Gentiles, iique tam Philosophi, quam Poetæ. De Hebræis patet ex libr. II. Machabæorum, cap. 12. nam saltem fides adhibenda est ei libro quæ adhibetur Livio ; præterea Josephus filius Gorionis in libro de bello Judaico cap. 19. indicat Judæos consuevisse orare pro mortuis, non tamen pro illis qui se interimunt.

De Mahumetanis patet ex Alcorano, ubi Purgatorium diserte confitentur. De Ethnicis patet ex Platone in Gorgia, et Phædone : ex Cicerone in somnio Scipionis in fine : et Virg. VI. Æneid : « Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum supplicia expendunta : et ex Claudiano lib. II. in Ruffinum circa finem.

Quos ubi per varios amnes, per mille figuras.
Egit Lethæo purgatos flumine etc.

Neque dicat aliquis hos potius argumentum esse erroris, et fabularum, quandoquidem id sentiunt Ethnici, et Mahumetani ; nam illa in quibus omnes fere nationes conveniunt, vix possunt aliunde provenire, quam a naturali lumine omnibus hominibus communi. Quæ enim sunt excogitata et conficta ab hominibus, varia sunt, et diversa pro Gentium varietate. Sicut ergo Deum esse, in quo omnes nationes conveniunt, dicimusverissimum esse, nec tamen recipimus in particulari Deos varios et multiplices, quos sibi quælibet natio fabricavit : et sicut post hanc vitam esse pœnas, et præmia, in quo etiam conveniunt omnes, recipimus ut verum, nec tamen recipimus varias fabulas, quibus hoc explicant (nam esse pœnas, et præmia post hanc vitam docuit omnes homines cognitio divinæ providentiæ, fabulas autem ex se finxerunt) ita etiam Purgatorii confessionem, in qua omnes fere Gentes conveniunt, oportet dicere esse confessionem luminis naturalis ; ejusdem enim providentiæ divinæ cognitio docuit Purgatorium, quæ docuit infernum, et paradisum, saltem generali et confuso quodam modo, quia nimirum videmus pœnas, et præmia ita distribui in hac vita, ut plura bona habeant mali, et plura mala boni, ut plurimum : inde judicamus divinam providentiam in aliam vitam distulisse judicium, et veram distributionem præmiorum et pœnarum.

Rursum videmus ex iis, qui migrant ex hac vita, alios esse valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos, et mediocriter malos : quocirca judicamus naturali lumine esse post hanc vitam pœnas æternas pro valde malis, præmia æterna pro valde bonis, ac pœnas temporarias, et per eas transitum ad præmia pro iis qui sunt mediocriter mali, vel boni. Hanc rationem secutus est Plato, et alii, qui solo lumine naturali præditi, Purgatorium esse confessi sunt.

Quarta ratio sumitur ab apparitionibus animarum, quæ se in Purgatorio esse renuntiaverunt, atque opem a vivis imploraverunt, quas apparitiones cum viri gravissimi retulerint, non immerito veras fuisse credimus, rideant licet Lutherus, et Magdeburgenses. S. Gregorius lib. IV. Dialog. cap. 40. scribit de anima Paschasii, quæ in Thermis Puteolanis apparuit S. Germano Episcopo, et ejus precibus liberata est, et cap. 55. scribit aliud simile exemplum ; et præterea de quodam Monacho suo, pro quo triginta Missas ipsemet Gregorius dici jussit, et ex ejus apparitione didicit liberatum.

Gregorius Turonicus lib. de gloria Confess. cap. 5. scribit, B. Martino S. virginem quamdam nomine Vitalinam jam defunctam significasse se adhuc in purgatorio degere ob leve quoddam peccatum, ac paulo post precibus ejusdem S. Martini liberatam.

Petrus Damiani in epist. ad Desiderium scribit, B. Severinum Coloniensem Episcopum apparuisse cuidam Presbytero ejusdem Ecclesiæ, eique significasse se adhuc in Purgatorio graviter torqueri, quod horas canonicas non distinctis temporibus persolvisset, sed mane omnes horas simul coacervasset, ut tota die negotiis Imperialibus liberius vacare posset.

Beda lib. III. hist. Anglorum cap. 19. scribit B. Fursæum a mortuis resurgentem narrasse multa, quæ vidit de purgatoriis

pœnis, et lib. V. cap. 13. refert mirabilem visionem cujusdam Diethelmi, qui similiter mortuus, et postea reviviscens mira narravit de inferno, purgatorio et paradiso. Et vita ejus sequens, ac fructus spiritualis, quem in aliis multis operatus est, testabatur veram fuisse visionem.

S. Bernardus in vita, B. Malachiæ refert, B. Malachiæ sororem ejus defunctam non semel apparuisse cum adhuc in purgatoriis pœnis degeret, et tandem, frequenti Eucharistiæ ad Deum oblatione liberatam: et lib. I. vitæ B. Bernardi cap. 10. refert Guglielmus Abbas, qui vitam Sancti Bernardi scripsit, ipso adhuc vivente, apparuisse aliquando B. Bernardo unum ex defunctis Monachis, in Purgatorio laborantem, et precibus, ac sacrificiis viri Sancti paulo post liberatum. Quod exemplum ipsum B. Bernardum narrare solitum scribit auctor ejus vitæ.

Libro primo vitæ B. Anselmi similiter legimus, B. Anselmum annum integrum instisse sacrificiis quotidianis, et tandem apparente sibi amico defuncto, pro quo tamdiu oraverat, didicisse eum de Purgatorio liberatum. Plura similia legi possunt apud Vincentium lib. XXIII. speculi historialis, in revelationibus S. Brigittæ, et in vita Christinæ mirabilis: sed quæ attulimus sunt magis authentica.

Respondent Magdeburgenses, esse fabulas. At nec est credibile, tam sanctos viros decipere voluisse, neque etiam ipsos deceptos fuisse, cum haberent spiritum discretionis, et essent amici Dei.

Ultima ratio esse potest, quia ista opinio, quæ tollit purgatorium, non solum est falsa, sed etiam perniciosa: siquidem homines secordes facit in peccatis cavendis, et bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat nullum esse purgatorium, sed omnia peccata per mortem aboleri in iis, qui moriuntur cum fide, facile dicet apud se: Quorsum ego labero in jejuniis, precibus, continentia, eleemosynis? Cur fraudo cor meum deliciis et voluptatibus? quandoquidem in morte sive pauca, sive multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat remanere præter Gehennam, ignem acerrimum Purgatorii, et quidquid hic deletum non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera ibi diluendum, certe diligentior, cautiorque evadit.

(1) Psal. CXXVI. 2 et 3. — (2) Eccl. IX. 15.

CAPUT XII.

Solvuntur argumenta ex Scripturis.

Superest argumenta adversariorum solvere, quæ partim ex Scriptura, partim ex Patribus, partim ex naturali ratione sumuntur.

Prima objectio, Psalm. CXXVI: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (1); non igitur Purgatorium intercedit inter mortem fidelium, et cœlestis hæreditatis consecutionem.

Respondeo, tractat Psalmus de generali resurrectione, ut S. Augustinus recte exponit: et hic est sensus eorum verborum; Cum dederit dilectis suis somnum, id est, cum dormierint per corporalem mortem omnes electi, ecce hæreditas Domini, id est, continuo tunc apparebit hæreditas Christi, resurgentibus in gloria omnibus ejus electis: quæ hæreditas est etiam merces ejusdem Christi, qui passione et morte sua nos acquisivit. Itaque idem est hæreditas, et merces; idem filii, et fructus ventris; filii enim Dei per adoptionem sunt hæreditas Domini; et iidem filii, qui et fructus ventris appellantur, sunt ejusdem Domini merces. Adde quod in textu Hebraico, quem adversarii Latino præferunt, non habetur, cum dederit, sed sic dabit יִתֵּן. Proinde ruit vis tota argumenti, non enim exprimitur quando adveniet hæreditas Domini.

Secunda objectio, Ecclesiastæ IX: *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas* (2). Videtur enim sapiens his verbis significare voluisse, nullum esse remedium in alio sæculo.

Respondent aliqui, hæc dici a Salomone in persona impiorum, qui non modo Purgatorium, sed etiam Gehennam tollunt, et nihil omnino esse credunt præter hanc vitam. Alii docent Salomonem ad eos loqui, qui otiose et flagitiose vivunt, et ad Gehennam recta proficiscuntur: quo in loco verissimum est nullum esse remedium vel solatium. Utramque expositionem attingit S. Hieronymus in commentario. At sanctus Gregorius lib. IV. Dialog. cap. 39. accommodat hæc omnia satis apte ad eos etiam, qui ad Purgatorium deducuntur; nam soli illi purgari possunt, et precibus viventium juvari, qui dum hic viverent, id meruerunt bonis suis operibus, ut in alia vita juvari possent; quare omnes debent in hac vita quidquid possunt boni peragere, quia in alia vita non juvabuntur, nisi per ea, quæ hic gesserunt, meruerint, ut juvari possent.

Tertia objectio, Ecclesiastæ XI: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit* (1). Non igitur, inquiunt, datur tertius locus, id est, Purgatorium, unde aliquando exeundum sit.

Respondeo, ad litteram Sapientem loqui de morte corporali, ac velle dicere, ita homines necessario morituros, et cum mortui fuerint, per se numquam surrecturos, quemadmodum lignum tandem aliquando cadit, et ibi manet, ac putrescit, ubi cecidit. Si tamen velimus hæc ad statum animæ accommodare, tum dicendum erit, eos qui ad Purgatorium pertinent, ad austrum cecidisse, id est, ad statum salutis æternæ, et in eo statu salutis perpetuo permansuros: vel certe dici poterit per austrum gloriam coelestem, per aquilonem Gehennam intelligi, sed non omnes cadere ad austrum, aut ad aquilonem. Porro hunc locum nihil officere assertioni Purgatorii, ex eo etiam intelligi potest, quod si Purgatorii assertioni officeret, officeret etiam assertioni ejus loci, ad quem sancti Patres ante Christi adventum descendebant, sive is locus sinus Abrahæ, sive limbus Patrum, sive infernus nominatur; constat enim Patres in eo loco non mansisse perpetuo. Vide Hieronymum in commentario, et Bernardum serm. 49. ex parvis.

Quarta, objectio, Ezechielis XVIII: *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (2). At quomodo, inquit Petrus Martyr, non recordatur Deus iniquitatum amicorum suorum, si eas tam severe in purgatorio punit?

Respondeo dupliciter. Primo, non recordari iniquitatum, nihil aliud esse, quam non servare inimicitiam cum eo qui peccavit; nam si recordari iniquitatum, esset punire mala merita, recordari justitiarum esset remunerare bona merita. At non concedunt adversarii, recordari justitiarum, esse remunerare bona merita, ne videlicet merita justorum admittere cogantur, igitur neque debent concedere, recordari iniquitatum esse punire iniquitates; nam Ezechiel eodem modo de justitia et de iniquitate loquitur.

Secundo responderi potest, recordari iniquitatum esse quidem punire, sed punire in æternum; nam cum ibidem legimus, si justus averterit se a justitia, omnes justitiæ ejus non recordabuntur: cogimur ita exponere, ut dicantur justitiæ tradi oblivioni, non quod non remunerentur temporali aliquo præmio, sed quod non liberent hominem a Gehenna, nec remunerentur præmio sempiterno; nam alioqui opera bona impiorum non fraudari temporali mercede, docent Patres, Chrysostomus homilia 67. ad populum Antiochenum, Hieronymus in cap. 29. Ezechielis, Augustinus lib. V. de civitate Dei cap. 15. et Gregorius hom. 40. in Evangelia, et colligitur ex illis verbis Lucæ XVI: *Recepisti bona in vita tua* (3).

Quinta objectio, Matthæi XXV. Duo solum ordines hominum inveniuntur; aliis enim dicitur: *Venite benedicti*. Aliis: *Ite maledicti*. Item Marci ultimo: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Denique Joannis III: *Qui credit, non judicatur; qui non credit, jam judicatus est* (4); non igitur, inquit Brentius, locus ullus remanet Purgatorio, cum duo solum sint loca post hanc vitam. »

Respondeo, in extremo judicio, de quo agitur Matth. XXV, recte duos tantum fieri ordines, quia tunc Purgatorium finem accipiet ac deinceps duo tantum loca remanebunt, Paradisus, et Gehenna. Porro, qui credit, salvus erit, et non judicatur, id est, non condemnatur, modo etiam addat cætera quæ requiruntur; fides enim ex se justificat, et salvat, si aliunde non sit impedimentum. Quemadmodum dicere solemus, ex hoc semine nascetur arbor, si videlicet non desint calor solis, humor aquarum, et si qua alia requiruntur; neque continuo qui salvus erit per fidem, sine Purgatorio salvus erit, multi enim salvantur, sic tamen quasi per ignem, ut supra ex Apostolo demonstravimus.

(1) Eccl. XI, 3. — (2) Ezech. XVIII. 21. — (3) Luc. XVI. 25. — (4) Matth. XXV. 34 et 41; Marc. XVI. 16; Joan. III. 18.

Sexta objectio, Lucæ XXIII. Latroni in extrema hora converso dicitur a Christo: *Hodie mecum eris in Paradiso* (1). Non ergo, inquiunt Petrus Martyr, et Bernardinus Ochinus, remanet Purgatorium pro iis, qui in hac vita non egerunt pœnitentiam. Respondeo, mortem illam durissimam patientissimo animo toleratam, et confessionem tam admirandam eo tempore, quo Christum Apostoli ipsi negabant, potuisse juste in plenam satisfactionem reputari. Adde, quod privilegia paucorum legem non faciunt.

Septima objectio, Rom. VIII. Nihil damnationis est iis, qui in Christo Jesu.

Respondeo, Paulum eo loco disputare de concupiscentia, ac velle dicere, iis qui sunt in Christo Jesu, et ejus gratia muniti, non consentiunt motibus carnis suæ, nihil peccati contrahere ex ejusmodi motibus. Itaque hic locus non Purgatorium oppugnat, sed hæresim adversariorum, qui vera peccata esse volunt eos etiam motus, quos interdum justus sentit, licet eis non consentiat.

Octava objectio II. Corinth. V: *Si domus terrenæ nostræ habitationis dissolvitur, habemus domum non manu factam, æternam in cœlis* (2). rectaigitur post mortem sine ullo Purgatorio pii homines transferuntur in cœlum.

Respondeo, B. Paulum id solum asserere, patere domum cœlestem post mortem, non patere ante mortem. Quod autem continuo omnes pii transferantur ad cœlum post mortem, ipsum non dicere, sed contrarium potius indicare, cum ait: *Si tamen vestiti et non nudi inveniamur*. Significat enim his verbis eos, qui meritis et virtutibus vestiti sunt, ac proinde perfectam pœnitentiam in hac vita egerunt, mox in domum cœlestem deduci; alios autem salvari quidem, sed sic tamen, quasi per ignem, ut ipse idem ait, I. ad Corinth. V.

Nona objectio, II. Corinth. V: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore sive bonum, sive malum* (3). At si post hanc vitam peccata remitterentur, et locus esset purgationi, certe non reciperet unusquisque prout gessit in corpore.

Respondeo, verissimam esse B. Pauli sententiam; Nam etiam illi, qui remissionis et purgationis locum inveniunt in futuro sæculo, nihil recipiunt, nisi quod gesserunt in corpore; id enim meruerunt perseverando in fide et charitate usque ad mortem, ut etiam post mortem purgari et juvari possent. Qua ratione etiam sancti viri post mortem, etsi nihil proprie mereantur, tamen impetrant a Domino quidquid postulant, quoniam id meruerunt in hac vita recte vivendo, ut etiam post hanc vitam a Domino exaudirentur. Vide hoc ipsum quod nos docemus, apud Dionysium lib. de Eccles. hierarch. cap. ultim. part. 3. apud Augustinum lib. Enchiridii cap. 110. et lib. de cura pro mortuis c. 1. et apud Gregorium lib. IV. Dialogorum cap. 39. Atque ad eumdem modum intelligenda sunt illa: *Reddet unicuique secundum opera sua*, Roman. II. Et illa: *Unusquisque onus suum portabit*. Et: *Quæ seminaverit homo, hæc et metet*. Galat. VI. (4)

Decima objectio, Apocalypsis XIV: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos* (5). At pii omnes in Domino moriuntur, omnes igitur pii post mortem requiescunt, neque ullus est qui in Purgatorio torqueatur.

Respondeo cum S. Anselmo, in commentario hujus loci, illud, *amodo*, non significare a morte uniuscujusque, sed ab extremo in judicio, de quo in toto eo capite S. Joannes loquitur. Itaque hic erit sensus: Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo enim, id est, a fine hujus judicii, de quo nunc loquor, in æternum requiescent a laboribus suis; vel si id minus alicui probetur, respondere possumus cum Richardo de S. Victore, et Haymone in hunc locum, loqui B. Joannem de viris perfectis, ac præsertim de sanctis Martyribus, (eos enim eo loco consolari volebat) qui simpliciter moriuntur in Domino, neque aliquid purgandum secum ferunt; nam qui decedunt cum peccatis venialibus, aut cum debito pœnæ alicujus temporalis, ii non simpliciter moriuntur in Domino, sed partim in Domino ratione charitatis, quam secum ferunt, partim non in Domino ratione peccatorum, quæ nihilominus secum ferunt. Neque mirum videbitur, quod aliquos dicamus mori partim in Domino, partim non in Domino, si legatur S. Augustinus lib. III. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. ubi eosdem homines in hac vita partim esse dicit filios Dei, partim filios hujus sæculi. Atque hæc de Scripturis.

(1) Luc. XXIII. 43. — (2) II. Cor. V. 1. — (3) II. Cor. V. 10. — (4) Rom. II. 6; Galat. VI. 5 et 8. — (5) Apoc. XIV. 13.

CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Ex Patribus profert Brentius primo Cyprianum, qui tract. I. contra Demetrianum, ait in fine: « Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus. »

Respondeo, loqui eum de satisfactione pro culpa, quæ præcedit justificationem. Patres enim diserte duplicem ponunt satisfactionem. Unam ante justificationem, qua Deus placatur de congruo: et inclinatur ad culpæ remissionem, de qua Daniel IV: « Peccata tua eleemosynis redime. » Alteram post justificationem, qua Deo ex condigno satisfit pro pœna. Quod hic Cyprianus de priore loquatur, patet ex præcedentibus, ubi ait: « Hortamur, inquit, dum adhuc aliquid de sæculo superest, Deo satisfacere, et ad veræ religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere. » Item ex sequentibus: Nam post verba citata a Brentio, immediate sequitur: « Hic vita aut amittitur, aut tenetur. »

Secundo, profert Chrysostomum hom. II. de Lazaro, ubi sic dicitur: « Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere. » Et rursum: « Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inventuri sunt. »

Respondeo, loqui eum de remissione mortalium; nam exemplo Epulonis, qui in Gehenna cruciabatur, monet, ne differamus conversionem in aliam vitam. Nemo autem Catholicorum docet, culpas læthales remitti in Purgatorio.

Tertio, proferunt Ambrosium lib. de Bono mortis cap. 2. « Qui enim, inquit, hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum in patria beatorum. »

Respondeo, loqui Ambrosium de remissione mortalium: Nam subjungit explicans: « Non erit autem, quia ad vitam æternam non potuerit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est; » ubi vitam æternam vocat gratiam justificationis, quæ est vita quædam æterna inchoata; nisi enim hic vitam æternam inchoemus, nunquam ad gloriam beatorum veniemus.

Quarto, objicit Petrus Martyr eumdem Ambrosium, qui in cap. XXIII. Lucæ, et serm. 46. ait: « Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego. »

Respondeo, appellari satisfactionem eo loco excusationem. Solemus enim vulgo dicere; Ego satisfaciam illi, id est, purgabo verbis crimen objectum, et ostendam me injuste accusari. Laudat igitur ibi Ambrosius Petrum, quod non excusaverit peccatum suum, quomodo Adam fecit, sed lacrymis potius confessus fuerit, et accusaverit, sic enim subjungit: « Recte plane Petrus flevit, et tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari, et quod defendi non potest, ablui potest. » Et supra dixerat: « Invenio quod fleverit, non invenio quid dixerit, quia nimirum nihil Petrus dixerat in sui purgationem. »

Quinto objicit Calvinus Augustinum tract. 49. in Joan: « Habent, inquit, omnes animæ, cum de sæculo exierint, diversas receptiones suas; habent gaudium boni, et mali tormenta; sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. » Et infra de gaudio bonorum loquens: « Requiem, inquit, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur. »

Respondeo, gaudium et requiem dari statim a morte omnibus, qui in charitate decedunt; Nam mox omnes certi fiunt suæ æternæ salutis, quod ingens gaudium affert; tamen non eodem modo datur istud gaudium, sed diversimode, pro meritorum diversitate; quibusdam enim datur sine admixtione doloris, quibusdam non sine temporalium admixtione pœnarum, ut idem B. Augustinus sæpissime docet.

Sexto, objiciunt Augustinum lib. Hypognostici ultra medium: « Primum, inquit, locum fides Catholicorum divina auctoritate credit, regnum esse cœlorum; secundum, Gehennam, ubi omnis apostata, vel a fide Christi alienus, æterna supplicia experietur; tertium penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis sanctis invenimus. » Idem habet sermone 14. de verbis Apostolicis et lib. I. cap. 28. de peccatorum meritis et remissione.

Respondeo, loquitur de locis æternis, Scribit enim contra Pelagium, qui invenerat tertium locum pro parvulis non baptizatis, quos volebat fore beatos quadam naturali beatitudine extra infernum, et extra regnum cœlorum. Quod autem non negaverit Augustinus, aut quicumque fuit, auctor Hypognostici, tertium locum temporarium post hanc vitam, ex eo potest intelligi, quod fides Catholica docet præter cœlum et infernum fuisse ante Christi passionem sinum Abrahæ, ubi degebant animæ sanctorum Patrum, Luc. XVI. inepte igitur Erasmus ponit in margine ad illa verba : tertium penitus ignoramus Purgatorium, quasi dicat, Purgatorium est locus tertius, quem ignorat fides Catholica.

Septimo, Petrus Martyr objicit eumdem Augustinum, exponentem illud Psalm. XXXI. Beati quorum tecta sunt peccata, ubi sic ait : « Si texit peccata, noluit advertere : si noluit advertere, noluit animadvertere : si voluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. » Respondeo, loqui eum de pœna æterna ; Nam de temporali, quod eam requirat Deus, patet ex locis supra citatis ex eodem Augustino tract. 124. in Joan. et in Psal. L.

Octavo, proferunt Augustinum in epistol. 54. ad Macedonium, ubi dicit, post hanc vitam non esse locum morum corrigendorum. Respondeo, nihil hoc facit ad rem ; Nam etsi non erit post hanc vitam locus, ubi flagitiosi convertantur, et mores suos corrigant ; erit tamen, ubi peccata levia justorum, quæ flagitia dici non possunt, purgentur, et pro criminibus jam dimissis pœna temporalis lui possit.

Nono, objiciunt eumdem Augustinum in epist. 80. ad Hesychium : « In quo, inquit, quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur. » Respondeo, significat Augustinus post hanc vitam non crescere merita vel demerita, et ideo judicandos omnes ad gloriam, vel ad Gehennam, et ad majora vel minora præmia vel tormenta, prout erunt opera facta ante mortem.

Objiciunt decimo Theophylactum, qui in cap. VIII. Matth. sic ait : « Anima egressa, in mundo non erat : justorum enim animæ in manu Dei sunt, peccatorum vero et ipsæ hinc abducuntur, ut animæ divitis. » Respondeo, indicat Theophylactus, non vagari libere animas per mundum, ut dæmones faciunt, sed clausas esse in suis receptaculis, et quamquam non meminit nisi duorum locorum, tamen non excludit alia. Possumus autem animas, quæ ad Purgatorium deducuntur, revocare ad quodlibet eorum duorum, quæ ipse ponit ; Nam quia justæ sunt, recte possunt dici esse in manu Dei, licet non sint in regno ; et similiter dici possunt esse in inferno, quia Purgatorium pars est inferni, vel certe locus vicinus.

Undecimo, Hieronymum objiciunt, qui sic in cap. IX. Amos loquitur : « Quando anima vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, sive quo ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est : In inferno quis confitebitur tibi ? aut certe ad cœlestia sublevabitur. »

Respondeo, non loqui Hieronymum de morte naturali, sed de solutione animæ a corpore per speculationem ; Nam disputat eo loco de anima impia, quæ quocumque se verterit cogitatione, ibi Deum ultorem inveniet. Itaque cum dixisset : « Aut certe ad cœlestia sublevabitur », subjungit : « ubi sunt spiritualia nequitiæ in cœlestibus et si sibi vere circumcisionis scientiam voluerit vendicare, et humilitate concepta habitare in montibus, et ibi scrutantem manum Dei evadere non valebit ; quod si desperans salutem oculos Domini vitare tentaverit, et in ultimos falsorum fluctuum terminos pervenire, etiam ibi mandabit Dominus serpenti tortuoso, et antiquo, qui est inimicus, et ultor, et mordebit eam. Capta quoque vitiis atque peccatis, gladio Domini percutietur, ut per cruciatus, atque supplicia ad Dominum reveriatur. »

CAPUT XIV.

Solvuntur objectiones ex ratione depromptæ.

Ultimo, argumenta sumunt a rationibus. Prima ratio ; Post remissam culpam nulla remanet pœna ; Nam remissio culpæ fit per meritum passionis Christi, quod est infinitum et sufficientissimum ad tollendum omnem culpam et pœnam, nihil igitur purgandum superest post justificationem.

Respondeo, primum retorquendo argumentum, nam si Christus satisfecit pro omni culpa, et pœna nostra, cur post remissam culpam adhuc tam multa patimur, et tandem etiam morimur ? et ne dicant esse paternas castigationes in remedium futuri peccati cur infantes baptizati ægrotant, qui non sunt capaces peccati actualis ? Dico igitur Christi meritum sufficere ad omnem culpam, et pœnam tollendam, sed debere applicari, ut sit efficax, alioqui omnes homines salvarentur.

Porro applicatio fit per actus nostros et Sacramenta. Voluit autem Deus ut post Baptismum per contritionem et confessionem, cum absolutione Sacerdotis, applicetur meritum Christi ad tollendam culpam, per opera autem satisfactoria applicetur ad tollendam pœnam temporalem ; nam pœna æterna commutatur in temporalem, quando remittitur culpa ; quia cum remittitur culpa, redditur amicitia, et datur consequenter jus ad gloriam, ac proinde non debet puniri in æternum, quia eo modo numquam ad gloriam perveniret, et tamen justitia exigit : ut peccatum puniatur aliquo modo, ideo mutatur pœna æterna in temporalem, de qua re dictum est aliquid supra, et plura dicentur in disputatione, de satisfactione.

Secunda ratio ; In Baptismo remittitur omnis culpa et pœna ; sed Pœnitentia est quædam Baptismi commemoratio, imo est Baptismus quidam ; nihil igitur post pœnitentiam remanet purgandum.

Respondeo, si Sacramentum pœnitentiæ accipiatur Catholice, et integre, ut comprehendit contritionem, confessionem, et satisfactionem, plenam et jam perfectam, potest admitti totum argumentum ; si autem accipiatur pro sola absolutione, in qua præcipue Sacramentum consistit, negatur consequentia : Nam maximum discrimen est inter Sacramentum ablutionis, et Sacramentum absolutionis, cujus ignoratio causa est omnium errorum de satisfactione, de clavibus, de indulgentiis, de Purgatorio.

Dicimus ergo, in Sacramento Baptismi, Deum liberalissime agere, et applicare Christi meritum per unam illam actionem ablutionis, ad tollendam omnem culpam et pœnam futuri sæculi, id est, tam Gehennæ, quam Purgatorii : nam pœnas temporales hujus vitæ ne Baptismus quidem aufert, ut patet in pueris baptizatis ægrotantibus, et morientibus. At in Sacramento absolutionis Deum contrahere nonnihil manum, et applicare Christi meritum ad tollendam culpam, et pœnam æternam ; tamen adhuc requirere opera pœnitentiæ, quibus redimamus temporales pœnas, id quod patet ex cap. VI. ad Hæbræos, ubi dicit Apostol : *Impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati*, id est, baptizati, *iterum renovari ad pœnitentiam* (1), nimirum baptismalem, quia Deus semel tantum utitur ea liberalitate. Et cap. X : *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis*, id est, post illuminationem Baptismi, *non relinquitur hostia pro peccato* (2), id est non relinquitur alius Christus patiens, et moriens, cui possimus rursum commori per Baptismum ; Sic enim exponunt hæc duo loca omnes veteres Græci, et Latini.

Ex quo habetur argumentum insigne pro Purgatorio : Nom statim ponitur, adversativa particula, sed *terribilis expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios*. Si enim iste ignis significaret solum ignem Gehennæ, sequeretur, omnes qui peccant post Baptismum necessario damnandos, vel certe Paulum inepte loqui. Nec enim recte dicimus, peccanti post Baptismum, non relinquitur alius Baptismus, sed Gehenna, si præter Baptismum sunt alia remedia, ut revera sunt.

Oportet ergo dicere, B. Paulum per ignem intelligere ignem in genere, sive Gehennæ, sive Purgatorii, ita ut hic sit sensus ; Peccanti post Baptismum, non relinquitur alius Baptismus, neque aliquod remedium æquivalens, id est, æque facile, quod mox liberet ab omni pœna ; sed relinquitur ignis necessario, aut perpetuus, si homo non convertatur, aut temporalis, si convertatur, qui tamen ignis temporalis Purgatorii erit in alio sæculo, nisi afflictionis ignis voluntarie assumptus purgaverit hominem in hac vita, et hæc est quam vocamus satisfactionem.

Idem patet ex Patribus, qui propterea Baptismum aquæ vocant Baptismum facilem, et comparant navi, qua facile trajiciuntur flumina ; At pœnitentiam vocant Baptismum laboriosum, lachrymarum, ignis et secundam tabulam post naufragium.

Denique ratio idem suadet ; nam post pri-

(1) Hebr. VI. 4 et seq. — (2) Hebr. X. 26.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mam reconciliationem qui peccat, tanto gravius peccat, quanto est magis ingratus, et majus lumen, et auxilium habuit. Vide Gregorium Nazianzenum oratione in sancta lumina et Theodoretum in Epitome divinorum decretorum, capite penultimo, et Damascenum lib. IV. cap. 10.

Tertia ratio; Christi honor debet illibatus manere, ipse enim solus est liberator, et redemptor noster. At si nos satisfacimus, jam dividimus cum Christo honorem; sumus enim et nos ex parte aliqua redemptores nostri, nec totam salutem nostram, sed solum partem Christo delebimus.

Respondeo, si de verbis agitur, Scriptura aperte dicit Daniel IV: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et Philipp. II: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* (1), ubi homo sui ipsius redemptor et salvator appellatur; nec propterea ulla sit Christo injuria, siquidem tota virtus operum et satisfactionis nostræ a Christi sanguine pendet, et si redimimus peccata, vel operamur salutem, id facimus per ejus spiritum nobis donatum, vel potius ipse Christi spiritus in nobis ista operatur, sicut nihil detrahitur Deo, quod per secundas causas operetur; imo potius additur ad gloriam ejus, quia hinc apparet magis potentia et efficacitas Dei, cum non solum operari possit, sed etiam dare aliis rebus vim operandi.

Quarta ratio: Si applicatur nobis per nostra opera Christi satisfactio, vel sunt duæ satisfactiones simul junctæ, una Christi, altera nostra, vel una tantum; si duæ, ergo bis punitur eadem culpa, et duæ pœnæ respondent uni culpæ, si una tantum, vel illa est Christi, et tunc nos non satisfacimus; vel nostra, et tunc excluditur Christus, aut vere dividemus cum Christo honorem; Nam ille solvet pro culpa, nos pro pœna.

Respondeo, tres esse modos dicendi. Primus quorumdam est, qui asserunt esse, unam tantum, et illam Christi esse, ac nos proprie non satisfacere, sed solum facere aliquid, cujus intuitu Deus applicat nobis Christi satisfactionem, quod est dicere, nostra opera non esse nisi conditiones, sine quibus non applicaretur nobis Christi satisfactio, vel ad summum, esse dispositiones. Ita Michael Baius lib. de Indulgentiis cap. ultimo, quæ sententia erronea mihi videtur, nam Scriptura et Patres passim vocant nostra opera satisfactiones, et peccatorum redemptiones. Deinde si potest homo justus suis operibus mereri de condigno vitam æternam cur non satisfacere pro pœna temporali, quod est minus?

Secundus est aliorum, quod sint duæ, sed una ab altera pendens, qui modus non videtur mihi improbabilis; Nam etiamsi una sufficeret, tamen ad majorem gloriam Dei, qui satisfit, et majorem honorem hominis satisfacientis, placuit Christo conjungere nostram suæ: Quomodo una gutta sanguinis Christi sufficiebat redimere mundum, et tamen voluit totum sanguinem effundere, ut esset copiosissima redemptio; quomodo etiam homo justus adultus, duplici titulo jus habet ad eamdem gloriam, uno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.

Tertius tamen modus videtur probabilior, quod una tantum sit actualis satisfactio, et ea sit nostra; neque hinc excluditur Christus, vel satisfactio ejus; nam per ejus satisfactionem habemus gratiam, unde satisfacimus, et hoc modo dicitur applicari nobis Christi satisfactio, non quod immediate ipsa ejus satisfactio tollat pœnam temporalem nobis debitam, sed quod mediante eam tollat, quatenus videlicet ab ea gratiam habemus, sine qua nihil valeret nostra satisfactio.

Præter has hæreticorum objectiones discutiemus etiam duas alias objectiones, quas Theologi proponere solent, ut rei veritas clarius elucescat. Sit igitur.

Quinta ratio; In Purgatorio non est meritum, ergo nec satisfactio: Nam idem requiritur ad merendum, et satisfaciendum, et omnis satisfactio est meritoria.

Respondeo, negandam esse consequentiam: nam requiruntur quidem communia quædam ad meritum, et satisfactionem, sed etiam quædam propria, ex quorum defectu aliquod est meritum sine satisfactione, et e contrario. Requiritur ad utrumque gratia inhabitans, sed hoc non sufficit? Nam ad satisfactionem requiritur, ut opus, quod fit, sit pœnale, quod non requiritur ad meritum. Ad meritum requiritur libertas, quam sequitur laus; id quod non requiritur ad satisfactionem; qui enim a judice cogitur solvere debitum, vere satisfacit, etiamsi coactus. Requiritur præterea ad merendum status viæ; Deus enim Agonotheta

(1) Dan. IV. 24; Philipp. II. 12.

noster stadii tempus, præsentem vitam esse voluit; hinc igitur animæ, degunt in Purgatorio, quia mediæ sunt, quoad statum inter viatores et beatos, vel damnatos; (nam sunt confirmatæ in bono, et tamen adhuc retardantur a consecutione summi boni) ideo possunt satisfacere, non mereri, cum nos utrumque possimus; beati et damnati neutrum.

Sexta ratio; Purgatorium constituitur partim ad remissionem culpæ venialis, partim ad satisfaciendum pro pœna, sed neutrum habet locum post hanc vitam; nam ejus est a culpa resurgere, cujus est in culpam incidere, sed post hanc vitam non possunt animæ committere venialia peccata. Præterea peccata omnia remittuntur per pœnitentiam, sed post hanc vitam non est pœnitentia; nam idem est hominibus mors, quod Angelis casus, ut Damascenus dicit lib. II. cap. 4. Sed Angeli per casum facti sunt immobiles in malo. Denique in hac vita, sicut potest homo justus mereri gratiæ augmentum, ita etiam remissionem venialium offensarum. At post hanc vitam nullum est meritum. De pœna autem probatur sic: Pœna est propter culpam, crescente culpa, crescit pœna, decrescente culpa decrescit pœna: ergo remota culpa, removetur pœna.

Respondeo, nec defuerunt, qui propter hæc argumenta negarent peccatum veniale post hanc vitam posse remitti, ut B. Thomas refert in IV. dist. 21. quæst. 1. artic. 2. Sed dicebant remitti omnia venialia in ipsa morte per gratiam finalem; At errabant, quia Scripturæ et Patres diserte docent post hanc vitam remitti peccata levia, neque fundamentum eorum est solidum; nam gratia finalis non potest remittere peccatum, quod actu placet, imo quod non displicet aliquo modo; At potest quis mori in complacentia peccati venialis, vel certe sine ullo actu, ut si moriatur repente, vel phræneticus, vel dormiens.

Alii, ut Scotus in IV. dist. 21. quæst. 1. dicunt, peccatum relinquere solum in homine, postquam actus transiit, reatum pœnæ, et ideo peccatum veniale dici remitti in Purgatorio, quia totaliter ibi punitur; mortale autem non dici remitti post hanc vitam quia non punitur unquam ibi totaliter; nisi enim in hoc mundo mutetur reatus pœnæ æternæ in reatum pœnæ temporalis, et sic incipiat hic remissio, non poterit ibi purgari. Hæc sententia falsa est, tum quia sine ullo dubio peccatum relinquit in homine præter reatum pœnæ, etiam maculam, aut aliquid simile, per quod dicatur homo formaliter peccator, et dignus pœna, tum etiam, quia hoc modo revera peccata venialia non possent dici remitti in Purgatorio, non enim remittitur, quod totaliter punitur; remissio enim sonat condonationem.

Alia est opinio ejusdem Scoti ibidem, peccata venialia remitti in primo instanti separationis animæ a corpore, remitti autem per merita præcedentia. Dicit enim ipse, omne opus bonum quod magis placet Deo, quam displiceat veniale peccatum, remittere venialia peccata; cæterum dum homo vivit, non remitti omnia venialia per hujusmodi opera bona, quia est impedimentum ipsius complacentiæ peccati, quo impedimento sublato, quod fit in primo instanti post mortem, mox remitti peccatum. Non placet, quia non est probabile per omne opus bonum remitti venialia, nisi adsit displicentia saltem virtualis illorum peccatorum.

Deinde, quia sequeretur post hanc vitam numquam remitti nisi unum peccatum, nimirum illud, cujus actus continuatur usque ad mortem, id quod ipse admittit, sed est contra Scripturas et Patres; ut ex dictis patet. Tertio, quia non esset opus orare pro defunctis, ut a culpis venialibus solverentur, ut Ecclesia orat, ut patet apud Dionysium cap. ult. Eccles. hierarch. et ex orationibus Ecclesiæ, quibus petimus dimittantur eis, quæ humana fragilitate contraxerunt.

Est ergo opinio vera B. Thomæ in IV. distinct. 21. quæst. 1. articul. 2. dimitti in Purgatorio culpas veniales, per actum dilectionis et patientiæ; illa enim acceptatio pœnæ a Deo inflictæ, cum ex charitate prodeat, dici potest virtualis quædam pœnitentia, et licet non sit proprie meritoria, quia non meretur gloriæ vel gratiæ augmentum, tamen est remissoria peccati.

Ad primum negatur major universaliter; Nam habet locum solum in mortalibus peccatis; quod enim ad venialia attinet, potest in purgatorio anima liberari a veniali, quia habet media convenientia, id est, actum dilectionis peccato contrarium, non tamen potest cadere in peccatum veniale, quia caret fomite, et præterea quia est in bono confirmata.

Ad secundum dico, post hanc vitam non esse pœnitentiam de mortalibus, quia dam-

nati sunt obfirmati in malo, et hoc sibi vult Damascenus, tamen in animabus Purgatorii bene potest esse displicentia peccati, eaque ex charitate, et proinde utilis.

Ad tertium dico, animas Purgatorii non esse omnino in via, et propterea non posse mereri augmentum gratiæ : tamen neque esse omnino in termino, et ideo posse aliquid facere, quod pertineat ad peccati venialis remissionem.

Ad alteram partem argumenti respondeo, pœnam pendere a culpa in fieri, non in esse, et ideo illud (decrescente culpa, decrescit pœna) si intelligatur quod quo minor est culpa, eo minorem generat pœnam, verum est, alioqui est falsum, nam etiam ob culpam præteritam debetur pœna.

CAPUT XV.

Purgatorii confessionem ad fidem Catholicam pertinere.

Superest nunc, ut Petri Martyris sententiam discutiamus, qui in commentario cap. III. prioris ad Corinthios contendit, Purgatorium esse, non posse ad dogma fidei ullo modo pertinere; quæ fuit prima Lutheri opinio, sive primus ejus error. Rationes ejus sunt quinque.

Prima, quia scriptura tacuit Purgatorium in iis locis, ubi maxima fuit occasio de eo loquendi. Nam in Genesi cap. XLIX. describuntur funera Abrahæ, Isaac, Jacob, Saræ, Rachelis, diligentissime, et tamen ne verbum quidem de Purgatorio. Item in Levitico instituuntur sacrificia plurimorum generum pro variis rebus, et nullum instituitur pro defunctis. Denique Paulus in priori epistol. ad Thessal. cap. IV. cum ex professo de mortuis agat, nihil dicit de Purgatorio, sed solum asserit eos resurrecturos, et concludit : *Consolamini invicem in verbis istis.* (1)

Secunda ratio est, quia Ecclesia Græca, quæ est altera pars Ecclesiæ, diu restitit huic dogmati in Concilio Florentino, ergo si usque ad nostra fere tempora media pars Ecclesiæ non credidit Purgatorium, quomodo est articulus fidei?

(1) I. Thess. IV, 17.

Tertia ratio est, quia Dionysius cap. ult. Ecclesiasticæ hierarchiæ, quæstionem proponit; Cur Antistes in sepultura fidelium oret pro defunctis, et Purgatorii non meminit, sed anxie laborat, ut quæstionem solvat. At si Purgatorium esset dogma fidei, potuisset statim facillime respondere, orare pro defunctis, ut a Purgatorio liberentur.

Quarta ratio est, quia B. Augustinus dissertis verbis asserit, se habere opinione tantum incerta, non certa fide Purgatorium esse, in Enchiridio cap. 69 : « Tale, inquit, aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit, quæri potest, et aut inveniri, aut latere nonnullos fideles, per ignem quemdam Purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve salvari. » In libro de octo quæstionibus Dulcitii quæst. 1 : « Sive ergo, inquit, in hac vita tantum homines ista patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret quantum arbitror a ratione veritatis iste intellectus hujus sententiæ. » Idem habet lib. de fide et operibus cap. 16. Denique lib. XXI. de Civitate Dei cap. 26. ait : « Post istius sane corporis mortem, donec ad illum veniatur : qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis, et remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, et amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, fœnum, et stipula consumatur : alii vero sentiant, qui ejusmodi secum ædificia portaverunt, sive ibi tantum, sive hic, et ibi, sive ideo hic, ut non ibi, sæcularia, quamvis a damnatione venialia, concremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan verum est. »

Quinta ratio est, quia Scriptura aperte repugnat, Joan. V. Luc. XIII. Apocal. XIV. ut supra attulimus, et refutavimus.

Hæc sunt ipsius firmamenta, quæ adeo nos nihil movent, ut constanter iterum asseramus, dogma esse fidei Purgatorium, adeo ut qui non credit Purgatorium esse, ad illud numquam sit perventurus, sed in Gehenna sempiterno incendio cruciandus. Nam dogmata fidei quatuor modis probari solent.

Primo, ex testimonio expresso Scripturæ cum Ecclesiæ declaratione, quomodo probamus, Christum esse ὁμοούσιον Patri, ex illo Joan. X : *Ego et Pater unum sumus*(1), addita Nicæni Concilii declaratione; nam alioqui numquam iis cum Arianis finiri potuisset, cum eum locum, et omnia alia, quæ afferri solent, ipsi aliter exponerent.

Secundo, per evidentem deductionem ex iis, quæ habentur expresse in Scriptura; quomodo probamus, Christum habere duas voluntates, divinam et humanam, quia secundum Scripturas Deus et homo est, addita Concilii sexti declaratione.

Tertio, ex verbo Dei per Apostolos non scripto, sed tradito, quomodo probamus Evangelia et Epistolas Pauli esse divinas Scripturas.

Quarto, per evidentem deductionem ex verbo Dei tradito; quomodo B. Augustinus passim probat, peccatum originale esse in pueris necessario credendum, etiamsi in Scripturis non haberetur, quia deducitur evidenter ex traditione Apostolica de Baptismo parvulorum. Sufficientia horum quatuor modorum inde patet, quia id solum est de fide, quod est a Deo revelatum mediate, vel immediate; revelationes autem divinæ partim scriptæ sunt, partim non scriptæ. Itaque decreta Conciliorum, et Pontificum, et Doctorum consensus, et alia omnia ad ista quatuor reducuntur, tunc enim solum faciunt rem de fide, cum explicant verbum Dei, aut inde aliquid deducunt.

Jam vero his omnibus modis probatur Purgatorium. Nam de primo modo patet ex viginti locis Scripturæ, quæ attulimus, quorum aliqua a tota Ecclesia exponuntur de Purgatorio, ut patet ex Conciliis et Patribus, quos citavimus.

De secundo modo patet ex duabus primis rationibus, quas fecimus.

De tertio modo perspicuum est ex eo, quod non invenimus initium hujus dogmatis, sed omnes veteres Græci et Latini ab ipso tempore Apostolorum constanter docuerunt Purgatorium esse. Talia enim ad Apostolicam traditionem referenda esse, B. Augustinus affirmat lib. IV. de Baptismo contra Donatistas cap. 24.

De quarto modo patet ex Clemente, Tertulliano, Epiphanio, et Chrysostomo supra citatis; quia asserunt, orationem pro defunctis esse Apostolicam traditionem; et nulli unquam veterum contrarium dixerunt. Hinc enim evidenter colligitur Purgatorium esse. Nam si traditio est Apostolica, orandum esse pro defunctis; quis non advertat, continuo inde sequi, ut animæ post hanc vitam egeant auxilio, et proinde sint in pœnis non sempiternis, sed temporalibus. Neque argumenta Petri Martyris difficulter solvi possunt.

Ad primum ergo respondeo, primo non esse necesse, ut Scriptura ubique omnia dicat.

Dico secundo ad illud de Genesi, in Genesi non fuisse occasionem ponendi doctrinam de Purgatorio. Nam Genesis non est liber dogmatum, sed historia quædam Patriarcharum. Porro doctrina eo tempore non Scriptura, sed traditione conservabatur. Nam alioqui dicemus, ante Abrahæ tempora neminem fuisse justificatum, quia Scriptura non tradit, quomodo justificarentur homines tempore Adæ, Henoch, Noe.

Dico ultimo, implicite saltem contineri in Genesi mentionem Purgatorii; quando enim dicitur Gen. XXIII : *Et surrexit Abraham ab officio funeris* (2), quis prohibet per illud, *Officium*, intelligere non solum lachrymas, sed etiam orationem et jejunium? et cur, quæso, Jacob et Joseph, in Egypto morientes, cupierunt ossa sua deferri in terram promissionis, nisi quia ibi solum sacrificia pro defunctis facienda esse noverant.

Ad illud de Levitico, nego non fuisse in Levitico instituta sacrificia pro defunctis, quandoquidem illa, quæ instituta sunt pro peccatis, intelligebantur pro peccatis tam vivorum, quam mortuorum, ut patet ex lib. II. Machab. XII.

Ad illud ex Paulo, dico, Paulum in eo loco solum voluisse dicere, non esse mortuos immoderate deflendos, quomodo Ethnici faciebant. Ad hoc autem propositum non solum non proderat, sed etiam oberat mentio purgatorii. Dicere enim, animas propinquorum gravissime torqueri in Purgatorio, non est adferre materiam consolationis, sed majoris luctus; Paulus autem consolari volebat eos, ut patet, et ideo meminit resurrectionis et gloriæ; et concludit : *Itaque consolamini invicem in verbis istis.* In aliis autem locis, ut in priori epist. ad Cor. cap. III. et XV. et ad Hebræos X. diserte Paulus ponit ignem Purgatorii, et Baptismum laboriosum pro mortuis susceptum.

Ad secundum dico, Ecclesiam Græcam

(1) Joan. X, 30. — (2) Gen. XXIII, 3.

numquam dubitasse de Purgatorio, ut patet ex Patribus citatis: Dionysio Areopagita, Origene, Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, Ephrem, Chrysostomo, Cyrillo, Epiphanio, Theodoreto, Œcumenio, Theophylacto, Damasceno, et ex ipso Concilio Florentino. Nam quod Petrus Martyr dicit, in eo Concilio Patres Græcos diu restitisse, mendacium est; siquidem in prima sessione, et rursum in ultima, affirmant, se perpetuo Purgatorium credidisse, et orationem pro defunctis, sed solum ambigere de qualitate pœnæ; An sit videlicet ignis, an aliquid aliud. Quod ergo de Græcis jactatur, quod Purgatorium negent, aut est falsum, aut de particularibus hominibus intelligendum est.

In tertio argumento miror Petrum Martyrem; nam etsi Dionysius non nominat Purgatorium, tamen expresse dicit, orari pro defunctis, ut a peccatis liberentur. Sic enim ait cap. 7. part. 3: « Precibus, inquit, a divina benignitate contendit, ut omnia peccata quæ humana fragilitate admissa sunt ei, qui excessit e vita, remittat. » Deinde quærit, cur oretur pro defunctis, ut eis peccata remittantur, cum scriptum sit omnes accepturos, prout in corpore gesserint? Et respondet, ideo orari, quia illi per merita hujus vitæ digni facti sunt, quibus preces viventium prodessent. Nisi ergo S. Dionysius secum ipse pugnaverit, non potuit Purgatorium ignorare, aut negare cum tam aperte orationem asserat pro defunctorum peccatis.

Ad quartum, opponimus alia loca S. Augustini. Nam in eodem Enchiridio cap. 110. asserit, orationes et sacrificia prodesse animabus, et similiter q. 2. ad Dulcitium et lib. XXI. de Civit. Dei cap. 24. dicit, constare, animas purgari post hanc vitam, et cap. 1. de cura pro mortuis agenda dicit: « Non dubium est, prodesse orationem defunctis. »

Respondet Petrus Martyr, debere hæc loca exponi per illa, in quibus dubitat. At quomodo, quæso, exponemus: constat, et non dubium est, per illa; Incredibile non est, et; Forsan verum est? Necesse est igitur dicere: Augustinum aliquid de Purgatorio certa fide tenuisse, et de aliqua re dubitasse, quid sit de quo dubitavit, nos facile exponemus. At non ita poterit ille exponere quid sit, de quo non dubitavit; nihil enim minus dari potest, quam eum non dubitasse de Purgatorio in genere, id est, quod sit aliquod Purgatorium post hanc vitam. Cum qua fide certa, potest consistere dubitatio de qualitate pœnæ, quæ infligitur; de qualitate peccati, quod punitur; de loco, tempore etc. At cum dubitatione de Purgatorio in genere, non potest consistere ulla certa fides circa Purgatorium, quam tamen Augustinus habere se dicit.

Dico igitur, Augustinum in illis quatuor locis dubitare solum de genere peccati, quod punitur; An videlicet, sicut in hac vita immoderatus amor erga temporalia, purgatur a Deo variis afflictionibus, ut mortibus uxoris, liberorum etc. ita etiam credibile sit, post hanc vitam adhuc remanere in anima separata aliquas reliquias talium affectionum actualium, quæ purgari debeant tribulationibus, et molestiis. Etsi enim animæ corpore vacantes, non videntur posse tangi ejusmodi affectionibus corporalibus, tamen cum sint formæ corporum, et in corpore diu fuerint, et rursum appetant conjungi corpori, non est incredibile, eas recordari adhuc voluptatum, quas per instrumenta corporea perceperunt, et earum desiderio aliquo teneri. Quia vero res ista difficillima est, ideo recte Augustinus dicit, posse quæri, et numquam forte inveniri etc.

Ad quintum supra responsum est.

CONTROVERSIARUM

DE PURGATORIO

LIBER SECUNDUS

DE CIRCUMSTANTIIS PURGATORII.

CAPUT I.

De personis, quibus Purgatorium convenit.

Demonstravimus hactenus Purgatorium esse; nunc de circumstantiis Purgatorii, id est, de personis, loco, tempore, pœnis, suffragiis, aliisque id genus disserendum est. Prima igitur illa quæstio occurrit: « Quibus personis purgatio post hanc vitam conveniat? » Multi autem exstiterunt errores de ejusmodi personis.

Primus fuit, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto. Hæc sententia solet tribui Alcuino, sed videtur esse non ejus solum, sed multorum Patrum. Origenes enim hom. 14. in Lucam: « Ego, inquit, puto, quia et post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atque purgante; nemo enim absque sordibus resurgere poterit, nec ullam posse animam reperiri, quæ universis statim vitiis careat. » Et in Psalm. XXXVI: « Omnes nos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus. »

Ambrosius in Psal. XXXVI: « Igne ergo, inquit, purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel. » Et in Ps. CXVIII. serm. 20. adducens illud Genes. IV: *Posuit ante paradisum flammeum gladium* (1), dicit, illum gladium igneum, esse ignem purgatorium, per quem necessario transit, quicumque in Paradisum intrat: « Omnes, inquit, oportet transire per flammas, sive ille Joannes sit, sive Petrus etc. » Et infra: « Unus ignem illum sentire non potuit, qui est justitia Dei Christus. »

Idem videtur sensisse Hilarius in illa verba Ps. CXVIII. *Concupivit anima mea desiderare judicia justitiæ tuæ.* Ubi insinuat etiam B. Mariam transire debuisse per illum ignem. Idem Lactantius lib. VII. c. 21. divin. Institut. et Hieronymus in cap. VII. Amos in illa verba: *Ecce vocabit ignem ad judicium* (2). Denique Rupertus lib. III. in Gen. cap. 32. explicans flammeum gladium.

Hæc sententia accepta, ut sonat, manifestum errorem continet. Nam in Concilio Florentino sess. ultima definitum est, aliquas animas in infernum, aliquas in purgatorium, aliquas in cœlum mox recipi. Deinde Ecclesia semper credidit eos, qui mox a Baptismo moriuntur, nullam Purgatorii pœnam sentire posse, ut constanter Augustinus docet lib. XXI. de Civ. Dei, cap. 16 et similiter eos, qui baptizantur in sanguine suo, ut Cyprianus lib. IV. epist. 2. dicit, omnia enim peccata passione purgari affirmat, et ideo Martyres statim ad præmium pervenire.

Adde, quod Patres adducti (Origene excepto, cujus verba in homil. 14. in Lucam, non patiuntur commodam expositionem) videntur sano modo intelligi posse: Nam aliqui eorum per ignem non intelligunt ignem Purgatorium, sed ignem divini judicii, quomodo loquitur Paulus in priori epistola ad

(1) Gen. III. 24. — (2) Psal. CXVIII. 20; Amos. VII. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

numquam dubitasse de Purgatorio, ut patet ex Patribus citatis: Dionysio Areopagita, Origene, Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, Ephrem, Chrysostomo, Cyrillo, Epiphanio, Theodoreto, Œcumenio, Theophylacto, Damasceno, et ex ipso Concilio Florentino. Nam quod Petrus Martyr dicit, in eo Concilio Patres Græcos diu restitisse, mendacium est; siquidem in prima sessione, et rursum in ultima, affirmant, se perpetuo Purgatorium credidisse, et orationem pro defunctis, sed solum ambigere de qualitate pœnæ; An sit videlicet ignis, an aliquid aliud. Quod ergo de Græcis jactatur, quod Purgatorium negent, aut est falsum, aut de particularibus hominibus intelligendum est.

In tertio argumento miror Petrum Martyrem; nam etsi Dionysius non nominat Purgatorium, tamen expresse dicit, orari pro defunctis, ut a peccatis liberentur. Sic enim ait cap. 7. part. 3: « Precibus, inquit, a divina benignitate contendit, ut omnia peccata quæ humana fragilitate admissa sunt ei, qui excessit e vita, remittat. » Deinde quærit, cur oretur pro defunctis, ut eis peccata remittantur, cum scriptum sit omnes accepturos, prout in corpore gesserint? Et respondet, ideo orari, quia illi per merita hujus vitæ digni facti sunt, quibus preces viventium prodessent. Nisi ergo S. Dionysius secum ipse pugnaverit, non potuit Purgatorium ignorare, aut negare cum tam aperte orationem asserat pro defunctorum peccatis.

Ad quartum, opponimus alia loca S. Augustini. Nam in eodem Enchiridio cap. 110. asserit, orationes et sacrificia prodesse animabus, et similiter q. 2. ad Dulcitium et lib. XXI. de Civit. Dei cap. 24. dicit, constare, animas purgari post hanc vitam, et cap. 1. de cura pro mortuis agenda dicit: « Non dubium est, prodesse orationem defunctis. »

Respondet Petrus Martyr, debere hæc loca exponi per illa, in quibus dubitat. At quomodo, quæso, exponemus: constat, et non dubium est, per illa; Incredibile non est, et; Forsan verum est? Necesse est igitur dicere: Augustinum aliquid de Purgatorio certa fide tenuisse, et de aliqua re dubitasse, quid sit de quo dubitavit, nos facile exponemus. At non ita poterit ille exponere quid sit, de quo non dubitavit; nihil enim minus dari potest, quam eum non dubitasse de Purgatorio in genere, id est, quod sit aliquod Purgatorium post hanc vitam. Cum qua fide certa, potest consistere dubitatio de qualitate pœnæ, quæ infligitur; de qualitate peccati, quod punitur; de loco, tempore etc. At cum dubitatione de Purgatorio in genere, non potest consistere ulla certa fides circa Purgatorium, quam tamen Augustinus habere se dicit.

Dico igitur, Augustinum in illis quatuor locis dubitare solum de genere peccati, quod punitur; An videlicet, sicut in hac vita immoderatus amor erga temporalia, purgatur a Deo variis afflictionibus, ut mortibus uxoris, liberorum etc. ita etiam credibile sit, post hanc vitam adhuc remanere in anima separata aliquas reliquias talium affectionum actualium, quæ purgari debeant tribulationibus, et molestiis. Etsi enim animæ corpore vacantes, non videntur posse tangi ejusmodi affectionibus corporalibus, tamen cum sint formæ corporum, et in corpore diu fuerint, et rursum appetant conjungi corpori, non est incredibile, eas recordari adhuc voluptatum, quas per instrumenta corporea perceperunt, et earum desiderio aliquo teneri. Quia vero res ista difficillima est, ideo recte Augustinus dicit, posse quæri, et numquam forte inveniri etc.

Ad quintum supra responsum est.

CONTROVERSIARUM

DE PURGATORIO

LIBER SECUNDUS

DE CIRCUMSTANTIIS PURGATORII.

CAPUT I.

De personis, quibus Purgatorium convenit.

Demonstravimus hactenus Purgatorium esse; nunc de circumstantiis Purgatorii, id est, de personis, loco, tempore, pœnis, suffragiis, aliisque id genus disserendum est. Prima igitur illa quæstio occurrit: « Quibus personis purgatio post hanc vitam conveniat? » Multi autem exstiterunt errores de ejusmodi personis.

Primus fuit, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto. Hæc sententia solet tribui Alcuino, sed videtur esse non ejus solum, sed multorum Patrum. Origenes enim hom. 14. in Lucam: « Ego, inquit, puto, quia et post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atque purgante; nemo enim absque sordibus resurgere poterit, nec ullam posse animam reperiri, quæ universis statim vitiis careat. » Et in Psalm. XXXVI: « Omnes nos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus. »

Ambrosius in Psal. XXXVI: « Igne ergo, inquit, purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel. » Et in Ps. CXVIII. serm. 20. adducens illud Genes. IV: *Posuit ante paradisum flammeum gladium* (1), dicit, illum gladium igneum, esse ignem purgatorium, per quem necessario transit, quicumque in Paradisum intrat: « Omnes, inquit, oportet transire per flammas, sive ille Joannes sit, sive Petrus etc. » Et infra: « Unus ignem illum sentire non potuit, qui est justitia Dei Christus. »

Idem videtur sensisse Hilarius in illa verba Ps. CXVIII. *Concupivit anima mea desiderare judicia justitiæ tuæ.* Ubi insinuat etiam B. Mariam transire debuisse per illum ignem. Idem Lactantius lib. VII. c. 21. divin. Institut. et Hieronymus in cap. VII. Amos in illa verba: *Ecce vocabit ignem ad judicium* (2). Denique Rupertus lib. III. in Gen. cap. 32. explicans flammeum gladium.

Hæc sententia accepta, ut sonat, manifestum errorem continet. Nam in Concilio Florentino sess. ultima definitum est, aliquas animas in infernum, aliquas in purgatorium, aliquas in cœlum mox recipi. Deinde Ecclesia semper credidit eos, qui mox a Baptismo moriuntur, nullam Purgatorii pœnam sentire posse, ut constanter Augustinus docet lib. XXI. de Civ. Dei, cap. 16 et similiter eos, qui baptizantur in sanguine suo, ut Cyprianus lib. IV. epist. 2. dicit, omnia enim peccata passione purgari affirmat, et ideo Martyres statim ad præmium pervenire.

Adde, quod Patres adducti (Origene excepto, cujus verba in homil. 14. in Lucam, non patiuntur commodam expositionem) videntur sano modo intelligi posse: Nam aliqui eorum per ignem non intelligunt ignem Purgatorium, sed ignem divini judicii, quomodo loquitur Paulus in priori epistola ad

(1) Gen. III. 24. — (2) Psal. CXVIII. 20; Amos. VII. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Corinthios cap. III. cum ait : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* (1). Et hoc modo fatendum est, omnes Sanctos, Christo excepto, per ignem transire. Ita videntur de igne loqui Hilarius et Hieronymus, et in loco posteriore Ambrosius.

Aliqui vero videntur intelligere per ignem verum ignem Purgatorii, per quem tamen dicunt transire Sanctos sine ulla læsione, ita ut transeant per Purgatorium materialiter, non formaliter. Ita videntur loqui Lactantius, Ambrosius et Rupertus. Lactantius enim sic ait : « Sed et justos cum judicaverit Deus, etiam igne eos examinabit : tum quorum peccata vel pondere, vel numero prævalaerint, perstringentur igni atque amburentur : quos autem plena justitia et maturitas virtutis decoxerit, ignem illum non sentient, habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat. » Sic etiam Ambrosius in Psalm. XXXVI. ubi dixerat, omnes transituros per ignem, subjungit, quosdam mansuros in illo igne perpetuo, quosdam urendos, non tamen exurendos, quibusdam, id est, Sanctis instar roris futurum, ut quondam tribus pueris in Babylonis fornace.

Conformis est huic sententiæ visio B. Fursæi, quam describit Beda lib. III, hist. cap. 19. Ille enim vidit in via ad cœlum maximos ignes, per quos necessario transeundum erat, sed vidit simul eos, qui nihil haberent combustibile, id est, nullum culpæ aut pœnæ reatum, illæsos transire, alios vero magis minusve exuri, prout plus minusve materiæ combustibilis afferebant. Sana hanc sententiam, quæ docet omnes transituros per ignem, licet non omnes lædendi sint ab igne, nec auderem pro vera asserere, nec ut errorem improbare.

Secundus error, est, omnes malos, tam dæmones, quam homines tandem inferno pœnitus evacuato salvandos, et proinde omnes pœnas post hanc vitam esse purgatorias. Hic error Origenis fuit, ut referunt et refellunt Epiphanius epist. ad Joannem Hierosolymitanum, Augustinus lib. XXI. de Civitate Dei cap. 17. et 23. Hieronymus in cap III. Jonæ, et Gregorius lib. IX. moral. cap. 45. et 46. et lib. XXXIV. cap. 12 et 13. Nam Matth. XXV. dicitur : *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* Et ne forte responderent, ignem esse æternum, sed non mansionem in igne, concludit Dominus : *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Et Apocal. XX : *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi bestia et pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* (2).

Errorem eumdem tribuit S. Hieronymo, Ruffinus lib. I. invectiv. in Hieronymum, sed injuria : nam B. Hieronymus hujus erroris hostis acerrimus fuit, ut præter locum citatum patet ex Apologia II. contra Ruffinum, ex lib. I. contra Pelagianos, ex epistola ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani, et ex commentario in ultima verba Isaiæ. Quod autem citat pro hoc errore Ruffinus ex commentariis Hieronymi in epistolam ad Ephesios, sunt dicta in persona Origenis, ut idem Hieronymus docet de similibus erroribus, in Apologia I. contra Ruffinum. Dicitur exstare liber cujusdam Stanislai Anabaptistæ pro hoc errore Origenis, qui inscribitur de divina philanthropia; sed eum librum nondum videre potui.

Tertius error est eorum, qui non quidem Diaboli, sed tamen omnium hominum peccatorum pœnas, post hanc vitam dicebant esse temporales, et purgatorias, ut Augustinus refert et refellit lib. XXI. de Civit. Dei cap. 18 et 24.

Quartus error est eorum, qui id sentiebant solum de omnibus Christianis, sive hæretici, sive Catholici essent; refert Augustinus ibidem c. 19. et 25.

Quintus eorum, qui id sentiebant de solis et omnibus illis, qui aliquando fuissent Catholici. Augustinus ibidem refert cap. 20 et 23. Hi errores refelluntur, tum ex Matth. XXV : *Ite in ignem æternum.* Et Apocalysis XX : *Cruciabuntur in sæcula sæculorum;* tum etiam ex Isaiæ ultimo : *Ignis eorum non extinguetur.* Et Galatas V : *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (3). Nam in his locis non soli Dæmones, nec soli homines Ethnici, aut hæretici, sed etiam flagitiosi Catholici puniendi esse dicuntur sine ullo fine.

Fundamenta errorum istorum erant quatuor. Primum, quia Psal. LXXVI. dicitur : *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut, continebit in ira sua misericordias suas?* Secundum, quia Roman. II. dicitur : *Conclusit Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur* (1). Tertium, quia si Sancti orabant pro inimicis, et exaudiebantur in hoc mundo, multo magis orabunt, et exaudientur in die judicii. Quartum, quia videmus in Scriptura supplicia a Deo absolute intentari, et tamen postea non inferri, ut patet Jonæ IV : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (2). Unde intelligimus, inquiunt, cum Deus minatur supplicia, non significari ea revera inferenda, sed tantum eos, quibus intentantur, dignos esse, qui ita punirentur.

(1) I. Cor. III, 13. — (2) Matth. XXV, 41 et 46; Apoc. XX, 9. — (3) Matth. XXV, 41; Apoc. X, 10; Isai. LXVI, 24; Galat. V, 21.

Sed ad primum respondet Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. 24. intelligi illa verba solum respectu bonorum, vel si extendantur ad damnatos, sensum esse, Damnatos puniendos quidem in æternum, sed tamen citra condignum. Posset etiam dici, intelligi illa verba, in hac vita, de qua dicitur : *Ecce nunc tempus acceptabile :* Nam de judicio futuro dicitur Jacobi II : *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam* (3).

Ad secundum respondet Augustinus ibidem, illud : *Ut omnium misereatur*, non significare omnium hominum, sed omnium nationum, id est, tam Gentilium, quam Judæorum, ita ut aliqui ex Gentibus, aliqui ex Judæis salventur, sicut illud : *Conclusit omnes in infidelitate*, significat tam Gentes, quam Judæos, id est, aliquos ex Gentibus, aliquos ex Judæis; Deus enim ante Christi adventum permisit Gentes ingredi vias suas in infidelitate et idololatria, ut postea confusi medicum requirerent, et invenirent, ut factum est. Deinde Gentibus conversis, permisit in infidelitatem ruere Judæos, ut et ipsi circa finem mundi confusi et humiliati, similiter convertantur.

Ad tertium respondet, Sanctos in hoc mundo orasse, quia sciebant in hac vita tempus esse fructuosæ pœnitentiæ, at in judicio non oraturos pro damnatis, sicut nec nunc oramus pro Diabolo, aliisque damnatis.

Ad quartum respondet Augustinus, Ninivem vere fuisse eversam, ut prædictum fuerat; Nam omnes de malis facti sunt boni, quæ est eversio optima, et Deo gratissima. Potest etiam responderi, supplicia a Deo intentata in hac vita, esse comminatoria, quia intelliguntur sub conditione, nisi quis egerit pœnitentiam, at post hanc vitam non est pœnitentia, saltem fructuosa : Nam Joan. cap. IX. dicitur : *Operamini dum dies est; venit nox, in qua nemo potest operari.* Et Eccles. IX : *Apud inferos non est opus, nec ratio etc* (4).

Sextus error est aliorum, qui volebant, omnes, et solos Catholicos in fide perseverantes ad Purgatorium descendere, quamvis alioqui pessime vixissent, refert et refellit hunc errorem Augustinus lib. XXI. de Civitate Dei cap. 25 et 26. Enchiridiis cap. 68. de fide et operibus cap. 14, 15 et 16. et quæst. I. ad Dulcitium. Nam Matth. III. de fidelibus malis dicitur : *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et Matth. XXV. fidelibus immisericordibus dicetur : *Ite in ignem æternum.* Et I. ad Corinth. VI. scribitur fidelibus a Paulo : *Neque ebriosi, neque avari, neque adulteri, neque molles, neque maledici regnum Dei possidebunt* (5). Et similia habentur ad Galat V. et ad Ephes. V.

Fundamentum hujus erroris erat locus ille I. ad Corinthios III : *Ipse autem salvus erit quasi per ignem;* Putabant enim illi per fundamentum intelligi fidem Catholicam, per argentum et aurum omnia opera bona, per ligna, fœnum, et stipulas, omnia peccata; sed hoc supra sufficienter refutatum est.

Est autem observandum, esse aliquos, qui arbitrentur B. Hieronymum in hoc errore fuisse, quia in ultima verba Isaiæ dicit : « Sicut Diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta : sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, et mixtam clementiæ sententiam judicis. » Item lib. I. contra Pelagianos : « Si Origenes, inquit, omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, quid ad nos? qui et Diabolum et satellites ejus, omnesque impios dicimus perire perpetuo; Christianos vero si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas. »

Videtur tamen Hieronymus in hoc errore non fuisse, quandoquidem in cap. XXV. Matth. ubi manifeste agitur de damnatione æterna fidelium peccatorum, ita scribit : « Prudens Lector attende, quod et supplicia æterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum. » Et in cap. V. ad Galat. « Putamus, inquit, nos regnum Dei

(1) Psal. LXXVII, 10; Rom. XI, 31. — (2) Jon. III, 4. — (3) Jac. II, 13. — (4) Joan. IX, 4; Eccl. IX, 10. — (5) Matth. III, 12; XXV, 41; I. Cor. VI, 9 et 10.

consequi, si a fornicatione, idololatria, veneficiis immunes simus? Ecce inimicitia, contentio, ira, rixa, dissensio, ebrietas quoque, et cætera, quæ parva arbitramur, excludunt nos a regno Dei. »

In locis ergo citatis in contrarium, non vult B. Hieronymus dicere, omnes Christianos salvandos post pœnas, sed nullos salvandos post pœnas, nisi Christianos. Unde in priore loco dicit quidem Christianos impios salvandos, sed addit conditionem restringentem, cum dicit: « Quorum opera in igne probanda et purganda sunt; id est, illi soli Christiani impii salvabuntur, quorum opera mala jam purgata, quoad culpam, purganda erunt quoad reatum pœnæ. In posteriore loco opponit impiis Christianos, qui in peccato præveniuntur morte, ut judicet se loqui solum de piis Christianis.

Septimus error eorum est, qui existimabant, omnes illos salvandos per ignem Purgatorii, qui eleemosynas fecissent, etiamsi alioqui in sceleribus perseverassent usque ad mortem.

Refellit hunc errorem S. Augustinus in Enchiridio cap. 75 et 76, et lib. XXI. de Civitate Dei cap. 22 et 27. Nam Scriptura manifestissimis verbis nulla requirit ad justificationem impii præter eleemosynam, et Luc. XIII. *Si pœnitentiam non habueritis omnes similiter peribitis.* I. Corinth. III. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (1). Qualem autem, quæso, charitatem habet, qui Deum offendere non timet, aut postquam eum offendit, non quærit reconciliationem?

At inquiunt, in die judicii examen fieri videmus solum de eleemosyna, Matth. XXV. qui enim fecerunt eleemosynam, mittuntur in regnum, qui non fecerunt, mittuntur in Gehennam.

Respondeo, Dominum minora posuisse, ut inde colligeremus majora; qui enim minatur Gehennam iis, qui non dederunt sua, multo magis puniet eos, qui rapuerunt aliena; et qui promisit regnum iis, qui fecerunt eleemosynam ex pecuniis suis, multo magis coronabit eos, qui vitam pro fide ponunt. Vide, si placet, plura in disputatione nostra de Eleemosyna.

His ergo erroribus confutatis, manet ultima sententia vera, et Catholica: Purgatorium pro iis tantum esse, qui cum venialibus culpis moriuntur, de quibus agitur I. ad Corinth. cap. III. Illi enim sunt, qui ædificant super fundamentum ligna et stipulas, et salvi erunt quasi per ignem. Et rursum pro illis, qui decedunt cum reatu pœnæ, culpis jam remissis, de quibus agitur Lucæ XII: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (2): et aliis locis supra citatis.

CAPUT II.

In Purgatorio non posse animas mereri vel peccare.

Sequitur altera quæstio: « An in Purgatorio sit locus merito, et peccatis. » Lutherus enim quoniam Purgatorium confitebatur, ita confitebatur, ut illud partim cum hujus vitæ statu, partim cum inferno confunderet. Dicebat animas Purgatorii posse mereri, quod est vitæ hujus, et rursum eas peccare continuo, ac desperare salutem, quæ sunt propria damnatorum. Radix horum fuit, quia existimavit eas animas ad Purgatorium mitti, quæ non sunt perfectæ in charitate; quæ enim nullam habent charitatem mittuntur in gehennam, quæ habent perfectam ascendunt in cœlum. Quia vero imperfecta charitas debet augeri, et non potest augeri sine novis meritis, ideo merendi statum posuit in Purgatorio. Rursum quia perfecta charitas foras mittit timorem, et proinde imperfecta habet admixtum timorem, servilem scilicet, et hunc timorem Lutherus peccatum esse existimat, inde deduxit animas peccare continuo, quia continuo timent, horrent, ac refugiunt pœnas, quærunt quæ sua sunt etc. Vide librum Lutheri de Purgatorio, quem Joannes Eckius refellit.

Et quidem hanc Lutheri sententiam manifeste hæreticam esse, probatur testimoniis Scripturarum et Patrum. Primus locus Eccles. IX: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem* (3). Hieronymus in hunc locum: « Donec vivunt, inquit, homines possunt fieri justi, post mortem vero nulla datur boni operis occasio. » Et infra: « Viventes metu mortis possunt bona opera

(1) Luc. XIII. 3; I. Cor. XIII. 3. — (2) Luc. XII. 59. — (3) Eccl. IX. 5.

perpetrare, mortui vero nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulere de vita. » Et infra: « Nec juste quippe possunt agere, nec peccare, nec virtutes adjicere, nec vitia. »

Secundus ibidem, ait Scriptura: *Quodcumque potest agere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, est apud inferos, quo tu properas.* Non possumus dicere in alia vita nihil agi, aut sciri, cum Lucæ XVI. de Epulone legamus, eum et vidisse Lazarum in sinu Abrahæ, et primum pro se, deinde pro fratribus opere Abrahæ imploravisse; quare loquitur de opere meritorio, ut exponit Hieronymus. Neque loquitur de inferno inferiore, sed de inferno in genere, ut complectitur omnia loca, ad quæ descendebant omnes homines ante Christi resurrectionem, ut idem Hieronymus exponit.

Tertius locus est, Eccles. XI: *Si ceciderit lignum sive ad austrum, sive ad aquilonem, ubicumque ceciderit, ibi erit* (1). Hieronymus in hunc locum, et Bernardus ex parvis, exponunt de immutabilitate animæ post hanc vitam quæ non potest de bona fieri mala, nec bona de mala.

Quartus est, Eccles. XIV: *Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum* (2).

Quintus est, Eccles. XVIII. *Ne vereatis usque ad mortem justificari* (3). Quare usque ad mortem, nisi quia post mortem non erit amplius tempus?

Sextus, Joan. IX: *Venit nox, in qua nemo potest operari* (4). Origenes Psalm. XXXVI. Chrysostomus, Augustinus, Euthymius, et Theophylactus in hunc locum, Hieronymus in c. IX. Eccles. et Gregorius lib. IV. Dialog. cap. 39. exponunt summo consensu per noctem, tempus alterius vitæ, per operari, facere opera meritoria significari.

Septimus est, II. Corinth. V: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum* (5). Quem locum exponens Augustinus in lib. de prædest. Sanctorum c. 12. monet propria corporis non vocari opera corporalia, quasi spiritualia judicanda non sint, sed vocari omnia opera, quæ fiunt dum sumus in corpore, quia post hanc vitam non superest tempus operandi, sed præmium aut pœnas recipiendi.

Octavus est, Gal. VI: *Quæ seminaverit homo, hæc et metet.* Et infra: *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes; ergo dum tempus habemus, operemur bonum* (6). Hieronymus in hunc locum docet, tempus sementis non extendi ultra hanc vitam, serere autem esse bene operari.

Nonus est, Lucæ XVI: *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris amplius villicare etc* (7). Exponunt Ambrosius et Theophylactus in hunc locum, Hieronymus quæst. VI. ad Algasiam, Augustinus lib. XXI. de civ. Dei, cap. 27. et alii omnes per depositionem a villicatione, mortem, per non posse amplius villicare, non posse amplius mereri et lucrari.

Decimus est, Apoc. X. Angelus habens unum pedem super mare, et alterum super terram jurat per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius, nimirum bene operandi. Denique Scripturæ hoc passim testantur, et nec ulla syllaba invenietur pro Lutheri errore.

Probatur Secundo ex Patribus Cyprianus serm. IV. qui est de mortalitate, ad hoc plurimum prodesse mortem dicit, ut eripiamur a periculis peccandi. Dum enim sumus in hac vita, in stadio pugnamus, pugnæ finem obitus affert: quem locum Cypriani adducens Augustinus lib. de prædest. Sanctorum c. 14. inquit: « His, atque hujusmodi Doctor ille sententiis in Catholicæ fidei luce clarissima satis aperteque testatur usque ad hujus corporis depositionem peccandi pericula, tentationesque metuendas, deinceps nulla talia quemquam esse passurum, quod etsi non testaretur, quando de hac re Christianus qualiscumque dubitaret? »

Nota, Lutherum non posse vocari Christianum qualemcumque, ex sententia Augustini, sed plane Ethnicum, cum de re dubitet, de qua dicit Augustinus, nullum Christianum dubitare posse. Idem Augustinus in Enchir. cap. 110: « Quocirca, inquit, hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari: nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cum obierit apud Deum promereri. »

(1) Eccl. XI. 3. — (2) Eccl. XIV. 17. — (3) Eccl. XVIII. 22. — (4) Joan. IX. 4. — (5) II. Cor. V. 10. — (6) Galat. VI. 8. — (7) Luc. XVI. 2.

Chrysostomus hom. 2. de Lazaro multa dicit in hanc sententiam, et hom. 37. in Matth.: « Præsens, inquit, hæc vita tam recte, quam contra tibi vivendi tribuit potestatem; postquam vero diem tuum obieris, judicium et pœna consequetur. » Hieronymus in cap. IX. Eccles.: « Mortui, inquit, nec juste possunt agere, nec peccare.» Damascenus lib. II. de fide Orthodoxa cap. 4.: « Quod est Angelis casus, idem hominibus mors. »

Tertio probatur ratione: Nam Lutheri sententiæ secum ipsa pugnat: dicit enim Lutherus animas illas debere, et posse mereri, quia imperfectæ sunt in charitate, ut pimirum per nova merita augeatur, et perficiatur charitas. Ipse idem dicit animas illas, quia imperfectæ sunt, timere pœnas, et timendo peccare, et quia semper timent dum imperfectæ sunt, proinde etiam semper peccare dum imperfectæ sunt.

At ista pugnant inter se; nam qui peccat præsertim mortaliter, non potest mereri dum peccat: Animæ autem illæ semper peccant, dum sunt in Purgatorio, quia semper sunt imperfectæ, ergo numquam mereri possunt, dum sunt in Purgatorio. Præterea secundo, quia sequitur impossibile esse liberari animas de Purgatorio; nam semper peccabunt, dum timebunt; semper timebunt, dum erunt imperfectæ, semper erunt imperfectæ, donec accesserit nova charitas: nova charitas non potest accedere nisi per merita, non possunt illi mereri dum peccant; igitur numquam liberabuntur.

CAPUT III.

Solvuntur objectiones.

Superest argumenta solvere, Argumentum Primum: Animæ quæ in Purgatorio degunt sunt imperfectæ in charitate, igitur proficere debent et mereri ut perficiantur. Quod sint imperfectæ probatur. Primo, quia si illæ animæ essent perfectæ, certe non punirentur; quorsum enim puniantur spiritus perfecti? Si dices, ut satisfaciant Deo. Contra, quia Deo maxime satisfit per charitatem: *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*, inquit Petrus, I. Pet. IV, 8.

Secundo, quia si is qui moritur, debitor sit adhuc decem dierum jejunii, et tamen summe diligat Deum, incredibile est Deum non condonare illi decem illos dies, cum soleat Deus libenter acceptare voluntatem, ubi non invenit facultatem, ergo si illi non condonatur debitum, signum est non fuisse perfectum in charitate.

Tertio, quia si essent perfectæ, non timerent pœnas; nam perfecta charitas foras mittit timorem; si non timerent pœnas, non punirentur, quia non est pœna id quod amatur, et libenter recipitur; ergo non essent in Purgatorio, nisi essent imperfectæ.

Quarto, quia nihil esse potest perfectum extra Deum, juxta illud I. Corinth. XIII: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (1); ergo animæ Purgatorii, quæ beatæ non sunt, necessario imperfectæ sunt. Deinde probatur consequentia primi argumenti.

Primo, impossibile est in via stare; semper enim oportet progredi, aut regredi, ut Bernardus dicit, animæ autem Purgatorii sunt in via, nondum enim pervenerunt. Secundo: « Virtus in infirmitate perficitur, II. Corinth. XII. et aurum in fornace fit lucidius. Tertio, impossibile est creaturam aliquam conservari, nisi accipiat semper amplius et amplius, donec absorbeatur in suum principium, ut patet in fluviis, qui semper accipiunt novam aquam, donec in mare ingrediantur, unde conservatio dici solet continua quædam creatio. Quarto, charitas post hanc vitam erit major, ergo augebitur, ergo per merita.

Respondeo ad antecedens, animas Purgatorii posse dici imperfectas respectu earum quæ sunt in gloria; et etiam unam in Purgatorio posse dici imperfectam respectu alterius, sive in Purgatorio, sive in hoc mundo existentis. Tamen absolute omnem animam in Purgatorio existentem esse perfectam in charitate. Nulla est charitas simpliciter imperfecta; dicitur enim I. Joan. II: *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est* (2). Sufficit autem quilibet gradus charitatis, ut quis servet verbum, id est, præcepta Domini.

Ad consequentiam dico, animas Purgatorii, quatenus sint imperfectæ respectu

(1) I. Cor. XIII, 10. — (2) I. Joan. II, 5.

earum, quæ sunt in cœlo, debere perfici in charitate, sed illud augmentum non requirere nova merita; nam erit præmium omnium meritorum præteritorum. Dupliciter enim augetur charitas; uno modo in genere gratiæ, ut fiat homo aptior ad magis merendum, et hoc augmentum non datur post hanc vitam; altero modo in genere gloriæ, ut remunerentur omnia merita præterita, et hoc fiet in ipsa beatitudine, pars enim præmii erit, ut Augustinus dicit, lib. de correp. et gratia cap. 10. tanta copia charitatis, ut nunquam excidere possit a beatitudine, et a justitia, qui ea copia charitatis præditus erit.

Ac ut ordine respondeamus ad singula capita hujus objectionis. Ad Primum dico, quamquam potest fieri, ut dolor internus sit tantus, et a tanta charitate procedens, ut plene satisfaciat pro omni reatu, tamen potest etiam fieri, ut non sit tantus dolor, et propterea remaneat aliquid in Purgatorio luendum; non enim repugnat perfectioni charitatis, quæ habetur extra regnum cœlorum, reatus pœnæ, pro quo satisfaciendum sit. Ad verba B. Petri dico charitatem operire multitudinem peccatorum, sed non eodem modo quoad culpam, et quoad pœnam; nam culpam totam semper delet per actum suum proprium, pœnam autem tollit non semper totam per actum suum, sed per opera satisfactoria, quæ ipsa charitas imperat.

Ad Secundum dico similiter, si is qui moritur, summo amore doleat de peccatis, posse cum eo modo satisfacere pro omni pœna; si autem non sit tantus dolor, debere satisfacere postea in Purgatorio. Neque obstat, quod ille cuperet jejunare, si superesset vita, et Deus acceptat voluntatem ubi non invenit facultatem; nam in isto invenitur facultas satisfaciendi, si non jejunando, certe patiendo in Purgatorio.

Ad Tertium dico, animam Purgatorii non timere, sed pati reipsa pœnas; timor enim est futurorum, non præsentium: dico præterea non repugnare perfectæ charitati timorem pœnæ, alioqui Christus qui timuit pœnas, et ex eo timore sanguinem sudavit, Luc. XXII. non fuisset perfectus in charitate. Quod autem Joannes dicit: *Perfecta charitas foras mittit timorem* (1), non intelligitur de quocumque timore pœnæ ut naturali vel filiali, sed de timore servili, id est, de timore culpæ, præcipue propter pœnam; qui enim perfecte diligit, metuit offendere Deum, præcipue propter ipsum Deum, non propter pœnam, quæ sequitur offendentes Deum; atque ita perfecta charitas libera est ab illo metu servili, quo quis non audet peccare, ne damnetur, peccaturus si non timeret damnari.

Ad Quartum dico, extra Deum non posse inveniri aliquid ita perfectum, quod non debeat dici imperfectum respectu perfectionis gloriæ, tamen illud ipsum erit simpliciter perfectum: unde Paulus Philip. III. dicit: *Non quod jam perfectus sim, sequor autem si quo modo apprehendam.* Et infra: *Quicumque ergo perfecti sumus* (2) ubi se perfectum dicit absolute, et tamen imperfectum, comparatione facta ad beatos.

Jam ad Primum in confirmationem consequentiæ, dico, animas Purgatorii non esse in via, sed in termino, quantum ad gratiæ augmentum; qui enim ad urbem aliquam tendit, et pervenit ad ejus portas nocturno tempore, dicitur jam pervenisse, et totam viam confecisse, licet portas inveniat clausas, et non possit ingredi, donec Sol oriatur. Præterea quod Bernardus ait: « In via Dei non progredi esse retrogredi, » non debet accipi mathematice, sed moraliter; non enim vult dicere in quolibet opere nos mereri augmentum gratiæ, aut perdere aliquid gratiæ, sed eos qui non dant operam, ut proficiant, facile impelli posse a Diabolo, et mundo ad casum etc.

Ad Secundum dico, in primis Paulum ad litteram loqui de virtute Dei, quæ dicitur perfici in infirmitate, quia tunc magis apparet Dei potentia, quo plura ei resistunt; habetur enim in Græco δύναμις μου, id est, virtus mea. Dico præterea, virtutem etiam nostram perfici in tribulationibus, sed in hac vita tantum quoad verum augmentum virtutis, quia in hac vita tantum est locus merendi; at in futura dici posse perfici in Purgatorio, non quod ei aliquid addatur, sed quod auferatur rubigo peccatorum; quomodo aurum in fornace fit lucidius, non quia illi aliquid additur, sed quia separatur a terra, et plumbo, et similibus.

Ad Tertium dico, falsissimum esse illud principium Lutheri in rebus permanentibus, solumque habere locum in successivis, alio-

(1) I. Joan. IV, 18. — (2) Philipp. III, 12.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

qui res permanentes numquam, essent easdem, et sic Deus nunc nonpuniret in inferno Judam illum qui peccavit, sed alium quem postea creavit, nec remuneraret Petrum, qui meruit, sed alium quemdam postea creatum. Quod autem dicitur, conservationem esse continuam creationem, est verum, sed intelligitur creari illud idem, non augeri vel fieri aliud novum.

Ad Quartum jam est responsum.

Secundum argumentum Lutheri; Animæ in Purgatorio continuo peccant; ergo sunt in statu merendi, et demerendi. Probat antecedens: Animæ illæ horrent pœnas, ac refugiunt, et requiem quærunt, ergo peccant. Antecedens probat, tum quia alioqui non punirentur, pœna enim involuntaria esse debet, et amara, tum etiam, quia non debemus precari illis requiem, et liberationem a Purgatorio, si amarent ipsæ eas pœnas.

Probat Deinde consequentiam. Primo, quia vere amanti omnes pœnæ dulcescunt, ergo animæ illæ dum refugiunt pœnas non perfecte amant, proinde peccant. Secundo, quia dum refugiunt pœnas, quærunt quæ sua sunt, non honorem Dei. Tertio, quia Deum amant amore concupiscentiæ, dum cupiunt ab eo liberari. Quarto, quia Christus dicit, qui non accipit crucem suam, non est me dignus, id est, qui non accipit sponte et libenter. At crux animarum Purgatorium est; peccant igitur dum eam crucem refugiunt.

Respondeo, animas in Purgatorio horrere ac refugere pœnas, et requiem quærere, quatenus eas considerant ut malas, et naturæ contrarias, et tamen simul eas libenter admittere, et tolerare, quatenus considerant ut instrumenta, per quæ purgantur; quomodo ægrotus horret medicinam amaram, et tamen libenter sumit, quia per eam curari sperat, neque in hoc ullum peccatum esse potest. Nam Dominus qui peccare non potuit, horruit tamen pœnas, et dixit: *Pater transfer calicem hunc a me*, Matth. XXVI. et David clamat: *Quoniam tribulor, velociter exaudi me*, Psalm. LXVIIII. Et de Petro Christus ait, Joan. ult.: *Cum senueris alius cinget te, et ducet quo tu non vis* (1).

Denique S. Cyprianus ait lib. de mortalitate: « Quis non tristitia carere optet? quis non ad lætitiam venire festinet? » Et B. Augustinus lib. X. Confessionum c. 28. de pœnis loquens: « Tolerare eas jubes, non amare; nemo autem quod tolerat amat, quamvis tolerare amat. »

Ad Primum ergo, quo probatur consequentia, dico, vere amanti non sic dulcescere pœnas, ut eas non sentiat, sed sic, ut licet amaras, toleret tamen alacriter propter amatum, ut patet tum ex dictis, tum ex verbis S. Eleazari II. Machab. VI: *Tu scis*, inquit, *Domine, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo labores; secundum animum vero propter timorem tuum libenter hæc patior* (2). Et hic fuit communis affectus martyrum, qui revera sentiebant, acerbissimos dolores, et tamen libenter eos ferebant, licet quibusdam Deus privilegio quodam sensum doloris abstulerit per affluentiam consolationis, ut scribit Ruffinus lib. X. hist. cap. 36. de Theodoro.

Ad secundum dico, eas non quærere quæ sua sunt, sed honorem Dei; cupiunt enim cito liberari, ut possint magis, et melius Deum laudare.

Ad Tertium dico, eas amare Deum amore amicitiæ, quia bonum suum referunt in Deum.

Ad Quartum dico, eas accipere crucem suam, quia libenter patiuntur, nec petunt liberari, nisi secundum Dei voluntatem, et per media, quæ Deus instituit; et certe si essent vera quæ dicit Lutherus, id est, animæ illæ si quærerent quæ sua sunt, et amarent Deum amore concupiscentiæ, nec vellent accipere crucem, non jam imperfectam charitatem, sed nullam haberent, et non in Purgatorio, sed in inferno essent.

Argumentum Tertium, quorumdam Catholicorum. Animæ Purgatorii habent omnia necessaria ad meritum; nam habent gratiam, fidem, spem, charitatem, et liberum arbitrium, saltem quoad exercitium; cur igitur non merentur? Deinde beati mereri possunt, ut patet de Christo qui semper fuit beatus, et tamen merebatur, ergo multo magis animæ Purgatorii mereri poterunt. Item dives in inferno oravit pro se, et suis Lucæ XI. ergo etiam animæ Purgatorii orare possunt, at ista oratio procedit sine dubio ex charitate, meretur igitur exaudiri. Denique idem confirmant auctoritate S. Thomæ, qui in IV. dist. 21. quæst. 1. art. 3. ad. 4. dicit, post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu præmii essentialis, sed tantum respectu accidentalis.

Respondeo ad argumentum, decesse ad

(1) Matth. XXVI. 39; Psal. LXVIII. 18; Joan. XXI. 18. — (2) II. Mach. VI. 30.

meritum animabus Purgatorii statum vitæ; Deus enim, ut ex Scripturis manifeste probatur, solum pro tempore hujus vitæ constituit acceptare bona opera ad meritum, vel demeritum. Post hanc vitam vero bona opera erunt effectus gloriæ, et mala effectus damnationis.

Ad Primam confirmationem dico, Christum simul fuisse comprehensorem, et viatorem, et ideo qua parte viator erat, mereri poterat, unde post mortem suam, quia desiit esse viator, nihil amplius meruit.

Ad Secundam dico, si animæ Purgatorii orent pro se vel nobis, de quo inferius in quæstione de suffragiis disseremus, non mereri, sed solum impetrare ex meritis præteritis, quomodo nunc sancti orando pro nobis impetrant, licet non mereantur.

Ad Tertiam confirmationem dico, S. Thomam mutasse sententiam; nam in quæst. VII. de malo, artic. 11. diserte docet, in Purgatorio nullum posse esse meritum nec essentialis, nec accidentalis præmii; quod idem docent Bonaventura, Scotus, Durandus, et alii: fortasse etiam B. Thomas in 4. nomine meriti non proprie uti voluit, sed improprie; vocavit enim actum dilectionis in Purgatorio meritorium remissionis culpæ venialis, quia est remissorius, licet non per modum meriti proprie dicti, sed per modum contrarii tollentis suum contrarium.

CAPUT IV.

Animas in Purgatorio certas esse de sua æterna salute.

Tertia quæstio nunc tractanda est: « Sintne in Purgatorio animæ certæ de sua salute, an incertæ. » Lutherus art. 38. docet, non esse certas. Idem docent quidam Catholici, qui existimant varias esse in Purgatorio pœnas, et unam esse omnium maximam, incertitudinem salutis, qua dicunt quasdam solum animas mulctari, quæ licet revera certo salvandæ sint, tamen ipsas hoc ignorare. Ita videtur sentire Dionysius Carthusianus ob quasdam visiones, quas ipse refert libro de quatuor novissimis art. 47. Idem docet Michael Baius, lib. II. de merit. operum cap. 8. ubi probare volens peccatum veniale mereri ex natura sua mortem æternam, adducit in argumentum, quia alioqui sequeretur animas in Purgatorio certas esse de sua salute, quod absurdum ei esse videtur.

Denique idem videtur deduci ex sententia Gersonis lectione I. de vita spirituali, et Joannis Roffensis contra articul. 32. Lutheri, qui admittunt veniale peccatum non esse tale, nisi ex misericordia Dei, ac proinde juste posse puniri in æternum, si Deus velit. Hinc enim sequitur, animas, quæ habent venialia peccata, non posse certo scire, an non punientur in æternum, quamquam Roffensis in art. 38. Lutheri contendit, animas Purgatorii esse certas de sua salute, quod non video quomodo cohæreat cum priore sententia.

At communis Theologorum sententia est, omnes animas quæ in Purgatorio sunt, habere certitudinem suæ salutis. Ut autem intelligatur quantam habeant certitudinem, notandum est, tres esse gradus certitudinis:

Primus est ille, qui excludit omnem spem, et omnem timorem, et talis est beatorum, quibus beatitudo non est futura, sed præsens.

Secundus est ille, qui excludit omnem timorem, sed non omnem spem, et talis est in Purgatorio; nam beatitudo est illis futura, non præsens, et ideo non tollit exspectationem; et rursum est ardua, quia per pœnas ad eam pervenient, et ideo illorum exspectatio potest vocari spes, tamen non est contingens, sed necessaria, quia non possunt amplius ab ea excidere, et ideo tollit omnem timorem.

Tertius est ille, qui neque spem, neque timorem excludit, et dici potest conjecturalis certitudinis gradus, et talis est noster, nobis enim beatitudo est bonum futurum non præsens, arduum non facile, contingens non necessarium vel impossibile, et ideo propriissime speramus, et timemus, sumus enim adhuc in prælio, in stadio, in agone.

Nunc ostendamus rem ita esse. Si animæ non haberent certitudinem salutis, id necessario fieret propter unam ex quatuor causis, vel quia adhuc possunt mereri, et demereri, vel quia nondum sunt judicatæ, vel quia ignorant sententiam judicis, licet lata sit, vel quia propter magnitudinem dolorum ita absorbetur, et obscuratur earum judicium, ut non possint cogitare, et videre hanc certitudinem: sed nihil horum habet locum; non primum, ut patuit; non secundum, quia

licet judicium universale nondum sit factum, tamen præter illud est particulare: quo judicantur animæ statim a morte, ut Theologi in quartum dist. 47. et B. Thomas 3. part. quæst. LIX. art. 5. docent.

Adduci solent ad hoc judicium particulare probandum loca duo: Unus ex illo Joan. V: *Pater omne judicium dedit filio*; cum enim dicit, *omne judicium*, videtur plura judicia significare, unum videlicet particulare, et aliud universale. Alter ex illo Hebr. IX: *Statutum est hominibus semel mori, et post hoc judicium* (1). Sed illa loca non concludunt, uterque enim potest intelligi de judicio universali; nam Joan. V. illud (*omne*) non necessario refertur ad duo judicia, particulare, et generale, sed ad varios homines judicandos, et ad varia opera, de quibus judicandum erit, certe Augustinus exponit de ultimo judicio. Alterius autem loci ex capite 9. ad Hebr. sensus est, cum fuerint mortui omnes homines, tunc fiet judicium, ut Oecumenius exponit.

Efficaciter tamen probatur judicium particulare ex illis verbis Eccles. XI: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Item: *In fine hominis denudatio operum illius* (2). Et præterea idem colligitur evidenter ex alia veritate; nam de fide est, mox a morte impios descendere ad æterna supplicia, ut patet Luc. XVI. de divite, et justos ad æterna gaudia, ut patet Luc. XXIII. de latrone: *Hodie mecum eris in Paradiso* (3). At non est ullo modo credibile prius distribui pœnas, et præmia, quam fiat judicium.

Deinde Patres idem docent. Cyprianus sermone de mortalitate: « Gratulari, inquit, oportet, et temporis munus amplecti, quod dum nostram fidem firmiter promimus, et labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, præmium vitæ et fidei ipso judicante capiamus. » Chrysostomus hom. 37. in Matth. « Postquam, inquit, diem tuum obieris, judicium, et pœna consequetur. In inferno enim, Psalmista dicit, quis confitebitur tibi? » Ubi etiamsi non additur statim, tamen necessario subintelligitur. Nam refellit Chrysostomus illorum errorem, qui putabant Christum post mortem prædicaturum, et ad pœnitentiam adducturum defunctos.

Utitur autem hoc argumento; Post mortem sequitur judicium, et post judicium pœna inferni, in inferno autem nemo potest confiteri Domino: igitur post mortem non est locus pœnitentiæ; quod si Chrysostomus non vellet dicere, statim a morte impios judicari, et trudi in infernum, sed differri hæc omnia in idem novissimum, nihil valeret argumentum ejus. Responderetur enim, hoc medio tempore prædicari posse defunctis, dum judicium universale differtur. Augustinus lib. II. de origine animæ, cap. 4: « Jam illud, inquit, rectissime, et valde salubriter credit, judicari animas cum de corporibus exierunt, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari. »

His accedant exempla eorum, qui se judicatos testati sunt. Scribit B. Gregorius lib. IV. Dialogorum cap. 36. de quodam Stephano, qui cum esset mortuus, et judici oblatus, audivit judicem indicentem, non hunc sed Stephanum Ferrarium vocari jussi. Atque ita ille revixit, et simul Stephanus Ferrarius, qui in vicinia morabatur, obiit; cui simile narrat S. August. lib. de cura pro mortuis cap. 12. de quodam Curma. Addit autem Gregorius hæc non fieri vero errore, sed ut per istum quasi errorem, qui mortuus fuerat, reviviscerel, et narraret viventibus tormenta, et judicium quod manet impios post hanc vitam. Ibidem cap. 38. narrat exemplum de quodam Chrisorio, qui in articulo mortis positus, adhuc vivens vidit sententiam suæ damnationis.

Duo similia narrat Beda lib. V. hist. cap. 14. et 15. de duobus, qui desperantes mortui sunt, quia jam viderant judicium suum peractum, et sententiam latam. Simile narrat Joannes Climacus in sua scala gra. 7. de quodam eremita, qui in articulo mortis audiebatur quasi in judicio positus respondere accusationibus, et interdum dicere, falsum est, non feci: interdum feci, sed pœnitentiam egi; interdum: verum dicitis, nec habeo quod respondeam.

Denique exstat memorabile exemplum in vita S. Brunonis, de quodam Parisiensi Doctore, qui in ipsa Ecclesia, dum exequiæ fierent, sublato capite ex feretro clamavit: Justo Dei judicio accusatus sum, et sequenti die iterum clamavit, justo Dei judicio judicatus sum, et tertio die, justo Dei judicio damnatus sum. Est autem notandum circa

(1) Joan. V, 22; Hebr. IX, 27. — (2) Eccl. XI, 28 et 29. — (3) Luc. XXIII, 43.

hæc exempla, tam judicium illorum, quod ante mortem peractum est, quam istius Parisiensis, quod in triduum post mortem dilatum fuit, pertinere ad particularem quamdam, et extraordinariam providentiam, qua Deus utitur ad nos sive instruendos, sive terrendos, alioqui regulariter credendum est judicium fieri statim a morte; nam ordinarie tempus pœnitentiæ utile durat usque ad extremum spiritum, ut aperte docet Leo. epist. 90. ad Rusticum; nec est ratio cur post mortem retardetur judicium, cum Deus non egeat testibus, nec allegationibus, sed in instanti possit judicare. Dici posset etiam, et fortasse probabilius, in exemplis a Beda allatis judicium ante mortem non peractum, sed præostensum tantum fuisse: in exemplo autem illius Doctoris Parisiensis, judicium non dilatum in alterum diem, sed solum altero die manifestatum.

Est etiam observandum, non posse certo definiri, an animæ deferantur ad judicem, an ibi judicentur ubi corpus relinquunt, et similiter an judicentur immediate a Christo in forma humana sententiam proferente, an solum divina virtute, quæ ubique præsens est, an vero per Angelos sententia manifestetur. Quod enim Scripturæ passim dicunt, Christum hominem esse judicem vivorum et mortuorum, intelligunt de novissimo generali judicio; nam etiam ante Christi incarnationem judicium particulare exercebatur; unde non solum non est certum, sed nec admodum probabile, quod Innocentius III. affirmat lib. II. cap. ult. de contemptu mundi, Christum in forma crucifixi apparere omnibus morientibus, tam bonis, quam malis.

Quantum ad Tertium, quod sententia judicis lateat animas quæ judicantur, et falsum est, et impertinens; falsum quidem, quia judicium particulare præcipue sit ad hoc, ut innotescat sententia ei qui judicatur. Nam propter alios erit generale judicium; propter Deum non est necessarium judicium, ipse enim omnia novit, ergo solum sit, ut innotescat ipsi animæ quæ judicatur, et idem colligitur ex visionibus supra citatis. Est etiam impertinens, nam etiamsi non eis innotesceret sententia judicis, tamen facile possent per se cognoscere qualis sit, ab effectu, quia videbunt se statim in inferno, aut in cœlo, aut in Purgatorio.

At poterunt, inquies, dubitare, an sint in inferno, vel in purgatorio. Non ita est; nam in inferno blasphematur Deus; in purgatorio laudatur; in inferno non est fides infusa, neque ulla spes, aut charitas Dei: in purgatorio hæc omnia reperiuntur; ergo anima, quæ videbit se sperare in Deo, laudare, et diligere Deum, evidenter, cognoscet se in inferno non esse.

At poterit, inquiunt, metuere ne in infernum mittatur, licet ibi adhuc non sit: sed neque hoc dici potest; nam eadem fides manet in illa, quam hic habuit; hic autem credidit secundum clarissima Scripturarum testimonia; post mortem non posse fieri ullos de bonis malos, nec de malis bonos, et nullum nisi malum in infernum esse mittendum; cum ergo videat, se diligere Deum, et proinde se esse bonam, non metuet damnationem.

Dices: Nos hic videmus nos diligere Deum, et tamen non sumus certi, an simus justi, ergo etiam animæ illæ non certo colligent ex dilectione sua justitiam suam.

Respondeo: Nos non videmus habitum charitatis infusum, quo justificamur, sed ex conjecturis fallibilibus colligimus eum in nobis esse, at animæ separatæ sicut seipsas perspicue intuentur, nec enim pendent ibi a phantasmatibus, ita etiam vident omnia quæ in se habent, ac proinde vident, an habeant verum habitum charitatis, an non; præterea sciunt animas esse immobiles tam in bono, quam in malo, ergo etiamsi non viderent habitum suum infusum charitatis, tamen scirent nunquam se Deum blasphematuras, nec odio habituras, ac proinde numquam in infernum mittendas. Denique ex fide noverunt animas impiorum mox a morte corporis detrudi in infernum, nec differri ulterius eorum supplicia, id enim omnes Catholici credunt ex cap. XVI. Lucæ, ergo animæ quæ se vident extra infernum, credunt firmiter se in eum numquam mittendas.

Quantum ad Quartum, quod animæ illæ propter nimios dolores impediantur a cognitione sui status, et proinde putent se esse in inferno, et in quadam turbatione et desperatione versentur, ut Lutherus dicit, falsissimum est. Nam Primo, anima divitis in inferno, Lucæ XVI. non impediebatur a cognitione sui status, quanto minus ergo impedientur animæ, quæ sunt in Purgatorio?

Secundo, quod in hoc mundo impediantur homines a recto judicio ex intentione

dolorum, provenit ex læsione organi corporei; at ibi est pura mens spiritualis et incorruptibilis.

Tertio quia Ecclesia in canone Missæ dicit: « Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. » Ubi Ecclesia orat pro animabus Purgatorii; nam subdit, ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, et pacis, ut indulgeas deprecamur. At certe quæ dormire dicuntur in somno pacis, non sunt anxiæ, nec desperant, sed potius habent admixtam cum summis cruciatibus incredibilem consolationem propter certam spem salutis.

Quarto, quia si crederent se damnatas, non peterent suffragia vivorum, nec dicerent se brevi liberandas si pro eis oretur, ut patet apud Gregorium lib. IV. Dialogorum cap. 40. et exemplis allatis in prima quæstione.

CAPUT V.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt primo testimonia quædam Scripturarum, quibus utitur Ecclesia in officio defunctorum, dum pro animabus, quæ degunt in Purgatorio, orare cupit. Psalm. VI: *Anima mea turbata est valde.* Et ibidem: *Sana animam meam, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Et Psalm. CXIV: *Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me* (1). Certe ista tanta perturbatio et anxietas non potest nasci ex solis pœnis, sed ex incertitudine, et metu æternæ damnationis; nam si animæ illæ perfectæ essent in charitate, et certæ essent de sua salute, non ita timerent, cum scriptum sit Proverb. XII. non contristabit justum quidquid acciderit ei.

Respondeo, stultum esse, ex eo quod Ecclesia utitur aliquo Psalmo in officio defunctorum, velle omnia verba ejus Psalmi intelligere ad litteram de defunctis; quomodo enim intelligemus de defunctis illa verba ejusdem VI. Psalmi: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (2). Itaque Ecclesia propter unam aut alteram sententiam, quæ ad rem præsentem facit, totum aliquem locum Scripturæ legere solet, etiamsi major pars illius loci ad rem præsentem non faciat. Sic in dedicatione Ecclesiæ legitur Evangelium de Zachæo, quia illa ultima verba: *Hodie salus huic domui facta est*, conveniunt aliquo modo dedicationi, et consecrationi Ecclesiæ: Sic in assumptione B. Virginis legitur Evangelium de Martha, et Magdalena propter illa verba: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sic denique (ut omittam cætera) in officio defunctorum propter illa verba Ps. VI: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Et propter illa Psalm. CXIV: *Placebo Domino in regione vivorum*; leguntur integri illi Psalmi (3).

Adde, quod falsum etiam est, quod in argumento assumitur, turbationem, et tristitiam non nasci ex dolore, sed ex incertitudine, aut desperatione salutis; nam Dominus ipse Joan. XII. cap. de se ait: *Nunc anima mea turbata est* (4). Et Matth. XXVI. cœpit contristari et mœstus esse, et tamen nec incertitudo, nec desperatio in Dominum cadere poterat. Locus autem Proverbiorum non debet accipi de quavis tristitia, sed de tristitia dejiciente, ac deprimente, quæ mortem operatur, quam B. Paulus II. Corinth. VII. vocat tristitiam hujus sæculi.

Altera objectio sumitur ex illa oratione, quæ post Evangelium in Missa de mortuis recitatur: « Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum etc. »

Respondent aliqui, Ecclesiam orare pro agonizantibus, ne damnentur ad inferos; sed repugnat illud: Libera animas omnium fidelium defunctorum, non enim agonizantes dicuntur animæ defunctorum. Deinde usus Ecclesiæ habet, ut hæc oratio dicatur etiam in anniversariis defunctorum pro iis animabus, quæ ante multos annos migrarunt a corpore. Alii dicunt, hanc orationem fundi pro iis, qui sunt in Gehenna, quas interdum liberari contingit, ut fertur de Trajano: sed, ut omittam improbabilem esse illam Trajani historiam, qui in Gehenna sunt jam cecide-

(1) Psal. VI. 4; CXIV. 3. — (2) Psal. VI. 7. — (3) Luc. XIX. 9; Luc. X. 42; Psal. VI. 3; CXIV. 9. — (4) Joan. XII. 27.

runt in obscurum, atque absorpti sunt a tartaro. Quid igitur pro illis Ecclesia orat ne cadant in obscurum, neve absorbeantur a tartaro? Deinde Ecclesia pro fidelibus tantum orat: « Libera, inquit, animas fidelium defunctorum. » Non autem sunt fideles, qui damnati sunt ad inferos.

Duæ igitur solutiones aliæ dari possunt. Una est, quod Ecclesia orat pro animabus, quæ in Purgatorio degunt, ne damnentur ad pœnas Gehennæ sempiternas, non quidem quod certum non sit eas non damnandas ad eas pœnas, sed quia vult Deus nos orare etiam pro iis rebus, quas certo accepturi sumus.

Sed adversus hanc responsionem objici potest, quia etsi Ecclesia interdum oret pro iis rebus, quas certo est acceptura, non tamen orat pro iis rebus, quas jam accepit; porro jam accepit ne animæ illæ damnentur, cum certam sententiam illæ habuerint, et securissimæ sint. Deinde mens fidelium, qui pro defunctis orant vel orari cupiunt, certe eo fertur, ut animas illas juvent, et expediant a præsentibus pœnis Purgatorii.

Verum istæ objectiones facile diluuntur; nam etsi animæ Purgatorii jam acceperint primam sententiam in judicio particulari, eaque sententia liberæ sint a Gehenna: tamen adhuc superest judicium generale, in quo secundam sententiam accepturæ sunt. Quocirca Ecclesia orans, ne in judicio extremo animæ illæ cadant in obscurum, neve absorbeantur a tartaro, non orat pro ea re quam accepit, sed pro ea, quæ acceptura est.

Ad illud vero de intentione fidelium, respondeo, etiam illi intentioni satisfieri; nam in illa oratione utrumque petitur, nimirum, ut liberentur animæ illæ de pœnis inferni, id est, Purgatorii, quas in præsenti patiuntur, et postea liberentur a sententia damnationis in extremo judicio ferenda.

Altero solutio est, quod Ecclesia vere orat quantum ad intentionem suam, ut animæ liberentur a pœnis Purgatorii, tamen utitur eo modo loquendi, quasi animæ tunc migrarent a corpore, et in periculo essent æternæ salutis, quia commemorat, et repræsentat diem depositionis sive obitus. Ut enim in celebritatibus festorum Incarnationis, Natalis, Apparitionis, Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Domini Ecclesia ita orat, ac si tunc deberet Christus, vel incarnari, vel nasci etc. quia repræsentat illa mysteria ut præsentia, et tamen non intendit ad litteram precari, ut Verbum carnem assumat, aut nascatur de Virgine etc. sed ut nobis applicetur fructus eorum mysteriorum: ita quoque in sacrificio pro defunctis, quia commemoratur dies obitus illorum, Ecclesia ita pro illis orat, ac si tunc morerentur; et tamen intendit orare, ut liberentur ab inferno eo modo, quo liberari possunt, id est, ut non detineantur diutius in illis pœnis, vel ut refrigerium aliquod doloribus misceatur. Denique quomodo non est absurdum, nunc post mille et quingentos annos in adventu Domini dicere: « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem: » et alia multa id genus, ita non est absurdum pro defunctis dicere: « Libera eas de ore leonis, ne cadant in obscurum etc. »

CAPUT VI.

De loco Purgatorii.

Sequitur quæstio quarta: « Ubi sit Purgatorium? » De qua quæstione nihil Ecclesia definivit; sunt autem multæ opiniones.

Prima quorumdam qui putant ibi animas purgari, ubi peccaverunt, id est, variis in locis, et quidem quod variis in locis animæ purgentur, satis probabiliter colligitur ex Gregorio lib. IV. Dialogorum cap. 40. et cap. 55. qui refert animam Paschasii, et cujusdam alterius in balneis quibusdam purgatas. Nec non ex epist. Petri Damiani de miraculis sui temporis, ubi describit visionem de purgatione animæ S. Severini in quodam flumine. At quod omnes ibi puniantur, ubi peccaverunt, non est probabile; nam contingit aliquem in multis locis peccasse, nec est verisimile in omnibus illis purgandum. Præterea visiones prædictæ contrarium ostendunt; nam Paschasius Diaconus peccaverat Romæ in electione Pontificis, purgabatur autem in thermis Puteolanis, et S. Severinus peccaverat in Palatio Imperatoris, et purgabatur in flumine.

Secunda opinio, loca animarum non esse corporalia: ita Augustinus lib. XII. de Gen. cap. 33. sed retractavit lib. II. retract. cap. 24.

Tertia, loca pœnalia animarum esse hunc mundum, in quo animæ manent in corpore tamquam in carcere. Hanc refert, et refellit Irenæus in fine libri V. nam Scriptura dicit, animas post hanc vitam descendere in infernum, ut patet Lucæ XVI et alibi.

Quarta, infernum et purgatorium animæ, nihil esse aliud præter conscientiam accusantem et punientem peccata : ita Philo in libro de congressu quærendæ eruditionis gratia, et Origenes, ut refert Hieronymus in epist. ad Avitum. Hæc refellitur ; nam si ista opinio esset vera, non minus essemus nunc in inferno vel purgatorio, quam post mortem.

Quinta est, infernum, et proinde purgatorium (sunt enim loca vicina) fore in valle Josaphat. Ita refert Chrysostomus sensisse veteres aliquos hom. de præmiis beatorum, tomo III. Similem sententiam refert Gregorius lib. IV. Dialogorum cap. 42. forte argumentum istorum fuit, quia Christus passim infernum vocat Gehennam, Gehenna autem est vallis quædam adeo conjuncta cum valle Josaphat, ut pars ejus esse videatur, de quo nomine infra dicemus.

Sexta opinio est, infernum esse statum animæ extra corpus ; nam dum est in corpore in luce versatur, ut ex operibus apparet : cum de corpore exit, nihil amplius videre potest nisi beata sit, et istæ sunt tenebræ exteriores : ita refert Theophylactus in capit. XVI. Luc.

Septima est, locum pœnalem animarum non esse terram, sed aerem istum caliginosum ubi Dæmones versantur : ita Gregorius Nyssenus in lib. de anima, et resurrectione, et Chrysostomus homilia de præmiis beatorum, et Auctor operis imperfecti in Matthæum hom. 53. cui sententiæ favet historia S. Fursei apud Bedam lib. III. historiæ Angloram cap. 19. illo enim defuncto cum ab Angelis in cœlum deduceretur, ostensi sunt maximi ignes supra aerem, qui servabantur (ut Angelus dicebat) ad mundi conflagrationem, et interim examinabantur ibi hominum opera.

Octava est communis Scholasticorum, Purgatorium esse intra viscera terræ, inferno ipsi vicinum. Constituunt enim scholastici communi consensu intra terram quatuor sinus, sive unum in quatuor partes divisum, unum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine Baptismo obeuntibus, quartum pro justis, qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet : Quorum sufficientia sumitur penes genera pœnarum, sunt enim hæc omnia loca pœnalia ; omnis autem pœna, aut est tantum damni, aut etiam sensus ; et rursus aut æterna, aut temporalis : pro pœna ergo solius damni æterna, est limbus puerorum ; pro pœna solius damni temporali, erat limbus Patrum ; pro pœna damni, et sensus æterna, est infernus ; pro pœna damni et sensus temporali, est Purgatorium.

Quia vero hæc omnia fabulas esse Calvinus dicit lib. II. Instit. cap. 16. §. 9. et similiter discipulus ejus Beza in cap. II. Actor. et Magister ejus Bucerus in cap. XXVII. Matth. de singulis probandum est. Ac Primum, quod intra viscera terræ sit locus aliquis animarum, qui generali vocabulo vocatur infernus, demonstratum est a nobis lib. IV. de Christo cap. 9. inde petat Lector si velit plene cognoscere, quæ ad hunc locum pertinent.

Porro ad argumenta, quæ tunc attulimus, accedant variæ eruptiones ignis, quæ in terra apparent, quas non temere B. Gregorius putat esse indicia quædam inferni, intra viscera terræ existentis lib. IV. Dialogorum cap. 35. nam in eodem lib. cap. 30. scribit se certa relatione cognovisse, eadem ipsa hora, qua obiit Rex Theodoricus Arianus, visam fuisse animam ejus jactari in foveam Vulcani, quæ est in Sicilia, et Laurentius Surius in historia anni 1537. scribit circa montem Heclam Insulæ Islandiæ, unde erumpunt flammæ, et audiantur quædam quasi tonitrua horribilia, sæpe apparere animas, quæ dicant se mitti ad illum montem. Hæc de inferis in genere.

Nunc de singulis locis. Ac primum quod infernus damnatorum sit in profundissimis terræ partibus, probatur Primo, quia intra viscera terræ est infernus, ut jam probavimus, sed Luc. XVI. anima divitis Epulonis dicitur fuisse in inferno, et non solum in inferno, sed etiam in loco profundissimo, quandoquidem ut videret Lazarum, qui etiam tunc erat in locis subterraneis, sursum versus aspicere debuit. Præterea ratio ipsa dictat ut si locus beatorum est in summo cœlo, locus damnatorum sit in loco remotissimo a cœlo, nihil autem remotius centro terræ.

Deinde, quod Purgatorium sit etiam sub terra, et inferno damnatorum vicinum, probatur Primo ex illis verbis Actor. II : *Solutis doloribus inferni* (1), quæ intelliguntur ab Augustino epist. 99. de pœnis Purgatorii, unde etiam Ecclesia in Missa de defunctis dicit : « Libera animas defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu. » Secundo, id confirmatur ex visione, quam refert Beda lib. V. cap. 13. historiæ, ubi aperte visum est Purgatorium inferno damnatorum contiguum. Denique, Theologi fere omnes docent eodem in loco esse, et eodem igne torqueri damnatos, et animas Purgatorii.

Quod autem limbus puerorum sit in inferno, probatur ; nam Concilium Florentinum sessione ultima diserte definit tam eos qui moriuntur cum peccato mortali, quam eos qui cum solo originali, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos ; et B. Augustinus lib. IV. de Baptismo parvulorum cap. 28. et lib. V. hypognostici dicit, fidem Catholicam non nosse nisi duo loca, ubi homines sint futuri perpetuo ; cœlum beatorum, et infernum damnatorum. Est tamen communis opinio Scholasticorum, limbum puerorum esse in loco inferni altiore, quam sit Purgatorium, ita ut ad eum ignis non perveniat ; quam secutus est Innocentius III. cap. Majores, extra de Baptismo : sed de hac re alibi disputandum est.

Quod denique limbus Patrum sit in inferno, sed in parte suprema, probatum est satis accurate in lib. IV. de Christo cap. 10. unum solum argumentum repetemus, quod in eo loco nimis breviter tractatum fuit. Igitur lib. I. Reg. cap. XXVIII. anima Samuelis de locis subterraneis ascendere visa est : *Vidi*, inquit Pythonissa, *Deos ascendentes de terra* (2).

Respondebunt adversarii illum non fuisse vere Samuelem, sed Diabolum in forma ejus, ut docent Tertullianus lib. de anima prope finem. Auctor quæstionum apud Justinum quæst. 52. et Auctor quæstionum veteris Testamenti quæst. 27. apud Augustinum, et Auctor librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. II. cap. 11. Procopius et Eucherius in hunc locum libri Regum, et Isidorus lib. VIII. etymologiar. cap. 9. qui his rationibus moventur.

Primo, quia non est credibile Samuelem subjectum fuisse Pythonissæ, nec etiam sponte venisse ; quia artem magicam confirmasset. Secundo, quia Samuel non se adorari passus fuisset, ut illa umbra fecit. Tertio, quia non dixisset Sauli : « Cras tu, et filii tui mecum eritis. » Nec enim Saulis anima ad limbum Patrum, sed ad Gehennam descensura erat. Quarto, quia Deus negavit Sauli responsum per Prophetas, per oracula et per somnia, ut in eo capite dicitur, ergo non est credibile responsurum postea fuisse per Pythonissam.

At his non obstantibus, tenendum est, vere Samuelis animam fuisse eam, quæ apparuit et proinde vehementer confirmari sententiam nostram de loco subterraneo animarum. Nam in primis auctores citati sunt omnes aut incerti, aut nimis obscuri ; at qui contrarium docent, certi et clarissimi sunt, minirum Josephus lib. VI. antiq. cap. 15. Justinus in Dialogo cum Triphone ultra medium, Basilius epistol. 80. ad Eustathium medicum. Ambrosius in cap. I. Lucæ. Hieronymus in cap. VII. Isaiæ, et Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 15. Neque obstat quod Augustinus lib. II. ad Simplicianum quæst. 3. dubitaverit, an fuerit illa anima, nec ne ; nam librum de cura pro mortuis scripsit posterius, et re diligentius considerata. Præter hos veteres idem docent recentiores in hunc locum, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Carthusianus, et Cajetanus.

Sunt etiam pro hac sententia fortissimæ rationes : Prima, quia Scriptura perpetuo vocat Samuelem, eum, qui apparuit : *Cum vidisset*, inquit, *mulier Samuelem*. Et rursum : *Dixit Samuel ad Saul* ; et, *intellexit ergo Saul quod Samuel esset* (3). At certe non diceret, intellexit, sed cogitavit, vel putavit, si id non esset verum.

Secunda, quia Eccles. XLVI. ponitur in laudibus Samuelis quod mortuus prophetaverit, et annuntiaverit regi quæ ventura erant. At quænam laus est quod Diabolus alicujus speciem assumat, et decipiat ? et hoc est argumentum propter quod Augustinus lib. de cura pro mortuis asserit, vere fuisse Samuelem illum, qui apparuit, cujus testimonii non meminerat cum scriberet ad Simplicianum.

Tertia, quia prædixit Sauli futura, quæ Diabolus scire non poterat, nimirum sequenti die cum cum filiis periturum, exercitum dissipandum, Davidem regnaturum etc.

(1) Act. II, 24. — (2) I. Reg. XXVIII, 13. — (3) I. Reg. XXVIII, 12, 15 et 14.

Ultimo, quia rationes contrariæ nihil concludunt.

Ad Primum dico, Samuelem non venisse jussu Pythonissæ, sed jussu Dei, et potius impedivisse quam confirmasse artem magicam. Prævenit enim Samuel adventu suo effectum incantationis; et contrario modo ascendit atque alii soleant, qui per incantationem excitantur: et hæc est causa cur Pythonissa turbata fuerit, et sibi impositum diceret. Si enim verum est, quod Rabbini scribunt, umbræ mortuorum, quæ vi magicæ artis evocantur, capite deorsum verso ascendunt: Samuel autem recta figura ascendit, ita ut primum caput, deinde pectus, postremo pedes e terra emergere visi sint.

Ad Secundum dico, illam adorationem non fuisse latriam, sed reverentiam debitam animæ Samuelis.

Ad Tertium dico, illud: *Mecum eritis*, non significare, in sinu Abrahæ eritis, sed mecum eritis sub terra, id est, mortui eritis; nam cum inter filios Saulis esset etiam Jonathas justus, non erant descensuri ad eumdem locum Saul, et Jonathas, et tamen Samuel dicit in genere: *Mecum eritis*.

Ad Quartum dico, Deum se iratum Sauli ostendere voluisse, idque fecisse tum non respondendo quando interrogabatur, quam respondendo quando non interrogabatur; utrumque enim est signum iræ. Adde, quod cum Saul interrogabat Deum, si Deus respondisset, potuisset Saul declinare bellum, et pœnam sibi a Deo paratam; at cum interrogavit Pythonissam, jam erant omnia parata, et acies instructæ, et in conspectu positæ, ut nullo modo prælium detrectari posset. Tunc ergo Deus, ut magis puniret Saulem, prædixit ei per Prophetam interitum suum, et filiorum, et totius exercitus.

Habemus igitur, Purgatorium, Infernum, ac limbos Patrum et puerorum, loca subterranea esse.

CAPUT VII.

Sitne post hanc vitam aliquis locus pro animabus justis præter Cœlum et Purgatorium.

De prædictis receptaculis subterraneis animarum, duo quædam a Theologis tractari solent, quæ hic breviter inserere placuit, plenioris doctrinæ causa. Primo, quærunt, an præter hæc loca sit aliquis alius locus, ubi retineantur animæ antequam ad regnum cœlorum perveniant. Secundo, an ex his locis egredi possint.

Quantum ad Primum, difficultas est satis magna, quia ex una parte omnes Theologi docent, non esse alia receptacula præter quatuor numerata, et Concilium Florentinum sess. ult. definit, animas, quæ nihil purgandum habent, mox recipi in cœlum. Ex altera parte narrat Beda lib. V. hist. cap. 13. visionem valde probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitavit. Fuit autem in illa ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus postea rediit, præter infernum et purgatorium, et regnum cœlorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo degebant animæ quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni beatæ: cui revelationi multas alias conformes adducit Dionysius Carthusianus in Dialogo de judicio particulari art. 31. et Ludovicus Blosius Monili spirituali cap. 13.

Videtur mihi dicendum, non esse improbabile talem aliquem locum reperiri, cæterum ejusmodi locum ad Purgatorium pertinere. Etsi enim ibi nulla sit pœna sensus, tamen est pœna damni: pœna autem non convenit nisi animæ, quæ nondum plene purgata est, itaque erit locus ille mitissimum Purgatorium, et quasi carcer quidam senatorius, atque honoratus.

Hoc tamen addendum est, animas, quæ in eo loco morantur, non solum carere beatitudine, sed etiam affligi, ac torqueri ex illa dilatione beatitudinis. Dixi autem, mihi non videri improbabile, talem aliquem locum reperiri, quia S. Thomas in IV. sent. dist. 21 quæst. 1. art. 1. scribit, in iis quæ de Purgatorio determinata non sunt ab Ecclesia, standum esse iis quæ sunt magis conformia dictis et revelationibus Sanctorum. Movit me etiam auctoritas Joann. de Turrecremata doctissimi atque optimi Cardinalis, qui in prologo, qui præmittitur Revelationibus S. Birgittæ, cum diligenter expendisset eas revelationes, affirmare non dubitavit S. Birgittæ convenire id, quod dicitur Judith. VIII. omnia quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. Scribit autem S. Birgitta lib. IV. cap. 124. animam quamdam in Purgatorio nullam aliam pœnam habuisse, nisi dolorem ex desiderio dilatæ felicitatis.

CAPUT VIII.

Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant.

Alterius autem quæstionis triplex esse potest sensus. Primus, an possint exire numquam redituræ, quia nimirum transferantur de uno receptaculo ad aliud. Secundus, an possint exire, ut rursum redeant ad suum locum. Tertius, an possint ita egredi, ut hic nobiscum iterum vivant.

Quantum ad primum sensum, facile responderi potest, ex inferno damnatorum, limboque puerorum non dari regressum; ex Purgatorio, limboque Patrum dari; sunt enim animæ impiorum damnatæ ad perpetuos carceres, et ignes Gehennæ, et similiter animæ puerorum ad perpetuum exilium, et tenebras. Animæ autem sanctorum Patrum damnatæ erant ad exilium temporale, et animæ Purgatorii ad carceres temporales. Ratio est, quia causa carceris, vel exilii damnatorum est culpa mortalis actualis, vel originalis, quæ numquam remittetur; causa autem exilii Patrum fuit debitum temporale contractum ex peccato primi parentis; ille enim suo peccato cœlum clauserat, quod aperiri non potuit, nisi Christi sanguine reipsa effuso; causa vero Purgatorii est reatus temporalis pœnæ, quæ necessario finem habet.

Contra hoc tamen est auctoritas Joannis Damasceni, qui in oratione de mortuis dicit, orationibus S. Theclæ liberatam de inferno animam Falconillæ cujusdam fœminæ paganæ, et orationibus S. Gregorii Papæ animam Trajani Imperatoris.

Respondeo: si hæc historia defendi debeat, oportere dicere, Trajanum non fuisse damnatum absolute ad inferos, sed solum punitum in inferno secundum præsentia ejus demerita, et suspensam sententiam propter prævisas B. Gregorii preces; et præterea non immediate ex inferno ad cœlum transisse, sed prius corpori unitum, et tunc baptizatum, et pœnitentiam in hac vita egisse. Ista enim est communis solutio B. Thomæ, Durandi, Richardi, et aliorum in IV. dist. 45. Quia tamen Trajanum resurrexisse, sine teste dicitur, nec enim ullus veterum hujus rei meminit, et repugnat hoc sententiæ Damasceni, qui satis aperte docet de inferno ad cœlum transisse, non autem ad hanc vitam rediisse Trajanum, et si pœnitentiam egit, in inferno illam egisse: Cum tamen solius Damasceni auctoritate nitantur auctores citati, ideo magis propendeo in sententiam Melchioris Cani, qui lib. XI. de locis, cap. 2. simpliciter improbat hanc historiam ut confictam, et Dominici a Soto, qui in IV. dist. 45. quæst. II. art. 2. dicit, hanc historiam sibi creditu durissimam esse, non obstante Apologia Alphonsi Ciaconii, pro hac historia ante hoc triennium edita. Rationes autem, quibus moveor, sunt quatuor.

Prima, quia quotquot hanc historiam admiserunt, id fecerunt propter Damasceni auctoritatem; at librum illum non esse Damasceni, facile probari potest; nam in eo libro auctor non solum dicit Trajanum, et Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum cœlorum transivisse, sed etiam multos alios, qui in infernum descenderant, quia fide divina caruerint, a Christo conversos, et salvatos quando ad inferos descendit: quod et per se erroneum est, et contrarium verbis Damasceni lib. II. de fide, c. 4. ubi dicit hominibus id esse mortem, quod fuit Angelis casus.

Secunda ratio est, quia nullus auctor Latinus historiæ ejus meminit, ut Paulus Diaconus, Anastasius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Ado, ac ne ipse quidem Beda, qui Beati Gregorii studiosissimus fuit. Imo in ipsa Romana Ecclesia, et ejus archiviis nulla hujus rei memoria exstabat, quando Joannes Diaconus vitam Beati Gregorii scripsit. Ipse enim vitam Beati Gregorii ex archiviis Romanis diligentissime collegit, et tamen lib. II. cap. 44. dicit, hanc historiam de Trajano repertam in Ecclesia quadam An-

Ultimo, quia rationes contrariæ nihil concludunt.

Ad Primum dico, Samuelem non venisse jussu Pythonissæ, sed jussu Dei, et potius impedivisse quam confirmasse artem magicam. Prævenit enim Samuel adventu suo effectum incantationis; et contrario modo ascendit atque alii soleant, qui per incantationem excitantur: et hæc est causa cur Pythonissa turbata fuerit, et sibi impositum diceret. Si enim verum est, quod Rabbini scribunt, umbræ mortuorum, quæ vi magicæ artis evocantur, capite deorsum verso ascendunt: Samuel autem recta figura ascendit, ita ut primum caput, deinde pectus, postremo pedes e terra emergere visi sint.

Ad Secundum dico, illam adorationem non fuisse latriam, sed reverentiam debitam animæ Samuelis.

Ad Tertium dico, illud: *Mecum eritis*, non significare, in sinu Abrahæ eritis, sed mecum eritis sub terra, id est, mortui eritis; nam cum inter filios Saulis esset etiam Jonathas justus, non erant descensuri ad eumdem locum Saul, et Jonathas, et tamen Samuel dicit in genere: *Mecum eritis*.

Ad Quartum dico, Deum se iratum Sauli ostendere voluisse, idque fecisse tum non respondendo quando interrogabatur, quam respondendo quando non interrogabatur; utrumque enim est signum iræ. Adde, quod cum Saul interrogabat Deum, si Deus respondisset, potuisset Saul declinare bellum, et pœnam sibi a Deo paratam; at cum interrogavit Pythonissam, jam erant omnia parata, et acies instructæ, et in conspectu positæ, ut nullo modo prælium detrectari posset. Tunc ergo Deus, ut magis puniret Saulem, prædixit ei per Prophetam interitum suum, et filiorum, et totius exercitus.

Habemus igitur, Purgatorium, Infernum, ac limbos Patrum et puerorum, loca subterranea esse.

CAPUT VII.

Sitne post hanc vitam aliquis locus pro animabus justis præter Cœlum et Purgatorium.

De prædictis receptaculis subterraneis animarum, duo quædam a Theologis tractari solent, quæ hic breviter inserere placuit, plenioris doctrinæ causa. Primo, quærunt, an præter hæc loca sit aliquis alius locus, ubi retineantur animæ antequam ad regnum cœlorum perveniant. Secundo, an ex his locis egredi possint.

Quantum ad Primum, difficultas est satis magna, quia ex una parte omnes Theologi docent, non esse alia receptacula præter quatuor numerata, et Concilium Florentinum sess. ult. definit, animas, quæ nihil purgandum habent, mox recipi in cœlum. Ex altera parte narrat Beda lib. V. hist. cap. 13. visionem valde probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitavit. Fuit autem in illa ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus postea rediit, præter infernum et purgatorium, et regnum cœlorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo degebant animæ quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni beatæ: cui revelationi multas alias conformes adducit Dionysius Carthusianus in Dialogo de judicio particulari art. 31. et Ludovicus Blosius Monili spirituali cap. 13.

Videtur mihi dicendum, non esse improbabile talem aliquem locum reperiri, cæterum ejusmodi locum ad Purgatorium pertinere. Etsi enim ibi nulla sit pœna sensus, tamen est pœna damni: pœna autem non convenit nisi animæ, quæ nondum plene purgata est, itaque erit locus ille mitissimum Purgatorium, et quasi carcer quidam senatorius, atque honoratus.

Hoc tamen addendum est, animas, quæ in eo loco morantur, non solum carere beatitudine, sed etiam affligi, ac torqueri ex illa dilatione beatitudinis. Dixi autem, mihi non videri improbabile, talem aliquem locum reperiri, quia S. Thomas in IV. sent. dist. 21 quæst. 1. art. 1. scribit, in iis quæ de Purgatorio determinata non sunt ab Ecclesia, standum esse iis quæ sunt magis conformia dictis et revelationibus Sanctorum. Movit me etiam auctoritas Joann. de Turrecremata doctissimi atque optimi Cardinalis, qui in prologo, qui præmittitur Revelationibus S. Birgittæ, cum diligenter expendisset eas revelationes, affirmare non dubitavit S. Birgittæ convenire id, quod dicitur Judith. VIII. omnia quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. Scribit autem S. Birgitta lib. IV. cap. 124. animam quamdam in Purgatorio nullam aliam pœnam habuisse, nisi dolorem ex desiderio dilatæ felicitatis.

CAPUT VIII.

Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant.

Alterius autem quæstionis triplex esse potest sensus. Primus, an possint exire numquam redituræ, quia nimirum transferantur de uno receptaculo ad aliud. Secundus, an possint exire, ut rursum redeant ad suum locum. Tertius, an possint ita egredi, ut hic nobiscum iterum vivant.

Quantum ad primum sensum, facile responderi potest, ex inferno damnatorum, limboque puerorum non dari regressum; ex Purgatorio, limboque Patrum dari; sunt enim animæ impiorum damnatæ ad perpetuos carceres, et ignes Gehennæ, et similiter animæ puerorum ad perpetuum exilium, et tenebras. Animæ autem sanctorum Patrum damnatæ erant ad exilium temporale, et animæ Purgatorii ad carceres temporales. Ratio est, quia causa carceris, vel exilii damnatorum est culpa mortalis actualis, vel originalis, quæ numquam remittetur; causa autem exilii Patrum fuit debitum temporale contractum ex peccato primi parentis; ille enim suo peccato cœlum clauserat, quod aperiri non potuit, nisi Christi sanguine reipsa effuso; causa vero Purgatorii est reatus temporalis pœnæ, quæ necessario finem habet.

Contra hoc tamen est auctoritas Joannis Damasceni, qui in oratione de mortuis dicit, orationibus S. Theclæ liberatam de inferno animam Falconillæ cujusdam fœminæ paganæ, et orationibus S. Gregorii Papæ animam Trajani Imperatoris.

Respondeo: si hæc historia defendi debeat, oportere dicere, Trajanum non fuisse damnatum absolute ad inferos, sed solum punitum in inferno secundum præsentia ejus demerita, et suspensam sententiam propter prævisas B. Gregorii preces; et præterea non immediate ex inferno ad cœlum transisse, sed prius corpori unitum, et tunc baptizatum, et pœnitentiam in hac vita egisse. Ista enim est communis solutio B. Thomæ, Durandi, Richardi, et aliorum in IV. dist. 45. Quia tamen Trajanum resurrexisse, sine teste dicitur, nec enim ullus veterum hujus rei meminit, et repugnat hoc sententiæ Damasceni, qui satis aperte docet de inferno ad cœlum transisse, non autem ad hanc vitam rediisse Trajanum, et si pœnitentiam egit, in inferno illam egisse: Cum tamen solius Damasceni auctoritate nitantur auctores citati, ideo magis propendeo in sententiam Melchioris Cani, qui lib. XI. de locis, cap. 2. simpliciter improbat hanc historiam ut confictam, et Dominici a Soto, qui in IV. dist. 45. quæst. II. art. 2. dicit, hanc historiam sibi creditu durissimam esse, non obstante Apologia Alphonsi Ciaconii, pro hac historia ante hoc triennium edita. Rationes autem, quibus moveor, sunt quatuor.

Prima, quia quotquot hanc historiam admiserunt, id fecerunt propter Damasceni auctoritatem; at librum illum non esse Damasceni, facile probari potest; nam in eo libro auctor non solum dicit Trajanum, et Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum cœlorum transivisse, sed etiam multos alios, qui in infernum descenderant, quia fide divina caruerint, a Christo conversos, et salvatos quando ad inferos descendit: quod et per se erroneum est, et contrarium verbis Damasceni lib. II. de fide, c. 4. ubi dicit hominibus id esse mortem, quod fuit Angelis casus.

Secunda ratio est, quia nullus auctor Latinus historiæ ejus meminit, ut Paulus Diaconus, Anastasius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Ado, ac ne ipse quidem Beda, qui Beati Gregorii studiosissimus fuit. Imo in ipsa Romana Ecclesia, et ejus archiviis nulla hujus rei memoria exstabat, quando Joannes Diaconus vitam Beati Gregorii scripsit. Ipse enim vitam Beati Gregorii ex archiviis Romanis diligentissime collegit, et tamen lib. II. cap. 44. dicit, hanc historiam de Trajano repertam in Ecclesia quadam An-

glorum, nec fidem certam illi habitam a Romanis.

Tertia, quia B. Gregor. lib. XXXIV. mor. c. 13. alias 16. diserte docet, non posse orari pro infidelibus defunctis, quemadmodum nec pro Diabolo, quandoquidem in eadem æterna, et irrevocabili damnatione sunt; Quomodo ergo credibile est eum id fecisse? Respondet Abulensis quæst. 57. in IV. lib. Regum, ideo Gregorium peccasse mortaliter orando pro Trajano. Sed absurdissimum est et fere blasphemum, cum constet Gregorium virum fuisse non modo sanctissimum, verum etiam prudentissimum. Deinde si peccavit mortaliter orando, quomodo fuit exauditus? Num Deus placatur, quando offenditur? Respondet Ciaconius, non peccasse Gregorium orando, sed meruisse potius, quia licet ordinarie non liceat orare pro damnatis, tamen licet ex peculiari instinctu divino.

At contra. Eadem historia refert Gregorium propter hoc peccatum punitum fuisse perpetuo dolore stomachi, et pedum. Respondet ipse, hunc dolorem non datum Gregorio in pœnam, sed ne elatio illi subreperet. At contra: nam Petrus Diaconus, quem ipse citat ex libro quodam bibliothecæ Vaticanæ, dicit, Gregorio ab Angelo dictum fuisse, quod quia præsumpserat hoc petere, laboraret usque ad mortem dolore etc. ergo in pœnam peccati, nam præsumptio peccatum est.

Quarta ratio est, quia argumenta Ciaconii non concludunt; ipse enim nititur præcipue his testibus. Primo, testimonio Petri et Joannis Diaconorum Gregorii, quod exstare dicit in bibliotheca Vaticana. Secundo, testimonio innominati auctoris, qui scripsit vitam B. Gregorii, quæ præponitur operibus ejus impressis Basileæ anno 1564, qui auctor videtur vixisse tempore ipsius Gregorii. Tertio, testimonio Damasceni. Quarto, testimonio Joannis Diaconi, lib. II. cap. 44. vitæ B. Gregorii. Quinto, testimonio B. Thomæ. Sexto, testimonio S. Birgittæ. Septimo, testimonio Mechtildis.

Primum testimonium mihi valde suspectum est; nam si illud esset vere Petri Diaconi, non diceret Joannes Diaconus, historiam hanc non exstare in Romana Ecclesia, sed solum apud Anglos. Præterea iste Petrus dicit, Gregorium a Deo petivisse, ut quotquot sepelirentur in Ecclesia S. Andreæ in clivo Scauri, non possent damnari, dummodo fidem tenuerint Christianam, et impetravisse. At certe Gregorius vir prudentissimus numquam ita orasset; nam vel intelligit de fide informi, vel de formata; si de informi, ergo voluisset salvari homines morientes sine charitate, quod quis credat? si de formata, non erat opus id petere; nam ubicumque sepeliatur, qui moritur cum charitate, damnari non potest. Adde, quod totum illud fragmentum redolet novitatem, et proinde suppositilium videtur: vocat enim Gregorium divum, quod nomen eo tempore erat inusitatum. Item anteponit Cardinales Episcopis; quod repugnat Joanni Diacono, qui in vita S. Gregorii scribit, ex Cardinalibus consuevisse promoveri a Gregorio multos ad Episcopatum, ut ad gradum altiorem, alia quoque habet non pauca signa novitatis.

Secundum testimonium nihil novi adfert; auctor enim ille sine nomine non vixit tempore S. Gregorii, sed posteriore tempore; redegit enim in compendium vitam S. Gregorii, quam scripserat fusissime Joannes Diaconus.

Tertium testimonium jam est rejectum.

Quartum est contra ipsum Ciaconium; nam Joannes Diaconus dicit, animam Trajani non esse liberatam de inferno, sed solum id obtinuisse, ut in inferno existens non pateretur pœnam ignis, Ciaconius autem vult eam in cœlo beatam.

Quintum est etiam contra ipsum, nam B. Thomas ubi ex professo hoc tractat, nimirum in IV. dist. 45. quæst. 2. probabilissimum putat animam Trajani liberatam solum a pœnis inferni usque ad diem judicii, ac deinceps cruciandam cum cæteris.

Sextum est valde obscurum; nam S. Birgitta non dicit Trajanum esse salvum, sed solum elevatum ad gradum altiorem, ubi indicat in inferno aliquid salutis recepisse.

Septimum est expresse contra ipsum; nam Mechtildis dicit, se petivisse a Domino quid egerit cum animabus Samsonis, Salomonis, Origenis et Trajani, et responsum esse, Deum velle esse omnibus incognitum, quid sua liberalitas cum illis egerit. Si ergo Deus vult esse incognitum, non est credendum auctoribus, qui asserunt Trajanum esse in cœlo. Adde, quod Deus in hac revelatione conjungit Trajanum cum Origene: At in Prato spirituali, quod citatur a VII Synodo et a Joanne Diacono lib. II. cap. 45. vitæ B. Gregorii, narratur alia revelatio, qua

Origenes visus est in Gehenna ignis cum Ario et Nestorio, et V Synodus cap. 11. dicit anathema Origeni sicut Ario, Nestorio, et cæteris hæreticis.

Quantum ad secundum, quidam existimant animas non posse unquam de suis receptaculis egredi, sed omnes apparitiones esse Dæmonum, qui fingunt se esse animas de Purgatorio exeuntes, et suffragia postulantes. Ita Tertullianus lib. de anima circa fin. et auctor quæstionum ad Antiochum quæst. 11. et 13. idem videntur dicere Chrysostomus homil. 29. in Matth. et homil. 2. et 4. de Lazaro, et Theophylactus in cap. VIII. Matth. quamquam hi duo, si bene legantur, non dicunt, nullo modo posse animæ egredi ad nos, sed non posse egredi pro arbitrio suo, nec verti in Dæmones, nec vagari inter nos more Dæmonum. Hæretici hujus temporis omnes apparitiones animarum rident, tamquam Dæmonum illusiones, præcipue Magdeburgenses.

Verissima tamen est Augustini sententia, lib. de cura pro mortuis, cap. 15. et 16. nimiæ impudentiæ esse negare animas interdum ad nos redire Deo jubente, vel permittente. Habemus enim testimonia gravissimorum auctorum, de regressu animarum ex omnibus receptaculis, præterquam ex limbo puerorum. Nam quod ex cœlo animæ beatæ ad nos aliquando veniant, sunt exempla certissima apud Eusebium lib. VI. histor. cap. 3. Augustinum de cura pro mortuis, cap. 16. Sulpitium in vita Martini, Paulinum in vita Ambrosii, Theodoretum lib. V. histor. cap. 24. Gregorium lib. III. Dialogor. cap. 24. et 25. et in VII Synodo, act. 4.

Quod ex limbo Patrum apparuerint animæ probat Augustinus lib. de cura pro mortuis, c. 15. et 16. ex lib. I. Regum, c. XXVIII ubi Samuelis anima apparuit Sauli, et ex Matth. XVII. ubi Moses apparuit cum Elia in monte Thabor; quamvis enim Hilarius in hunc locum, et Ambrosius lib. I. de Cain, cap. 2. dicunt, Mosem adhuc vivere, tamen contrarium expresse habetur Deuteron. ult. et Josue I.

Quod ex Purgatorio apparuerint, sunt exempla apud Gregorium lib. IV. Dialogor. cap. 40. et 55, et alios auctores supra citatos. Quod denique ex inferno, probat multis exemplis auctor librorum de proprietatibus apum, et idem apparet ex illa apparitione Doctoris Parisiensis in vita B. Brunonis, qui post triduum a morte, dixit se condemnatum. Credibile est, animam illam mox a morte in infernum descendisse, sed tamen ter apparuisse, et primo, manifestasse suam accusationem. Secundo, suum judicium. Tertio, suam damnationem, ut hoc modo pluribus innotesceret hoc exemplum.

Quantum ad tertium, quod aliqui ex Purgatorio vel limbo Patrum fuerint ad vitam revocati, nulli dubium esse potest. Nam mortui, quos excitarunt Elias, Eliseus, Dominus Christus, et Petrus, et Paulus, cum fideles fuerint, creduntur fuisse in Purgatorio, aut in limbo: Neque ullam sequitur inconveniens, si ex his locis aliqui resurgant, siquidem hoc nihil aliud est, quam mutare illis exilium, vel carcerem.

Dices: at jam erant certi de sua salute, et per resurrectionem fient incerti. Respondet bene Abulensis quæst. 57. in IV Regum, omnes eos qui ex Purgatorio aut limbo Patrum in vitam revocati fuerunt, sine dubio confirmatos fuisse in gratia, ut nullo modo perire potuerint, quia alioqui injuria illis facta fuisset.

Quod autem ex cœlo, aut inferno damnatorum revocari possent ad vitam, videretur incredibile, nisi exstarent exempla, quæ negari non possunt. Nam B. Gregorius lib. I. Dialogor. cap. 9. scribit, a S. Fortunato excitatum fuisse Marcellum quemdam virum sanctum, qui ab Angelis in optimum locum ductus fuerat. Et cap. 12. scribit, a S. Severo excitatum quemdam virum pessimum, qui a Dæmonibus in infernum deducebatur. Hegesippus scribit lib. III. c. 2. B. Petrum excitasse alium quemdam Cæsaris Ethnicum a morte. Nec dubitari potest, quin Apostoli aliquos Ethnicos excitarint. Maximus serm. 2. de sancta Agnete, dicit, ab ea excitatum filium præfecti, qui in peccato mortali obierat. Et Evodius libro I. de miraculis S. Stephani, dicit, puerulum mortuum ante Baptismum, ad reliquias S. Stephani excitatum.

Dico igitur, beatos jam existentes non posse revocari ad vitam. Siquidem beatitudo includit certitudinem de non amittenda unquam felicitate, ut B. Augustinus docet de corrept. et gratia, cap. 10. et ratio est manifesta, quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; non habet autem omnia bona, qui non habet illam certitudinem. Si igitur aliqui sancti viri redierunt ad corpus, non fuerunt beati, sed Deus prævidens eorum excitationem, distu-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
FACULTAD DE TEOLOGÍA
COLECCIÓN HISTÓRICA DE LIBROS

lit eorum beatificationem, et interim detinuit eos in optimo aliquo loco, ut accidit Marcello illi, de quo Gregorius loquitur.

De damnatis similiter dico, damnatum absolute ad pœnas æternas, non posse revocari ad vitam, quoniam alioqui fieret incerta impiorum damnatio; et sane B. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei, cap. 24. nimiæ præsumptionis esse dicit asserere, eos non mansuros perpetuo in igne, quibus Veritas dicit: *Ite in ignem æternum.* Dicit autem hoc Veritas omnibus, quos damnat tam in particulari, quam in universali judicio. Præterea nullus esset damnatorum, qui non posset sperare salutem, et pro quo non possemus orare. Nunc enim non oramus pro infidelibus damnatis, quia secundum fidem credimus eos non posse salvari; at si possunt saltem ex privilegio salvari, certe pro illis orandum esset, sicut in hoc mundo oramus pro obstinatis in malo, ut Deus det illis gratiam efficacem, quæ certe non datur, nisi ex privilegio: loquimur enim non de quacumque gratia efficaci, sed de illa, qua convertuntur ii, qui oppugnant cognitam veritatem, qui dicuntur peccare in Spiritum Sanctum, et quorum peccatum dicitur irremissibile, quia rarissime et difficillime remittitur, quomodo dicitur morbus incurabilis, qui non nisi miracnlo curatur.

Sed objicit Abulensis quæst. 57. in IV. lib. Regum, ei, qui excitatur ab inferno damnatorum, non remittitur neque culpa, neque pœna per ipsam excitationem, neque aliud miraculum hic necessarium est, quam simplex mortui resuscitatio: ergo fieri potest, ut tales redeant. Respondeo: non remitti culpam, neque pœnam, sed dari beneficium æquivalens, quia ponitur in statu, in quo potcrit a culpa et pœna liberari: ex quo sequuntur omnia absurda supra dicta, quod non erit certa impiorum damnatio: quod illi sperare poterunt: quod licebit pro eis orare.

Ad illa exempla, quæ adferuntur, respondet Sotus in IV. dist. 45. quæst. II. art. 2. omnes Ethnicos, quo Apostoli excitarunt, laborasse ignorantia invincibili fidei, et proinde in Purgatorio fuisse.

At quid respondebit Sotus Ambrosio, qui serm. 90. et Maximo, qui serm. 2, dicunt, beatam Agnetem excitasse filium Præfecti, quem Diabolus necaverat, cum voluisset ipsam virginem sanctam stuprare? Igitur dico, eos qui sunt excitati, cum mererentur pœnas æternas, non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam, et interim punitos secundum præsentem justitiam, ut B. Thomas docet in IV. sentent. dist. 45. quæst. II. artic. 2. quomodo etiam respondet Richardus, Durandus, et alii ibidem.

CAPUT IX.

De tempore quo durat Purgatorium.

Jam vero de tempore, quo Purgatorium permanebit, duo sunt errores extremi. Primus error est Origenis, qui extendit tempora Purgatorii ultra diem resurrectionis; ita enim habet homil. 14. in Lucam: « Ego puto, inquit, quod et post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante, nemo enim absque sordibus resurgere poterit. » Hic tamen est error exploratus; nam B. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei, cap. 16: « Purgatorias pœnas, inquit, nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum, tremendumque judicium. » Et ratio est, quia Dominus Matth. XXV. in judicio solum duos ordines hominum dicit futuros, unum beatorum, alterum damnatorum.

Dices: Anima non peccavit sola, sed simul cum corpore, igitur simul cum corpore purgari debet; proinde post resurrectionem homines purgabuntur. Respondeo: si argumentum concluderet, probaret etiam, animam separatam non posse puniri in inferno, nec voluptatibus in cœlo frui, contra Evangelium Lucæ XVI: *Crucior in hac flamma.* Et Lucæ XXIII: *Hodie mecum eris in Paradiso* (1).

Dico igitur, merito puniri animam etiam solam, quia ipsa est subjectum et causa efficiens peccati; nam sunt quædam opera hominum, quæ non possunt fieri, nisi a toto composito, nec recipi, nisi in totum compositum, ut illa omnia quæ fiunt a potentiis organicis, ut loqui, videre, audire etc. et talia dissoluto composito non invehiuntur amplius; et si quidem tale esset peccatum, argumentum plane concluderet: At non ita est; peccatum enim est actus liberi arbitrii, et ideo a sola voluntate proprie fieri dicitur, et in sola voluntate formaliter inveni-

1) Luc. XVI. 24; XXIII. 43.

tur; dissoluto ergo homine, peccatum integre, et solum reperitur in voluntate, et per illam in anima, non autem in carne mortua. Ibi autem puniri vel purgari debet, ubi invenitur.

Adde etiam, quod caro suo modo quoque punitur; nam, ut anima separata punitur pœna damni, quia caret visione Dei, et pœna sensus, quia torquetur igne; ita caro punitur pœna damni, quia caret vita et pœna sensus, licet improprie, quia paulatim putrefit, et in cineres redigitur. Tamen prior solutio est melior; nam etiam corpora Sanctorum hæc patiuntur, qui tamen purgatione non egent.

Alter error est Lutheri, qui e contrario nimis breve efficit Purgatorium. Vult enim omnes peccati reliquias dolore mortis purgari in iis, qui in fide moriuntur, et ideo nullum aliud esse Purgatorium, præter mortem. Hic error facile refelli potest; nam per reliquias peccatorum, vel intelligitur fomes, vel mali habitus contracti, vel reatus pœnæ temporalis. Et peccata venialia; hæc enim sola et omnia remanere possunt in homine justificato ex iis, quæ ad peccatum pertinent, et proinde reliquiæ peccatorum dici possunt. Ac primum, tomes tollitur quidem in morte, quia tunc extinguitur sensualitas, sed non propter fomitem nos Purgatorium constituimus; alioqui etiam pueri baptizati morientes, deberent purgatorias pœnas pati, cum Baptismus eis non abstulerit fomitem. At Augustinus ib. XXI. de civit. Dei, cap. 16, diserte docet, ejusmodi pueros nullas pati purgatorias pœnas. Mali autem habitus, qui in voluntate existunt, non necessario extinguuntur per mortem, quandoquidem sunt in potentiis, quæ organo non sunt alligatæ, ut patet. Nec tamen propter hujusmodi habitus constituimus Purgatorium; nam alioqui sequeretur, adultos, qui post multos malos habitus contractos baptizantur, et statim moriuntur, vel certe pro Christo occiduntur, non posse salvari, nisi per Purgatorium, quia nec Baptismus, nec Martyrium dissolvit ejusmodi habitus. Videmus enim baptizatos adhuc habere easdem malas propensiones, quas antea habebant, et oportere eos paulatim actibus contrariis ejusmodi habitus tollere.

Credibile igitur est, omnes istos habitus tolli per primum actum contrarium animæ separatæ, quem statim a separatione elicit. Etsi enim hic non possit uno actu destrui habitus contractus per multos actus, tamen ibi poterit, quia actus ille multo vehementior erit; cum anima tunc sit potentior, quantum ad actus spirituales, nec habeat fomitem contrarium et resistentem, ut hic habet.

Restat ergo reatus pœnæ, et peccata venialia, quæ proprie dici possunt reliquiæ peccatorum, ob quas est Purgatorium. Has autem reliquias aliquando certum est in morte purgari, aliquando certum est non purgari, aliquando dubium est quid fiat, et probabilissimum est, partim purgari, partim non purgari.

Probo singula. Ac primum quidem, quia mors violenta pro Christo suscepta, quæ dicitur martyrium, sine dubio purgat omnes hujusmodi reliquias. Cyprianus enim lib. IV. epist. 2. clare dicit, peccata omnia passione purgari; et quod non loquatur de culpis mortalibus, patet, quia ibidem dicit, sine charitate nec martyrium quidquam prodesse; quod ante Cyprianum docuerat B. Paulus in priori epist. ad Corinth. cap. XIII. Itaque Ecclesia numquam orat pro Martyribus, quia, ut Augustinus dicit, serm. 17. de verbis Apostoli: « Injuria est orare pro Martyre, cujus nos debemus potius orationibus commendari. »

Secundum probo: nam qui moriuntur inviti, vel sine usu rationis, ut amentes et dormientes, et quos repentini casus opprimunt, non possunt ea morte ullo modo purgari; nam vel ipsa mors per se absolute purgat, vel ratione alicujus voluntarii actus ipsam concomitantis. Non primum, quia mors secundum se est quid naturale, saltem post primi parentis peccatum; unde communis est bonis et malis, imo hominibus et jumentis; at per naturalia, quæ necessario eveniunt, non meremur, nec demeremur, nec possumus dissolvere debita voluntarie contracta. Igitur si mors purgat, id fit ratione voluntarii actus concomitantis; at nos loquimur hoc loco de illis, qui sine ullo ejusmodi actu moriuntur. Præterea, videmus sæpe optimos viros pati mortem durissimam, et minus bonos levissimam; at si in morte deberent purgari reliquiæ peccatorum, necessario contrarium fieri deberet.

Tertium probo: nam multi sunt, qui æquo animo mortem tolerant propter sua peccata, quorum patientia sine dubio juvat ad satisfaciendum, sed utrum æquivaleant et

debita contracta per peccata, nemo certe scire potest.

Præter hos errores fuit opinio Dominici a Soto, in IV. sentent. dist. 19. q. 3. art. 2. neminem in Purgatorio manere ad decem annos; et ratio ejus est, quia si hic in terris aliquibus pœnis brevi tempore liberari possumus ab omni pœna; quare non multo citius in Purgatorio, cum illæ pœnæ sint pœnæ in infinitum graviores, et intensiores istis? Præterea, hic sunt prolixæ pœnæ, quia non possunt esse multum intensæ, nam subjectum destruerent; at post hanc vitam possunt esse intensissimæ, quia subjectum est incorruptibile: ergo credibile est, Deum illas animas ad gloriam anhelantes, brevissimo tempore per intensissimas pœnas purgare. Sed istæ rationes non concludunt.

Ad primum dici potest, hic esse tempus misericordiæ, illic justitiæ.

Ad secundum dico, Deum posse compensare extensionem intensione, sed nolle, alioqui sequeretur, animas non manere in Purgatorio ad unam horam, quia potest Deus augendo intensionem redigere pœnas decem annorum ad unam horam.

Præterea, repugnant huic sententiæ probatissimæ visiones Sanctorum. Scribit enim Beda lib. V. histor. cap. 13. quidam ostensas fuisse Purgatorii pœnas, dictumque illi esse, animas quæ in Purgatorio degunt, salvandas omnes in die judicii, licet aliquæ orationibus et eleemosynis viventium, et præcipue altaris sacrificio, juventur, ut etiam ante diem judicii liberentur. Ubi clare indicat, aliquos jam defunctos usque ad diem judicii mansuros in Purgatorio. Similes visiones multas afferre possemus ex Dionysio Carthusiano, et ex aliis.

Repugnat etiam Ecclesiæ consuetudo, quæ anniversaria sacra celebrat pro defunctis, etiamsi constet eos ante centum vel ducentos annos esse mortuos, quod certe non fieret, si Ecclesia crederet, non puniri animas ultra decem annos. Res igitur est incertissima, et non nisi temere definiri potest.

CAPUT X.

Qualis sit Purgatorii pœna.

De pœna Purgatorii quædam sunt certa, et quædam dubia. Primo certum est, Purgatorii pœnam non esse desperationem et metum Gehennæ, ut Lutherus sentit; id enim jam refutatum est.

Secundo, certum est etiam, unam Purgatorii pœnam esse carentiam divinæ visionis; non enim possunt animæ illæ non dolere, quod videant se propter suas culpas impediri a fruitione summi boni, quæ vocatur pœna damni.

Certum est tertio, præter hanc pœnam esse etiam aliquam aliam pœnam, quam Theologi vocant pœnam sensus, quæ consistit in aliquo dolore proveniente aliunde, quam ex carentia visionis Dei. Ut enim qui peccat avertit se a summo bono, et convertit inordinate ad creaturas, ita postea puniri debet non solum carentia summi boni, sed etiam afflictione inflicta ab aliquo alio creato objecto.

Certum est quarto, in Purgatorio, sicut etiam in inferno, esse pœnam ignis, sive istæ ignis accipiantur proprie, sive metaphorice, et sive significet pœnam sensus, sive damni, ut quidam volunt. Quod enim aliquis ignis sit in Purgatorio et inferno, patet tum ex illis verbis B. Pauli, I. Corinth. III: *Salvus enim quasi per ignem.* Et Matth. XXV: *Ite in ignem æternum* (1), tum ex testimoniis Patrum citatis in primo libro; omnes enim ignem appellabant Purgatorii pœnam.

His certis positis, et in quibus omnes conveniunt, dubium est, Primo: An ille ignis sit proprie dictus ignis, an metaphorice? Secundo, si sit proprie dictus, quomodo possit agere in animas separatas? Tertio, a quibus ministrentur istæ pœnæ, a Dæmonibus ne, an ab Angelis bonis, an per se agant? Quarto, an ista pœna sit major omnibus pœnis hujus vitæ?

(1) I. Cor. III, 15; Matth. XXV. 41.

CAPUT XI.

Ignem Purgatorii esse corporeum.

Quantum ad primum, communis sententia Theologorum est, verum et proprium esse ignem, et ejusdem speciei cum nostro elementari. Quæ sententia non est quidem de fide, quia nusquam ab Ecclesia definita est; imo in Concilio Florentino Græci aperte professi fuerant, se non ponere ignem in Purgatorio, et tamen in definitione facta sessione ult definitur, Purgatorium esse, nulla mentione ignis habita. Tamen est sententia probabilissima.

Primo, propter consensum Scholasticorum, qui non potest nisi temere contemni.

Secundo, propter Gregorii auctoritatem, lib. IV. Dialogor. cap. 29. ubi diserte asserit, ignem, quo puniuntur animæ, esse corporeum. Neque obstat, quod lib. XV. cap. 14. moralium, dicit, ignem Gehennæ esse incorporeum; est enim mendum scriptorum, qui posuerunt *incorporeum* pro *corporeum*, ut patet ex sequentibus, dicit enim statim corporaliter urere.

Tertio, propter Augustinum, qui in eamdem sententiam propendet, lib. XXI. cap. 10. de civit. Dei.

Quarta, quia in Scriptura passim pœna impiorum vocatur ignis; et regula Theologorum est, ut verba Scripturarum accipiantur proprie, quando nihil absurdi sequitur.

Quinto, quia corpora damnatorum punientur igne post resurrectionem, ut patet Matth. XXV: *Ite in ignem æternum*; at corpora non possunt uri, nisi igne corporeo. Est autem idem ignis corporum damnatorum, et spirituum corpore vacantium; nam ibidem dicitur: *Qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.*

Sexto, quia Sapient. XI. dicitur: Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur; sed homines peccant sæpe sensibilia oblectamenta inordinate cupiendo: ergo puniri debent sensibilibus objectis; ignis igitur quo puniuntur, sensibilis est.

Septimo, id confirmatur ex eruptionibus ignis in monte Ætna, aliisque locis, de quibus diximus cap. 6.

CAPUT XII.

Sciri non posse, quomodo ignis corporeus animas urat.

De secundo, verissima sententia est, non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream; id enim ingenue confitetur Durandus in IV. dist. 44. quæst. ult. et ante Durandum B. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei c. 10. ubi dicit, animas torqueri ab igne miris, sed veris modis; et B. Gregorius cum lib. IV. Dialogor. c. 29. dicit, ex igne visibili invisibilem pœnam animas trahere; vocat enim invisibilem pœnam, quia occulta et incognita est nobis. Sed licet non sciamus quomodo id fiat, posse tamen fieri, docet Augustinus ex alio simili; videmus enim animam incorpoream uniri corpori humano, et ei vitam dare, et cum illo simul gaudere et pati, cum tamen modus hujus unionis sit plane ineffabilis? Quis capiat, quomodo spiritus sit forma corporis, cum inter corpus et spiritum nulla sit proportio? Sicut ergo potuit uniri spiritus carni, ut illi vitam communicaret, ita potest uniri spiritus igni, ut ab illo pœnam trahat, licet modus utriusque unionis sit prorsus incognitus.

CAPUT XIII.

An in Purgatorio torqueantur animæ a Dæmonibus.

De tertio dubio res est omnino incerta; nam quod non torqueantur a Dæmonibus, nec ab Angelis, sed a solo igne, docent Scholastici, ut S. Thomas in IV. dist. 20. artic. 3. et rationem reddunt, quia omnes animæ Purgatorii in ultimo conflictu Diabolum superarunt, ideo non decet justitiam divinam, ut sinat eas ab hoste devicto vexari. Deinde, hic in terris etiam perfectos viros Dæmones vexant, quia sperant se posse eos ad peccatum pertrahere; at animas Purgatorii sciunt in gratia confirmatas, non posse cadere, et vexationem illis necessario profu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

turam ad celeriorem purgationem, non igitur credibile est, Dæmonum opera animas illas cruciari.

Ex altera parte, quod a Dæmonibus torqueantur animæ Purgatorii, docent multæ revelationes, ut illa B. Fursæi apud Bedam lib. III. histor. cap. 19. et apud Dionysium Carthusianum lib. de quatuor novissimis, et lib. I. vitæ Beati Bernardi, cap. 10. Maneat igitur et hoc inter secreta, quæ suo tempore nobis aperientur.

CAPUT XIV.

De gravitate pœnarum.

De quarto, pœnas Purgatorii esse atrocissimas, et cum illis nullas pœnas hujus vitæ comparandas docent constanter Patres. Augustin. in Psal. XXXVII: « Quamvis, inquit, salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. » Gregorius in Psalm. III. pœnitentialem : « Illum, inquit, transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem. » Beda in eumdem Psalmum dicit, nulla esse supplicia martyrum, vel latronum cum illis purgatoriis pœnis conferenda. Idem habet B. Anselmus in I. Corinth. III. et B. Bernardus serm. de obitu Humberti.

Idem probant omnes revelationes, quæ apud Bedam lib. III et V. historiæ, apud S. Birgittam, apud Dionysium Carthusianum, et in vita Christinæ mirabiles habentur.

Idem probat ratio, saltem de pœna sensus; nam tam ad dolorem, quam ad gaudium tria concurrunt, potentia, objectum, et conjunctio unius cum altero. Jam quantum ad potentiam, sine comparatione capacior est doloris potentia rationalis, quam animalis; nam quantum ad apprehensionem, intellectus est veluti fons, sensus veluti rivulus; quantum ad appetitum, voluntas est veluti fons, appetitus inferior est veluti rivulus; cum ergo anima ipsa nuda immediate torqueatur, maximus debet esse ille dolor ex parte patientis; nunc enim non tam anima, quam corpus torquetur, et per corpus aliquis etiam dolor ad animam transit.

Quantum ad objectum, si ibi est verus ignis, erit omnino acerrimus, cum ad hoc solum sit institutus, ut sit instrumentum justitiæ divinæ; si non sit ignis verus, erit aliquid multo horribilius, quale Deus parare potuit, qui potentiam suam in hoc ostendere voluit.

Quantum ad conjunctionem, maxima erit; nam hic ubi sunt omnia corporalia, non fit conjunctio, nisi per contactum extremitatum et superficierum, at ibi animam ipsam intime pœna illa penetrabit.

Quamvis autem aliquo modo omnes admittant, pœnas Purgatorii esse majores pœnis hujus vitæ, tamen dubium est, quomodo hoc intelligatur, nam B. Thomas in IV. dist. 20. quæst. I. art. 2. docet duo. Primo, pœnam damni esse maximam pœnarum, tam quæ in Purgatorio, quam quæ in hac vita reperiri possint. Secundo, dicit minimam pœnam Purgatorii esse majorem maxima pœna hujus vitæ.

Primum probat, quia sicut possessio desiderati boni gignit gaudium, ita absentia desiderati boni gignit dolorem: Sed bonum, quod animæ Purgatorii desiderant, est summum, et desiderium etiam est maximum, intellectus enim clarius cognoscit, quam magnum bonum sit videre Deum, et appetitus tum naturalis, tum etiam infusæ charitatis exerit vires, et intensissimus est, nec impeditur a mole corporea, et sensibilibus delectationibus; ut in hac vita exempla dari possunt, ut si quis vehementissima fame vexaretur, vel arderet siti intolerabili, et videret ante se mensam instructam optimis cibis, dulcissimoque vino, nec posset quidquam attingere, et tamen sciret alioqui sibi parata illa omnia fuisse.

Probat deinde Secundum S. Thomas quia omnis qui in Purgatorio degit, cruciatur saltem hac pœna damni, quæ est omnium maxima: ergo minima pœna Purgatorii est major quam sit maxima pœna hujus vitæ.

At B. Bonaventura in IV. dist. 20. art. I. quæst. 2. docet, Primo, pœnam damni in Purgatorio non esse majorem omni pœna, sive Purgatorii, sive hujus vitæ. Secundo docet, Purgatorii pœnas esse majores pœnis hujus vitæ, solum in hoc sensu, quia maxima pœna Purgatorii est major, quam sit maxima pœna hujus vitæ, licet aliqua pœna Purgatorii reperiatur minor aliqua pœna hujus vitæ. Quæ sententia mihi placet; nam licet absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen in Purgatorio mitigatur hæc tristitia, et levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi; ista enim certissima spes affert incredibile gaudium, et quo magis propinquat finis illius exilii, tanto magis gaudium crescit. Itaque solum in inferno pœna damni est summa, quia est annexa desperationi certissimæ, et de hac loquitur Chrysostom. homil. 24. in Matth. cum mille Gehennas dicit nihil esse, si conferantur cum amissione divini conspectus; et Augustinus, qui in Enchirid. cap. 112 dicit, minimam pœnam damni, si tamen æterna sit, majorem esse omnibus pœnis hujus vitæ.

Dices : At damnati non diligunt Deum, ergo non cupiunt videre. Respondeo, non diligunt Deum propter Deum, sed tamen propter seipsos coguntur conspectum ejus ardentissime diligere, quia intelligunt in visione Dei consistere suum summum bonum.

Confirmatur hoc argumentum. Primo, quia si pœna damni esset gravissima etiam in Purgatorio, sequeretur, Patres in limbo passos fuisse gravissimam pœnam : quod adeo falsum est, ut Luc. XVI. dicat Abraham diviti damnato de Lazaro : *Tu cruciaris, hic vero consolatur*. Et B. Augustinus epist. 99. negat, posse intelligi de sanctis Patribus illud Act. II : *Solutis doloribus inferni* (1), quia nimirum non in doloribus, sed in requie illos Christus invenerit. Et B. Gregorius lib. XIII. moral. cap. 22. dicit, Patres in inferno non tormenta ulla, sed requiem habuisse.

Confirmatur secundo, quia Augustinus, Gregorius, Beda, Anselmus et Bernardus, cum dicunt, pœnam Purgatorii esse majorem omni pœna hujus vitæ, diserte loquuntur de pœna ignis per quam intelligunt omnes pœnam sensus, non damni.

Alterum dictum Bonaventuræ, probatur Primo, quia ex certis revelationibus constat, aliquorum pœnam esse tam exiguam, ut nihil pati videantur, quales sunt illi, qui albis vestibus induti, visi sunt in locis amœnis et lucidis, apud Bedam lib V. historiar. cap. 13.

Secundo probatur, quia potest fieri, ut quis moriatur, nullum debitum secum ferens, nisi unius verbi otiosi : at incredibile videretur, propter unum solum otiosum verbum pati debere aliquem supplicia graviora omnibus pœnis hujus vitæ.

Tertio, quia licet sit quæstio : An pœnæ Purgatorii semper crucient æque graviter, ab initio usque ad finem purgationis; an vero paulatim minuantur, donec finem accipiant; tamen probabilior sententia est, paulatim remitti; hinc autem sequitur, non quamlibet Purgatorii pœnam esse majorem maxima pœna hujus vitæ; Nam pœna illa Purgatorii, quæ est prope finem, debet esse adeo remissa, ut amplius remitti non possit, hic autem pœnæ inveniuntur intensissimæ, quæ plurimum remitti possunt.

Quod autem pœna Purgatorii paulatim remittatur, probatur; nam S. Bernardus in vita S. Malachiæ scribit, oranti Malachiæ pro sorore defuncta, ipsam defunctam ter apparuisse. Primo, in veste nigra, et extra Ecclesiam. Secundo, in veste subfusca, et intra limen Ecclesiæ. Tertio, in veste alba, et ad ipsum altare cum cæteris Sanctis. Ex quibus ipse intellexit, animam sororis paulatim remittentibus se pœnis ad finem purgationis venisse. Et similes multæ visiones adferri possent.

CAPUT XV.

Suffragia Ecclesiæ defunctis prodesse.

Quatuor explicanda sunt de suffragiis defunctorum. Primum, an suffragia vivorum prosint defunctis. Secundum, quot sint genera suffragiorum. Tertium, a quibus fieri possint. Quartum, quibus prosint.

De primo, hæretici hujus temporis omnes, et alii veteres, quos citavimus initio hujus disputationis, negant, prodesse defunctis vivorum suffragia. Quod autem prosint, probari potest Scripturis, Conciliis, Patribus, et apparitionibus animarum, quæ omnia peti debent ex prima quæstione. Quibus addenda est ratio, quam tunc non attulimus, quia præsupponebat Purgatorium esse, quod nondum erat demonstratum.

Ratio est Petri Cluniacensis in epist. contra Petrobrusianos : Ecclesia tota est unum corpus, cujus caput est Christus, ergo debet habere communicationem tam capitis cum membris, quam membrorum inter se; nam, ut dicitur I. Corinth. XII. pro invicem sol-

(1) Luc. XVI. 25; Act. II, 24.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

licita sunt membra, et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Sed justi defuncti sunt membra hujus corporis; nam sunt colligati nobiscum et cum Deo in fide, spe, et charitate. Unde B. Augustinus lib. XX. de civit. Dei, cap. 9 : « Neque enim, inquit, plorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi ; » igitur viventes possunt ac debent juvare defunctos, ut membra ejusdem corporis.

Præterea Christus qui caput est, profuit vivens in terris viventibus, mortuus mortuis, vivens mortuis, et mortuus viventibus, ergo etiam decet, ut membra inter se ita agant, ut justi viventes viventibus, mortui mortuis, viventes mortuis, et mortui viventibus prosint. Ac primum, quod Christus vivens profuerit viventibus, patet, quia remisit peccata Magdalenæ, Luc. VII. Paralytico Matth. IX. Zacchæo Luc. XIX. Petro Luc. XXII. Latroni Luc. XXIII. curavit etiam corporaliter plurimos, ut dicitur Marc. I. Actor. X. et alibi. Quod mortuus mortuis patet; nam descendens ad inferos, solvit plurimos a doloribus inferni, ut dicitur Actor. II. et simul aperuit sepulchra, et multa corpora Sanctorum excitavit, Matth. XXVII. Quod vivens mortuis, patet; nam puellam in domo, adolescentem in via, Lazarum in sepulchro mortuos revocavit ad vitam, Matth. IX. Lucæ VII. Joan. XI. Quod denique mortuus vivis, patet; nam morte sua vitam nobis æternam promeruit, et nunc in cœlo semper interpellat pro nobis, et advocatum nostrum agit, Heb. VII. et I. Joan. II.

Probatur tertio et ultimo; nam ex quatuor membris divisionis, tria sunt certe manifesta, ergo et quartum debet habere locum; nam quod viventes juventur a viventibus, nemo negat, cum videamus doceri, instrui, pasci verbo et Sacramentis alios ab aliis. Et Jacobus dicit cap. V : *Orate pro invicem ut salvemini* (1).

Quod etiam mortui mortuis prosint, patet; nam Elisæus mortuus mortuum alium suscitavit, IV Regum XIII, et Abraham mortuus in sinum suum Lazarum mortuum recepit, Luc. XVI. Nec ulli dubium esse debet, quin Sanctorum defunctorum animæ cum Christo regnantes, orent pro Sanctorum animabus in Purgatorio laborantibus, cujus contrarium temere asserit Dominicus a Soto lib. IV. sentent. dist. 45. q. 3. art. 2, nam præter Petrum Cluniacensem loco notato, B. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 4. ad hoc dicit prodesse mortuis sepulturam in Basilicis Martyrum, ut qui recordatur mortui, simul recordetur Martyris, et ejus precibus mortui animam commendet, et Ecclesia tota in illa oratione : Deus veniæ largitor etc. supplicat Deo, ut B. Maria intercedente, et omnibus Sanctis, animas defunctorum ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedat.

Quod autem mortui prosint viventibus, patet; nam II. Machab. XV. legimus, Oniam et Hieremiam jamdudum defunctos, visos fuisse orare pro populo Judæorum viventium. Porro beneficia exhibita a sanctis defunctis, hominibus hic viventibus, innumerabilia, et certissima sunt. Vide Augustinum lib. XXII. de civit. Dei, cap. 8. et Theodoretum in lib. de Martyribus. Non est incredibile, etiam animas Purgatorii pro nobis orare, et impetrare, quandoquidem anima Paschasii, et S. Severini, miracula operabantur, etiamsi in Purgatorio degerent, ut patet ex Gregorio lib. IV. Dialogorum, cap. 40. et Petro Damiano in epist. de miraculis sui temporis.

Et quamquam S. Thomas in 2. 2. quæst. LXXXIII. art. 11. ad 3. contrarium docet, tamen ratio ejus non convincit; nam si animæ illæ non orant pro nobis, vel causa est, quia non vident Deum, vel quia sunt in maximis tormentis, vel quia sunt nobis inferiores, sed nihil horum dici potest. Non primum, quia tempore veteris Testamenti orabant Sancti defuncti pro vivis, ut patet ex II. Machabæor. ult. cum tamen nec illi viderent Deum.

Non secundum, quia dives in inferno orabat pro fratribus suis, Luc. XVI. cum esset tamen in majoribus tormentis, quam sint animæ in Purgatorio. Præterea Martyres in hoc mundo in tormentis constituti orabant pro se, et aliis, ut patet de S. Stephano Act. VII. Item dolor animabus non perturbat ullo modo judicium rationis, nec impedit affectum bonum voluntatis; ista enim nobis accidunt ratione corporalium organorum, quibus illæ carent. Denique, non videtur dubium, quin pro seipsis orent, non obstantibus tormentis.

Non etiam tertium, quia in hoc mundo

(1) Jac. V, 17.

nos oramus pro Episcopis et summis Pontificibus, qui sunt nobis superiores, et etiam oramus pro illis, quos non dubitamus nobis esse sanctiores, sicut orabant Christiani olim pro Apostolo Paulo, qui eorum orationes petebat, Rom. XV. et alibi.

Præterea, animæ Purgatorii etiamsi nobis sunt inferiores ratione pœnarum, tamen superiores sunt ratione gratiæ et charitatis, in qua jam confirmatæ sunt; oratio autem, quæ ex charitate procedit, hanc potissimum superioritatem requirit, si ullam requirit; ergo probabile est eas pro nobis orare. Sed quamquam hæc vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent; quia non possunt ordinarie cognoscere quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt nos in multis periculis versari, sicut nos de illis solum in genere scimus eas valde torqueri; nam nec rebus nostris intersunt, ut probat B. Augustinus libro de cura pro mortuis, cap. 13. nec in Deo orationes nostras vident, cum non sint beatæ; nec est verisimile eis revelari ordinarie, quid agamus, vel petamus. Si ergo vivi prosunt vivis, mortui mortuis, mortui vivis, cur non etiam prodesse poterunt vivi mortuis?

Superest argumenta solvere, quæ restant, præter ea, quæ fecimus in prima et secunda quæstione. Argumentum primum, Eccles. IX : *Viventes sciunt se morituros : mortui autem nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, nec partem in hoc sæculo in opere, quod sub Sole geritur* (1).

Respondeo : loquitur Sapiens de bonis hujus vitæ, et vult dicere, mortuos non scire quid agatur de rebus, quas hic reliquerunt, nec posse illis uti propria actione, ut comedendo, bibendo, eleemosynas faciendo etc. Ideo sequitur : *Vade ergo, et comede in lætitia* (2). Non tamen hinc concluditur, quin a nobis juvari possint.

Secundo, objicit Calvinus præfatione institutionis Ambrosium, qui lib. I. de Abraham. cap. 9 « : Docemus, inquit, ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officii, deferamus. Hoc non faciunt, inquit Calvinus, qui perpetuam de mortuis sollicitudinem gerunt. »

Respondeo : Ambrosium hic agere de luctu, et pompa funeris, quam merito vult esse moderatam. Quod autem non prohibeat sollicitudinem orandi pro defunctis, patet ex oratione ipsius de obitu Valentiniani junioris ; nam in fine alloquens Gratianum et Valentinianum defunctos, ait : « Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo. »

Tertio, objiciunt Hieronymum, qui in cap. 6. ad Galat. exponens illud : Unusquisque onus suum portabit : « Docemur, inquit, per hanc sententiolam novum dogma, quod latitat : dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis, invicem posse nos coadjuvari : cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. » Hæc autem Hieronymi sententia ab Ecclesia approbata videtur, quippe quæ in decretum Gratiani, can. In præsenti, 13. q. 2. jamdudum relata est.

Respondeo : Hieronymum loqui de iis, qui mortaliter peccant, et sine pœnitentia moriuntur, ut Gratianus annotavit. Vel dicendum, Hieronymum loqui de novissimo judicio, quando cessante Purgatorio, cessabunt etiam suffragia, et solum judicis ultima sententia executioni mandabitur. Quod ita sit Hieronymus intelligendus, patet ex libro ipsius contra Vigilantium, ubi graviter accusat Vigilantium, quod dixisset, posse nos orare pro invicem dum vivimus, post mortem autem nullius pro altero orationem audiendam.

Quarto, ita ratiocinantur : Melius est per se quam per alium satisfacere : minus enim beatur, qui per alium, quam qui per se satisfacit : ergo non debemus orare pro defunctis, ne illis gloriam minuamus.

Respondeo : in hac vita melius est per se satisfacere, quam per alium, quia dum satisfacimus, simul meremur gratiæ et gloriæ augmentum ; at in Purgatorio, ubi animæ non possunt mereri, non est melius satisfacere per se, quam per alium.

Quinto : Nescimus, inquiunt, ubi defuncti nostri sint, et sæpe dum putamus eos in Purgatorio esse, illi sunt in inferno, vel etiam in cœlo, ergo frustra oramus.

Respondet Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. ult. melius esse, ut supersint

(1) Eccl. IX, 5. — (2) Id. 7.

suffragia iis, qui non egent, quam ut desint iis, qui egent; sicut benefacimus injustis in hoc mundo, ne prætereantur justi. Adde, quod opus bonum numquam est frustra; nam est meritorium facienti, etiamsi nihil prodesset ei, pro quo fit.»

Sexto, Dei justitia reddit mala pro malis, bona pro bonis, sed nemo patitur pro culpa alterius, quia non portabit pater iniquitatem filii, Ezechielis XVIII. nemo igitur debet frui bonis alienis.

Respondeo: neminem pro culpa alterius puniri, nisi particeps sit ejusdem culpæ, vel consensu, vel imitatione. De talibus enim dicitur Exod. XX. Deus punit peccata Patrum in filiis in tertiam et quartam generationem; quod intelligitur, quando filii imitantur parentes, ut exponit Hieronymus in cap. XVIII. Ezechiel. Augustinus in Psalm. CVIII. Chrysostomus hom. 29. in Genes. et Gregorius lib. XXV. moral. c. 22. ita ergo non est absurdum, aliquem frui bonis alterius, si cum utriusque consensu et voluntate fiat, ut hoc loco; nam animæ Purgatorii cupiunt juvari, et nos volumus eas juvare; præterea punire unum pro alio, injustitia est; at acceptare bona unius pro altero, misericordia et liberalitas est.

CAPUT XVI.

Quot sint genera suffragiorum.

Quantum ad secundum, tria sunt genera suffragiorum. Sacrificium Missæ, Oratio, et opera quælibet pœnalia et satisfactoria, ut eleemosyna, jejunia, peregrinationes et similia. Porro distinguimus orationem ab operibus satisfactoriis, cum tamen etiam ipsa sit satisfactoria, quia oratio duobus modis juvat defunctorum animas; uno modo, ut opus quoddam pœnale et laboriosum, et hoc modo poterat comprehendi sub opere satisfactorio; alio modo juvat, ut est impetratoria, quod est ipsi orationi proprium; quomodo etiam Beatorum orationes prosunt nobis, et animabus Purgatorii, licet satisfactoriæ non sint.

Adhæc juvantur etiam defuncti indulgentiis, sed ideo non faciunt illæ quartum genus suffragiorum, quia indulgentia nihil est aliud, quam applicatio satisfactionum, seu pœnalium operum Christi et Sanctorum, defunctis. Nam idcirco dicuntur indulgentiæ concedi defunctis per modum suffragii, non per modum absolutionis; non enim potest Pontifex absolvere defunctos a pœnis, quomodo absolvit viventes, quia illi non sunt ei subjecti, isti sunt. Potest tamen tamquam summus dispensator thesauri Ecclesiæ communicare illis bona opera pœnalia, quæ in thesauro sunt. Sed de hac re alibi dicendum est; vide interim Cajetanum tom. 1. opusculor. tract. 16. quæst. 5. et 6.

Quod hæc ita sint, patet ex testimoniis Patrum. Ambrosius de sacrif. et orat. pro defunctis, sic loquitur lib. II. epist. 8 ad Faustinum de obitu sororis: « Non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam lachrymis tuis, sed orationibus animam ejus Domino commendandam. » De eleemosyna autem agit in lib. II. de excessu Satyri fratris, qui inscribitur, De fide resurrectionis; hortatur enim parentes, ut portionem hæreditatis, quæ ad filios mortuos pertinebat, spiritibus ipsorum per eleemosynas pauperum transmittant.

Augustinus serm. 32. de verbis Apostoli: « Orationibus, inquit, sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis non est dubium mortuos adjuvari. »

Chrysostomus homil. 69. ad popul: « Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis mortuorum fieret commemoratio, sciunt enim multam illis contingere utilitatem. » Idem homil. 41. in I. ad Corinth: « Juvetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis. »

His adde Angeli testimonium apud Bedam lib. V. histor. cap. 13: « Multos, inquit, preces viventium, et eleemosynæ, et jejunia, et maxime celebratio Missarum, ut ante diem judicii liberentur, juvant. »

Unum hic solum est dubium, An non etiam restitutio rei alienæ prosit defunctis, ac proinde sit quartum genus suffragii. Nam sæpe dicuntur animæ apparere, ac petere, ut restitutio pro ipsis fiat earum rerum, quas ipsi aut obliti sunt, aut non potuerunt restituere, et S. Birgitta lib. VI. revelationum, cap. 66. affirmat, animam tamdiu cruciari, donec restituatur quod injuste ablatum est.

Respondet Dominicus a Soto in IV. dist. 45. qu. 2. art. 3. ejusmodi restitutionem non juvare, si fiat, nec obesse defuncto, si non fiat; nam Deus non punit, nisi pro culpa propria in hac vita contracta; vel ergo defunctus peccavit non restituendo, vel non peccavit, si non peccavit, quia forte non potuit, aut bona fide possedit, non debet etiam puniri; si autem peccavit, punietur pro culpa negligentiæ illius in Purgatorio; sed posteaquam pœnas debitas dederit salvabitur, sive res illa restituatur, sive non; ille enim jam est factus impotens simpliciter ad restituendum, neque debet pendere salus ejus ab alterius voluntate, alioqui posset anima in Purgatorio manere in æternum, si nimirum hæres numquam restitueret; quare si restitutio possit fieri, et non fiat negligentia hæredis, peccabit quidem hæres, non tamen id nocebit animæ: si vero fiat, nihil animæ illi proderit, quia restitutio non est satisfactio pro culpa; satisfactio enim est opus bonum pœnale, pœnale autem est dare suum, non restituere alienum.

Ad illas apparitiones, respondeo, forte animas non petere restitutionem ut restitutionem, sed ut eleemosynam; licet enim non prosit animæ, si restituat rem alienam is, qui tenetur restituere, tamen bene proderit, si restituat alius, qui non tenetur; illa enim eleemosyna quædam est, et proinde satisfactoria.

CAPUT XVII.

Quis possit animas juvare.

Quantum ad tertium, qui potest suffragiis suis juvare animas, est is, qui est justus; homo enim injustus non potest pro se satisfacere, et multo minus pro aliis.

Sed objicies: Nonne Missa mali Sacerdotis prodest defuncto? Nonne etiam si Dominus justus jubeat dari eleemosynas de suis rebus pro defunctis, et dentur postea a ministro injusto, tamen eleemosynæ illæ proderunt? Respondeo, prodesse, sed non esse in his casibus ministrum injustum, qui suffragatur, sed dominum justum.

Dices rursum: quid si Prælatus justus jubeat, spirituales filios orare, vel jejunare pro defunctis, et illi filii sint injusti?

Respondet Paludanus in IV. sent. dist. 45. quæst. 1. prodesse illa omnia. Melius id negat Sotus ibidem quæst. 2. art. 2. Nam quando servus de pecunia domini sui facit eleemosynam, illud opus proprie est domini, non servi, et ideo malitia ministri non vitiat opus. At dum subditus orat, vel jejunat, opus proprie est ipsius subditi; ipse enim suo labore operatur, non labore domini sui. Unde B. Hieronymus libro contra Vigilantium, dicit, melius esse dare eleemosynam pauperi justo, quam injusto, quia ille orans pro benefactore, exauditur, alter non exauditur.

CAPUT XVIII.

Quibus prosint suffragia.

Quantum ad quartum, certum est, Ecclesiæ suffragia non prodesse beatis, nec damnatis, sed solum iis, qui in Purgatorio degunt; quia priores non egent, posteriores non possunt juvari; id quod docent omnes Scholastici in IV. dist. 45. secuti Augustinum, qui in Enchiridio, cap. 110. et de cura pro mortuis, cap. 1. dicit, Ecclesiæ suffragia pro valde bonis gratiarum actiones esse, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis nulla esse adjumenta mortuorum, sed qualescumque vivorum consolationes.

At sunt in contrarium tres difficultates. Primo, de beatis. Videtur enim falsum, quod beatis non prosint suffragia; nam Epiphanius hæres. 75. et Cyrillus catech. 5. mystagogica, et Chrysostomus in sua liturgia, dicunt, sacrificium offerri Deo pro Apostolis, Martyribus, Prophetis etc.

Præterea secundo, Ecclesia in orationibus de Sanctis sæpe legit: « Sumpsimus, Domine, sancta mysteria, quæ sicut Sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis, quæsumus, proficiant ad medelam. » Et in antiquis Missalibus, ut testatur Innocentius III. cap. Cum Marthæ, extra de celebratione Missarum, in die S. Leonis, dicebatur: « Annue, quæsumus, Domine, ut animæ B. Leonis hæc prosit oblatio. » Et licet hæc oratio mutata sit, tamen adhuc hodie in secreta oratione in eodem festo dicimus: « Sancti Leonis Confessoris tui atque Pontificis annua solemnitas nos tibi reddat acce-

ptos, ut per hæc piæ placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. »

Præterea Chrysostomus homil. 33. in Matth. exhortans ad eleemosynas pro defunctis filiis : « Putas, inquit, eum maculis inquinatum? da illi sua, ut illis se a maculis detergat. Putas injustitia decessisse? præbe ipsi tua, ad mercedis, et retributionis adjectionem. »

Ad primum facilis est responsio : sacrificatur enim pro Sanctis, non ut eis aliquid petamus, sed ut pro gloria illis collata Deo gratias agamus. Id enim est, quod Augustinus dicit, pro valde bonis gratiarum actiones esse.

Ad reliqua respondet Innocentius, ubi supra, dupliciter. Primo, cum Ecclesia petit gloriam Sanctis, qui regnum cœlorum jam possident, non petere, ut illi in gloria crescant, sed, ut apud nos gloria eorum crescat, id est, ut toti mundo gloria eorum innotescat, et illi ubique magis et magis glorificentur. Secundo dicit, non videri absurdum, si petamus illis augmentum gloriæ alicujus accidentalis. Adde Tertio, fortasse peti gloriam corporis, quam habebunt in die resurrectionis. Nam etiamsi gloriam illam certo consequentur, et debetur eorum meritis, tamen non est absurdum hoc illis desiderare et petere, ut pluribus modis debeatur. Cum ergo Augustinus dicit serm. 17. de verbis Apostoli, injuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre, intelligitur de illis, qui Martyri precantur remissionem peccati, vel gloriam essentialem, quasi illa careret.

Secunda difficultas est de damnatis. Nam August. Enchir. cap. 110. dicit : « Quibus autem prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, ut plena fiat remissio, aut tolerabilior sit ipsa damnatio. » Et cap. 112. sic ait : « Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio. »

Item Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Philip. posteaquam dixerat orandum pro defunctis, subdit : « Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt. Catechumeni vero neque hac digni consolatione censentur, sed omni hujusmodi sunt auxilio destituti, præter unum solum; quod autem illud? pauperibus eorum nomine dare licet, unde eis nonnihil refrigerii accedit.

Præterea Damascenus in oratione de defunctis, non solum refert de Trajano et Falconilla liberatis ex inferno per orationem Gregorii et Theclæ de quibus supra diximus, sed etiam addit ex historia Palladii ad Lausum, S. Machario aliquando percunctanti, cranium aridum cujusdam idololatræ, an eis prodessent preces viventium, responsum fuisse ex cranio : « Quando pro mortuis offers, nos interim aliquid lenimenti sentimus. »

Præterea Prudentius in Hymno de novo lumine Paschalis Sabbathi ait :

Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ, etc.

Denique Innocentius III. cap. Cum Marthæ, ponit quadrimembrem divisionem; dicit enim, ex mortuis quosdam esse valde bonos, qui non egent suffragiis; quosdam valde malos, qui non possunt juvari : quosdam mediocriter bonos quibus suffragia prosunt ad expiationem : quosdam mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem : at certe ultimum membrum non videtur convenire, nisi pueris in limbo. Si enim valde boni sunt in cœlo, valde mali sunt in Gehenna ignis, mediocriter boni in Purgatorio : ubinam erunt mediocriter mali, nisi in limbo? Ergo illis prosunt suffragia, cum tamen in Purgatorio non sint.

Respondeo ad primum, Augustinum per tolerabiliorem damnationem intelligere mitigationem pœnarum Purgatorii, ut patet ex præcedenti trimembri divisione.

Ad secundum dico, Augustinum ibi non agere de oratione pro defunctis, et solum dicere, non esse erroneum concedere, damnatos puniri citra condignum, quod clarius docet lib. XXI. de civit. Dei, cap. 24.

Ad tertium : Chrysostomus solum videtur negare orandum esse publice, vel sacrificandum pro Catechumenis, ut etiam aliquando definivit Concilium Bracarense I. can. 35.

Ad quartum, B. Thomas in IV. dist. 45. art. 2. quæst. 2. post refutatas ineptas solutiones Prænositivi, Porretani, et aliorum, respondet, animas damnatorum orationibus Sanctorum non percipere veram aliquam pœnarum mitigationem, sed solum inane, et fallax aliquod gaudium, quod nimirum videant se habere socios in pœnis, quale est gaudium Dæmonum, cum aliquem decipiunt. At fortasse melius rejicerentur, ut

falsa et apocrypha, quæ afferuntur de illo cranio; non enim in libro Palladii tale aliquid invenitur, nec est verisimile, S. Macharium orasse pro infidelibus.

Ad quintum nihil aliud dico, nisi more poetico lusisse Prudentium.

Ad ultimum, quod multos torquere solet, suspicor Innocentium III, memoria lapsum putasse divisionem, quæ est apud Augustinum trimembris, fuisse quadrimembrem; nam apud August. iidem sunt mediocriter boni, et mediocriter mali. Innocentius autem distinguit hoc membrum in duo, dicens : « Alii sunt mediocriter boni, alii mediocriter mali; » possumus tamen dicere, mediocriter bonos dici, qui nullam habent culpam, sed tamen habent reatum pœnæ; mediocriter malos, dici, eos, qui habent culpam aliquam, sed venialem tantum.

Tertia difficultas est de animabus Purgatorii. Nam Theologi conveniunt in duobus, et in uno non conveniunt. Conveniunt primo, quod suffragia omnia prosint omnibus, saltem quatenus adferunt novum gaudium, id enim commune est omni bono operi, ut de illo gaudeant omnes boni juxta illud Psalmi CXVIII : *Particeps ego sum omnium timentium te* (1).

Secundo, conveniunt, quod suffragia communia, quæ fiunt pro omnibus defunctis, prosint etiam omnibus animabus Purgatorii, non solum in ratione gaudii, sed etiam in ratione satisfactionis, nulla enim est causa cur aliqui excludantur.

At dissentiunt de suffragiis particularibus. Nam Cajetanus tom. I. opusculorum, tract. XVI. quæst. 5. docet, omnes quidem animas juvari posse, et juvari etiam communibus suffragiis : at particularibus, quæ pro illis fiunt, non juvari, nisi illas, quæ peculiariter meruerunt, ut sibi talia prodessent. Dicit autem eas peculiariter mereri, quæ hic in terris habuerunt specialem devotionem ad claves Ecclesiæ, et solliciti fuerunt pro animabus aliorum; et probat ex Augustino lib. de cura pro mortuis, cap. I. et in Enchirid. cap. 109.

Alii vero, quos citat B. Thomas in IV. dist. 45. q. 2. art. 4. dicebant suffragia, quæ fiunt pro uno, non ei soli prodesse, verum etiam omnibus aliis, nec minus aliis quam illi, sicut lucerna, accensa pro Domino æqualiter illuminat servos, qui in eodem loco sunt.

Sententia communis est in medio, quod nimirum suffragia particularia, omni et soli illi prosint in ratione satisfactionis pro quo fiunt. Quod *omni* contra Cajetanum, patet, quia fundamentum communicationis suffragiorum non est aliquod peculiare meritum, sed status gratiæ. Sanctus enim Augustinus cum dicit solis illis prodesse suffragia qui meruerunt ut sibi prodesse possint per exclusivam, *solis*, non excludit ullas animas Purgatorii, sed animas damnatas, et notandum diligenter Augustinum in Enchiridio non dicere suffragia juvare illos defunctos, qui meruerunt ut sibi prodessent, sed qui meruerunt ut sibi prodesse possent.

Quocirca Cajetanus, qui dicit omnes animas juvari posse, sed de facto non juvari, non habet pro se Augustinum, ut ipse arbitratur. Quod autem hæc suffragia particularia soli illi prosint, pro qua fiunt, patet; nam applicatio ejusmodi bonorum pendet ex intentione applicantis, nec debent comparari ista suffragia lumini lucernæ, sed potius pecuniæ, quæ solvitur ab uno pro altero.

Notandus est etiam locus Augustini pro hac sententia ex lib. de cura pro mortuis, cap. 4. ubi dicit ideo Ecclesiam orare interdum pro defunctis omnibus in genere, ut quibus desunt parentes vel amici, qui pro eis orent, et proinde remanent auxilio destituti, habeant saltem auxilium a communi matre, quæ est Ecclesia.

(1) Psal. CXVIII, 63.

CAPUT XIX.

De funere.

Diximus hactenus de spiritibus defunctorum : Nunc de sepultura corporum dicendum. Hæretici hujus temporis non reprehendunt ipsam sepulturam : reprehendunt tamen multa circa sepulturam.

Primo, quod in locis sacris sepeliamus, atque ad hoc erigamus cœmeteria. Hoc reprehendunt hæretici aliqui in Bohemia apud Æneam Silvium de origine Bohemorum,

c. 35. et potest afferri argumentum, quod nihil prosit locus sepulturæ ex illis verbis Lucæ XII: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quod faciant* (1). Item ex capite, Sacris, extra de sepulturis, ubi dicitur nihil obesse hominibus piis sepulturam vilem, aut nullam. Item ex Augustino lib. I. de civit. Dei, cap. 12. et lib. de cura pro mortuis, ubi dicit, sepulturam et funeris pompam solatia esse vivorum, non mortuorum præsidia.

Secundo, reprehendunt usum cereorum, quia in Concilio Elibertino can. 34. statutum fuit, ne cerei de die in cœmeteriis accenderentur: « Non enim spiritus defunctorum, inquiunt Patres, inquietandi sunt. »

Tertio, reprehendunt anniversaria, et tot repetitiones exequiarum die 3. 7. et 30. quia signum est diffidentiæ, easdem preces toties iterare; et præterea quia B. Ambrosius lib. I. de Abraham, cap. 9. super illud Genes. XXIII. surrexit Abraham ab officio funeris: « Docemur, inquit, ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officii deferamus. » Quem locum expendens Calvinus præfat. Institut. dicit ab Ambrosio reprehendi eos, qui nullum finem faciant orandi pro mortuis.

Quarto, reprehendunt quod putemus sepulturam esse opus meritorium, et Deo gratum, cum tamen nusquam inveniatur a Deo mandatum, imo Dominus Matth. XXV. enumerans opera misericordiæ, non meminerit sepulturæ.

His non obstantibus asserimus sepulturam rem esse bonam, et utilem, et ritus omnes Ecclesiæ in sepeliendis mortuis esse antiquos, et sanctos. Quod sit res bona, et meritoria, probatur ex illo II. Reg. II: *Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum, et nunc retribuet vobis Dominus.* Tob. XII. Angelus extollit inter alia opera Tobiæ quod mortuos sepelierit. Matth. XXVI: *Opus bonum operata est in me, mittens enim unguentum hoc ad sepeliendum me fecit* (2).

Quod sit res antiqua et utilis facile demonstrari potest, nam omnia quæ nunc in Ecclesia servamus, semper in usu Ecclesiæ fuerunt. Primum, corpora mortuorum nunc lavantur, id etiam olim fiebat, ut patet Actor. IX. de Tabitha, et apud Gregorium lib. III. Dialogorum, cap. 17. et lib. IV. cap. 16. et 27.

Secundo, corpora cum honore, et multitudine comitantium deferuntur ad sepulchrum. Ita etiam legimus factum olim Gen. L. et Luc. VII. et apud Gregorium Nazianzenum orat. 2. in Julianum, Sulpitium in vita S. Martini, Hieronymum in vita S. Fabiolæ, et S. Paulæ, et alios.

Tertio, corpora fidelium in templis, et locis sacris sepeliuntur. Ita olim Jacob et Joseph Patriarchæ in terra Ægypti mortui, in terra promissionis sepeliri voluerunt, unde Christus erat nasciturus, et ubi templum Domini futurum erat, Gen. XLIX. et L. Deinde temporibus Christianorum, corpora fidelium in templis sepulta fuisse testantur Ambrosius lib. I. de Abraham, cap. 9. Hieronymus in vita Paulæ et Fabiolæ, Gregorius lib. III. Dialogorum, cap. 13 et Augustinus libro de cura pro mortuis, cap. 1.

Quarto, corpora fidelium cum hymnorum, et psalmorum cantu sepelienda, testantur Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Julianum, Chrysostomus homil. 4. in epist. ad Hebr. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ, et S. Paulæ viduæ, et S. Fabiolæ, Sulpitius in vita S. Martini, et omnium antiquissimus Dionysius Areopagita, cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia.

Quinto, ad funus fidelium lampades, et cerei accensi adhibebantur, ut nunc etiam fit. Nyssenus epist. ad Olympiam de obitu sororis, Nazianzenus et Chrysostomus locis notatis, Hieronymus in vita Paulæ, et Theodoretus lib. V. historiæ, c. 36. et alii.

Sexto, sacrificium altaris pro eis offertur, ita etiam olim testibus Tertulliano lib. de corona militis, Cypriano lib. I. epist. 9. Augustino lib. IX. Confessionum, cap. 12. Ambrosio oratione de Valentiniani obitu, et aliis.

Septimo, non solum cum sepeliuntur, sed etiam die anniversaria pro defunctis offertur, et oratur, ut patet apud Tertullianum lib. de Monogamia, et Gregorium Nazianzenum, oratione in Cæsarium fratrem.

Octavo, non solum die anniversaria, sed etiam die 3. 7. et 30. ut est apud Ambrosium oratione de obitu Theodosii initio, id quod etiam nunc servatur.

Nono, eriguntur tituli, idem olim Genes. XXXV. Actor. II. I. Machab. XIII.

(1) Luc. XII. 4. — (2) II. Reg. II. 5; Matth. XXVI. 18.

Decimo, dantur eleemosynæ pauperibus, idem olim, Chrysostomus hom. 32. in Matth.

At quæ sit hujus rei utilitas, paulo obscurius est. Atque in primis rejiciendi sunt duo errores, quos rejicit D. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 2. Unus, quo Ethnici putabant sepulturam esse necessariam, ut animæ requiescere possent, juxta fabulas Virgilii VI Æneidos. Alter est, quo quis putare possetin corporibus defunctorum adhuc sensum aliquem inesse.

Hic rejectis erroribus, dicimus multiplicem esse utilitatem sepulturæ, tam vivis, quam defunctis: et vivis quidem quadruplicem. Primam, quod per sepulturam arcetur fœtor et horror cadaverum, quæ non parum vivis nocerent.

Secundam, quod eo studio testantur vivi fidem resurrectionis, et immortalitatis animarum; non enim tam diligenter corpora mortuorum curaremus, nisi putaremus ea resurrectura. Neque cereos accenderemus, nisi animos vivere post mortem corporum significare vellemus.

Tertiam, quod admonentur propriæ mortis, unde etiam tumuli defunctorum monimenta dicuntur.

Quartam, quod eo officio satisfaciant vivi aliquomodo affectui suo quo mortuos prosequebantur. Si enim vestes, et annulos amicorum bene collocari volumus, certe multo magis corpora, et hoc est quod Augustinus dicit, cum ait, sepulturæ pompam solatia esse vivorum.

Porro mortuis ex sepultura, alia quadruplex accedit utilitas. Prima, quod consulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium; non enim caret ignominia quadam, quod fœditas nostri corporis aliorum conspectibus pateat. Quocirca, non levis pœna judicatur, cum quis a judice privatur sepultura, et jubetur in patibulo, aut rota pendens, esse avium esca.

Secunda, quod satisfit desiderio eorum, quod dum viverent habuerunt; nemo est enim qui carnem suam odio habeat, ut dicetur Ephes. V. et ideo quisque dum vivit, cupit etiam post mortem corpus suum honeste tractari. Imo credibile est, animos corpore solutos, etiamsi forte nesciant quid corporibus eorum accidat, tamen cupere ut honeste habeantur sicut etiam cupiunt ad ea reverti, ut Augustinus docet lib. XII. de Genes. ad litteram, cap. 35. Atque hinc videmus Prophetæ inobedienti datum in pœnam, ut non sepeliretur cum patribus suis, III. Reg. XIII.

Tertia, utilitas nascitur ex eo, quod a multis deducuntur ad sepulchrum; hinc enim per accidens fit, ut a multis pro eis oretur.

Quarta ex eo sumitur, quod in templis Sanctorum sepulchrum habent; inde enim fit, ut eorum amici, cum eorum recordantur, simul etiam recordentur ejus Sancti, in cujus templo sepulti sunt, et frequenter ejus patrocinio eos commendent. Hanc utilitatem ponunt B. Augustinus libro de cura pro mortuis, cap. 4. et 5. et B. Greg. lib. IV. Dialogorum, cap. 30.

Ex his ad argumenta respondetur. Ad primum dico cum Augustino lib. I. civit. Dei cap. 12. Domianum loqui de dolore, quo afflici possunt corpora dum vivunt; ideo enim ait: « Post hæc non amplius habent quid faciant; » quia corpus mortuum etiamsi secetur, aut lanietur, aut cremetur, nihil plane doloris sentit. Hinc tamen non sequitur, non esse aliquam eleemosynam, satisfacere desiderio hominis, quod habuit dum viveret, et quod forte adhuc habet, ut corpus suum sepeliatur. Secundo dico, loqui Pontificem in ea decretali de utilitate ad salutem æternam, ac docere, nec per se prodesse sepulturam, nec per se obesse ad salutem consequendam, quamquam per accidens prodesse potest, ut diximus, ratione precum amicorum. Tertio idem dico, Augustinus enim solum docet sepulturam per se non esse præsidium mortuorum, ad vitam æternam consequendam, sed solatium vivorum: tamen quod per accidens prosit, ipsemet docet ibidem.

Ad aliud ex Concilio Elibertino, respondeo, in eo Concilio reprehendi, et prohiberi eam cæremoniam, quia fiebat ex superstitione Gentilium, qui putabant corpora mortua sentire aliquid. Illo autem errore sopito, non est malum eadem cæremonia uti ad alium finem, nimirum ad significandum animas vivere, et suo tempore etiam corpora resurrectura, et nostros defunctos esse filios lucis, non tenebrarum. Quod autem Concilium dicit, non esse inquietandos spiritus defunctorum, non significat spiritus illos revera inquietari, sed displicere illis ejusmodi errorem; quomodo Ambrosius dicit lib. II. epist. 3. non debere mœstificari lachrymis animam sororis defunctæ.

Ad tertium dico, non esse signum diffidentiæ, sed desiderii, et fervoris, repetere easdem preces; id enim fecit Paulus II. Corinth. XII. ter Dominum rogavit; et Dominus ipse Matth. XXVI, ter eamdem orationem repetivit.

Ad Ambrosium supra respondimus, cap. 13. non loqui eum de orationibus, sed de fletu, et dolore; nam ipse idem oratione in Valentinianum dicit: « Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, orationibus vos et oblationibus frequentabo. »

Ad ultimum ex Evangelio Matth. XXV. respondetur. Primo, cum Chrysostomo hom. 84. in Joannem, ubi dicit, Dominum non addidisse, mortuus fui, et sepelistis me, quia sponte sua homines non solum hanc eleemosynam facere solent, sed etiam nimium in ea facienda excedere. Sicut enim in aliis bonis rebus, ita etiam in hac abusus quidam se admiscuit, quo divites pretiosis vestibus induti sepeliri solent; melius enim esset, et mortuis multo gratius, et utilius, ut Chrysostomus ibidem dicit, pretium illarum vestium dare pauperibus pro anima ejus qui sepelitur, Dominus igitur, tum ut abusum corrigeret, tum quia necesse non videbatur hoc officium valde commendare, hanc eleemosynam cum cæteris non numeravit.

Secundo, dici posset, Dominum non meminisse hujus eleemosynæ, quia est omnium minima, et obscurissima, ut B. Augustinus docet libro de cura pro mortuis, cap. 3. Volebat enim Dominus ostendere, se juste remuneraturum bonos, et damnaturum malos, et ideo solum eorum operum meminit, quæ evidenter, et omnium judicio sunt opera misericordiæ. Atque hæc de tota hac disputatione sufficiant.

SEPTIMA CONTROVERSIA GENERALIS

DE ECCLESIA

TRIUMPHANTE

TRIBUS LIBRIS EXPLICATA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad tertium dico, non esse signum diffidentiæ, sed desiderii, et fervoris, repetere easdem preces; id enim fecit Paulus II. Corinth. XII. ter Dominum rogavit; et Dominus ipse Matth. XXVI, ter eamdem orationem repetivit.

Ad Ambrosium supra respondimus, cap. 13. non loqui eum de orationibus, sed de fletu, et dolore; nam ipse idem oratione in Valentinianum dicit: « Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, orationibus vos et oblationibus frequentabo. »

Ad ultimum ex Evangelio Matth. XXV. respondetur. Primo, cum Chrysostomo hom. 84. in Joannem, ubi dicit, Dominum non addidisse, mortuus fui, et sepelistis me, quia sponte sua homines non solum hanc eleemosynam facere solent, sed etiam nimium in ea facienda excedere. Sicut enim in aliis bonis rebus, ita etiam in hac abusus quidam se admiscuit, quo divites pretiosis vestibus induti sepeliri solent; melius enim esset, et mortuis multo gratius, et utilius, ut Chrysostomus ibidem dicit, pretium illarum vestium dare pauperibus pro anima ejus qui sepelitur, Dominus igitur, tum ut abusum corrigeret, tum quia necesse non videbatur hoc officium valde commendare, hanc eleemosynam cum cæteris non numeravit.

Secundo, dici posset, Dominum non meminisse hujus eleemosynæ, quia est omnium minima, et obscurissima, ut B. Augustinus docet libro de cura pro mortuis, cap. 3. Volebat enim Dominus ostendere, se juste remuneraturum bonos, et damnaturum malos, et ideo solum eorum operum meminit, quæ evidenter, et omnium judicio sunt opera misericordiæ. Atque hæc de tota hac disputatione sufficiant.

SEPTIMA CONTROVERSIA GENERALIS

DE ECCLESIA

TRIUMPHANTE

TRIBUS LIBRIS EXPLICATA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PRÆFATIO

Pervenimus tandem ad eam Ecclesiæ Catholicæ partem nostris disputationibus illustrandam, atque ab hæreticorum non tam argumentis, quam mendaciis, et calumniis vindicandam, quæ in cœlo beata cum rege suo Christo, ævo sempiterno fruitur. Quamquam enim beatæ illæ sanctorum Angelorum, atque hominum mentes humana defensione, præsidioque pro se non egeant, cum in altissimis, et tutissimis arcibus collocatæ de universis hostibus suis novos quotidie triumphos agant, ac (ut S. loquitur Cyprianus) prorsus de sua felicitate securæ, solum de nostra sint incolumitate sollicitæ : Nobis tamen perutile est, ac, ut verius dicam, multis nominibus necessarium, ut Sanctorum gloria orbi terrarum nota, atque perspecta, et omni idololatriæ caligine, quam illi aspergere, atque offundere conantur hæretici, purgata omnino, et libera emineat, atque splendeat.

Quia vero non panegyricam orationem de Sanctorum laudibus instituimus, sed ingressum dumtaxat ad futuram disputationem, nostra hac præfatiuncula aperimus, dicam solum, et paucis, de mendaciis, et conviciis hæreticorum in Sanctos, quorum illa ad ipsorum hæreticorum insaniam curandam magnum afferunt impedimentum, ista non solum Ecclesiam insigni patrocinio spoliant, sed etiam gravissimam, justissimamque divini Numinis iram mortalibus omnibus conciliant.

Etenim multa sunt, quibus a nobis hujus temporis hæretici dissident, multa illi in nostra Ecclesia, templis, monasteriis, gymnasiis, dogmatibus, ritibus, hominibus denique omnium ordinum reprehendunt, multa desiderant, multa carpunt, multa emendanda, et corrigenda esse clamitant : sed nihil est, quod exhorreant, et execrentur magis, quam invocationem Sanctorum, reliquiarum cultum, imaginum venerationem. His enim tribus manifestam impietatem, et idololatriam contineri volunt. Hoc uno veluti pallio discessionem suam a nobis, hoc est, impiam ab Ecclesia Catholica separationem et defectionem, honestissime tegere se arbitrantur. Hoc solo nomine latrocinia sua, et sacrilegia in Ecclesias, templorum direptiones, imaginum confractiones, sacerdotum cædes, sacrorum omnium profanationes, defendunt, quod se bellum gerere contra idola pro pietate dicant. Hac ipsa de causa censuram æquissimam Ecclesiæ, et pastorales baculos Episcoporum, quibus interdum ipsorum furor reprimitur, vel retardatur, impiam persecutionem, quasi adversus Deum pro idolis excitatam nominant : his denique vinculis, et compedibus provincias, et nationes a se deceptas arctissime irretitas, et constrictas tenent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sic enim populis illis persuasum est, nos pro Deo vivente mortuos homines; pro summo et sempiterno spiritu ossa, et cineres, ligna, et lapides colere; et tam alte mentes eorum perniciosa hæc persuasio penetravit, ut propterea injusta quidem, sed tamen gravi, diuturnaque apud eos laboremus infamia. Et licet multa interdum de nostrorum, hoc est, Catholicorum hominum gravitate, sapientia, justitia, benignitate, de studio precandi, de moderatione in rebus omnibus audiant, non queant tamen non continuo ab ejusmodi sermonibus aures removere, seque totos avertere, cum ad memoriam revocant de quibus tam eximiæ laudes prædicantur, eos nihilominus idololatras esse, defunctorum manes, et cadavera, picturasque et statuas adorare.

Atque ut fides mihi facilius habeatur, neque me quisquam augendi gratia fingere aliquid arbitretur, referam pauca de libris eorum, ut ipsos eosdem suæ impietatis præcones, ac testes habeamus. Primum Lutherus sectariorum omnium antesignanus et princeps, in eo sermone, quem de cruce edidit, tanquam ex tribunali pronuntiat : « Quoniam reliquiæ Sanctorum nihil sunt aliud, quam fidelium seductiones, ne deinceps populi Deos alienos colant, placere sibi, ut omnes ejusmodi reliquiæ altissime sub terram abscondantur : » ut ea ratione videlicet omnis Apostolorum et Martyrum, aliorumque Sanctorum in terris memoria aboleatur. Idem in Postilla ad Evangelium Dominicæ Annuntiationis : « Papistæ, inquit, virginem Mariam Deum constituunt, omnipotentiam ei in cœlo, et in terra attribuunt. » Et rursum : « In Papatu omnes se ad Mariam contulerunt, et plus favoris, et gratiæ ab ea exspectarunt, quam a Christo ipso. »

Hinc Philippus Melanchthon Lutheri proles, et sectator egregius, cum in locis communibus primum decalogi præceptum exponeret, et gradus quosdam peccatorum distingueret, nosque, hoc est, ut ipse loquitur, Papistas, cum infidelibus jungeret, hac una ratione contentus fuit, quod idem sit, fingere multos Deos, et sanctos mortuos invocare; nec differant ab Ethnicis moribus invocatio Sanctorum, et statuarum cultus.

Jam vero Magdeburgenses Centuriatores, posteaquam in posteriore primæ Centuriæ libro inter fundamenta doctrinæ Catholicæ posuerunt, B. Mariæ, aliorumque Sanctorum invocationem, et cultum ab Apostolis non solum verbo, aut exemplo numquam approbatum, sed etiam ut manifestam idololatriam passim reprobatum fuisse, atque interdictum. Inde postea in singulis fere Centuriis nihil sæpius monent, clamant, repetunt, inculcant, quam nos Ecclesiam non habere, quod ab uno vero Deo ad falsorum Deorum multitudinem, et simulacra muta defecerimus. In præfatione vero sextæ Centuriæ, ubi graviter admodum et plane tragice deplorant statum, sive casum potius, et ruinam Ecclesiæ, quam secundo et tertio sæculo vitium facere incipientem, quarto et quinto inclinatam, et nutantem, sexto demum pœnitus corruisse, misereque collapsam esse volunt, de causa tam gravis exterminii ita concionantur.

« In primis, inquiunt, istæ horribiles et perniciosæ tenebræ in ipso docentium cœtu, quasi nubes quædam atræ, totum cœlum occupantes exortæ sunt; quod cæremonias cultusque humanos partim ipsimet Doctores Ecclesiæ, partim vero alii superstitiosi homines passim in templis auxerunt. Nam ædes sacræ omnibus in locis

exstrui cœperunt ingentibus sumptibus, prorsus Gentilium more? Non quidem principaliter eo fine, ut ibi verbum Dei traderetur, sed ut reliquiis Sanctorum aliquis honor exhiberetur, atque ibi defunctos stolidi homines venerarentur. Quam vero facundus est Gregorius ille, Magnus appellatus, quam ardens, quando rationem consecrandi ista fana veluti ex tripode dictat. » Et infra : « Cœperunt ea occasione etiam defunctæ creaturæ, atque exanguia, et semicorrosa ossa coli, invocari, honore divino affici, et alligari ad illa ipsa loca preces. Ad ista omnia non modo connivebant Ecclesiæ Doctores, sed etiam ea adjuvabant. Ejusmodi igitur calamitas et pestis fundi Christi, in ipsa Ecclesia, et inter eos, qui custodes et vigiles Ecclesiæ præcipue volebant perhiberi nascebatur. »

Porro Joannes Calvinus, qui post multas, gravissimasque cum suis disceptationes, maximam partem Lutheranorum in sua retia pertraxit, et tantum non regnum aliquod inter Lutheri pastores obtinuit, in eo libro, quem de reformandæ Ecclesiæ necessitate ad Imperatorum Carolum inscripsit, primam et maximam dissensionum causam inter suos et nostros esse dicit, quod sui, hoc est, omnes hujus temporis sectarii unum Deum colant, nostri, hoc est, Catholici, sic inter Sanctos distribuerint Dei officia, ut summo Deo, tamquam collegas, eos addiderint, in quorum multitudine delitescat; quodque non solum Sanctos loco Dei adorent, sed etiam ipsorum ossa, vestes, calceos, et simulacra. In libro vero Institutionis quarto cap. 21, causas recensens, cur a nobis discessionem cum suis fecerit, illam in primis ponit, quod nullum nobiscum conventum habere possint, in quo aperta idololatria non polluantur. Quam autem apud nos vigere idololatriam dicat, ex cap. 20. lib. III. potest intelligi ubi de Sanctorum invocatione loquens : « Singuli, inquit, peculiares sibi Divos, asciverunt, in quorum, non secus atque tutelarium Deorum, fidem se contulerunt : Neque modo (quod olim Israeli exprobrabat Propheta) secundum numerum urbium Dii sunt erecti, sed secundum capitum multitudinem. »

Incidi aliquando in hominem de schola Calvini, qui cum mihi alioqui perhumanus et candidus videretur, eoque uterer familiariter, ut eum, si quo modo possem, ab illa insania revocarem, coepi ab eo quærere, quid in nostris dogmatibus Calvinistæ potissimum reprehenderent, quidve eis maxime displiceret, et quæ tandem præcipue esset causa, cur ab Ecclesiæ communione, ab Episcoporum obedientia, a reliquo cœtu fidelium, a majorum suorum vestigiis, cum tam manifesto salutis æternæ periculo discesserint? Respondebat ille, eam esse causam præcipuam, quod nos Sanctos in precibus invocaremus, quodque eo modo Divinitatem mortalis affingeremus. At hæ impostura, mendacioque impudentissima sunt. Quis enim Catholicorum unquam uni vero Deo, vel imagines sacras, vel beata Sanctorum pignora, vel Martyrum, aut Apostolorum, aut etiam Angelorum spiritus, aut ipsam denique cœli Reginam, Deique Parentem Mariam ullo modo æquavit?

Quis in Catholica Ecclesia sacrificium, quod uni debetur Deo, vel Sanctis, vel reliquiis, vel imaginibus obtulit? Nonne hoc uno externo symbolo, quando nulla exstarent alia, satis aperte testamur, nos animo quoque et cogitatione unum Deum complecti, eique soli proprio quodam, et peculiari cultu servire? Nonne aperte distinguimus inter eum honorem, qui soli Deo debetur, et eum cultum ac venerationem, quæ Dei amicis, aliisque sacris rebus, propter ipsum Deum, pie religioseque

tribuitur? Sed licet illa (ut diximus) mendacia, calumniæque sint, interim tamen ob ea ipsa mendacia innumerabiles populi, regna, nationes, multa millia animarum Christi sanguine redemptarum, a Christi corpore separata, et tamquam rami ab arbore vi tempestatis avulsi et disjecti jacent, et instar ovium, quæ ab ovili suo egressæ, sine ullo pastorum, canumve præsidio in montibus vagantur, infernalium luporum quotidie præda fiunt.

Sed quoniam aliquid diximus de mendaciis et calumniis, de conviciis et contumeliis aliquid etiam dicendum erit. Sane tantus est in libris, et moribus hæreticorum, Sanctorum omnium contemptus, tamque horribiles in omnes cœlites blasphemiæ, ut ego hinc potissimum vehementer admirer divini Numinis patientiam. Nam, ut omittam, quod in imagines sacras tanto furore Calvinistæ debacchantur, ut eas plurimis jam in locis aut penitus confregerint, aut cœno et sordibus fœdaverint, aut oculis effossis, naribusque et auribus truncatis deformaverint, ut nihil etiam dicam, quod ipsum crucis signum Angelis reverendum, dæmonibus formidolosum, humano generi salutare, ubique dejiciunt, conspuunt, proculcant, ut illud quoque præteream, quod beata corpora Sanctorum, quæ majorum nostrorum pietas thecis aureis, atque argenteis incluserat, quæque domicilia et organa Spiritus sancti fuerant, et quæ Deus signis et prodigiis sæpius illustraverat, ipsi ubique altaribus eversis effodiunt, flammis absumunt, in profluentem abjiciunt. Ut ista, inquam, omnia prætermittam, et solum de contumeliis verborum loquar : Quid, quæso, Erasmus Roterodamus, An non Luciani impietatem longo intervallo superavit? Ille enim Deos falsos, vereque ridiculos irrisit : At novus iste Lucianus veros Angelorum cives, verique Dei amicos et domesticos, ut Apostolus loquitur, contumeliosissime tractavit.

In colloquio, quod inscripsit, Naufragium, quemdam introducit alterum interrogantem, an imminente mortis periculo imploraverit alicujus Divi præsidium? Respondet ille : « Ne id quidem. Quamobrem autem? inquit, quia spatiosum est cœlum; si cui Divorum commendavero salutem meam, puta Petro, quia fortasse prius audiet, quod adest ostio, priusquam ille conveniat Deum : priusquam exponat causam, ego jam periero. » Isti sunt lepidi, vel sacrilegi potius Erasmi joci. In eodem etiam libro, more prorsus Lucianeo, beatissimam Virginem Mariam in maris præfectura Veneri substituit; et ausus est homo Christianus Virginem illam, quam S. Joannes Chrysostomus Seraphicis spiritibus sanctiorem et puriorem esse verissime scripsit, cum impurissima meretrice conferre?

Quid, quod in Dialogo de peregrinatione religionis ergo, epistolam confictam nomine Virginis Mariæ edere non erubuit, qua ipsa Mater Veritatis falsorum dogmatum Lutheri auctor introducitur? Sic enim ficta illa Maria ad Glaucoplutum scribit : « Quod, inquit, Lutherum secutus strenue suades supervacaneum esse invocare Divos, a me quidem isto nomine bonam magnamque gratiam te inisse scito; nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una petebantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo. » Sed piget me certe, pudetque talia referre, quibus tamen undique scatent Erasmi lucubrationes.

Jam vero Martinus Lutherus in sermone de natali die Virginis Mariæ, tanti fecit

patrocinium Matris Dei, ut audacter dicere non dubitaverit, se non pluris æstimare preces B. Mariæ, quam cujuslibet e populo; propterea quod omnes simus æque sancti et justi atque ipsa Virgo Maria, cæterique Divi, quamtumvis magni.

Desinat ergo Bernardus Mariæ prærogativas enumerare. Non dicat amplius Chrysostomus, Virginem Deiparam Cherubim esse honoratiorem, et Seraphim incomparabiliter gloriosiorem. Neque vox illa Anselmi deinceps audiatur : ea puritate Mariam nitere, qua major sub Deo nequit intelligi : nam omnes sumus æque justi et sancti atque ipsa Virgo Maria. Nihil ergo Mariæ profuit, quod prima trophæum virginitatis erexit; quod Deum Virgo concepit, peperit, educavit; quod omnium pene itinerum, laborum, ærumnarum, et molestiarum ejus comes, ad crucem usque, discipulis fugientibus, ipsum secuta, martyrium denique acerbissimum, doloris gladio viscera ejus penetrante, suscepit. Nam sine tot laboribus omnes sumus æque justi et sancti atque ipsa Virgo Maria. Sine causa Petrus, et Paulus, cæterique Apostoli tanto labore ad Evangelium disseminandum orbem terrarum peragrarunt; frustra Martyres sanguinem suum pro Christo fuderunt; inanes vigiliæ, jejunia, solitudines, humi cubationes, horridi sacci, assidua cum Dæmonibus bella sanctorum Anachoretarum fuerunt, quoniam sine tot laboribus et sudoribus, Lutherani quiescentes domi in uxorculæ sinu et complexu, bene pasti, beneque poti, cœlum rapiunt, et æque sancti et justi sunt atque ipsa Virgo Maria, cæterique Divi, quamtumvis magni.

Veniamus ad Magdeburgenses; ipsi enim sunt præclari illi, religiosissimique historici, qui in priore libro primæ Centuriæ, dum Christi vitam exponunt, B. Mariam usque adeo graviter deliquisse volunt, cum filium in templo amisit, ut ejus peccatum cum illo primo et gravissimo Evæ peccato non solum comparare non metuant, sed etiam utrum sit gravius, quærere et dubitare non vereantur. Idem postea in posteriore ejusdem Centuriæ libro, Petro Apostolorum Principi quindecim lapsus, et errata tribuunt, quorum aliqua sempiternis cruciatibus dignissima esse docent : nec multo infra, Apostolum Paulum reprehendunt, quod in Asia supra modum gravatus, de vita desperaverit, quodque in gratiam Jacobi Judaicas cæremonias Hierosolymis observaverit, et eo facto magis Judæos in errore confirmaverit, quam imbeciles fratres adjuverit. In tertia vero Centuria, et sequentibus omnibus, ad finem capitis quarti, Patres omnes accusant, quod non opiniones tantum incommodas, et nævos, sed etiam errores, et stipulas, et fumos in Ecclesiam scriptis suis invexerint, adeo ut nisi Lutherus facem nobis doctrinæ prætulisset, caliginemque illam tempestive dissipasset, jam fumo excæcati, enectique omnes essemus.

Quid de Quintino illo impuro et blasphemo, Libertinorum in Galliis parente dicemus, qui, ut Calvinus auctor est, instructione contra libertinos c. 9. adeo petulanter in Sanctos omnes debacchabatur, ut Paulum aliter non appellaret, quam vas confractum : Joannem, juvenem stolidulum; Matthæum, fœneratorem; Petrum, Christi abnegatorem?

Porro Calvinus, qui tam severe alios arguit impietatis, tam fuit ipse pius et religiosus, ut non contentus iis conviciis, quibus Sanctos omnes vexat, qui post Christi adventum floruerunt, etiam ad eos linguæ suæ flagellum extenderit, qui multis

sæculis ejusdem Salvatoris adventum præcesserunt. Itaque in libris Christianæ suæ institutionis lib. III. cap. 14. § 11. Abrahamum idolorum cultorem facit; Saram lib. III. Institut. cap. 2. §. 31, multis modis peccasse dicit, cum ancillam viro suo supposuit; Rebeccam vero variis fraudibus et imposturis Dei veritatem corrupisse, dum malo artificio filii benedictionem procurat, maritum decipit, Jacobum mentiri cogit. Judam Machabæum lib. III. cap. 5. §. 8. superstitionis et præposteri zeli reprehendit, quod pro mortuis sacrificium offerri imperaverit. Sephoram lib. IV. cap. 13. § 20. sitiam mulierem fuisse, graviterque peccasse docet, quod filium circumciderit. Mosem ipsum, in caput XXXII. Exod, quo nihil habuit antiqua ætas mitius, sapientius, sanctius, arrogantiæ atque superbiæ Calvinus insimulat, quod nimirum imperiose legem Deo præscripserit, suaque eum justitia exuerit.

Jam vero de sanctis hominibus Testamenti novi, primum scurriliter nugatur, eos, si preces mortalium exaudire debeant, tam longas aures habere oportere, ut a cœlo usque ad terram porrigantur. Deinde eosdem per contemptum, nunc homines mortuos, nunc umbras, nunc larvas, nunc etiam colluviem nominat, in institutione lib. III. cap. 20. §. 27. In libro autem, quem inscripsit, De vera Ecclesiæ reformandæ ratione, etiam monstra, carnifices, et bestias appellavit. Qua contumelia et blasphemia vix ulla major cogitari potest. Quid enim? si non Calvinum ipsum, sed conjugem ejus (netas enim apud eos est Episcopum creari, nisi unius saltem uxoris virum) si conjugem, inquam Calvini, aut liberos, aut amicos, aut etiam servos, vel ancillas, aliquis nostrum larvas, umbras, colluviem, bestias, monstra, carnifices appellaret, quo animo id Calvinus acciperet? An sibi injuriam fieri non arbitraretur? Numquid non molestissime, gravissimeque ferret? et Christus æquo animo accipiet amicos, domesticos, fratres, filiosque suos amantissimos, quos ipse in cœlis tanto honore dignatur, ut in Apocalypsi dicat: *Si quis vicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut ego vici, et sedi in throno Patris mei*; hos, inquam, tam sublimes Principes, consortes regni et soli divini, umbras, larvas, culluviem, ab uno quodam arrogantissimo terræ vermiculo nominari? Non feret certe æquo animo Deus, sed omnes ejusmodi blasphemos atque sacrilegos, æternis suppliciis tandem afficiet.

Sed et nos, si cives Sanctorum sumus, si ullum habemus fidei zelum, excitemur, atque accendamur oportet, et religiosa, piaque indignatione vehementer commoti tam nefariis hominibus acerrime resistamus: Imitentur Lutherani majores suos, Porphyrium, Julianum, Vigilantium, Wiclefum, et quotquot unquam cum cœlestibus Divis impia bella gesserunt, et ut fabulæ Poetarum, de gigantibus ferunt, de suis sedibus cœlites deturbare ac detrahere voluerunt. Nos vero majorum nostrorum, Athanasii, Ambrosii, Hieronymi, Paulini, Augustini, Gregorii vestigiis inhæreamus. Qui quidem Apostolorum, et Martyrum gloriam religiose æmulari, et res gestas contra detractores pro viribus disserendo tueri; et memoriam denique sermonibus alere, Basilicis honorare, carminibus celebrare, litteris propagare, et consecrare æternitati semper studuerunt. Ita enim fiet, ut et illi, quorum imitantur scelera, eorumdem cum illis pœnarum societate jungantur: et nos, quos in hoc studio ad virtutem habuimus Duces, eosdem ad præmia, et coronas socios habeamus. Nunc ad rem ipsam accedamus propius.

Ordo Disputationis.

Hæc disputatio duodecim præcipuis quæstionibus continetur. Prima est de Sanctorum beatitudine, an Sanctorum animæ Deum videant, et vere beatæ sint ante diem judicii. Hæc enim quæstio fundamentum est omnium aliarum, nam idcirco ante Christi adventum non ita colebantur, neque invocabantur spiritus Patriarcharum, et Prophetarum, quemadmodum nunc Apostolos et Martyres colimus et invocamus; quod illi adhuc inferni carceribus clausi detinerentur.

Secunda de canonizatione, quæ sequitur ordine suo primam illam de beatitudine. Posteaquam enim didicerimus, sanctos homines vita functos cum Deo beatos regnare, discendum erit, qui sint illi: quod quidem non aliunde certo scire possumus, quam ex publico Ecclesiæ testimonio, quod canonizationem nunc appellamus.

Tertia de cultu, ubi enim constiterit qui sint ii, qui inter beatos spiritus numerandi sunt, sequitur, ut quæratur, an ii sint adorandi ullo genere adorationis.

Quarta de invocatione, quæ est eximium adorationis genus.

Quinta de reliquiis eorum, utrum videlicet non solum ipsi Sanctorum spiritus, sed etiam corpora, seu ossa, et cineres, aliæque eorum reliquiæ venerandæ sint.

Sexta de imaginibus, an colendæ sint, et quo cultus genere.

Septima, VIII, IX, X, XI, et XII. de iis rebus, quibus non modo sanctis hominibus, sed etiam toti cœlesti Hierusalem ab Ecclesia, quæ peregrinatur in terris, cultus debitus exhibetur: id est, de Basilicis, de peregrinationibus, de votis, de vigiliis, de jejuniis, de festis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONTROVERSIARUM

DE ECCLESIA TRIUMPHANTE

LIBER PRIMUS

DE BEATITUDINE ET CANONIZATIONE SANCTORUM.

CAPUT I.

Argumenta hæreticorum, quibus illi probare nituntur, Sanctos nondum esse beatos etc.

Est igitur quæstio Prima : « Sintne piorum hominum spiritus, qui et corpore soluti sunt, et nulla purgatione egent, jam ad fruendam beatitudinem, quæ in clara Dei visione sita est, admissi? » Et quidem antiquorum, et recentium hæreticorum opinio fuit, animas omnes, quantumvis sanctorum hominum, usque ad ultimi judicii diem servari in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe.

Primus ex hæreticis, qui hoc asseruit, quantum ex auctoribus ego colligere potui, Tertullianus fuit, lib. IV. in Marcionem, sic enim ait : « Eam regionem, sinum dico Abrahæ, etsi non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat; tunc apparitura cœlesti promissione, quam Marcion suo vendicat quasi non a creatore promulgatam. » Id etiam habet libro de anima, duobus postremis capitibus.

Eum secutus est Vigilantius, de quo sic Hieronymus in libro contra eumdem : « Ais, inquit, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum et Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, et ubi voluerint, esse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera, honestaque custodia, in fortunatorum insulis, et in campis Elysiis recludantur. »

Eumdem errorem tribuit Guido in summa de hæreticis, Armenis. In eodem versabantur Græci, ut patet ex Concilio Florentino sess. 1. et ex B. Thoma in opusculo VI. cap. 9. Eumdem errorem habet Lutherus in prælect. in Genesim, ut Fridericus Staphylus citat in epitome trimembri Lutheranæ Theologiæ parte 2. Eumdem habet Cornelius Agrippa in lib. III. de occulta Philosophia.

Eumdem habet etiam Joannes Calvinus; nam li. IV. Instit. cap. 20. §. 20. dicit, solum Christum ingressum esse Sanctuarium cœli, reliquos vera omnes residere in atrio, ibique exspectare usque ad mundi consummationem. Et §. 24. dicit animas Sanctorum adhuc eadem fide, et charitate nobiscum esse conjunctas. Ubi autem fides est, ibi certe non est visio. Et cap. 25. §. 6 : « Stultum, inquit, et temerarium est inquirere quo in loco sint animæ justorum, et an gloria fruantur, nec ne. Interea cum Scriptura ubique jubeat pendere ab exspectatione adventus Christi, et gloriam, ac coronam eo usque differat : contenti simus his finibus divinitus præscriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum fœici lætitia fruitionem promissæ gloriæ exspectant etc. » Nota miram stultitiam hominis, qui dicit stultum, et temerarium esse quærere, utrum animæ justorum gloria fruantur, necne : et ipse tamen audacter definit eas nondum frui gloria, sed eam exspectare. Argumenta pro hac sententia Calvinus nulla profert, sed multa sunt,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et difficilia, quæ partim Græci proferre solent, partim etiam pro illis proferri solent.

Primum argumentum sumitur ex decreto Joannis XXII, qui fertur hoc declarasse, et mandasse Parisiensibus, ut non aliter docerent vel in scholis, vel in templis, et nullos promoverent ad gradus in Theologia, nisi prius illi jurarent, se hanc sententiam defensuros. Testes sunt hujus rei Gulielmus Ockam in opere nonaginta trium dierum; Joannes Gerson in serm. de Pascha; Marsilius in IV. sentent. quæst. 13. art. 3. et Adrianus in IV. ubi disputat de Sacramento Confirmationis.

Secundum argumentum ex Scripturis sumitur; et quidem Primus locus est, Matth. XX. ubi ad vesperam paterfamilias omnibus operariis simul reddit mercedem : constat autem per vesperam intelligi resurrectionem, et per denarium vitam æternam. Secundus Hebr. XI : *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.* Tertius I. Joan III : *Scimus quia cum apparuerit* (Christus in secundo adventu) *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quartus Apocal. VI : *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei* (1). Quid significat illa abscondio sub altari, nisi reconditum aliquod receptaculum, ubi quietæ quidem, sed in tenebris versentur animæ?

Tertium argumentum sumitur ex testimoniis Patrum Græcorum, Justinus quæst. 60. ex iis quas gentes Christianis opponunt, dicit narrationem de divite, et Lazaro non esse veram historiam, et causam reddens : « Neque enim, inquit, ante resurrectionem unicuique ex iis, quæ in vita gessit præmium redditur. » Et quæst. 76 : « Si ante resurrectionem nulla sunt operum præmia, quis fructus fuit latroni, cum in paradisum ejus animus introductus est? Respondet id consecutum latronem, ut sit in cœlu justorum, et videat seipsum, et quæ infra se sunt, ei præterea Angelos et Dæmones ».

Irenæus lib. V. extremo : « Cum enim Dominus, inquit, in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant; post deinde corporaliter resurrexerit, et postresurrectionem assumptus sit, manifestum est, quia et discipulorum ejus, propter quos et hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, et perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, et sic venient ad conspectum Dei. »

Origenes hom. 7. in Levit. : « Nondum, inquit, Sancti receperunt lætitiam suam, nec Apostoli quidem; sed et ipsi exspectant, ut ego lætitiæ eorum particeps fiam. » Et lib. II. Periarchon prope finem dicit, Sanctos post mortem deferri in paradisum terrestrem; et inde eos, qui puriores sunt, ad aeris loca conscendere.

Chrysostomus hom. 39. in priorem ad Corinth. in illud ; Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus : « Quid ais Paule? an non animus superstes erit? erit, et immortalis quidem : Quamquam vero vel sexcenties sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque pœnis punietur. Omnia enim coram tribunali Christi manifestabuntur, inquit Paulus, ut unusquisque ferat quæ per corpus sive bona, sive mala gessit; nam si corpus non resurgat anima nostra incoronata manebit, et extra cœlestem beatitudinem erit. » Idem homil. 28. in epistol. ad Hebr. « Ne aliquid præ nobis habere viderentur, si primi ante nos coronarentur, unum definivit tempus omnium coronarum; et qui ante tam multos annos vicit, tecum accipiet coronam. »

Theodoretus in cap. XI. ad Hebr. : « Sanctorum ergo, inquit, tot, et tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondum coronas acceperunt etc. » Theophylactus in eumdem locum : « Sancti nihil adhuc cœlestium promissionum sunt assecuti. » Et in cap. XVI Lucæ docet, narrationem de Lazaro esse parabolam, non historiam, quia nondum distributa bona et mala justis et injustis. Œcumenius in eumdem locum : « Omnes, inquit, Sancti testimonium promeriti, quod per fidem placuerint Deo, nondum consecuti sunt bona justis promissa. »

Arethas Cæsariensis Episcopus in c. VI. Apocalyp. « Horum, inquit, spe, quæ per intellectum veluti in speculo contemplantur, omni crassitie liberati, merito lætantur quiescentes in sinibus Abrahæ; nam id multis Sanctis dictum est, unumquemque virtutis cultorem sortitum esse dignum locum, unde

(1) Hebr. XI, 39; I. Joan. III, 2; Apoc. VI, 9.

etiam de futura sua gloria certam quamdam assequatur conjecturam. »

Euthymius in cap. XVI. Lucæ dicit, narrationem illam de Lazaro, et divite esse parabolam, qua designatur quid erit post diem judicii : et in cap. XXIII : Et tunc quidem dedit ei conversationem in paradiso tamquam arrabonem regni sui, quod est fruitio ineffabilium, ac æternorum bonorum, quæ nec oculus vidit etc. »

Confirmatur hoc argumentum, quia Græci Patres simpliciter negant Deum videri posse a creatura; ergo multo magis negare debent videri ante diem judicii. Vide Chrysostomum homil. 23. in Genesin, ubi dicit, ne Angelis quidem Deum esse visibilem. Item. hom. 14. in Joannem ubi dicit, Angelos numquam vidisse filium Dei, nisi post incarnationem. Similia habet Theodoretus in Dialogo Immutabilis. Theophylactus in illud Joan. I. : *Deum nemo vidit unquam* (1) et Euthymius in eumdem locum : quibus accedit ex Latinis Hieronymus, teste Augustino epistol. III. ad Fortunatianum.

Quartum argumentum est ex testimoniis Patrum Latinorum. Lactantius lib. VII. cap. 21 : « Nec quisquam putet, animas post mortem protinus judicari, nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen. »

Victorinus Martyr in cap. VI. Apocalyp : « Animas autem occisorum dicit se vidisse sub ara, id est, sub terra. » Et infra : « In novissimo tempore Sanctorum remuneratio perpetua, et impiorum ventura est damnatio. »

*

Hilarius in Psalm. CXXXVIII. in illud ; *Si descendero in infernum, ades :* « Hæc, inquit, humanæ lex necessitatis est, ut sepultis corporibus animæ ad inferos descendant. » Et ne putemus eum loqui de animabus impiorum, subdit : « Quam legem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit etc. » Vult ergo dicere, adeo esse necessarium, ut animæ sint in inferno, dum caro est in sepulchro, ut etiam Dominus hanc legem subire voluerit.

Prudentius in Hymno de exequiis defunctorum, docet, animas sanctas discedere ex hac vita in paradisum terrestrem, sive in sinum Abrahæ, quem dives ille ardens longe conspexit.

(1) Joan. I, 18.

Quanam regiones jubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abditis sancti
Recubabit, ut est Eleazar
Quem floribus undique septum
Dives procul aspicit ardens.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi.
Licet et nemus illud adire
Homini, quod ademerat anguis.

Ambrosius lib. II. de Cain cap. 2: « Solvitur a corpore anima, et post finem vitæ hujus adhuc futuri judicii ambiguo suspenditur. » Et lib. de bono mortis cap. 10 : « Satis, inquit, fuerat illis dixisse animas ἄδου petere, id est, locum, qui non videtur, quem Latine infernum dicimus. » Et ibidem : « Scriptura Esdræ habitacula animarum promptuaria nuncupat. » Et occurrens querelæ humanæ, eo quod justi, qui præcesserunt videntur usque ad diem judicii per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter, ait coronæ esse similem diem judicii; coronæ enim dies exspectatur ab omnibus, ut intra eum diem et victi erubescant, et victores palmam adipiscantur victoris. Ergo dum exspectatur plenitudo temporis, exspectant animæ remunerationem debitam : alias manet pœna, alias gloria.

Augustinus lib. I. retract. cap. 14 : « De sanctis hominibus, inquit, jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quæritur. »

Et epistol. III. ad Fortunatianum, exponens quædam verba B. Hieronymi : « In his verbis, inquit, hominis Dei multa consideranda sunt : primum, quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit, tunc visuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, id est, æquales Angelis facti fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum. » Item in Enchiridio cap. 108 : « Tempus, inquit, quod inter hominis mortem, et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet. » Lib. XII. de Gen. cap. 33. quærit, quid opus sit animabus resumptione corporis, si possunt sine carne videre Deum? Respondet autem : « Minime dubitandum est, et raptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsam carne deposita non sic videre posse incommutabilem

substantiam, ut sancti Angeli vident. » Et lib. XII. de Civit. Dei cap. 9 : « Pars, inquit, civitatis Dei, quæ conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusque requiescit. » In Psalm. XXXVIII : « Post vitam, inquit, istam nondum eris, ubi erunt Sancti, quibus dicetur : Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, nondum ibi eris, quis nescit? sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus in mediis tormentis vidit longe requiescentem. In illa requie certe securus exspectabis judicii diem. »

Bernardus serm. 3. de omnibus Sanctis : « Advertistis, inquit, ni fallor, tres esse sanctarum status animarum : primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata : primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. » Et infra : « In illam beatissimam Dei domum animæ nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. » Et serm. 4. exponens illud : *Vidi sub altare animas interfectorum* : intelligit per altare, Christi humanitatem, ac dicit animas Martyrum esse sub altari, quia solum vident Christi humanitatem, post diem judicii exaltandas esse super altare ad videndum Dei essentiam : « Interim, inquit, sub Christi humanitate feliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam S. Angeli prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub altare collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Numquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi quis poterit, nedum superare? Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? Visione utique, et contemplatione, non prælatione. Ostendet enim tunc nobis Filius, ut pollicitus est, semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei : ostendet etiam nobis Patrem, et Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis. »

Quintum argumentum sumitur ex ratione; nam judicium, et examen bonorum, et malorum, futurum est in novissimo die, ergo præmia et pœnæ usque ad eum diem differentur. Præterea Christi anima post separationem a corpore non statim ascendit in cœlum, sed prius descendit ad inferos, et post resurrectionem carnis tandem in cœlum ascendit; igitur et Sancti omnes post mortem in inferno erunt usque ad resurrectionem; nam Christi requies, resurrectio, et ascensio, exemplar fuit nostræ quietis, resurrectionis, et ascensionis, alioqui essent discipuli, et servi supra magistrum, et dominum. Adhæc anima, et caro simul operantur tam bona, quam mala, igitur simul et non una sine alia punirí, aut remunerari debet. Denique dæmones nondum puniuntur, sed puniendi reservantur post diem judicii; nam ideirco dicebant Christo : *Venisti huc ante tempus torquere nos*, Matth. VIII : *Et deprecabantur eum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent*, Luc. VIII.(1) igitur idem de hominibus fiet : si autem impii non puniuntur, certe nec pii remunerantur. Hæc igitur sunt argumenta, quæ adversus veritatem afferri solent : quæ quidem sequentibus capitibus per partes diluentur.

CAPUT II.

Animas Sanctorum jam nunc frui Dei visione, demonstratur testimonio Ecclesiæ.

Sed facile erit totidem argumentorum generibus veritatem propugnare. Primum igitur accedat Ecclesiæ testimonium, quæ in oratione de S. Gregorio dicit : « Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti etc. » Præter quam orationem habemus etiam duo Concilia Œcumenica, et duorum summorum Pontificum decreta. Siquidem hoc ipsum definitum est in Concilio Florentino, sessione ultima, in decreto unionis Latinorum cum Græcis, et in Concilio Tridentino, sessione XXV. Idem quoque disertis verbis docet Innocentius III. c. Apostolicam, Extra, de Presbytero non baptizato. Idem denique post longas disputationes Benedictus XII. definivit in extravaganti, quæ incipit, Benedictus Deus, quam totam refert Alphonsus a Castro lib. III. contra hæreses, verbo Beatitudo.

(1) Matth. VIII. 29; Luc. VIII, 31.

Atque hinc solvitur primum argumentum adversariorum : nam iste Benedictus XII, qui successor fuit immediatus Joannis XXII. aperte testatur, Joannem morte præventum, non definivisse istam quæstionem. Neque vero solum eam non definivit, sed etiam paulo ante mortem partim retractavit sententiam suam, partim etiam declaravit : nam asseruit Primo, se in omnibus suis sermonibus de hac re numquam intendisse rem definire, sed solum quærere veritatem. Secundo, asseruit sibi displicere priorem sententiam, ac sentire se, animas Sanctorum videre Deum, etiam ante diem judicii; nisi aliter Ecclesia, et sui successores definirent quorum definitioni se submittere dicebat omnes suas opiniones. Habetur hæc retractatio ipsis verbis, quibus facta est, apud Joannem Villanum lib. XI. c. 19. historiæ, de rebus Florentinorum, quam ille dicit se habuisse a fratre suo, qui in aula ejusdem Joannis Papæ degebat.

Sed notanda sunt quinque mendacia Calvini lib. IV. Institutionum cap. 7 § 28. Primum est, Gersonem vixisse tempore hujus Joannis : nam Joannes obiit anno 1334. ut testantur omnes historici, et nominatim Onuphrius, et ille Joannes Villanus lib. XI. c. 19. Gerson autem natus est anno 1363. ut ex Trithemio patet de scriptoribus Ecclesiasticis.

Secundum est, Joannem Papam negavisse animæ immortalitatem. At si hoc esset verum, multo magis eam negasset Calvinus, qui pertinaciter defendit, animas non videre Deum : nec enim Joannes Papa illius erroris accusatur a Gersone, et aliis, præterquam istius de visione Dei.

Tertium est, nullum Cardinalium se opposuisse Joanni Papæ : nam Joannes Villanus lib. X. c. ult. hist. scribit, majorem partem Cardinalium repugnasse Joanni, et idem colligitur ex decretali Benedicti XII.

Quartum est, Regem Galliæ Philippum interdixisse suis communionem Joannis Papæ, nisi resipisceret. At Joannes ille Villanus loco citato scribit, Regem solum scripsisse ad Pontificem amice, et reverenter, eumque monuisse, ut caveret ab illis opinionibus, quæ videntur suspicionem erroris ingerere posse.

Quintum est, Pontificem coactum a Rege ad palinodiam. At Joannes prædictus scribit, Joannem Pontificem solum retractasse opinionem suam pridie ante mortem suasu affinium, qui metuebant, ne, si Ecclesia postea contrarium definiret, ut etiam fecit, memoriæ Joannis Papæ aliqua nota suspicionis erroris inureretur. Vide quæ scripsimus de hac re lib. IV. de Pontifice, cap. 14.

CAPUT III.

Idem Scripturarum testimoniis demonstratur.

Jam secundo loco Scripturarum testimonia proferemus. Ac Primum sit id, quod legimus in Ecclesiastico cap. XI : *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.*(1)

Dices, non ait Scriptura in die obitus reddi unicuique secundum opera, sed posse reddi, si Deus vellet. At certe illud, facile est, non significat, posset Deus, si vellet : sed reddit Deus, et facile reddit unicuique secundum opera sua in die obitus. Alioqui enim, si Deus posset reddere secundum opera, sed non redderet, frustra nos hoc argumento hortaretur Sapiens ad benefaciendum. Præterea cum dicat ibidem Spiritus sanctus : *In fine hominis denudatio operum ejus*; indicat etiam in fine hominis, reddi unicuique secundum opera. Nam ad hoc fit judicium illud, et denudatio operum, ut sequatur remuneratio.

Dices rursum, quando hæc scripta sunt, non dabatur remuneratio essentialis in die obitus, sed tantum requies in sinu Abrahæ, igitur per ista verba : Facile est coram Deo in Die obitus reddere etc. solum deducitur, reddi in die obitus justis certam spem beatitudinis futuræ, et requiem in sinu Abrahæ.

Respondeo, Ecclesiasticum, cum dicit, in die obitus reddi remunerationem, intellexisse reddi remunerationem, quæ pro temporum diversitate haberi poterat; et quia tunc nondum cœlum erat reseratum, nunc autem a Christo reseratum est, ex illius sententia sequitur, in die obitus, et tunc requiem dari solitam justis, nunc veram fœlicitatem. Hinc nimirum Num. XXXV. Dominus jubet, ut post mortem sacerdotis magni omnes

(1) Eccl. XI, 28.

exules revertantur ad patriam : hæc enim est figura rerum nostrarum : nam nos exules sumus, patria paradisus, sacerdos magnus Christus, post cujus mortem jam patet aditus Adæ filiis in cœlum.

Alterum testimonium, et quidem longe clarius est Apostoli Pauli II. Corinth. V : *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes, si tamen vestiti, et non nudi inveniamur : nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita.* (1)

Nota Primo, illud : *Si terrestris domus nostra*, intelligi a quibusdam (ut Chrysostomus citat) de mundo hoc sensibili, quasi Apostolus dicat, si hic mundus peribit, non deerit nobis alius melior post resurrectionem. Sed hoc falsum est ; nam communis Græcorum, et Latinorum opinio pro domo hac terrestri accipit corpus hoc mortale, seu vitam præsentem corporalem. Et ratio est, quia in fine capitis superioris dixit Apostolus : *Si exterior homo noster corrumpitur, interior renovatur de die in diem.* Itaque, quod hic dixit terrestrem domum, ibi dixit hominem exteriorem. Præterea infra clarius dicit : *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino.* Ubi aperte vocat corpus, quod antea vocaverat exteriorem hominem, domum terrestrem, tabernaculum etc.

Nota Secundo, per domum æternam, et cœlestem, quam opponit Apostolus domui terrestri, intelligi a Patribus vel corpus immortale, ut a Chrysostomo, Theophylacto Theodoreto, Ambrosio ; vel vitam æternam, id est, visionem Dei. Et sine dubio verior est posterior expositio, quæ est Photii apud Œcumenium, Anselmi, et sancti Thomæ in hunc locum. Nam in primis Apostolus ait de præsenti, si domus hæc terrena dissolvitur, habemus aliam æternam in cœlo ; debuisset enim dicere, si de corpore glorioso loqueretur, habebimus, non habemus ; nam corpus immortale non habemus nunc in cœlo.

Præterea Apostolus, cum dicit, si hæc domus dissolvitur, habemus aliam, vult dicere : non est quod timeamus nobis domum defuturam unquam ; nam si hinc pellimur, habemus aliam. At si per domum cœlestem intelligit corpus immortale, non est verum nobis unquam defuturam domum : deerit enim a die mortis usque ad diem resurrectionis. Præterea id ipsum vocat hanc domum cœlestem, quod Paulo ante in fine cap. IV. vocaverat : *Æternum gloriæ pondus* ; nam postquam dixerat : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis ;* (2) subjungit explicans : *Si enim terrestris domus* etc. At per illud : *Æternæ gloriæ pondus*, omnes intelligunt ipsam essentialem beatitudinem.

Denique, nisi Apostolus hic per domum cœlestem, intelligeret beatitudinem, non bene concluderet paulo inferius : *Audentes igitur, et scientes quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum* (3). Nec enim sequitur : si hoc mortale corpus corrumpitur, habebimus aliud immortale post resurrectionem, ergo bonum est nunc mori, et peregrinari a corpore. Imo contrarium sequitur, nimirum non esse bonum mori usque ad diem resurrectionis, quia, etsi melius sit corpus immortale, quam mortale, tamen melius est corpus mortale, quam nullum. At, si per domum cœlestem, intelligamus beatitudinem, Apostoli argumentatio optima est, nimirum ista : si vita hæc mortalis perit, habemus statim aliam longe meliorem in cœlo, ergo bonum est cito mori in hoc mundo, ut cito vivamus in cœlo.

Dices, non videtur beatitudo posse vocari domus, non enim habet similitudinem cum domo, corpus autem habet ; corpus enim revera est domus animæ.

Respondeo, beatitudinem optime dici domum, quia est tam magna, ut eam anima non capiat, et potius anima in illam intret, quam illa in animam : hinc I. Joan III. dicitur : *Major est Deus corde nostro.* Et quod dicitur Joan. XIV : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt ;* omnes intelligunt de variis gradibus beatitudinis. De hac domo dicitur etiam Matthæi XXV. *Intra in gaudium Domini tui.* (4) Et hanc domum eleganter Apostolus opponit vitæ corporali, sive ipsi

(1) II. Cor. V, 1. — (2) II. Cor. IV, 17. — (3) II. Cor. V, 6. — (4) I. Joan. III, 20 ; Joan. XIV, 2 ; Matth. XXV, 21 et 23.

corpori, propter tria. Primum enim corpus ipsum vocat domum terrestrem, quia ex terra constat : vitam beatam vocat domum cœlestem, quia in cœlo invenitur ; ibi enim est sedes Dei, et ibi semper videtur tamquam Rex in decore suo. Secundo, corpus dicit esse domum, quæ dissolvitur, quia quotidie deficit magis et magis, illam autem vocat æternam, quia semper in eodem statu permanet : Denique illam vocat non manufactam, insinuans, istam esse manufactam, quia nimirum corpus habemus opera hominum, qui illud generarunt, et cibo, ac potu aluntur, et sustentant : at illa domus cœlestis ab hominum opere non pendet, sed a solo Deo manifestante seipsum nobis.

Tertium testimonium est paulo infra : *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri ; audentes igitur, et scientes, quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem, audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum* (1). Nota Apostolum hic docere duo desideria esse in nobis, unum naturæ ad vivendum corporaliter, alterum gratiæ ad videndum Deum ; et quidem homines pios velle quidem utrumque, si possint, implere simul ; sed cum non possint, anteponere desiderium gratiæ desiderio naturæ, et proinde appetere mortem corporis, ut possint cum Deo vivere homines impios e contrario omnie referre ad vitam corporis, et desiderium naturæ.

Ex quibus deducitur evidens argumentum pro sententia nostra ; nam si non possemus videre Deum, nisi post resurrectionem, non diceret Paulus se optare peregrinari a corpore, ut non peregrinetur a Domino. Iis enim verbis ostendit esse aliquem statum animæ, in quo peregrinetur a corpore, et non a Domino ; at talis status non esset unquam, nisi ante resurrectionem videretur Deus. Nam in hac vita peregrinamur a Domino : sed non a corpore : in alia vita post resurrectionem non peregrinabimur nec a Domino, nec a corpore ; ante resurrectionem autem oporteret necessario peregrinari a Domino, et a corpore. Quare ut detur status in quo peregrinemur a corpore, sed non a Domino, de quo Paulus loquitur, necesse est ut ante resurrectionem, spiritus justorum corpore soluti, Deum videant. Neque etiam dici potest, Paulum loqui de quadam beatitudine imperfecta, quæ consistit in visione humanitatis Christi, et quod peregrinari a Domino, sit peregrinari a presentia humanitatis Christi. Siquidem sanctus Apostolus ait : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem.* Ex quo sequitur, ut e contrario non peregrinari a Domino, sit non ambulare per fidem, sed facie ad faciem videre speciem divinæ pulchritudinis. Idem enim Apostolus quod hic dicit : *Ambulamus per fidem, non per speciem*, dicit I. Corinth. XIII : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* (2) At qui solam videt Christi humanitatem, adhuc habet fidem, et est peregrinus et viator, ut omnes fatentur

Quartum testimonium est Luc. XXIII : *Hodie mecum eris in Paradiso* (3). Ubi nota, paradisum dupliciter accipi in Scripturis ; uno modo pro horto quodam deliciarum corporalium, in quo primus homo constitutus fuit antequam peccaret, de quo loquitur Moyses Genes. II. et III. altero modo pro gloria beatorum, cujus prior paradisus figura fuit ; et de hoc loquitur Paulus II. Corinth. XII. ubi se dicit raptum fuisse in paradisum. Explicans enim quid paradisus sit, dicit se raptum supra tertium cœlum.

Euthymius in hunc locum existimat (nimirum ut confirmet errorem suum) hic Dominum loqui de paradiso terrestri ; et ideo etiam scribit, Dominum latroni non respondisse, hodie mecum eris in regno meo, sed in paradiso ; ut ostenderet aliud esse regnum, aliud paradisum. Et quia poterat aliquis objicere, Christum dixisse : *Mecum eris in paradiso* ; et tamen Christus non est in paradiso terrestri, sed cœlesti ; respondet Euthymius, Christum esse ubique ut Deus est, et proinde esse cum latrone, aliisque Sanctis in paradiso terrestri, et simul cum Angelis in paradiso cœlesti.

Hæc expositio sine dubio potest, ac debet rejici. Primum, paradisus terrestris est locus deliciarum corporibus, non animabus ; quid enim prodest animabus abundare pomis, herbis, aquis, cæterisque rebus terreni illius paradisi ? Christus autem promittens latroni paradisum, promisit hortum deliciarum ipsi convenientem, id est, spiritualem.

Secundo, voces Testamenti novi cum ambiguæ sunt, potius accipi debent, ut sumun-

(1) II. Cor. V, 4 et seq. — (2) I. Cor. XIII, 12. — (3) Luc. XXIII, 43.

tur in aliis locis Testamenti novi, quam ut sumuntur in Testamento veteri, sed vox ista, *paradisus*, in Testamento novo accipitur pro paradiso spirituali, ut patet II. Corinth. XII, igitur et Luc. XXIII. pro spirituali paradiso accipienda est.

Tertio, Christus promisit latroni consortium suum, cum ait : *Mecum eris in paradiso.* Christus autem non terrestrem, sed cœlestem paradisum introivit. Nec valet responsio Euthymii ; nam eo modo, quo Christus est ubique, erat cum latrone etiam in hoc mundo, cum adhuc latrocinia exerceret, et nihil ei Christus novi promisisset.

Jam vero Theophylactus nomine aliorum refert, et refellit duas alias expositiones ad hunc locum. Prima est quorumdam, qui dicebant, latroni promissum fuisse paradisum cœlestem, sed dandum post resurrectionem : dixisse autem Christum, *hodie eris*, propter certitudinem rei futuræ, quomodo Prophetæ sæpe exprimunt res futuras per tempus præsens, aut præteritum ; at, cum Dominus dicit : *Qui non credit, jam judicatus est*, Secunda est, illud, *hodie*, conjungendum cum, *dico*, non cum, *eris*, hoc modo : *Amen dico tibi hodie, mecum eris in paradiso.*

Sed neutra est solida ; non prima, tum quia non oportet recurrere ad figuras, et relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioqui absurditas aliqua sequeretur ; tum etiam, quia ista non sunt verba Prophetica, ut oporterit ea velari obscuritate, sed continent simplicem promissionem, et proinde simpliciter intelligenda sunt. Neque eo loco, *qui non credit jam judicatus est*, accipitur præteritum pro futuro ; non enim vult Dominus dicere, certo judicabitur, sed vere jam judicatus est, et condemnatus a seipso, cum nolit eam fidem amplecti, per quam salvus esse posset.

Secunda expositio est plane ridicula. Quorsum enim Dominus diceret : Amen dico tibi hodie ? nonne videbat latro, Dominum loqui illa die ? Præterea, quis non videt per illud adverbium, Hodie, responderi ad illud adverbium, Quando, quod latro posuerat ? Latro dixerat : *Memento mei, quando veneris in regnum tuum.* Dominus respondet : hodie erit illud quando, proinde hodie mecum eris in regno, et paradiso meo. Vera ergo expositio est Theophylacti, Ambrosii, Bedæ, et aliorum, qui per paradisum intelligunt regnum cœlorum. Ne forte enim latro per regnum intelligeret aliquid humanum, Christus declaravit, regnum suum esse paradisum, id est, summam et sempiternam felicitatem.

Quintum testimonium Ephes. IV : *Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Quo in loco per vocem, *altum*, non potest intelligi nisi summum cœlum : etsi enim quidam intelligunt crucem, tamen Paulus se exponit paulo infra, cum ait : *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos* (1). Porro nomine captivitatis, quam secum duxit in cœlum, quid potest intelligi, nisi multitudo sanctarum animarum, quas ex limbo ad cœlum evexit, ut Ambrosius exponit.

Dices, non sequitur, Sancti sunt in cœlo, ergo vident Deum. Respondeo, recte sequi ; nam per cœlum intelligimus sedem ; et quasi aulam regiam Dei, ubi Deus semper videtur ; nam Isaiæ LXVI. dicitur : *Cœlum mihi sedes est.* Et Matth. V : *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est.* Et Matth. XVIII : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei* (2). Et in oratione Dominica dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis.* Tametsi enim Deus ubique sit, tamen proprie in cœlo esse dicitur, quia per sui manifestationem illic se præsentem ostendit, et cernitur ab iis, qui digni sunt cœlesti illa sede. Unde eleganter Cyrillus catechesi 9. dicit, cœlum esse velum Deitatis, quo nobis videlicet, qui sumus extra velum, absconditur Deus. Imo B. Paulus ad Hebr. IX. comparat ingressum Christi in sanctuarium cœleste, cum ingressu Sacerdotis intra velum in sancta Sanctorum, indicans idem esse cœlum respectu divinæ essentiæ, quod erat velum respectu arcæ Testamenti, et certe animabus Sanctorum, si non vident Deum, parum videtur referre utrum in cœlo isto materiali, an in terra, vel in alio loco sint.

Sextum testimonium Philip. I : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (3). At si animæ servantur in aliquo loco extra cœlum, frustra hoc desiderabat Paulus, Christus enim in cœlis est.

Septimum testimonium Heb. IX : *Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum* (4). Quod exponunt Primasius, Anselmus, Theophylactus, Œcumenius

1) Eph. IV, 8. — (2) Isai LXVI, 1 ; Matth. V, 34 et 35 ; XVIII, 10. — (3) Phil. I, 23. — (4) Hebr. IX, 8.

in hunc modum, quod in sancta Sanctorum non possent ingredi Sacerdotes, nec populus, significabat toto tempore Testamenti veteris non fuisse apertam viam ad cœlum, et ideo etiam justissimos quosque ad inferos descendisse : quia non poterant simul vigere figura et figuratum. At postaquam Christus perrupit velum tabernaculi, et figuræ cessaverunt, jam propalata est via Sanctorum ad sanctuarium cœleste.

Octavum testimonium Hebr. XII : *Non accessistis ad montem Sion etc. sed ad Sion montem et Hierusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et spiritus justorum perfectorum etc* (1). Hic (ut recte Anselmus exponit) describitur Ecclesia triumphans, et in ea dicuntur esse tanquam cives, primum Angeli, deinde animæ primitivorum, id est, eorum, qui primi crediderant, et jam mortui fuerant, ut Jacobi Apostoli, Stephani, et aliorum : qui dicuntur conscripti in cœlis, quia sunt adscripti et cooptati cum Angelis in ordinem civium cœlestium ; quomodo dicebantur Romæ senatores Patres conscripti. Nisi forte magis placeat per Ecclesiam primitivorum in cœlis conscriptorum, intelligi animas Patriarcharum, et Prophetarum cum Christo regnantium : per spiritus autem perfectorum, animas Apostolorum et Martyrum. Semper tamen eadem est sententia, jam spiritus sanctorum hominum beatos esse, ea beatitudine, qua sancti Angeli soli ante fruebantur.

Nonum testimonium est in lib. Actor. cap. VII. ubi Stephanus moriturus vidit cœlos apertos, et gloriam Dei, Christumque stantem a dextris Patri. Cur autem hoc vidit, nisi ut intelligeret, sibi cœlum patere, et se statim a Domino recipiendum in illam gloriam ? Id enim ille intelligens exclamavit : *Domine Jesu, suscipe spiritum meum* (2).

Decimum testimonium est cap. VI. Apocal. ubi dantur Martyribus singulæ stolæ albæ, quæ gloriam animæ significant ; nam alteram stolam, id est, gloriam corporis post resurrectionem habebunt ; ut exponunt Gregorius in IV. Psal. pœnitentialem, et Beda, Haymo, et Anselmus in hunc locum : necnon B. Augustinus serm. 4. de festo Innocentium.

Undecimum est cap. VII. ubi de istis dicitur : *Hi qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus* (3). Ex quo habemus, illos vere esse in cœlo, et videre Deum. Quid enim significat esse ante thronum Dei, nisi habere Deum in conspectu, eumque cernere ?

Atque hinc solvi potest argumentum secundum ; nam ad primum locum contra adductum respondeo dupliciter ; ac primum, ut Chrysostomus in cap. XX. Matth. monet, parabolas non oportere ex omni parte quadrare, sed solum considerandum esse scopum ; multa enim dicuntur non ad significandum aliquid, sed solum ut narratio integra videatur. Quemadmodum et culter ad scindendum factus est, nec tamen ex omni parte scindit. Alioqui, quomodo operarii accipientes denarium murmurabant ? Numquid erit murmur in cœlo ? Et cur Dominus dixit : « An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ? » Num erit in cœlo oculus nequam ? Quomodo etiam fieri potest, ut merces prius sit reddita ultimis, quam primis, cum constet omnes simul electos eadem sententia donandos regno cœlorum ? Solum ergo ex parabola illa de operariis habemus, minori tempore Patres novi Testamenti laborare, quam fecerint Patres Testamenti veteris : et tamen ad eamdem beatitudinem pervenire : vel certe eos, qui convertuntur in senectute breviorem laborem habere, quam eos, qui in adolescentia, et tamen posse non minus præmium adipisci.

Possumus etiam secundo respondere, si velimus illam partem esse significativam, qua dicitur ad vesperam vocatos esse omnes operarios, et simul omnibus redditam esse mercedem ; dicemus enim per vesperam significari futurum generale judicium, quo publice reddatur omnibus perfecta merces ; quod tamen judicium non excludit particularia Dei judicia, quibus in obitu uniuscujusque redditur singulis privatim parsmercedis.

Ad secundum locum ex Paulo, qui ait, Patres non accepisse promissiones, sed suo tempore accepturos, dico tria. Primo, per repromissionem posse intelligi Christi incarnationem, ut expenit Primasius, id enim Deus promiserat sæpissime Patribus Abrahæ, Isaac, Jacob, David ; unde Dominus ait : *Multi Reges et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt.*

(1) Hebr. XII, 22 et seq. — (2) Act. VII, 58. — (3) Apoc. VII, 15.

Secundo dico, per repromissiones posse intelligi beatitudinem animæ, et tunc conferri homines testamenti veteris, cum hominibus Testamenti novi, ut sensus sit; illi antiqui Sancti mortui sunt, non accepta repromissione vitæ æternæ, ut non prævenirent nos, sed expectaverunt usque ad Christi adventum, ut eam repromissionem nobiscum, id est, cum Sanctis Testamenti novi acciperent. Et favet huic expositioni textus Græcus? ἵνα ἐπιμανθῶσι τὴν ἐπαγγελίαν, non acceperant repromissionem, id est, nunc quidem acceperunt, sed antehac nondum acceperant.

Tertio dico, per repromissionem intelligi perfectam beatitudinem corporis, et animæ quam illi adhuc non habuerunt, ne sine nobis habeant: quæ quidem est communis Patrum expositio in eum locum, et Augustini tract. 49. in Joann. notanda sunt omnia illa verba: « Ne sine nobis consummarentur. » Non enim ait, ne sine nobis remunerarentur, sed ne sine nobis consummatam mercedem non modo animæ, sed etiam corporis acciperent.

Ad tertium locum ex epistola Joannis respondeo, illud, *cum apparuerit*, non significare, cum apparuerit Christus, sed cum apparuerit quid erimus, ut patet ex superioribus. Dixerat enim: *nondum apparuit quid erimus*, ac deinde subjecit, *scimus enim quia cum apparuerit, similes ei erimus, quid erimus, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Itaque illud, *similes ei erimus*, significat, similes Christo erimus eorum oculis totius mundi; videbunt enim nos in nubibus Christo assidentes, ac similes illi quoad externam gloriam corporis. Quæ gloria ex eo nascetur, quod videbimus eum sicuti est; Nam videre Deum, est beatitudo animæ, ex qua nascitur gloria corporis. Est autem similis hic locus, ut Beda etiam monet illi loco Pauli: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Coloss. III. (1) Quare non colligitur ex verbis Joannis, sanctos homines non visuros Deum ante diem judicii, sed solum ante eum diem non esse eorum gloriam toti mundo manifestandam.

Ad quartum ex Apocalypsi, dico, per altare, sub quo sunt animæ, non posse intelligi aliquem locum extra cœlum; nam in cap. 7. habemus, istas animas amictas stolis albis esse ante thronum Dei, Deoque in templo ejus, id est, in cœlo servire, die ac nocte.

Tres ergo sunt Catholicæ expositiones. Prima Bedæ, illud: *Sub altari*, conjungi cum *interfectorum*, hoc modo: *Vidi animas interfectorum sub altari*: per altare autem intelligi Christum, ut sensus sit: Vidi animas interfectorum sub altari, id est, sub testificatione nominis Christiani: quomodo II. Machab. VII. dicuntur Machabæi occisi sub Testamento Dei, id est, pro Testamento Dei.

Secunda ejusdem Bedæ, Primasii, et Haymonis, illud, *sub altari*, conjungi cum *vidi*, sed per altare intelligi secretum intellectuale, unde procedit thimiama laudis divinæ. Sicut enim in tabernaculo erat arca, et ante arcam altare aureum thimiamatis, ita in cœlo, tabernaculo non manu facto, est arca humanitatis Christi, non qua residet divinitas: et ante eam est altare aureum, unde procedit perpetuum thimiama laudis divinæ, et precum. Et notat Haymo, quod sicut in tabernaculo materiali, inter altare aureum, et arcam, erat velum, quod fractum est in morte Christi: ita quoque durante Testamento veteri, animæ Sanctorum erant sub altari, sacrificantes Deo hostias laudis, sed velum erat inter eas, et Deum; at fracto velo per Christum, jam altare est conjunctum arcæ, et nihil est in medio. Dicuntur autem animæ esse sub altari isto, non autem ad altare, ad significandum secretum illud cœleste, quo non solum oculi, sed nec mentes nostræ penetrare possunt. Quis enim capiat, quomodo animæ sint ante Deum, eique ministrent in cœlo?

Tertia est Anselmi, qui docet, per altare intelligi Christum. Sacrificia enim Sanctorum, sive laudis, sive orationum, non placent Deo, nisi super hoc altari ponantur, id est, per Christum offerantur. Dicuntur autem animæ sub Christo esse, non quia Christus sit illis quasi paries adumbrans, et impediens, quo minus Deum videant, ut B. Bernardus videtur exposuisse, sed sub Christo esse dicuntur, quia illo inferiores sunt loco, et dignitate; quia sub Christi patrocinio, et protectione vicerunt, et illi referunt accepta sua præmia.

(1) Coloss. III, 3 et 4.

CAPUT IV.

Eadem veritas ex Græcis Patribus confirmatur.

Sequitur nunc, ut post Scriptoras sacras, proferamus etiam testimonia Patrum, ac primum Græcorum, ne recentiores Græci existiment, veterum testimonio errorem suum se posse defendere.

Primus. Ignatius in epist. ad Rom. dicit, se per martyrium proficisci de mundo ad Deum. Et rursum ait: « Aqua viva manens in me, intrinsecus mihi dicit: veni ad patrem. » At secundum errorem Græcorum et Calvinistarum, non ad Deum ibat, sed ad inferos, aut ad alium locum extra cœlum, ubi non magis Deus est, quam hic nobiscum. Præterea ibidem ait: « Sinite me puram lucem aspicere, illuc perveniens, homo Dei ero. » Et rursum: « Miserabilis sum nunc, donec Deum merear adipisci. » An non clarissime indicat, se statim a morte futurum cum Deo, et visurum puram lucem divinitatis? Denique sæpius repetit, se per martyrium adepturum Christum. At quomodo adipiscetur, si Christus est in cœlo, et ipse erit apud inferos, in abditis receptaculis, nescio quibus?

Secundus sit Dionysius Areopagita, qui lib. de Ecclesiast. hierar. cap. 7. par. 1. loquens de Sanctis in morte constitutis: « Norunt, inquit, profecto se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cum ad præsentis vitæ finem pervenerint, viamque ad immortalitatem suam e vicino jam clarius intuentes, divinitatis laudant munera, divinaque lætitia gestiunt, non jam ad deteriora conversionem metuentes, sed parata bona se firmiter perpetuoque habituros probe noscentes etc. » Nota, dicere Dionysium, animas Sanctorum statim a morte hominis consequi immortalitatem: cumque hoc non possit intelligi de immortalitate naturali, nec de immortalitate carnis, necessario esse intelligendum de beatitudine, quæ est vita æterna animæ. Eodem lib. et cap. par 3. dicit animas Sanctorum statui in regione vivorum, in sinu Abrahæ, Isaac, et Jacob, et subdit: « Ista, ut reor, sunt perspicuo beatissimæ Sanctorum præmia. Quid enim immortalitati perfectæ, omnique tristitia vacuæ, ac plenæ perpetui luminis conferri possit? Licet multum sane promissiones illæ sublimiores nostra mente sint, quæ vocabulis nobis congruis designantur, longe tamen inferiores earum re et veritate appellationes habent. Verum enim profecto illud existimandum eloquium est: quod oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se etc. » At certe ista non conveniunt, nisi essentiali beatitudini, quæ sola superat nostra desideria.

Tertius sit Justinus, qui quæst. 75. a gentibus posita (quamquam istæ quæstiones non videntur Justini, sed alicujus recentioris:) « At, inquit, post animi a corpore excessum statim fit bonorum, malorumque distinctio: ducuntur enim ad loca, quæ eis digna sunt, ab Angelis, bonorum quidem animi in paradisum, ubi consuetudo est, et aspectu Angelorum et Archangelorum, visio vero etiam conservatoris Christi ex verbis his, peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum, improborum autem ad inferorum loca etc. » Ubi nota probari sententiam nostram tum ex eo, quod dicit, bonorum animos duci ad paradisum, ubi sunt Angeli, et Christus; tum ex loco Pauli, quem Justinus allegat; nam (ut supra diximus) præsentem esse ad Dominum, significat videre Deum, cum opponatur peregrinationi a Domino, et ambulationi per fidem.

Atque ex his ad loca ex Justino adducta in contrarium, facile est respondere; nam quæst. 60. ubi dicit, narrationem de Lazaro non esse historiam, quia nondum facta est retributio, loquitur de retributione perfecta, quando totus homo animo et corpore gaudebit, vel cruciabitur. Et quia in illa narratione fit mentio corporalis supplicii, dicitur: « Et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. » Ideo Justinus dicit, illam narrationem non esse historiam, quia nondum habent damnati corporalia membra etc. In quæst. 76. Gentiles quidem quærebant, si ante resurrectionem nulla sunt operum præmia, quorsum latro in paradisum introductus fuit? Sed Justinus non admittit antecedens, imo ostendit magnam remunerationis partem esse, quod animus latronis sit in cœtu beatorum, et videat inferiora, et Angelos, ac Dæmones. Non meminit autem Dei visionis, quia Græci non solent vocare visionem, nisi ejus rei, quæ plene comprehenditur, et ideo passim ne-

gant, Deum posse videri a creatura : Sed quod aliquo modo latro Deum videat, indicat Justinus, cum dicit eum esse in cœtu beatorum.

Quartus. Irenæus lib. I. cap. 2 : « Justis, inquit, et æquis, et præcepta ejus servantibus, et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, et claritatem æternam circumdat. » Nota, *quibusdam*, id est, iis, qui mox a Baptismo moriuntur, vel qui pro Christo vitam ponunt, vel denique perfectis statim donari vitam, et claritatem æternam ; aliis non, nisi post pœnitentiam, id est, satisfactionem in futuro sæculo actam. Est enim hæc sententia Irenæi similima illi Cypriani lib. IV. epist. 2. ad Antonianum : « Aliud est, inquit, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire ; aliud missum in carcerem, non exire inde donec solvat novissimum quadrantem : aliud statim fidei et virtutis mercedem accipere : aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse. »

Quod ergo idem Irenæus lib. V. extremo dicit, animas Sanctorum deduci in invisibilem locum, et post resurrectionem cum corporibus ituras ad Dominum, non significat eas interim non esse in cœlo, vel non videre Deum, sed solum significat eas non esse nunc in illa perfecta beatitudine, in qua est Christus, qui animo et corpore est beatus.

Et confirmatur hoc ex multis conjecturis. Primo, quia hoc ipso loco dicit, Christum descendisse ad inferorum loca, ut Sanctorum animas inde extraheret, et salvaret. Si eas ergo extraxit, non sunt amplius ibi : et si salvavit, certe vident Deum ; nam hæc est salus animarum.

Secundo, cum dixisset, Christum descendisse ad inferos, antequam resurgeret ; et subjungeret, debere discipulos imitari magistrum suum, non tamen ausus est dicere, discipulorum animas descendere ad inferos ; sed ait, eas duci ad invisibilem locum, ut ibi expectarent resurrectionem, per invisibilem locum quid prohibet intelligere cœlum, ubi est lux inaccessibilis ?

Tertio, quia Irenæus contendit, discipulos debere in morte, et requie, et resurrectione Christum imitari : At Christus statim a morte, non fuit quidem beatus corpore, sed quievit triduo in sepulchro, interim tamen animo erat beatus, et in paradiso, ipse enim dixit : *Hodie mecum eris in paradiso* ; ergo etiam Sancti, dum quiescunt in sepulchris quantum ad corpora, animo sunt in paradiso beati.

Quintus. Origenes, qui in illis ipsis locis, qui contra nos afferuntur, pro nobis est ; nam hom. 7. in Leviticum dicit, Sanctos habere nunc lætitiam, sed non perfectam, quia adhuc corpus eorum, id est, civitas illa beata non est plena, sed quando erimus nos etiam ubi ipsi sunt, tunc habebunt perfectam lætitiam, et addit, Christum etiam non habere perfectam lætitiam, quia nondum habet omnia sua membra. Itaque aperte loquitur de lætitia accidentali. Libro autem II. περιαρχων cap. ult. dicit plerosque Sanctorum primum duci ad locum aliquem terrestrem, ut ibi expoliantur, et doceantur multa, quæ nesciebant ; deinde duci ad loca aerea, et ibi discere quædam sublimiora ; tandem duci supra cœlos ad Christum, et ibi jam videre perfecte causas omnium rerum. Ibidem asserit Paulum, et similes perfectos jam ibi esse, et videre in Deo omnia. Itaque erat quidem in eo, quod vult, Sanctos paulatim proficere in alia vita, sed aperte fatetur nunc multos eorum esse in cœlo, et videre Deum.

Sextus. Athanasius in vita Antonii dicit, animam Ammonis Angelis stipatam visam ab Antonio deferri in cœlum.

Septimus. Basilius homilia in quadraginta Martyres : « Vos, inquit, non terra occuluit, sed cœlum suscepit, apertæ sunt vobis paradisi portæ » : Et oratione in Gordium Martyrem : « Erat enim affectus, non ut qui in lictoris manus deventurus esset, sed velut Angelorum manibus scipsum commissurus, qui statim ipsum recens mactatum, assumptum ad beatam vitam translaturi essent. »

Octavus. Gregorius Nazianzenus oratione in Basilium : « Tu, inquit, obiter e cœlo nos respice, et datam mihi renum debilitatem, et articulorum dolorem, vel jube discedere, vel adjuva, et hortare, ita me æquo animo ferre, ut hinc demum discedentem me in æterna tabernacula recipias, et beatam Trinitatem eo, quo est modo, tecum pariter contemplari valeam. » Et oratione in Gorgoniam, dicit eam frui cum Angelis purissima illustratione Trinitatis, quæ toti menti totam se contemplandam præbeat.

Nonus. Gregorius Nyssenus oratione in

sanctum Ephrem : « In cœlestibus tabernaculis, inquit, animus illius consedit, ubi sunt ordines Angelorum, ubi Patriarcharum populi, ubi chori Prophetarum, ubi sedes Apostolorum, ubi gaudium Martyrum, ubi piorum lætitia, ubi Doctorum splendor, ubi celebres primogenitorum cœtus, ubi puræ lætantium voces. » Et infra : « Tu vero divino assistens altari, vitæque principi, et sacrosanctæ una cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobisque peccatorum veniam impetra. »

Decimus. Joannes Chrysostomus hom. 10. in posteriorem epistolam ad Corinth. loquens de beatitudine : « Si cogitatio, inquit, illorum quamvis obscura sit, tantam suppeditat voluptatem, cogita quantam lætitiam nobis allatura sit manifesta ipsa comprehensio. Beati et ter beati, qui illis bonis fruuntur, sicut et miserabiles, et miserrimi, qui hisce contraria sustinent. » Hom. 3. in epistol. ad Philip. « Peccatores, inquit, ubi fuerint, procul a Rege sunt, atque ideo digni qui fleantur. Justi vero, sive hic, sive in futuro sæculo fuerint, cum Rege sunt, illic tamen magis, et propius non per ingressum, ac fidem, sed facie ad faciem etc. » Nec in textu Græco hic insignis locus aliter se habet : Οὐδὲ ἀκούσει ὧνε ἀντικεῖται, ὧνε ἐκεῖ, μετὰ τοῦ βασιλέως εἰσί, καὶτοι μᾶλλον καὶ ἐγγύτερον, ὑμεῖς ἐκεῖσθε, ὑμεῖς πίστεως, ἀλλὰ πολιτῶν, πρὸς πρόσωπον. Eadem verba repetit hom. 69. ad popul. et hom. in illud Sapient. V. « Justorum animæ in manu Dei sunt. »

Rursum idem Chrysostomus hom. 4. in epistol. ad Philipp. exponens illud, Utrum eligam ignoro etc. : « Quid, inquit, dices Paule, cum hinc abiens in ipsum cœlum ingressurus sis, atque cum Christo futurus, ignoras quid eligere debeas ? » Et infra : « Quis athleta cupiet amplius certare, cum jam diceat coronari etc. » Idem homil. 32. in epist. ad Roman. dicit, nunc Pauli animum versari in summo cœlo prope ipsum Regis solium, ubi Cherubim et Seraphim volitant. Lib. V. de sacerdotio, dicit eos, qui pure communicant corpori Dominico, in extrema hora ab Angelis stipatos recta in cœlum abduci. Ex his patet Chrysostomi sententia.

Quare ad id, quod objiciebatur ex homil. 39. in priorem ad Corinthios, dico, Chrysostomum non velle dicere, animam non frui bonis æternis ante resurrectionem ; sed simpliciter non fruituram ullis bonis cœlestibus, si caro non resurgat ; quia nimirum, cum tam animus, quam caro laboraverint, par est, ut utraque pars suam mercedem habeat. Quod si una non habebit, inde colligitur, nec alteram habituram. Et e contrario, si caro suo tempore resurget, et coronabitur, colligitur nunc animam coram Deo vivere et coronari. Vide Theophylactum, qui in eumdem locum Pauli scribens, Chrysostomi sensum clarius proponit.

Ad alterum Chrysostomi locum dico, cum loqui de corona, seu gloria corporis, de qua etiam Paulus loquitur. Et idem respondemus ad loca objecta in contrarium Theodoreti, Theophylacti, Œcumenii in hunc locum ; nam illi, ut Chrysostomi discipuli, ipsius commentarium imitati sunt.

Undecimus. Cyrillus Hierosolymæ Episcopus catech. 13. de latrone loquens : « Tu, inquit, de ligno introducens in paradisum. » Et ne putemus eum loqui de loco refrigerii in sinu Abrahæ : « Nondum, inquit, Abraham fidelis ingressus est, et latro ingreditur etc. » Et ne putemus eum loqui de paradiso terrestri : « Ne timeas, inquit, serpentem ; cecidit enim de cœlo, non te ejiciet. » Itaque clarissime Cyrillus asseruit, latronem primum omnium in Paradisum ingressum.

Duodecimus. Cyrillus Alexandrinus lib. XI. in Joannem cap. 36. dicit, animas Sanctorum non versari in terris post mortem corporis, nec deduci ad pœnas Gehennæ, sed evolare in manus Dei Patris : Et ne putemus hoc intelligi de sinu Abrahæ, vel loco aliquo extra cœlum, dicit, hoc iter a Christo primum apertum, et paratum. Non ergo descendunt animæ Sanctorum ad locum, quo ibant ante Christi mortem : et addit, animas Sanctorum vitam perpetuam cum Christo habere.

Decimustertius. Epiphanius hæres. 78. in fine : « Sancti, inquit, sunt in honore, quia ipsorum in gloria, profectio hinc in perfectione, sors ipsorum in Beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum Angelis, dieta in cœlo, gloria in honore incomparabili et perpetuo, bravia in Christo Jesu Domino nostro. »

Decimusquartus. Theodoretus lib. VIII. ad Græcos, qui est de Martyribus : « Si cœlum, inquit, sedes illorum est, qui pie vixerunt : hunc profecto finem sui cursus et Martyres jam consecuti sunt, his enim magis pium esse nihil potest. » Et infra : « Ideoque, inquit, majori sorte merito perfruuntur Martyres, qui nunc et a cunctis late mortalibus ho-

nores amplissimos ferunt, et æternis sunt insigniti coronis. » Si ergo jam sunt in cœlo, et æternis coronis insigniti sunt, quomodo non sunt assecuti repromissionem (ut idem Theodoretus, nobis objectus ab adversariis, dicit) nisi de repromissione resurrectionis, et gloriæ corporalis sermo sit ?

Decimusquintus. Eusebius lib. IV. hist. cap. 15. Polycarpum dicit per mortem immortalitatis præmia jam adeptum. At quæ est ista immortalitas, quæ præmii loco datur animæ natura sua immortali, nisi beatitudo? Item lib. VI. cap. 5. de Potamiæna : « Hoc modo, inquit, beata Virgo emigravit e terris ad cœlum. » Similia passim leges.

Decimus sextus. Damascenus in historia de Barlaam et Josaphat in fine : « Vultui Domini, inquit, nitide et nude præsentatur, illiusque gloriæ jam ante promissa sibi corona exornatur. »

Decimusseptimus. Theophylactus in cap. XXIII. Lucæ : « Dicendum est, inquit, idem esse paradisum, et regnum cœlorum : nam latro est in paradiso, ac regna, alioqui non frueretur perfecta bonorum participatione, etc. » ubi prolixe confutat eorum sententiam, qui volunt latronem fuisse ductum ad paradisum, non autem ad regnum cœlorum. Quando ergo Theophylactus dicit in caput. XVI Lucæ narrationem de divite et Lazaro esse parabolam, quia nondum facta est divisio præmiorum, et pœnarum ; loquitur de præmiis et pœnis quæ ad corpus pertinent ; et ideo recte vocat parabolicum sermonem de oculis, et lingua divitis in inferno. Quando etiam dicit in cap. XI. ad Hebræos, Sanctos nihil cœlestium promissionum accepisse, vult dicere, nihil illius gloriæ, et earum dotium, quæ corpori affert resurrectio.

Decimusoctavus. Œcumenius in cap. IX. ad Hebræos dicit, Christum non solum in cœlum ingressum esse, sed etiam secum duxisse genus humanum, id est, multos sanctos Patres, qui sine dubio si in cœlo cum Christo sunt, ibi quoque cum ipso beati sunt, alioqui (ut supra diximus) parum prodesset spiritibus cœlorum corporalium habitatio.

Habemus ergo, omnes Doctores Græcos pro nobis esse ; soli enim remanent Arethas, et Euthymius ex iis, qui nobis objecti sunt. Ex quibus Arethas, cum dicit Sanctos sperare futuram gloriam, potest commode intelligi de gloria corporis. Euthymius autem non potest exponi, sed non est hac in re usque adeo magni faciendus ; nam est omnium recentissimus. Scripsit enim circa annum 1180, quo tempore Græci Schismatici, et Hæretici manifeste esse cœperant.

Ad illam confirmationem, quam afferebamus ex Græcis, qui Deum videri posse negant a creatura, B. Augustinus respondet, auctores illos, cum dicunt Deum non posse videri, loqui de visione corporali. Sic enim ipse exponit verba B. Hieronymi in epistol. 111. dicit enim Hieronymum voluisse dicere, Angelos non videre Deum oculis corporeis, sed tamen mente videre.

At hæc solutio non satisfacit propter tres causas. Primo, quia Hieronymus, et cum eo Chrysostomus, Theodoretus, et alii citati diserte asserunt, Angelos esse spiritus, et non habere corpora aerea, vel ignea naturaliter unita, at B. Augustinus opinatus est, et tamen negant ab Augustino Deum videri.

Secundo, quia Hieronymus reddens causam, cur Angeli non possint videre Deum, ait non enim potest creatura aspicere creatorem suum, et eamdem causam reddere solet Chrysostomus. At hæc ratio tam valet in oculis corporis, quam in oculi mentis, utrique enim sunt oculi creati.

Tertio, quia isti Patres dicunt, nec Angelis, nec hominibus Deum esse visibilem, sed soli ipsi Deo. At Deus non videt se corporeis oculis, sed mente. De mente igitur, non de corporeis oculis Patres loquuntur.

Vera ergo solutio est B. Thomæ I. part. quæst. 12. art. I. hos Patres nomine visionis intelligere comprehensionem perfectam ; quia enim quod oculis corporis videmus, pertectissime comprehendimus, quod autem in hoc mundo intelligimus, non ita perfecte intelligimus, non enim habemus species proprias substantiarum, et maxime separatarum ; ideo vocabulum videndi non solent usurpare pro qualibet cognitione, sed solum pro perfectissima illa, qua res comprehenditur, quo genere visionis non potest Deum videre, nisi Deus. Præterea etiam error Anomeorum dicentium Deum posse comprehendi a creatura, illo tempore vigebat, et ideo Patres abhorrebant a vocabulo videndi, cum de Dei contemplatione loquebantur, ne viderentur admittere comprehensionem.

Dices, at Chrysostomus ait, Angelis Deum fuisse invisibilem usque ad incarnationem Christi tantum, non igitur loquitur de comprehensione, alioqui sequeretur post incarnationem Deum posse comprehendi. Respondeo, Deum ante incarnationem nihil fuisse, nisi Deum, et ideo simpliciter incomprehensibilem : at post incarnationem factus est homo, et in quantum homo comprehensibilis est ; et hoc vult Chrysostomus.

Dices Secundo, Theodoretus loco citato ait, Angelos non aliter videre Deum, quam viderint olim Abraham, Moyses, et Isaias, et cæteri ; at isti non solum non comprehenderunt, sed nec vere viderunt Deum in se, sed solum in corpore assumpto ab Angelis, qui Deum referebant, vel in imaginaria revelatione.

Respondeo, Theodoretum non dicere, non aliter, sed tantum statuere similitudinem inter visionem Angelorum et Patriarcharum ; quæ in hoc consistit, quod sicut una est imperfecta, et non comprehensiva, ita et altera, quamvis cum magno discrimine.

CAPUT V.

Idem probatur testimoniis Latinorum.

Adjungamus nunc Latinorum Patrum consensum, ut hæc fides, totius Ecclesiæ fides fuisse intelligatur. Primus, Cyprianus lib. de exhortatione martyrii cap. ult. : « Quis, inquit, non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat ? ut post tormenta et supplicia terrena ad præmia divina perveniat ? » Et infra : « Claudantur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cœlum ; minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur ; mors infertur, sed immortalitas sequitur ; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur ; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, et quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundos, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus ? Tam velociter migrandi quanta fœlicitas, ut terris repente subtraharis, ut in regnis cœlestibus reponaris ? » Similia habet sermone de mortalitate, epist. 2. lib. IV. et alibi sæpius.

Secundus, Hilarius in Psal. LXIV : « Beati quidem, inquit, sunt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt : sed festinare nos in consortium hujus beatitudinis congruum est, operationibus id atque orationibus expetentes, etc. » Et paulo ante dixerat illa tabernacula esse cœlestes mansiones, quas in domo Patris sui esse Christus dixit. Item in Psal. LX. dicit, Sanctos esse Reges, et perpetuo cum Deo habitare. Et in Psal. CXXIV. loquens de Apostolis aliisque Sanctis : « Quomodo possumus, inquit, montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam gloriosi jam in Dei rebus exultant ? » Quando ergo idem Hilarius in Psal. CXXXVIII. dicit legem esse humanæ necessitatis, ut animæ ad inferos descendant, intelligitur pro eo tempore, quo cœlum erat clausum : Nam posteaquam Christus in cœlum ascendens, aditum ad cœlum reseravit, non est amplius necessarium ad inferos descendere.

Tertius, Ambrosius lib. VII. epistol. 39. ad Thessal : « Acolius, inquit, superiorum incola, possessor civitatis æternæ, illius Hierusalem, quæ in cœlo est, vidit illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, et hæc omnia jam dudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem. » Vide etiam lib. X. epist. ult. et in cap. I. epist. ad Philippenses. Quod ergo Ambrosius ait lib. II. de Cain cap. 2. animas adhuc ambiguo futuri judicii suspendi, ad cognitionem temporis referendum est. Vult enim dicere, animas etiam beatas non scire, quando judicium sit futurum. In libro autem de bono mortis cap. 10. loquitur de retributione mercedis, quæ tam animo quam corpori publice coram toto mundo danda est. Illa enim proprie dicitur corona, quæ datur victoribus publice, et cum celebritate : sed hinc non sequitur, partem ejus præmii non esse datam antea per judicium particulare. Neque obstat, quod videatur Ambrosius dicere omnes animas descendere ad inferos : non enim ipse hoc dicit, sed tantum approbat, quod Philosophi veteres hoc dixerint, quia illo tempore verum erat.

Quartus est, Prudentius, qui in carmine de B. Agnete sic cecinit :

> O Virgo fœlix, o nova gloria,
> Cœlestis arcis nobilis incola.

Atque alia ejusmodi passim Prudentius repetit. Quare cum dicit alibi, animas beatas

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nores amplissimos ferunt, et æternis sunt insigniti coronis. » Si ergo jam sunt in cœlo, et æternis coronis insigniti sunt, quomodo non sunt assecuti repromissionem (ut idem Theodoretus, nobis objectus ab adversariis, dicit) nisi de repromissione resurrectionis, et gloriæ corporalis sermo sit ?

Decimusquintus. Eusebius lib. IV. hist. cap. 15. Polycarpum dicit per mortem immortalitatis præmia jam adeptum. At quæ est ista immortalitas, quæ præmii loco datur animæ natura sua immortali, nisi beatitudo? Item lib. VI. cap. 5. de Potamiæna : « Hoc modo, inquit, beata Virgo emigravit e terris ad cœlum. » Similia passim leges.

Decimus sextus. Damascenus in historia de Barlaam et Josaphat in fine : « Vultui Domini, inquit, nitide et nude præsentatur, illiusque gloriæ jam ante promissa sibi corona exornatur. »

Decimusseptimus. Theophylactus in cap. XXIII. Lucæ : « Dicendum est, inquit, idem esse paradisum, et regnum cœlorum : nam latro est in paradiso, ac regna, alioqui non frueretur perfecta bonorum participatione, etc. » ubi prolixe confutat eorum sententiam, qui volunt latronem fuisse ductum ad paradisum, non autem ad regnum cœlorum. Quando ergo Theophylactus dicit in caput. XVI Lucæ narrationem de divite et Lazaro esse parabolam, quia nondum facta est divisio præmiorum, et pœnarum ; loquitur de præmiis et pœnis quæ ad corpus pertinent ; et ideo recte vocat parabolicum sermonem de oculis, et lingua divitis in inferno. Quando etiam dicit in cap. XI. ad Hebræos, Sanctos nihil cœlestium promissionum accepisse, vult dicere, nihil illius gloriæ, et earum dotium, quæ corpori affert resurrectio.

Decimusoctavus. Œcumenius in cap. IX. ad Hebræos dicit, Christum non solum in cœlum ingressum esse, sed etiam secum duxisse genus humanum, id est, multos sanctos Patres, qui sine dubio si in cœlo cum Christo sunt, ibi quoque cum ipso beati sunt, alioqui (ut supra diximus) parum prodesset spiritibus cœlorum corporalium habitatio.

Habemus ergo, omnes Doctores Græcos pro nobis esse ; soli enim remanent Arethas, et Euthymius ex iis, qui nobis objecti sunt. Ex quibus Arethas, cum dicit Sanctos sperare futuram gloriam, potest commode intelligi de gloria corporis. Euthymius autem non potest exponi, sed non est hac in re usque adeo magni faciendus ; nam est omnium recentissimus. Scripsit enim circa annum 1180, quo tempore Græci Schismatici, et Hæretici manifeste esse cœperant.

Ad illam confirmationem, quam afferebamus ex Græcis, qui Deum videri posse negant a creatura, B. Augustinus respondet, auctores illos, cum dicunt Deum non posse videri, loqui de visione corporali. Sic enim ipse exponit verba B. Hieronymi in epistol. 111. dicit enim Hieronymum voluisse dicere, Angelos non videre Deum oculis corporeis, sed tamen mente videre.

At hæc solutio non satisfacit propter tres causas. Primo, quia Hieronymus, et cum eo Chrysostomus, Theodoretus, et alii citati diserte asserunt, Angelos esse spiritus, et non habere corpora aerea, vel ignea naturaliter unita, at B. Augustinus opinatus est, et tamen negant ab Augustino Deum videri.

Secundo, quia Hieronymus reddens causam, cur Angeli non possint videre Deum, ait non enim potest creatura aspicere creatorem suum, et eamdem causam reddere solet Chrysostomus. At hæc ratio tam valet in oculis corporis, quam in oculi mentis, utrique enim sunt oculi creati.

Tertio, quia isti Patres dicunt, nec Angelis, nec hominibus Deum esse visibilem, sed soli ipsi Deo. At Deus non videt se corporeis oculis, sed mente. De mente igitur, non de corporeis oculis Patres loquuntur.

Vera ergo solutio est B. Thomæ I. part. quæst. 12. art. I. hos Patres nomine visionis intelligere comprehensionem perfectam ; quia enim quod oculis corporis videmus, pertectissime comprehendimus, quod autem in hoc mundo intelligimus, non ita perfecte intelligimus, non enim habemus species proprias substantiarum, et maxime separatarum ; ideo vocabulum videndi non solent usurpare pro qualibet cognitione, sed solum pro perfectissima illa, qua res comprehenditur, quo genere visionis non potest Deum videre, nisi Deus. Præterea etiam error Anomeorum dicentium Deum posse comprehendi a creatura, illo tempore vigebat, et ideo Patres abhorrebant a vocabulo videndi, cum de Dei contemplatione loquebantur, ne viderentur admittere comprehensionem.

Dices, at Chrysostomus ait, Angelis Deum fuisse invisibilem usque ad incarnationem Christi tantum, non igitur loquitur de comprehensione, alioqui sequeretur post incarnationem Deum posse comprehendi. Respondeo, Deum ante incarnationem nihil fuisse, nisi Deum, et ideo simpliciter incomprehensibilem : at post incarnationem factus est homo, et in quantum homo comprehensibilis est ; et hoc vult Chrysostomus.

Dices Secundo, Theodoretus loco citato ait, Angelos non aliter videre Deum, quam viderint olim Abraham, Moyses, et Isaias, et cæteri ; at isti non solum non comprehenderunt, sed nec vere viderunt Deum in se, sed solum in corpore assumpto ab Angelis, qui Deum referebant, vel in imaginaria revelatione.

Respondeo, Theodoretum non dicere, non aliter, sed tantum statuere similitudinem inter visionem Angelorum et Patriarcharum ; quæ in hoc consistit, quod sicut una est imperfecta, et non comprehensiva, ita et altera, quamvis cum magno discrimine.

CAPUT V.

Idem probatur testimoniis Latinorum.

Adjungamus nunc Latinorum Patrum consensum, ut hæc fides, totius Ecclesiæ fides fuisse intelligatur. Primus, Cyprianus lib. de exhortatione martyrii cap. ult. : « Quis, inquit, non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat ? ut post tormenta et supplicia terrena ad præmia divina perveniat ? » Et infra : « Claudantur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cœlum ; minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur ; mors infertur, sed immortalitas sequitur ; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur ; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, et quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundos, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus ? Tam velociter migrandi quanta fœlicitas, ut terris repente subtraharis, ut in regnis cœlestibus reponaris ? » Similia habet sermone de mortalitate, epist. 2. lib. IV. et alibi sæpius.

Secundus, Hilarius in Psal. LXIV : « Beati quidem, inquit, sunt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt : sed festinare nos in consortium hujus beatitudinis congruum est, operationibus id atque orationibus expetentes, etc. » Et paulo ante dixerat illa tabernacula esse cœlestes mansiones, quas in domo Patris sui esse Christus dixit. Item in Psal. LX. dicit, Sanctos esse Reges, et perpetuo cum Deo habitare. Et in Psal. CXXIV. loquens de Apostolis aliisque Sanctis : « Quomodo possumus, inquit, montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam gloriosi jam in Dei rebus exultant ? » Quando ergo idem Hilarius in Psal. CXXXVIII. dicit legem esse humanæ necessitatis, ut animæ ad inferos descendant, intelligitur pro eo tempore, quo cœlum erat clausum : Nam posteaquam Christus in cœlum ascendens, aditum ad cœlum reseravit, non est amplius necessarium ad inferos descendere.

Tertius, Ambrosius lib. VII. epistol. 39. ad Thessal : « Acolius, inquit, superiorum incola, possessor civitatis æternæ, illius Hierusalem, quæ in cœlo est, vidit illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, et hæc omnia jam dudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem. » Vide etiam lib. X. epist. ult. et in cap. I. epist. ad Philippenses. Quod ergo Ambrosius ait lib. II. de Cain cap. 2. animas adhuc ambiguo futuri judicii suspendi, ad cognitionem temporis referendum est. Vult enim dicere, animas etiam beatas non scire, quando judicium sit futurum. In libro autem de bono mortis cap. 10. loquitur de retributione mercedis, quæ tam animo quam corpori publice coram toto mundo danda est. Illa enim proprie dicitur corona, quæ datur victoribus publice, et cum celebritate : sed hinc non sequitur, partem ejus præmii non esse datam antea per judicium particulare. Neque obstat, quod videatur Ambrosius dicere omnes animas descendere ad inferos : non enim ipse hoc dicit, sed tantum approbat, quod Philosophi veteres hoc dixerint, quia illo tempore verum erat.

Quartus est, Prudentius, qui in carmine de B. Agnete sic cecinit :

> O Virgo fœlix, o nova gloria,
> Cœlestis arcis nobilis incola.

Atque alia ejusmodi passim Prudentius repetit. Quare cum dicit alibi, animas beatas

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deduci ad sinum Abrahæ, vel ad paradisum, unde Adam ejectus fuit, loquitur figurate, quia tam sinus Abrahæ, quam paradisus terrestris typi sunt regni cœlorum, et patet ex ipso loco Prudentii : nam animas dicit esse in sinu Abrahæ, et simul in paradiso, cum tamen constet loca fuisse diversa secundum proprietatem, sed diversa non sunt secundum significationem.

Quintus est, B. Paulinus, qui natali 3. de S. Felice sic ait : Corpore terris.

Occidit, et Christo superba est victus in astris.
Cœlestem cernens sine sanguine Martyr honorem.
Ecce : Ait illum cæteri sacra gloria luminis ambit.
Floventem gemmis sedi pectoque coronæ.

Sextus, B. Hieronymus in epist. ad Marcellam de obitu Lœæ : « Nunc, inquit, pro brevi labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris, Christum sequitur, et dicit, quæcumque audivimus, vidimus in Civitate Domini virtutum. » Similia habet in Epitaphio Nepotiani, Paulæ, Blesillæ, et aliorum.

Septimus, Augustinus lib. XII. in Genesin cap 34. primum dicit animas Sanctorum esse in paradiso, sive in tertio cœlo, quo raptus fuit Paulus : « Sive, inquit, in tertio cœlo, sive ubicumque alibi quo post tertium cœlum est raptus Apostolus : si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animæ beatorum. » Deinde explicans quid sit hoc tertium cœlum, sic ait : « Tertium est cœlum quod mente conspicitur ita secreta, et remota, et omnino abrepta a sensibus carnis, atque mundata, ut ea quæ in illo cœlo sunt, et ipsum Dei substantiam, verbumque Deum per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus sancti, ineffabiliter valeat videre, et audire. » Idem Augustinus lib. XX. de Civitate Dei cap. 13. « Animæ victrices, inquit, gloriosorum Martyrum, omnibus doloribus ac laboribus superatis, atque finitis, postequam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt, et regnant, donec finiantur mille anni, ut postea receptis etiam corporibus jam immortalibus regnent. » Idem in Psal. CXVI. in illud; Heu mihi; quia incolatus meus prolongatus est etc. : « Ibi, inquit, omnes justi, et sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris ; quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt ? » Idem lib. meditationum cap. 22 : « Felix anima, inquit, quæ terreno resoluta corpore, libera cœlum petit, secura est et tranquilla, non timet hostem, neque mortem ; habet enim præsentem, cernitque indesinenter pulcherrimum Dominum, cui servivit, quem dilexit, et ad quem tandem lœta, et gloriosa pervenit. » Et cap. 24 : « Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalite jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis. » Denique S. Augustinus epist. 111. existimat Paulum in illo suo raptu vidisse Dei essentiam ; quanto ergo magis credendum, eum hoc sentire de animabus beatorum ?

Jam pro explicatione locorum contrariorum duo notanda sunt. Primum est, Augustinum aliquando dubitasse, non quidem de ipsa visione Dei, et beatitudine, sed de loco ubi sint animæ beatorum, et tamen postea re diligenter considerata id asseruisse, quod nos asserimus : Nam in Psal. XXXVI. ait, animas ante diem judicii non esse in regno cœlorum, sed in sinu Abrahæ, quasi hæc loca distincta sint. In lib. IX. Confessionum cap. 3. indicat se dubitare, cum ait : « Nunc, inquit, vivit Nebridius in sinu Abrahæ : quidquid illud est, quod illo significatur sinu : ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem, Domine, adoptivus ex liberto filius, ibi vivit : Nam quis alius tali animæ locus ? ibi vivit : unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum : Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix etc. » Ecce hic asserit visionem, et fruitionem, et tamen ambigit de loco.

At lib. II. quæst. Evangelicarum cap. 38. (quos libros posterius scripsit, ut ex Retractationum lib. II. colligitur) sic ait : « Sinus Abrahæ requies est beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur. » Et infra : « Sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens assumptus est : quo cum portatum ab Angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem, qua in secretum Patris abscessit, Angeli annuntiaverunt discipulis intuentibus. Dicentes enim : Quid statis intuentes in cœlum ? quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum usque in illud penetrare secretum, quo ibat Dominus, cum in conspectu discipulorum

terretur in cœlum. Jam cætera secundum superiorem expositionem accipi possunt, quia secretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem justorum animæ vivunt cum Deo. » Quid clarius ?

Rursum lib. XX. de Civ. Dei cap. 15. clarissime dicit, Beatos non esse apud inferos, ubi prius erat Lazarus ; proinde correxit, quod dixerat in Ps. XXXVI. sic autem ait : « Si enim non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos, fuisse, donec eos inde sanguis Christi, et ad ea loca descensus erueret. Profecto deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti prorsus inferos nesciunt. » Ex his etiam deducitur apud Augustinum abdita vel secreta receptacula non esse limbum Patrum in inferno, sed secretum Patris in cœlo, et sic explicata remanent tria loca, lib. Enchirid. cap. 108. et lib. XII. Civit. Dei cap. 9. et in Psal. XXXVI.

Nota Secundo, Augustinum existimasse Sanctorum animas videre quidem Deum, sed non ita perfecte, ut videbunt post resurrectionem ; propterea quod naturale desiderium recipiendi corpus non sinat animas toto conatu ferri in Deum et hoc esse discrimen inter Angelos et homines, quod Angeli, cum nihil amplius expectent, toti ferantur in Deum ; animæ Sanctorum partim ad Deum, partim ad corpus respiciant. Id patet ex libro XII. de Genes. cap. 35. ubi posita quæstione : Quid opus sit animæ ad beatitudinem resumptione carnis ? Respondet, quia non potest anima sine carne sic videre Deum, ut vident Angeli : et rationem reddens, ait : quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi : quo appetitu retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud summum bonum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. Itaque non dicit Augustinus, animam a corpore separatam, non posse videre incommutabilem substantiam, sed non posse videre eo modo, id est, tam perfecte, ut Angeli vident, propter causam jam dictam. Pari ratione lib. I. Retract. cap. 14. ubi merito quæri dicit, num Sanctorum animæ sint adhuc in illa possessione beatitudinis, in qua sunt Angeli, explicat seipsum paulo infra, cum ait : « Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant (quia videlicet carent corpore suo, quod naturaliter appetunt) non hic locus est disputando inquirere etc. » Non ergo dubitat, an animæ justorum sint in illa possessione, sed an sint ita, ut nihil eis desit.

Eodem modo respondendum est ad locum illum ex epist. 111. ad Fortunatianum : loquitur enim de perfectissima visione, quam non habebimus, nisi cum æquales Angelis fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum. Nunc enim Sancti non sunt Angelis æquales, cum Angeli toti sint vivi et immortales, Sancti autem partim vivi, partim mortui sint.

Est autem hic notandum, propter hæc loca B. Augustini, Scholasticos quærere ; an gloria animæ major erit post resurrectionem, quam antea, et quidem conveniunt omnes in duobus. Primo, gaudium animæ accidentale futurum majus tam extensive, quia erit in anima, et in corpore ; quam intensive, quia ipsa anima magis gaudebit, quando videbit suum corpus gloriosum, quam nunc, cum illud videt mortuum jacere.

Secundo, gaudium essentiale fore majus extensive, quia nunc est in sola anima, postea autem redundabit in corpus, et efficiet ipsum corpus suo modo gloriosum. Non autem conveniunt de incremento essentialis gloriæ intensive ; nam Magister in IV. sentent. dist. 49. et B. Thomas ibidem quæst. 1. art. 4. B. Bonaventura ibidem art. 1. quæst. 1. Richardus ibidem art. II. quæst. 7. et Marsilius ibidem quæst. 13. art. 3. dicunt gloriam essentialem fore tunc majorem etiam intensive, et de hoc augmento intelligunt Augustinum.

Rationes præcipuæ sunt duæ. Prima, quia anima perfectius esse habet in corpore, quam extra corpus, ergo et perfectius operabitur. Secunda, quia anima separata propter inclinationem ad corpus distrahitur, et impeditur, ne tota intentione feratur in Deum, ergo remoto hoc impedimento, intensius operabitur. At in contrarium D. Thomas prim. 2. quæst IV. art. 5. et Cajetanus ibid. et Durandus in IV. dist. 49. quæst. 7. dicunt, gloriam essentialem non fore majorem intensive, sed extensive solum ; et de isto augmento extensivo exponunt Augustinum ; et ratio eorum est, quia si gloria crescceret intensive, vel id accideret ratione objecti, vel luminis, sive habitus gloriæ, vel potentiæ : non ratione objecti;

vel habitus, quia ista non crescunt, nisi crescat gratia ; gratia autem non crescit in die judicii, quia non est locus novis meritis post hanc vitam : non etiam ex parte potentiæ, quia cum anima in videndo Deum, non pendeat a phantasmate, non pendet ullo modo a corpore, et proinde tam perfecte esse potest operatio ista videndi Deum, in anima separata, quam in anima corpori adjuncta.

Ego dico duo ; Primo, opinionem priorem esse magis ad mentem Augustini, necnon Haymonis in c. 6. Apocalypsis, et Bernardi, de quo infra ; nam Augustinus clare dicit, animæ separatæ deesse aliquid ad videndum Deum perfecte, dum caret corpore. Dico Secundo, opinionem secundam esse simpliciter veriorem, et propterea B. Thomam recte mutasse opinionem. Unde ad Primum pro prima opinione dico, animam non habere melius esse in corpore, quam extra corpus, nisi extensive, quia suum esse communicat corpori ; tum alioqui in se esse animæ semper est idem : nec suscipit magis et minus.

Ad Secundum dico, inclinationem ad corpus, non impedire visionem, vel amorem Dei ullo modo, quia ordinatur ad amorem Dei, tamquam ad finem : sicut amor medicinæ non impedit amorem sanitatis ; alioqui Angeli quando mittuntur ad exteriora, et de illis cogitare coguntur, distraherentur a visione Dei : et ipsa anima quando debebit occupari in administrando corpore, distraheretur etiam magis, quam nunc in appetendo corpus. Adde, quod videtur hoc definitum a Benedicto XII, nam in Extravaganti, Benedictus dicit continuari visionem Dei, quam habent animæ a morte corporis usque ad resurrectionem, et inde usque in æternum : ubi videtur dicere, eam non crescere, neque minui : et Joannes Villanus libr. XI. histor. cap. 19. dicit, Benedictum definivisse animarum gloriam non augendam post resurrectionem, nisi extensive : ita enim testatur se audivisse a Theologis, qui interfuerunt, cum illud a Pontifice definiretur. Hæc de Augustino.

Octavus Pater latinus, fit Prosper, qui lib. I. de vita contemplativa cap. I. « Quia secundum Scripturæ, inquit, sacræ sermonem, tota humana vita tentatio est super terram, tunc est tentatio finienda, quando finitur et pugna : et tunc est finienda pugna, quando post hanc vitam pugnæ succedet secura victoria, ut omnes milites Christi, qui usque in finem vitæ præsentis divinitus adjuti suis hostibus infatigabiliter restiterunt, laboriosa jam peregrinatione transacta regnent fœlices in patria ; cujus hoc erit totum præmium, ut vitæ contemplativæ semel compos effecta inexplebiliter auctorem beatitudinis suæ conspiciat, de illo gaudeat, de illo quod speravit obtineat, et in eo, ad quod sancte vivendo pervenerit, sine fine permaneat. »

Nonus, Maximus Taurinensis, Homilia in Eusebium Vercellensem : « Digne, inquit, in memoria vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum. » Et hom. de S. Agnete : « Ille nobis, inquit, tribuat indulgentiam peccatorum, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam »

Decimus, Leo I. in serm. de S. Laurentio : « Nihil, inquit, obtines, nihil proficis sæva crudelitas, subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, et Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. »

Undecimus, Fulgentius serm. de S. Stephano : « Hodie, inquit, miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad cœlum, idem ad cœli palatium perenniter regnaturus ascendit. » Item : « Hodie Stephanus stola est immortalitatis indutus. »

Duodecimus, Primasius in cap. IX. Hebr : « Cœleste regnum inaccessibile erat mortalibus, quoadusque veniret Christus, qui expleta passione aperiret nobis januam patriæ cœlestis, reserato velo, id est, cœlo. »

Decimus tertius, Gregorius Papa in Psalm. IV. pœnitent. « Beatitudo et animabus Sanctorum ante resurrectionem tribuitur, et corporibus nihilominus post judicium conferetur. » Et lib. IV. Dialog. cap. 25. ex professo id probat.

Decimus quartus, Beda in cap VI. Apocal. « Singulas, inquit, modo stolas habent animæ de sua beata immortalite gaudentes ; resurgentibus autem corporibus juxta Isaiam, in terra sua duplicia possidebunt. »

Decimus quintus, Haymo in eumdem locum : « Prima, inquit, stola est merces Baptismi, præmium martyrii, merces æternorum, gaudium cœlestis beatitudinis etc. »

Decimus sextus, Anselmus in II. Corinth. V : « Prædicatores, inquit, Ecclesiæ, postquam de corporibus exeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, cœlestis patriæ perceptione differuntur, sed mox ut a carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede requiescunt. »

Decimus septimus, Sulpitius in epist. ad Aurelium Diaconum, de obitu B. Martini : « Quamquam sciam, inquit, virum illum non esse lugendum, cui post devictum, triumphatumque sæculum nunc demum reddita est corona justitiæ. »

Decimusoctavus, Bernardus in epistola ad fratres de Hibernia, quæ habetur post sermones de festo omnium Sanctorum, et sermonem de S. Malachia : « Absit, inquit, ut tua nunc, o anima sancta, (Malachiam defunctum alloquitur) minus efficax æstimetur oratio, quando præsenti vividius supplicare est majestati, nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas. Absit ut imminuta, nedum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis pleno hauriens ore, cujus et ipsa prius stillicidia sitiebas. » Quid clarius ? dicit Malachiam non ambulare in fide, at fides non evacuatur, nisi per visionem Trinitatis : dicit eum sic frui fonte charitatis, id est, Deo, quomodo fruitur aquis, qui procumbit ad fontem, et pleno haurit ore. Idem in sermone de S. Malachia, qui habetur ad finem vitæ ejusdem Malachiæ : « Pari, inquit, cum Angelis gloria, et felicitate lætatur. Atqui Angeli semper vident faciem Patris, qui in cœlis est, » Matth. XVIII.

Idem in epist. 266. ad Sugerium Abbatem, qui agebat animam : « Quid tibi, inquit, et terrenis exuviis, qui ad cœlum ituras stola mox indui habes ? » Et infra : « Te exspectat pax illa, quæ exsuperat omnem sensum, te exspectant justi, donec retribuatur tibi, te exspectat gaudium Domini tui. » Ipse vero idem sermone quarto de festo omnium Sanctorum dicit, pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consistere in visione Dei, ut est in seipso.

Præterea in sermone de obitu Humberti : « Ecce, inquit, coram te est, pater dulcissime (Humberte) fons ille puritatis, quem tanto ardore animi sitiebas : ecce immersus es in illum divinæ pietatis abyssum, cujus memoriam abundantiæ suavitatis tam devote eructare solebas. » Item sermone quinto de festo omnium Sanctorum, tractans illud : Covertimini ad me in jejunio, fletu, et planctu ; Quærit, cur Deus in jejunio et fletu inveniatur potius, quam in gaudio et exultatione ; et respondet interrogando : « An vero justus cum in lætitia et exultatione ? qui vero nondum justus est, nonnisi in jejunio, et fletu reperiet ? Ita plane, sed justus, qui jam conspectum meruerit, non qui adhuc vivat ex fide etc. » Ubi admittit, aliquos jam Sanctos non vivere ex fide, sed conspectu Dei frui. Vide etiam quæ scribit in secundo sermone de S. Victore.

Ad loca igitur in contrarium dico, Bernardum Augustini esse discipulum, et cum dicit, Sanctos per resurrectionem visuros Deum, et non antea, non loqui de simplici visione, sed de illa perfecta, quam habebit anima, quando toto impetu feretur in Deum. Et hoc patet ex sermone tertio de festo omnium Sanctorum. Nam posteaquam dixerat, animas sanctas in hac vita esse in tabernaculis, post hanc vitam usque ad resurrectionem futuras in atriis, post resurrectionem futuras in domo Dei, id est, in beatitudine, pergit explicans, et explicat : « Acceperunt jam singulas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos. Stola enim prima ipsa est fœlicitas, et requies animarum : secunda vero immortalitas, et gloria corporum etc. »

Vides hic in resurrectione nihil addi animabus per se nisi gloriam corporis, et proinde gloriam animæ, quæ est visio Dei, datam esse ante resurrectionem. Dixi autem per se, quia secundum Bernardum, addetur etiam gloria animæ, sed non per se. Consequetur enim perfectior visio ex eo, quod anima nihil amplius desiderans tota feretur in Deum. Id quod explicat Bernardus in sequentibus verbis : « Animæ sanctæ, inquit, quas propria Deus insignivit imagine, te (caro) desiderant : ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. » His adde S. Thomam opusculo contra Græcos et Scholasticos, ad finem IV. sent. distinct. 49.

Habemus igitur sententiam Ecclesiæ, fuisse sententiam omnium Patrum Latinorum, excepto Tertulliano, Lactantio, et Victorino, ex quibus Tertullianus hæresiarcha fuit. Lactantius in plurimos errores lapsus est, præsertim circa futurum sæculum, cum esset magis librorum Ciceronis, quam Scripturarum sanctarum peritus. Victorinus Martyr quidem fuit, sed B. Hieronymo teste in epistola ad Magnum, ei eruditio defuit, licet eruditionis voluntas non defuerit.

CAPUT VI.

Idem confirmatur rationibus, quæ tamen in Scripturis fundamentum habent.

Addamus postremo argumenta ex ipsa ratione petita. Prima ratio sumi potest ex supplicüs damnatorum. Siquidem Deus non est pronior ad puniendum, quam ad remunerandum : Quare cum impii jam nunc in tormentis sint, æquum certe videtur, ut etiam justi præmia eum percipiant. Esse autem nunc impios in tormentis, Evangelium testatur; nam Luc. XVI. legimus : *Dives autem cum in tormentis esset etc* (1). Respondent Græci, illam esse parabolam, et continere futurorum narrationem ; sed ad majorem efficaciam narrari futura tamquam præsentia.

Contra ; Primo, non videtur esse parabola, sed historia, tum quia in ea ponuntur nomina propria Lazari et Abrahæ ; tum etiam, quia Ecclesia colit Lazarum illum, ut vere sanctum hominem ; tum denique, quia historiam esse dicunt Ambrosius in cap. XVI. Lucæ, Hieronymus lib. II. in Jovinianum, Augustinus de cura pro mortuis, cap. 14. Gregorius lib. IV. Dialog. cap. 29.

Secundo, etiamsi parabola esset, non potest significare res futuras post diem judicii, sed rem præteritam, vel præsentem. Nam dives ait : *Rogo te pater Abraham, ut mittas Lazarum ad fratres meos etc.* Et Abraham respondet : *Habent Moysen, et Prophetas, audiant illos.* At post diem judicii non erunt homines in hoc mundo, nec poterunt Mosem et Prophetas audire ; Igitur si narratio illa parabolica sit, ostendit tamen jam nunc animas esse in pœnis ; alioqui nec vera, nec verisimilis esset.

Secunda ratio, tota Ecclesia invocat Sanctos post Christi adventum, et omnes Patres Græci et Latini docent, Sanctos esse invocandos : cum tamen ante Christi adventum non legatur id fieri solitum esse. At si Sancti essent etiam nunc sub terra in sinu Abrahæ, non differentem statum a statu Sanctorum Testamenti veteris haberent.

Tertia ratio, ut Basilius notat initio orationis in sanctum Barlaam, ante Christi adventum Sanctorum mors deflebatur ; at post Christi adventum summa cum lætitia celebramus dies mortis Sanctorum Quare hoc? nisi quia tunc mori miseria erat, nunc est felicitatis initium. Et confirmatur ; nam diem mortis nunc vocamus diem natalem, quia videlicet Sancti morientes in terris, nascuntur in cœlo.

Quarta ratio ex visionibus eorum, qui viderunt animas aliquas in tormentis Gehennæ, alias in Purgatorio, alias in paradiso. Vide Gregorium lib. IV. Dialog. cap. 37. et Bedam lib. V. histor. cap. 13.

Quinta ratio, Sancti habent nunc meritum vitæ æternæ, vel si non habent, numquam habebunt, quia post finem vitæ non est locus novis meritis, et nullum est impedimentum, quo minus vitam æternam nunc habere possint, cum cœlum antea clausum nunc patent ; igitur fatendum est, eos jam nunc præmium suum accepisse.

Sexta ratio, Deus Levit. XIX. scribi jussit : *Non morabitur apud te opus mercenarii tui usque mane* (2) ; ergo ne Deus contrarius sibiipse videatur, non retinebit mercedem Sanctorum usque ad mundi consummationem.

Septima, Proverb III : *Spes quæ differtur, affligit animam* (3), at non convenit, ut ii affligantur, qui nullum habent peccatum.

Ex his solvuntur argumenta opposita. Ad primum dico, diem judicii generalis futurum, et tunc reddendum unicuique secundum opera sua : sed tamen ante illud judicium præcessisse aliud particulare, in quo etiam redditum est unicuique secundum opera ejus. Neque ista inter se pugnant, nam in priore judicio reddantur præmia privatim, in posteriore publice, et manifeste ; quemadmodum dies judicii generalis dicitur dies Domini, non quod alii dies non sint Domini, sed quia ille erit manifeste dies Domini, atque adeo manifestus, ut nemo Epicureus, sed vel Atheus sit, qui tunc non sit confessurus, eum esse diem Domini. Et quomodo apud mercatores certus quidam dies vocatur dies solutionis, non quod aliis diebus non solvantur debita, sed quia ille dies ad hoc tantum constitutus est, ut fiant solutiones : sic etiam quædam dies dicitur dies judicii et retributionis, non quod aliis diebus Deus non judicet, et retribuat, sed quia ilia dies ad hoc tantum constituta est, ut fiat judicium et retributio.

(1) Luc. XVI. 23. — (2) Levit. XIX. 13. — (3) Prov. XIII. 12.

Dices, At videtur frustra futurum judicium, si jam sunt reddita præmia ; quid enim refert, sive palam, sive clam reddita sint?

Respondeo, non erit frustra. Sunt enim quinque causæ, ob quas fiet judicium generale, etiamsi præcesserit judicium particulare. Prima est, ut ostendatur Dei justitia, et misericordia. Omnia enim Deus facit propter gloriam suam demonstrandam, sed tamen nunc non ita aperte ostendit, quin inveniantur, qui Deum injustitiæ accusent, vel nullam habere eum providentiam credant, cum videant bonos affligi, malos gaudere ; ideo Deus elegit sibi unum diem, in quo coram toto mundo ostendat summam suam justitiam in impios, et summam misericordiam in pios, et simul ostendat se cum summa misericordia erga justos, nulla uti crudelitate, vel injustitia in impios : et cum summa severitate erga impios nulla uti acceptione personarum, vel iniqua liberalitate erga pios.

Secunda causa est, ut clarificetur filius hominis ; pertinet enim ad gloriam Christi, ut qui in primo adventu, tamquam reus injuste judicatus est, iterum appareat gloriosus, et judex, et impleatur illud Isaiæ XLV: *Vivo ego, quia mihi curvabitur omne genu* (1), quod Paulus Rom. XIV. de Christo judicaturo exponit.

Tertia est, ad laudem bonorum, ignominiam vero malorum. Vult enim Deus, ut Sancti, qui in certaminibus suis spectaculum facti sunt mundo, Angelis, et hominibus : sic etiam coram toto mundo, omnibus Angelis, et hominibus victores pronuntientur. Ideo Paulus, ubicumque de judicio loquitur, istam causam afferre solet, ut Roman. II. I. Cor. IV. et alibi.

Quarta est, ut totus homo judicetur, et præmium suum recipiat ; nunc enim solum animæ judicantur, et partem præmii accipiunt.

Quinta, quia nondum sunt finita opera bona et mala defunctorum. Adhuc enim Lutherus male agit corrumpendo libris suis mentes hominum : et B. Paulus adhuc bene operatur exemplo et scriptis, id quod eleganter deducit Basilius in libro de virginitate, ante medium, ex illis verbis I. Timoth. V : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium ; quosdam vero subsequuntur* (2). Quia igitur tunc finientur opera mala et bona, quando finietur mundus, ideo tunc ultima feretur sententia.

Ad secundum dico, nullam esse injustitiam, quod animus sine corpore beatificetur ; nam animus et corpus non sunt duo supposita, quales sunt duo sodales, ita ut uni fiat injuria, si prius altero remuneretur ; sed sunt unum suppositum tantum ex duabus partibus compositum : hoc autem unum suppositum mavult secundum alteram partem interim beari, quam secundum neutram, et proinde nulla ei fit injuria ; volenti enim non fit injuria, sed invito. Dico secundo, etiamsi animus et corpus duo supposita essent, tamen adhuc nulla fieret injuria corpori, dum solus animus beatur ; nam ad opera bona et mala, anima concurrit principaliter, corpus solum instrumentaliter, imo ad ipsam essentiam meriti et demeriti, non concurrit nisi sola anima. Consistit enim meritum et demeritum in electione voluntatis, quæ electio a sola anima procedit, et in sola anima sedem habet. Dico tertio, etiamsi animus et corpus æque principaliter concurrerent ad opera bona et mala ; tamen adhuc non esset injustum coronari animam ante diem judicii, et non corpus, quia anima separata capax est gloriæ, et coronæ, corpus autem separatum non est capax.

Ad tertium dico duo. Primo, Christi animam ante resurrectionem corporis sui non ascendisse quidem ad cœlum corporeum, tamen fuisse in paradiso cœlesti formaliter, id est, fuisse beatam et gloriosam ; quod si hoc tribuere vellent adversarii animabus Sanctorum, non essemus multum solliciti de cœlo isto corporeo. Dico secundo, Christum moriendo, quiescendo, resurgendo et ascendendo in cœlum fuisse exemplar nostrum quantum ad corpus ; nos enim primo morimur, secundo quiescimus in sepulchro, tertio resurgemus, ultimo ascendemus in cœlum corporaliter, sicut Christus fecit. Quod autem Christi anima descenderit ad inferos, priusquam ascenderet in cœlum, non pertinet ad exemplar ; non enim Christus ad inferos descendit, ut nobis viam ad inferos demonstraret, vel ut ibi pararet nobis locum, sed ut animas, quæ ibi erant, educeret, ac infernum destrueret, ne animæ Sanctorum deinceps eo deducerentur.

(1) Isai. XLV. 24. — (2) I. Tim. V, 24.

Ad quartam rationem, quæ sumebatur ex pœna dæmonum, respondeo, dæmones multos nondum esse demersos in abyssum, sed in aere hoc nostro caligineso versari ad exercitationem hominum : unde Apostolus ad Ephes. II. eos vocat principes aeris hujus. Nihilominus tamen omnes dæmones jam nunc puniri, tam pœna damni, quam pœna sensus; non enim sunt hominibus meliores, et tamen hominum impiorum spiritus jam demonstravimus luere pœnas Gehennæ, ac propterea, cum sanctos Angelos, qui in veritate steterunt, ex Evangelio constet semper videre faciem Dei, cur non etiam consequens sit, ut Angeli rebelles judicium Dei sustineant? Quare recte Beda in commentario c. 3. epist. S. Jacobi scribit, quocumque dæmones volitent, eos ubique suam Gehennam circumferre. Et S. Augustinus lib. de corrept. et gratia, cap. 10. ac S. Prosper lib. I. de vita contemplativa, dæmones jam judicatos ac miseros effectos docent.

Sunt tamen plura Sanctorum testimonia, quæ videntur asserere dæmones non esse torquendos pœna Gehennæ ante diem judicii. Justinus in Apolog. 1 et 2. sæpius repetit, dæmones igni sempiterno tradendos, nondum tamen traditos. Irenæus lib. V. ultra medium, dicit Diabolum ante Christi adventum numquam blasphemasse Deum, quod ignoraret adhuc suam damnationem, sed a Christo et Apostolis tandem didicisse, ignem æternum sibi esse paratum : quam sententiam idem Irenæus a Justino se accepisse significat. Eamdem tanquam Justini sequitur Œcumenius in cap. ultimum primæ Petri. Epiphanius in hæresi Sethianorum affirmat, dæmones non modo damnationem suam ignorasse, sed etiam salutem per Christi adventum sperasse : sed cum viderent, nihil a Christo pro dæmonibus fieri, tum demum de salute desperasse, et per hæreticos Deum blasphemare cœpisse.

S. Antonius apud Athanasium in vita ejusdem Antonii : « Non ignorat, inquit, dæmon futura tormenta, et æstuantis Gehennæ novit incendia. » Similem sententiam de futuris tormentis dæmonum habent etiam infra scripti patres; Ambrosius in comment. cap. VIII. Lucæ, Hieronymus, et Chrysostomus in cap. VIII. Matth. Augustinus lib. VIII. civitate Dei, c. 23. et lib. I. de nup. et concup. cap. 23. Gregorius lib. IV. moralium, cap. 10. et lib. IV. Dialog. cap. 29. Theodoretus in epitome divinorum decretorum, cap. de dæmonibus, et Bernardus in serm. de S. Malachia. Sed Justini, Irenæi, Epiphanii, atque Œcumenii sententiam non video, quo pacto ab errore possimus defendere. Cæteri autem Patres duo quædam affirmant, quæ verissima sunt, dæmones in die judicii ex hoc aere in abyssum præcipitandos, et eos adhuc exspectare futura tormenta.

Cæterum non oportet inde colligere, eos hoc tempore non torqueri; nam etsi vere torqueantur, et secum Gehennam portent, ut ait Beda, tamen pœnarum suam plenitudinem in die judicii habebunt, quando inferorum carceribus concludentur; quod pœnarum complementum adeo timent, ut in exorcismis nulla re magis torqueri videantur quam comminatione futuri judicii; quæ etiam causa est cur exorcismi fere concludi soleant : « Per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. »

Cur autem adeo trepident illam detrusionem in abyssum, hæ causæ esse videntur. Prima, quia non poterunt amplius hominibus nocere. Secunda, quia non amplius extorquebunt ab illo cultum Deo debitum, ut modo faciunt, dum ab Ethnicis et Necromanticis adorantur. Tertia, quia tunc patebunt eorum fraudes, et debilitas, cum omnes intelligent, eos a viris, fœminis, pueris, superatos. Quarta, quia non solum a Deo, sed etiam ab hominibus judicabuntur; nam etiam Angelos judicabimus, teste Paulo, I. Corinth. VI.

CAPUT VII.

Sanctos recte ab Ecclesia canonizari.

Sequitur nunc altera quæstio, quæ est de Canonizatione, quæ quatuor capitibus continetur. Primum enim explicandum est, an sint Sancti canonizandi. Deinde, cujus sit officium eos canonizare. Tum, situe infallibile judicium ejus qui Sanctos canonizat. Postremo, an liceat Sanctos nondum canonizatos colere.

Sed antequam ad ista capita veniamus, explicandum est breviter, quid sit canonizatio. Igitur canonizatio nihil est aliud, quam publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate, et gloria alicujus hominis jam defuncti : et simul est judicium ac sententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant. Qui quidem honores (ut in sequentibus disputationibus demonstratur) septem esse solent.

Primum enim qui canonizantur, inscribuntur in Catalogo Sanctorum, id est, statuitur, ac jubetur, ut ab omnibus publice habeantur, et dicantur Sancti. Secundo, invocantur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertio, templa et aræ in eorum memoriam dicantur Deo. Quarto, sacrificia tam Eucharistiæ, quam laudum, et precum, quod vulgo officium, sive horæ canonicæ nuncupatur, in honorem eorum Deo publice offeruntur. Quinto, dies festi in eorum memoriam celebrantur. Sexto, pinguntur eorum imagines, addito certo quodam lumine ad formam diadematis, in signum gloriæ, quam habent in cœlis. Septimo, eorum reliquiæ preciosis thecis includuntur, et publice honorantur.

His ergo præmissis, utile esse Sanctos canonizari, his argumentis demonstrari potest. Primo, quia Deus ipse voluit a sanctis Scriptoribus annotari in particulari gloriosam vitam, et mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, ut patet de Ecclesiastico, qui cap. XLIV. et sequentibus canonizavit plurimos Sanctos, ut Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moysem, Aaronem, Phinees, Josue, Caleb, Samuelem, Davidem, Eliam, Elisæum, etc. Item in Testamento novo S. Lucas in Actis canonizavit S. Stephanum, et Jacobum majorem, necnon Petrum, Paulum, Barnabam, Silam, et alios : igitur credibile est, eodem modo Deum velle, ut deinceps fiat.

Secundo, tenemur Sanctos honorare, et audare, tum quia Scriptura hoc jubet, Ecclesia. XCIV : *Sapientiam ipsorum*, inquit, *narrent populi, et laudem eorum nuntient Ecclesiæ* (1) : tum quia virtus ipsorum hoc meretur. Est enim quasi naturale præmium virtutis honor : tum denique quia id nobis utile est ad plurima beneficia eorum intercessione promerenda : At nisi sciamus, qui sint veri Sancti, et qui non, non possumus eos colere, ut oportet.

Tertio, probatur ex ratione imitationis. Sancti enim sunt exempla quædam virtutum, et norma rectæ vitæ, et quasi luceruæ quædam a Deo accensæ, ut omnibus aliis præluceant. Unde Paulus ad Hebræos XIII : *Mementote*, inquit, *præpositorum vestrorum, qui locuti sunt vobis verbum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (2). At non possumus accendi ad imitationem, nisi in particulari sciamus, qui sint imitandi, et quid illi egerint, aut passi sint. Et lucerna in candelabro poni debet, id quod fit per canonizationem.

Quarto, ex conjunctione, quam cum illis habemus. Siquidem sumus membra unius corporis, et membra invicem compatiuntur, et congaudent; oportet ergo eos nobis compati, et pro nobis sollicitos esse, quod sine dubio faciunt, etiam in particulari, ut infra docebimus, et e contrario nos illis congaudere, et pro illorum gloria Deo gratias agere, quæ sine particulari notitia fieri non possunt.

Quinto, ex incommodis : nam nisi judicio Ecclesiæ certi Sancti proponerentur colendi facile fieri posset, ut populus sæpe erraret, et damnatos pro beatis coleret : ut accidit tempore sancti Martini. Scribit enim Sulpitius, quod cum populus quidam coleret nescio quem hominem mortuum, pro Martyre, et B. Martino suspecta esset illa religio, quod nihil certi a majoribus de Sancto illo accepisset, tandem oranti Martino apparuit anima ejus, qui ibi colebatur, et confessa est, se animam damnatam esse latronis cujusdam, qui pro suis sceleribus extremi supplicii pœnas luerat. Idem accidit tempore Alexandri III. ut patet ex cap. Audivimus, extra de reliquiis, et Sanctorum veneratione, ubi reprehendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum pro Martyre venerabantur.

CAPUT VIII.

Cujus sit Sanctos canonizare.

De secundo, ad quem videlicet pertineat auctoritas Sanctos canonizandi, notandum est, duobus modis posse aliquem canonizari. Uno modo particulariter, ita ut solum in una provincia, aut diœcesi habeatur Sanctus, et colatur pro Sancto. Alio modo gene-

(1) Eccl. XLIV, 15. — (2) Hebr. XIII, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

raliter, ita ut in tota Ecclesia habeatur pro Sancto, nec ulli liceat de ejus sanctitate dubitare.

Primo modo canonizare poterat quilibet Episcopus, ut docet Thomas Waldensis, libro de Sacramentalibus, tit. XIV. cap. 122. et patet tum ex Cypriano lib. III. epist. 6. ubi jubet ad se scribi, cum aliquis Martyr de hac vita exit, ut statim possit ejus memoriam sacrificiis celebrare, et singulis annis postea diem ejus natalem colere: tum etiam ex multis Sanctis, quos ita colunt quædam provinciæ, ut tamen ignoti sint penitus aliis provinciis. Unde in Concilio Florentino, sess. VII. dicunt Latini, Simeonem Metaphrastem in Ecclesiis Græcorum pro Sancto coli, cujus apud Latinos nulla unquam memoria exstitit. Tamen hoc, quod olim licuit, modo non licet. Siquidem Alexander III. et postea Innocentius III, videntes abusus, qui oriebantur circa Sanctorum cultum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro Sancto coli inciperet, sine Romani Pontificis approbatione, ut patet cap. 1. et 2. de reliquiis, et Sanctorum veneratione.

Secundo modo canonizare, id est, ita ut in tota Ecclesia Sancti habeantur, communis sententia est, pertinere ad summum Pontificem: nam id habetur cap. Audivimus, et cap. Cum ex eo, de reliquiis, et veneratione Sanctorum, et cap. Venerabili, de testibus et attestationibus; et patet etiam ratione; nam ad eum spectat proponere toti Ecclesiæ quid sit credendum, et quid agendum in iis, quæ sunt religionis, qui toti Ecclesiæ præst. Item ex contrario, declarare, qui sint hæretici, ita ut a tota Ecclesia pro talibus habeantur, est summi Pontificis, ut ante ostendimus, ergo declarare qui sint Sancti, et colendi, ejusdem erit summi Pontificis.

Dices, plurimi Sancti sunt, qui in tota Ecclesia coluntur, quos non canonizavit summus Pontifex. Primus enim Pontifex (ni forte fallor) qui Sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo Papa III. de quo sic scribit sanctus Ludgerus in epistola de miraculis sancti Suiberti, cap. 9. in II. tomo Surii: « Tandem devota instantia Caroli (Magni) et Hildebaldi Archipræsulis Coloniensis, venit a Colonia idem Papa Werdam et ibi post alias solemnitates sanctum Suibertum solemniter Catalogo sanctorum Confessorum adscripsit pridie Nonas Septembris. » Hanc primam legi solemnem canonizationem, ante quam fortasse fuerunt etiam aliæ, sed non mihi constat: Postea autem Innocentius II, canonizavit sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolis, ut patet ex epistola ejusdem Pontificis ad Priorem Carthusiæ datam, apud Surium, tom. II. Inde vero Alexander III, B. Bernardum in Sanctos retulit, ut habetur ad finem librorum de vita ejusdem Bernardi. A quo tempore omnes alii, qui Sancti sunt habiti, ut Thomas Cantuariensis, Dominicus, Franciscus, et alii, a Pontificibus in numerum Sanctorum relati sunt. Quid ergo dicemus de tot Sanctis, qui ante ea tempora colebantur in Ecclesia.

Respondeo, Sanctos veteres cœpisse coli in Ecclesia universali, non tam lege aliqua, quam consuetudine. Sed sicut consuetudines aliæ vim habent legis ex tacito consensu Principis, et sine eo nullam vim habent, ut patet ex B. Thoma, 1. 2. quæst. XCVII. art. 3. ita Sancti alicujus cultus, ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita vel expressa summi Pontificis.

CAPUT IX.

Credendum esse, Pontificem non errare in Sanctorum canonizatione.

De tertio duæ sunt sententiæ. Prior est hæreticorum, posse Pontificem errare in Sanctorum canonizatione. Ita Joannes Wiclef, ut refert Thomas Waldensis tom. III. de Sacramentalibus, c. 122. ubi dicit, non minus in hac re posse Papam errare, quam Presbyterum Joannem Regem Æthiopiæ, vel Turcam, aut Sultanum. Idem sentire Lutheranos, et Calvinistas certum est, cum in aliis similibus rebus nullam fere Pontifici tribuant auctoritatem.

Altera est Catholicorum, asserentium, certum esse Ecclesiam non errare in Sanctorum canonizatione, ita ut sine ulla dubitatione sancti ab Ecclesia canonizati venerandi sint. Probatur hæc. Primo, quia si liceret dubitare, an Sanctus canonizatus sit sanctus, liceret etiam dubitare, an sit colendus: at hoc est falsum. Siquidem S. Augustinus in epist. 118. dicit, insolentissimæ insaniæ esse disputare, an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit. Item ex Bernardo in epist. 174 ad Canonicos Lugdunenses, ubi loquens de colendis festis in honorem Sanctorum, dicit: « Ego quæ accepi ab Ecclesia, securus teneo, et trado. » Præterea, omnes veteres sine ulla dubitatione Sanctos coluerunt, et colendos asseruerunt. Denique tenemur obedire Pontifici indicenti diem festum alicujus Sancti; nec tamen possumus contra conscientiam aliquid agere: ergo non possumus dubitare, an sit colendus ille, qui ab Ecclesia est canonizatus.

Secundo, ex incommodis duobus; nam in primis fraudarentur non Sancti suffragiis vivorum; nam pro canonizatis non licet orare. Ut enim Augustinus dicit, serm. 17. de verbis Apostoli: « Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre; » et idem intelligendum de omnibus Sanctis canonizatis, docet Innocentius, cap. Cum Marthæ, de celebrat. Missarum: at si in hoc Ecclesia erraret, defraudaret eum, qui habetur Sanctus, et non est, quicumque non oraret pro eo. Deinde fraudarentur etiam viventes intercessionibus Sanctorum, invocarent enim sæpe damnatos pro beatis, si Ecclesia in hoc erraret. Præterea Ecclesia peteret sibi maledictionem pro benedictione, cum in orationibus Sanctorum petit, ut sicut illos Deus glorificavit in cœlis, sic nobis gratiam largiatur in terris. Et quamvis eam maledictionem non peteret nisi materialiter, tamen hoc ipsum absurdum videtur.

Tertio, miracula magna, et diligenter examinata, faciunt rem evidenter credibilem, ut alibi ostendimus: at Sancti a Pontifice non canonizantur ordinarie, nisi claruerint magnis et certis miraculis et confirmatur. Nam si credimus sine ulla hæsitatione Cæsarem, et Pompeium fuisse, quia id testantur communi consensu historici, qui tamen homines fuerunt, et mentiri potuerunt; cur non credimus sine hæsitatione, quod testatur Deus ipse per miracula, quando nulla est ratio suspicandi contrarium?

Quarto, probatur ex præparatione; nam antequam Sancti canonizentur, indicuntur jejunia, et preces publicæ, et tota res diu, et diligentissime examinatur: non est autem credibile, Deum non adesse Ecclesiæ suæ sic dispositæ, et supplicanti.

Ultimo, probatur a posteriori, quia in aliis rebus, in quibus Pontifices errare possunt, aliquando reipsa deprehenduntur errores: at in hoc nullus usquam error deprehensus est.

Sed objiciunt quidam locum Augustini: « Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in Gehenna. » Respondeo, locum hunc fortasse non esse Augustini; nusquam enim in ejus operibus eum reperire potui: præterea intelligi posse de impiis, qui honorantur superbissimis sepulchris, cum tamen animæ torqueantur in Gehenna; vel de corporibus Sanctorum non canonizatorum; vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus Sanctorum; vel denique de Martyribus Donatistarum, qui honorabantur ab hæreticis ut Martyres, cum eorum animæ revera torquerentur in inferno. De hujus capitis argumento vide quæ habet B. Thomas, quodlib. 9. quæst. ult. art. ult. Augustinus de Ancona in summa de potestate Ecclesiæ, quæst. 14. art. 4. Joannes Driedo, lib. IV. cap. 1. de Ecclesiast. dogmatibus, B. Antoninus 3. parte, tit. XII. cap. 8. summæ Theolog. Cajet. tract. de indulgent. ad Julium, c. 8. Sylvester verbo, Canonizatio. Canus lib. V. de locis, cap. penult.

CAPUT X.

Sanctos non canonizatos privatim posse coli, non publice.

De quarto, an liceat colere non canonizatum, respondeo, licere privato cultu, non publico, ut Doctores communiter affirmant in cap. 1. et 2. de reliquiis, et veneratione Sanctorum. Siquidem summus Pontifex eo loco prohibet publicum cultum, ergo a contrario privatum censetur permittere. Vocamus autem publicum cultum, non eum, qui coram aliis exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, et tanquam ab Ecclesia institutus exhibetur.

Ex quo intelligimus, quid sit dicendum de illis septem honorum generibus antea enumeratis. Nam quantum ad primum, licet non canonizatum credere et vocare sanctum, non tamen prædicare eum tanquam ab Ecclesia inscriptum Sanctorum Catalogo.

Quantum ad secundum, licet invocare non canonizatum, etiam aliis audientibus, ut pa-

tet ex Hieronymo in vita Paulæ, et Gregorio Nazianzeno in vita Athanasii, et Basilii, uterque enim invocat quos laudat ante canonizationem. Præterea oramus viventes, etiamsi nesciamus esse sanctos, cur non defunctos, quando majori ratione confidimus esse sanctos? At non liceret in publicis Litaniis, et sacro officio id facere.

Quantum ad tertium, et quartum, non videtur licere ullo modo, eos honores sanctis non canonizatis deferre; nam templa, et altaria, et sacrificia sunt ex natura sua publici cultus. Nullum est enim sacrificium in Ecclesia, nisi commune, et a Deo ipso institutum: templa autem, et altaria ad sacrificium referuntur.

Quantum ad quintum, non licet publicum festum celebrare, liceret tamen in die natali sancti non canonizati peculiariter lætari, et Deo vacare in memoriam ejus. Quod fecisse etiam veteres cognosci potest ex Joanne Cassiano, collat. XIX, cap. I.

Quantum ad sextum, licet imaginem pingere, et venerari, non tamen in templo constituere eo modo, quo aliorum Sanctorum.

Quoad septimum, non licet reliquias non canonizati hominis in templo constituere publice honorandas; licet tamen eas habere, et venerari, etiam aliis videntibus, modo scandalum absit; id enim habet praxis Ecclesiæ; nam enim ac Martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias rapiendas; et similiter quando moriuntur homines clari sanctitate, multi devote osculantur manus, et pedes, et de vestibus eorum pro reliquiis servant; nec id unquam prohibitum fuit. Præterea si licet honorare viventes, quos credimus sanctos, cur non mortuos?

Atque hæc pauca de canonizatione sufficiant. Si quis plura videre desiderat, legat Augustinum Triumphum in summa de potestate Ecclesiæ, et Trollum Malvezium in libro de canonizatione.

CAPUT XI.

Proponitur quæstio de cultu Sanctorum cum argumentis adversariorum.

Expeditis quæstionibus de gloria, et canonizatione, sequitur recto ordine controversia de cultu. Fuit antiqua hæresis Eustachii apud Socratem, lib. II histor. cap. 33. Eunomii, et Vigilantii apud Hieronymum, Claudii Taurinensis apud Jonam Aurelianensem, et Wiclefi apud Thomam Waldensem, tom. III de Sacramentalibus, tit. XIII. Sanctos non esse colendos: quæ rursum per Calvinistas, et Lutheranos renovata est; nam Magdeburgenses Centur. I. lib. II, cap. 4, col. 340. dicunt omnem Sanctorum adorationem esse idololatriam. Pari ratione Calvinus lib. I. Institut. cap. 11, §. 11. et cap. 12, §. 1 et 2. non patitur ullum cultum exhiberi sanctis Angelis, vel hominibus defunctis, neque parvum, neque magnum. Argumenta vero ejus hæc sunt.

Primum, duplex est honor: unus civilis, quo honoramus potentes, et sapientes homines: alter religionis, qui Deo soli convenit: sed Angelis, et sanctis hominibus non convenit honor ille civilis, ut notum est, cum non versentur nobiscum civiliter: honor autem religionis non potest eis tribui, quia religio est cultus Dei. Atque hac sua distinctione eludit Calvinus argumenta Catholicorum, cum probant posse creaturas adorari exemplo Abrahæ, qui adoravit filios Heth; et Jacobi, qui adoravit fratrem suum Esau; et filiorum Israel, qui adoraverunt Joseph; vult enim istos omnes fuisse civiles.

Secundum argumentum: Si Sanctis deberetur cultus aliquis religionis; certe dulia, non latria, ut Catholici docent: at ineptum est dicere, Sanctos coli, et non latria; nam cum latria significet cultum, colere sine latria, est colere sine cultu. Deinde plus est δουλεύειν quam λατρεύειν; nam δουλεύειν est servire, λατρεύειν est colere, minus autem est colere aliquem, quam ei servire, colimus enim pares, ut amicos, et collegas, non autem servimus, nisi dominis.

Confirmari potest hoc argumentum ex Laurentio Valla, et Theodoro Beza, qui in annotationibus ad cap. IV Matth. docet, latriam et duliam idem significare, et confundi tam in Scripturis, quam apud profanos auctores; nam Levit. XXIII: *Opus servile non facietis*, semper est in Græco ἔργον λάτρευτον οὐκ ποιήσετε, et contra Rom. VII: *Ut serviamus in novitate spiritus* (1), est in Græco ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος. Itaque dicitur latria de opere etiam in usum hominis, et dulia de cultu Dei. Item apud Xenophontem lib. III. Cyropediæ ponitur λατρεύειν pro obsequio ancillæ erga dominum, et paulo post idipsum dicitur δουλεύειν: quare Augustinus quæst. 94. in Exodum dicit, tam latriam, tam duliam Deo tribui, latriam ut Deo, duliam ut domino.

Tertium argumentum Calvini ex Scripturis, Deuter. VI: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies*; cui simile est illud Pauli. I. Tim. I: *Soli Deo honor et gloria* (2). Item Matth. IV. cum Diabolus non meminisset latriæ, sed solum postulasset προσκύνησιν, id est, inclinationem aliquam, Dominus eum repulit dicens: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Ubi ostendit, non posse creaturæ inclinationem ullam religionis causa deferri, quin illa ad idololatriam pertineat. Item Galat. IV: *Ea qui natura non sunt Dii, serviebatis* (3), in Græco est, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς; ergo dulia non potest tribui, nisi illi qui natura Deus est.

Quartum argumentum ab exemplis Scripturarum; nam Esther XIII. Mardochæus noluit se inclinare coram Aman; et rationem reddens, ait: *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo*. Item Act. X cum Cornelius adoraret Petrum, prohibuit Petrus, dicens: *Surge, et ego ipse homo sum* (4). Nec tamen credibile est, aut Aman voluisse adorari ut Deum, aut Cornelium voluisse Petrum adorare ut Deum. Item Act. XIV. Paulus, et Barnabas prohibuerunt Lycaonibus, ne se adorarent. Denique Angelus Apocal. XIX Joanni adoranti se, ait: *Vide ne feceris, conservus tuus sum, Deum adora* (5). Et tamen non ignorabat Angelus sibi a Joanne non latriam, sed duliam exhiberi.

Quintum ex Patribus Athanasius serm. III contra Arianos ante medium, docet, neque Angelos, neque homines sanctos adoratione colendos esse. Epiphanius in hæresi Collyridianorum sæpius repetit, Mariam non esse adorandam, sed solum Deum. Ambrosius in cap. I. ad Rom. reprehendit eos, qui adorant conservos. Augustinus lib. de vera religione, cap. 55, : « Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. » Et infra idem dicit de cultu Angelorum. Hæc ille.

CAPUT XII.

Explicatur sententia Catholica.

Nunc explicanda est sententia Catholicorum; de qua re Theologi tractant in III. sent. dist. 9. Est autem primo loco observandum, adorationem tres actus complecti. Primo, actum intellectus, quo apprehendimus excellentiam alicujus. Secundo, actum voluntatis, quo nos illi interius inclinamur, et aliquid volumus facere actu interiore, vel exteriore, quo protestemur ejus excellentiam, et nostram subjectionem. Tertio, actum exteriorem, quo caput inclinamus, vel genuflectimus, vel aliquod aliud signum subjectionis ostendimus. Ex quibus actibus secundus est maxime proprius, et essentialis; nam primus actus potest esse sine adoratione; tertius etiam cum irrisione.

Secundo observandum est, tot esse species adorationis, sive cultus, quot sunt species excellentiæ, ut D. Thomas docet, 2.2. quæst. CIII, art. 3. honor enim, sive cultus debetur personæ propter excellentiam ejus. Sed, quod ad præsens institutum pertinet, tres sunt species excellentiæ. Prima est excellentia divina, et infinita, cui respondet prima species cultus, qui a Theologis dicitur latria.

Secunda est excellentia humana, seu naturalis, quæ posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus etc. Cui respondet secunda species cultus, quæ dici potest cultus civilis, et observantia quædam humana, quamquam hæc in alias multas species dividi potest, ut Aristot. docet, lib. IX. Ethic.

(1) Levit. XXIII, 7; Rom. VII, 6. — (2) Deut. VI, 13; I. Tim. I, 17. — (3) Matth. IV, 10; Galat. IV, 8. — (4) Esther. XIII, 14; Act. X, 26. — (5) Apoc. XIX, 18.

cap. 2. nam alius honor debetur patri, alius principi, alius præceptori, alius sapienti, vel erudito etc.

Tertia est excellentia quædam media inter divinam et humanam, qualis est gratia et gloria Sanctorum; ista enim sunt dona supernaturalia, et excellentissima, et huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quam Theologi vocant duliam. Et quia inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad Verbum; et similiter B. Virgo, ut mater filii Dei ita præstat aliis Sanctis, ut dici possit Domina et Regina nostra, quod aliis Sanctis non convenit, nisi admodum imperfecte; ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam proprie dictam, et hyperduliam, tribuentes illam Sanctis cæteris, istam soli humanitati Christi, et matri ejus.

Tertio observandum est, has tres adorationis species non esse univocas, sed analogas, ut enim excellentia non dicitur univoce de excellentia Dei, et creaturarum, ita cultus debitus ob excellentiam, non potest dici univoce de cultu Dei, et creaturarum.

Notandum quoque est quarto has ipsas species adorationis, quantum ad actus interiores, optime distingui. Nam prima species, id est, latria, est quædam summa voluntatis prostratio, et inclinatio cum apprehensione Dei, ut primi principii, et ultimi finis, atque adeo summi boni, qualis adoratio soli Deo convenit.

Secunda species, id est, cultus civilis, est longe minor inclinatio voluntatis, cum apprehensione certa humanæ excellentiæ.

Tertia species, est media quædam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiæ plus quam humanæ, et minus, quam divinæ. At quantum ad actus exteriores, non est facile species adorationum distinguere; nam omnes fere actus exteriores communes sunt omni adorationi, excepto sacrificio, et quæ ad illud referuntur, templis, altaribus, et sacerdotibus. Voluit enim Deus hunc cultum sacrificii sibi soli exhiberi, ut Augustinus docet, lib. X civitatis Dei, c. 4. et Theodoretus lib. VIII ad Græcos, qui est de Martyribus, et patet ex illo, Exod. XXII: *Qui sacrificat Diis, eradicabitur, præterquam Domino soli* (1). Ex aliis actibus exterioribus, qui sunt communes cultui Dei et cultui creaturæ, non potest evidenter colligi, an aliquis cultum Deo debitum tribuat creaturis, nec ne; nam Abraham eodem actu incurvationis usque ad terram adoravit Deum, Genes. XVII. et Angelos, Genes. XVIII. et homines, Genes. XXIII.

Quinto observandum, latriam interdum sumi pro ipso actu, quo colitur Deus; interdum pro habitu, quo homo redditur promptus ad colendum Deum. Hunc autem habitum esse virtutem quamdam specialem et, moralem, B. Thomas docet, in lib. III. sententi. dist. IX, quæst. 1. neque obstat quod B. Augustinus in Enchirid. 3. cap. et XII Trinit. cap. 14. dicat, Dei cultum consistere in fide, spe, et charitate; ubi videtur velle, latriam esse generalem virtutem conflatam ex tribus Theologis. Nam sicut charitas, et prudentia sunt virtutes speciales, quia habent speciale objectum, et tamen simul sunt aliquo modo generales, quia dirigunt, aut ordinant actus omnium virtutum: ita latria virtus est specialis propter speciale objectum suum, id est, honorem divinum; et tamen simul est generalis, quia utitur ad honorandum Deum actibus omnium virtutum, et præcipue fidei, spei, et charitatis; nam summus honor Deo defertur, cum per fidem protestamur eum esse primam veritatem; per spem esse potentissimum; per charitatem esse optimum. Itaque ipsius actus fidei objectum, est Deus: actus autem ipse fidei est objectum religionis: et ideo fides est virtus Theologica, quia circa Deum versatur. Religio non est virtus Theologica, quia versatur circa creaturam; actus enim fidei non est Deus, sed quid creatum. Idem dici de spe, et charitate potest; objectum enim earum est Deus, actus vero ipsarum ad objectum religionis pertinere possunt.

Sexto observandum, quantum ad nomina, in lingua Hebræa nullum esse nomen quo proprie designetur cultus solius Dei, sed omnia esse communia, et idem nomen nunc tribui cultui creaturæ, nunc negari, prout minimum aliter atque aliter accipitur. Nam quod Græci verterunt Deuteron. VI. *σὺν αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, illi soli servies*, in Hebræo est אותו תעבד verbum autem עבד tam est commune Hebræis, quam Latinis, servire. Similiter Exod. XX: *Non adorabis ea*, quod Græci vertunt *οὐ προσκυνήσεις*, in Hebræo est תשתחוה

(1) Exod. XXII. 20.

et ponitur in omnibus locis supra citatis, Genes. XVII, XVIII et XXIII. et alibi ubicumque dicuntur vel homines, vel Angeli, vel Deus adorari. In lingua Latina similiter non habemus ullum vocabulum, quod solum dicatur de cultu Dei, ut Augustinus notavit, lib. X civit. Dei, cap. 1. et hinc est quod Patres vocabula adorationis, et religionis nunc concedunt creaturis, nunc negant, prout varie accipiuntur.

B. Hieronymus in epist. ad Riparium contra Vigilantium dicit, nec Martyrum reliquias, nec Angelos, nec aliquid creatum coli posse, vel adorari. Et tamen ipse in Epitaphio Paulæ in fine dicit: « Vale o Paula, et cultorem tuum orationibus juva. » Et lib. II Apologiæ contra Ruffinum dicit: « Veni Bethlehem, præsepe Domini, et incunabula adoravi. » Sic etiam Augustinus lib. de vera relig. cap. 55. dicit, religionis cultum nec Angelis, nec sanctis hominibus jam defunctis deberi, sed soli Deo; et tamen lib. XX. contra Faustum, cap. 21. dicit: « Memorias Martyrum populus Christianus religiosa solemnitate concelebrat. »

Itaque aliquando accipiebant nomen religionis et adorationis, ut convenit principali analogato, id est, virtuti illi speciali, quæ habet pro objecto cultum Dei, et quæ distinguitur specie ab ea virtute, qua colimus Sanctos: aliquando vero accipiebant largius pro omni illa virtute qua colimus vel Deum, vel Dei amicos, aliasque res sacras, et distinguitur a cultu politico, et mere humano. In lingua Græca una vox est propria cultui Dei; nempe *θεοσέβεια*, quæ non multum est in usu. Præter istam vocem sunt alia quatuor *εὐσέβεια* pietas, *θρησκεία* religio, et *λατρεία*, et *δουλεία* servitus; sed nullum horum est, quod non interdum attribuatur etiam creaturis.

Sed quamvis ista vocabula non sint propria divino cultui, secundum primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen Schola Theologorum non sine causa excogitavit illam distinctionem de latria et dulia. Nam cum in re inveniatur manifesta distinctio, inter cultum Dei et Sanctorum; oportebat etiam ad vitandam æquivocationem invenire distincta vocabula: optima autem erant ista duo. Primo, quia Scriptores sacri vocem *λατρεία* numquam usurpant, nisi pro cultu solius Dei, ut patet ex toto novo Testamento: vocem autem *δουλεία* usurpant pro omni servitute, tam Dei, quam hominum. Neque obstat, quod in versione Græca Levitici habetur semel nomen latriæ, pro servitio humano: nam textus Hebræus et Latinus vulgatæ editionis habent vocem communissimam, quæ ad omne servitium accommodatur. Deinde, antiqui Patres numquam nomen latriæ tribuunt, nisi Deo, cum tamen etiam Sanctos coli dicant, ut patet ex Augustino, lib. X civit. Dei, cap. 1. et lib. XX contra Faustum, c. 21. et ex omnibus Patribus Nicæni Concilii II, ut videre est, act. 3, 4, 6, et 7. necnon ex Damasc. orat. 1. et 3. de imaginibus; et Jona Aurelianens. lib. I. de cultu imagin. et Beda in cap. IV Luc. Imo omnes veteres cultum falsorum Deorum ideo vocaverunt idololatriam, non idoloduliam, quia videbant cultum Deo proprium, secundum Ecclesiasticum loquendi modum, vocari latriam, non duliam, ut Augustinus notavit, quæst. 61. in Genes.

Neque obstat, quod isti Patres raro meminerint nominatim duliæ; nam cum dicunt, Sanctos et imagines coli debere, et non latria, satis indicant, debere coli alia specie cultus. Eam nos vocamus duliam, ut eam vocat Beda in cap. IV. Lucæ, et Magister cum omni Schola. lib. III. sentent. dist. 9. et idem insinuat Augustinus, lib. X. civit. Dei, cap. 1. ubi dicit, cultum debitum creaturæ non vocari Ephes. VI. ab Apostolo latriam, sed alio nomine. Apostolus autem ibi vocat duliam. Itaque non erat opus, ut Martinus Peresius in suo opere de traditionibus, part. III. consideratione 7. diceret, non sibi multum probari nomen duliæ sumptum pro cultu Sanctorum, cum dulia proprie significet servitutem, et nos non simus servi Sanctorum, sed conservi. Nam in Scripturis dulia non solum accipitur pro servitute mancipiorum, sed etiam pro honoraria subjectione, ut Galat. V. *διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις*; *Per charitatem servite invicem*. Hoc ergo modo potuerunt Theologi cultum Sanctorum vocare duliam.

CAPUT XIII.

Asseritur argumentis sententia Catholica.

Superest jam, ut probemus cultum aliquem minorem divino, et majorem civili

cap. 2. nam alius honor debetur patri, alius principi, alius præceptori, alius sapienti, vel erudito etc.

Tertia est excellentia quædam media inter divinam et humanam, qualis est gratia et gloria Sanctorum; ista enim sunt dona supernaturalia, et excellentissima, et huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quam Theologi vocant duliam. Et quia inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad Verbum; et similiter B. Virgo, ut mater filii Dei ita præstat aliis Sanctis, ut dici possit Domina et Regina nostra, quod aliis Sanctis non convenit, nisi admodum imperfecte; ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam proprie dictam, et hyperduliam, tribuentes illam Sanctis cæteris, istam soli humanitati Christi, et matri ejus.

Tertio observandum est, has tres adorationis species non esse univocas, sed analogas, ut enim excellentia non dicitur univoce de excellentia Dei, et creaturarum, ita cultus debitus ob excellentiam, non potest dici univoce de cultu Dei, et creaturarum.

Notandum quoque est quarto has ipsas species adorationis, quantum ad actus interiores, optime distingui. Nam prima species, id est, latria, est quædam summa voluntatis prostratio, et inclinatio cum apprehensione Dei, ut primi principii, et ultimi finis, atque adeo summi boni, qualis adoratio soli Deo convenit.

Secunda species, id est, cultus civilis, est longe minor inclinatio voluntatis, cum apprehensione certa humanæ excellentiæ.

Tertia species, est media quædam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiæ plus quam humanæ, et minus, quam divinæ. At quantum ad actus exteriores, non est facile species adorationum distinguere; nam omnes fere actus exteriores communes sunt omni adorationi, excepto sacrificio, et quæ ad illud referuntur, templis, altaribus, et sacerdotibus. Voluit enim Deus hunc cultum sacrificii sibi soli exhiberi, ut Augustinus docet, lib. X civitatis Dei, c. 4. et Theodoretus lib. VIII ad Græcos, qui est de Martyribus, et patet ex illo, Exod. XXII: *Qui sacrificat Diis, eradicabitur, præterquam Domino soli* (1). Ex aliis actibus exterioribus, qui sunt communes cultui Dei et cultui creaturæ, non potest evidenter colligi, an aliquis cultum Deo debitum tribuat creaturis, nec ne; nam Abraham eodem actu incurvationis usque ad terram adoravit Deum, Genes. XVII. et Angelos, Genes. XVIII. et homines, Genes. XXIII.

Quinto observandum, latriam interdum sumi pro ipso actu, quo colitur Deus; interdum pro habitu, quo homo redditur promptus ad colendum Deum. Hunc autem habitum esse virtutem quamdam specialem et, moralem, B. Thomas docet, in lib. III. sententi. dist. IX, quæst. 1. neque obstat quod B. Augustinus in Enchirid. 3. cap. et XII Trinit. cap. 14. dicat, Dei cultum consistere in fide, spe, et charitate; ubi videtur velle, latriam esse generalem virtutem conflatam ex tribus Theologis. Nam sicut charitas, et prudentia sunt virtutes speciales, quia habent speciale objectum, et tamen simul sunt aliquo modo generales, quia dirigunt, aut ordinant actus omnium virtutum: ita latria virtus est specialis propter speciale objectum suum, id est, honorem divinum; et tamen simul est generalis, quia utitur ad honorandum Deum actibus omnium virtutum, et præcipue fidei, spei, et charitatis; nam summus honor Deo defertur, cum per fidem protestamur eum esse primam veritatem; per spem esse potentissimum; per charitatem esse optimum. Itaque ipsius actus fidei objectum, est Deus: actus autem ipse fidei est objectum religionis: et ideo fides est virtus Theologica, quia circa Deum versatur. Religio non est virtus Theologica, quia versatur circa creaturam; actus enim fidei non est Deus, sed quid creatum. Idem dici de spe, et charitate potest; objectum enim earum est Deus, actus vero ipsarum ad objectum religionis pertinere possunt.

Sexto observandum, quantum ad nomina, in lingua Hebræa nullum esse nomen quo proprie designetur cultus solius Dei, sed omnia esse communia, et idem nomen nunc tribui cultui creaturæ, nunc negari, prout minimum aliter atque aliter accipitur. Nam quod Græci verterunt Deuteron. VI. *σὺν αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, illi soli servies*, in Hebræo est אותו תעבד verbum autem עבד tam est commune Hebræis, quam Latinis, servire. Similiter Exod. XX: *Non adorabis ea*, quod Græci vertunt *οὐ προσκυνήσεις*, in Hebræo est תשתחוה

(1) Exod. XXII. 20.

et ponitur in omnibus locis supra citatis, Genes. XVII, XVIII et XXIII. et alibi ubicumque dicuntur vel homines, vel Angeli, vel Deus adorari. In lingua Latina similiter non habemus ullum vocabulum, quod solum dicatur de cultu Dei, ut Augustinus notavit, lib. X civit. Dei, cap. 1. et hinc est quod Patres vocabula adorationis, et religionis nunc concedunt creaturis, nunc negant, prout varie accipiuntur.

B. Hieronymus in epist. ad Riparium contra Vigilantium dicit, nec Martyrum reliquias, nec Angelos, nec aliquid creatum coli posse, vel adorari. Et tamen ipse in Epitaphio Paulæ in fine dicit: « Vale o Paula, et cultorem tuum orationibus juva. » Et lib. II Apologiæ contra Ruffinum dicit: « Veni Bethlehem, præsepe Domini, et incunabula adoravi. » Sic etiam Augustinus lib. de vera relig. cap. 55. dicit, religionis cultum nec Angelis, nec sanctis hominibus jam defunctis deberi, sed soli Deo; et tamen lib. XX. contra Faustum, cap. 21. dicit: « Memorias Martyrum populus Christianus religiosa solemnitate concelebrat. »

Itaque aliquando accipiebant nomen religionis et adorationis, ut convenit principali analogato, id est, virtuti illi speciali, quæ habet pro objecto cultum Dei, et quæ distinguitur specie ab ea virtute, qua colimus Sanctos: aliquando vero accipiebant largius pro omni illa virtute qua colimus vel Deum, vel Dei amicos, aliasque res sacras, et distinguitur a cultu politico, et mere humano. In lingua Græca una vox est propria cultui Dei; nempe *θεοσέβεια*, quæ non multum est in usu. Præter istam vocem sunt alia quatuor *εὐσέβεια* pietas, *θρησκεία* religio, et *λατρεία*, et *δουλεία* servitus; sed nullum horum est, quod non interdum attribuatur etiam creaturis.

Sed quamvis ista vocabula non sint propria divino cultui, secundum primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen Schola Theologorum non sine causa excogitavit illam distinctionem de latria et dulia. Nam cum in re inveniatur manifesta distinctio, inter cultum Dei et Sanctorum; oportebat etiam ad vitandam æquivocationem invenire distincta vocabula: optima autem erant ista duo. Primo, quia Scriptores sacri vocem *λατρεία* numquam usurpant, nisi pro cultu solius Dei, ut patet ex toto novo Testamento: vocem autem *δουλεία* usurpant pro omni servitute, tam Dei, quam hominum. Neque obstat, quod in versione Græca Levitici habetur semel nomen latriæ, pro servitio humano: nam textus Hebræus et Latinus vulgatæ editionis habent vocem communissimam, quæ ad omne servitium accommodatur. Deinde, antiqui Patres numquam nomen latriæ tribuunt, nisi Deo, cum tamen etiam Sanctos coli dicant, ut patet ex Augustino, lib. X civit. Dei, cap. 1. et lib. XX contra Faustum, c. 21. et ex omnibus Patribus Nicæni Concilii II, ut videre est, act. 3, 4, 6, et 7. necnon ex Damasc. orat. 1. et 3. de imaginibus; et Jona Aurelianens. lib. I. de cultu imagin. et Beda in cap. IV Luc. Imo omnes veteres cultum falsorum Deorum ideo vocaverunt idololatriam, non idoloduliam, quia videbant cultum Deo proprium, secundum Ecclesiasticum loquendi modum, vocari latriam, non duliam, ut Augustinus notavit, quæst. 61. in Genes.

Neque obstat, quod isti Patres raro meminerint nominatim duliæ; nam cum dicunt, Sanctos et imagines coli debere, et non latria, satis indicant, debere coli alia specie cultus. Eam nos vocamus duliam, ut eam vocat Beda in cap. IV. Lucæ, et Magister cum omni Schola. lib. III. sentent. dist. 9. et idem insinuat Augustinus, lib. X. civit. Dei, cap. 1. ubi dicit, cultum debitum creaturæ non vocari Ephes. VI. ab Apostolo latriam, sed alio nomine. Apostolus autem ibi vocat duliam. Itaque non erat opus, ut Martinus Peresius in suo opere de traditionibus, part. III. consideratione 7. diceret, non sibi multum probari nomen duliæ sumptum pro cultu Sanctorum, cum dulia proprie significet servitutem, et nos non simus servi Sanctorum, sed conservi. Nam in Scripturis dulia non solum accipitur pro servitute mancipiorum, sed etiam pro honoraria subjectione, ut Galat. V. *διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις*; *Per charitatem servite invicem*. Hoc ergo modo potuerunt Theologi cultum Sanctorum vocare duliam.

CAPUT XIII.

Asseritur argumentis sententia Catholica.

Superest jam, ut probemus cultum aliquem minorem divino, et majorem civili

et mere humano, sacris rebus, S. Angelis, et hominibus deberi.

Primum argumentum sumitur ex illo Psalm. XCVIII : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est ;* ubi ad litteram per scabellum pedum Domini, intelligitur arca Testamenti. Nam I. Paralipomenon XXVIII. dicit Salomon : *Paravi domum, ubi requiëscret arca Domini, et scabellum pedum Dei nostri.* Nec sine causa dicebatur arca scabellum pedum Domini ; nam supra arcam erat propitiatorium quasi sedes Dei, quæ tenebatur manibus duorum Cherubim, de qua dicitur in principio hujus Psalm. : *Qui sedes super Cherubim, moveatur terra etc.* Idem habetur Psalm. CXXXI, in illis verbis : *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus ;* nam in Hebræo est : *Adorabimus scabellum pedum ejus.* Et quod loquatur de arca patet, quia præcedit : *Introibimus in tabernaculum ejus.* Et statim etiam sequitur : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.* Et hoc idem clarius colligitur ex lib. II. Reg. cap. VI : *Arcam,* inquit, *super quam invocatum est nomen Domini, sedentis in Cherubim super eam* (1).

Jam vero quod in his locis præcipiatur aliquis cultus, patet ex verbo, *adorate,* quod etiam Hebraice est proprium verbum adorationis תשתחוו. Quod autem arca sit creatura nulli dubium esse potest. Quod denique iste cultus non sit civilis, sed religionis, patet ex ratione Davidis : *Quoniam,* inquit, *sanctum est,* hoc videlicet scabellum. Cultus enim civilis debetur rebus propter civilem et humanam excellentiam, at arca dicitur adoranda, non propter civilem excellentiam, sed quia sacra et sancta est, cum sit scabellum pedum Dei.

Bucerus et Calvinus in hunc locum Psalmi, respondent, hic nomine scabelli intelligi templum, et præcipi, non ut adoretur templum, sed ut adoretur Deus in templo, et probant dupliciter. Primo ex verbo Hebræo להום ad scabellum. Secundo ex illo, quoniam sanctus est, nam Hebræum הדום est ambiguum, sed Græcus exposuit verteus ἅγιος, non ἅγιον.

Respondeo, nomine scabelli necessario intelligi arcam, ut supra ostendimus ; et proinde ruit expositio hæreticorum ; non enim arca est locus, in quem possent Judæi intrare ad adorandum Deum. Deinde etiam si scabellum esset templum, adhuc argumentum nostrum vigeret, quia non ait David, adorate in scabello, sed adorate scabellum ; et probatur. Primo, quia vertit Chald. *Incurvate vos templo.* Item LXX, et Hieronymus : *Adorate scabellum,* verterunt.

Secundo, quia in Scriptura fere ubicumque habemus, adorari aliquem, constructio sit cum ל, ut Genes. XXIII : *Adoravit Abraham populum terræ,* id est, filios Cheth : וישתחו לעם הארץ לבני חת.

Tertio, quia etiamsi verteretur ad templum, adhuc idem significaretur ; nam verbum Hebræum significat : *Incurvate vos ad illam rem.*

Quarto, quia Hieronymus in epist. ad Marcellam, ut migret in Bethlehem, testatur, ipsam arcam coli solitam : « Venerabantur, inquit, quondam Judæi sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim et propitiatorium, et arca Testamenti etc. » et hoc idem ex aliis Scripturis patet. Josue III, I. Reg. VI, II. Reg. VI, Hebr. IX, nam Josue III. jubentur in itinere numquam accedere prope arcam ad spatium duorum millium cubitorum. I. Regum VI. Bethsamitæ quia arcam viderunt sine debita reverentia, occisi sunt, a Deo ad 50000 hominum. II. Reg. VI. Oza similiter interfectus a Domino est, cum arcam tetigisset, quod ei non licebat, sed solis Sacerdotibus. Denique propter honorem arcæ nemo poterat ingredi sancta Sanctorum, ubi illa erat, nisi summus Pontifex semel in anno, ut Paulus docet, Hebr. IX. At certe arca creatura erat, et iste honor illi exhibitus non ex urbanitate, sed ex religione aliqua procedebat.

Ad illud : *Quoniam sanctum est ;* fateor non male verti : *Quoniam sanctus est ;* ut LXX, et Hieronymus verterunt. Sed hoc nihil ad rem. Nam sive dicatur scabellum adorandum, quia sanctum est, sive quia est Dei sancti, semper affertur causa religiosæ adorationis.

Secundo, probatur ex adoratione exhibita Angelis ab hominibus pïis et prudentibus. Nam. Gen. XVIII. Abrahem pronus in terram adoravit Angelum. Et similiter fecit Loth, Gen. XIX. Sed quia posset responderi, tam Abrahamum, quam Loth non cognovisse Angelos, sed homines putasse initio, cum eos adoraverunt, et civiliter tantum adorasse, proferamus loca clariora. Num XXII. *Aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram* (1). Hic certe non prius adoravit, quam Angelum agnovit. Angelis autem ridiculum est dicere, deberi civilem honorem. Item Josue V. cum vidisset Josue virum stantem evaginato gladio, dixit : *Noster es, an adversariorum?* Ille, *Nequaquam,* inquit, *sed Princeps sum exercitus Domini. Continuo cecidit Josue pronus in terram, et adoravit* (2) Hinc aperte videmus adorationem illam mediam, quam quærimus ; nam quod Josue non putaverit illum, quem adorabat, esse Deum, patet, quia Angelus dixerat, se esse Dei ministrum. Quod etiam non adoraverit civiliter, sed religiose, patet, quia non prius adoravit, quam intellexit esse Angelum Dei legatum. Quod denique non male fecerit adorando, patet, quia Angelus non solum non prohibuit eum ab adoratione, sed etiam jussit adhuc majorem honorem sibi exhiberi, dicens : *Solve calceamenta pedum tuorum ; locus enim in quo stas, sanctus est.* Non erat autem sanctus locus ille, nisi ob Angeli præsentiam ; non enim erat tunc Josue in loco sacro, sed in campestribus Hiericho.

Tertio, probatur ex adoratione Sanctorum in Scripturis, I. Reg. XXVIII. Saul adorat animam Samuelis sibi apparentem. Certum autem est, non convenire civilem honorem animabus defunctorum. Neque dici potest, in hoc errasse Saulem, quandoquidem nec ipse Samuel, nec Scriptura Saulem reprehendit. Item III. Reg. XVIII. Abdias vir sanctus adorat Eliam pronus in terram : neque possumus dicere hunc civilem cultum fuisse. Nam quantum ad humanam excellentiam, major erat Abdias, quam Elias ; iste enim privatus homo erat, ille autem unus ex Principibus regni. Adoravit ergo eum ut Prophetam, ac Dei hominem singulari sanctitate excellentem. Item IV. Reg. II. filii Prophetarum cum audissent spiritum Eliæ requievisse super Eliseum, accedentes adoraverunt eum proni in terram.

Denique Dan. II. Nabuchodonosor adorat Danielem. Quis autem diceret, aut crederet a Rege summo adoratum civiliter unum ex captivis, qualis erat Daniel? Adoravit ergo eum religiose, ut hominem Deo plenum, neque per errorem adoravit, Deum illum existimans, nam adorans ait : *Vere Deus vester Deus Deorum est, et Dominus Regum, et revelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum* (3). Quod etiam fecisse Alexandrum Regem Pontifici Jaddo, scribit Josephus lib. XI. cap. 8. antiquitatum.

Neque obstat, quod Nabuchodonosor Danieli jussit offerri sacrificium ; nam non loquitur Scriptura de sacrificio, quod soli debetur Deo. Sacrificium enim Deo proprium est immolatio animalium, quod vocat Hebraice יזבח de quo dicitur Exod. XXII : *Immolans Diis, eradicabitur, præterquam Domino soli* (4). Ibi enim est Hebraice יזבח. Nabuchodonosor autem obtulit Danieli non יזבח, sed מנחה et ניחחין, hoc est, munera ; et odores, quorum utrumque tam Deo, quam homini offerri solet. Nam I. Reg. X. ubi legimus quosdam ex Israelitis non voluisse agnoscere Saulem Regem, nec ei munera attulisse, pro munere est מנחה. Porro suaves odores nos etiam in ipsa Ecclesia offerimus imaginibus et reliquiis, cum tamen asseramus, sacrificium non deberi nisi soli Deo. Imo Dionysius cap. 3. part. 2. Eccles. Hierarch. dicit, Pontificem in sacris mysteriis, ubi adoleri cœpit incensum, primum suffire aram, deinde totius Ecclesiæ ambitum, quod etiam nunc fieri videmus. Si hoc non placet, dicamus cum Hieronymo et Theodoreto, Nabuchodonosor sacrificium obtulisse Danieli, id est, Deo Danielis.

Argumentum quartum sumitur ex confessione Patrum, qui a temporibus Apostolorum, usque ad nostra tempora floruerunt. Justinus in II. Apolog. pag. 2. loquens nomine omnium Christianorum, et fidem totius Ecclesiæ explicans : « Sed, inquit, et illum (Deum Patrem) et ejus Filium qui venit, nosque hæc docuit, et aliorum sequentium, similiumque bonorum Angelorum exercitum, et spiritum propheticum colimus, atque adoramus, verboque et re seu veritate veneramur, idque omnibus qui discere volunt, ut docti institutique sumus, copiose tradimus. »

Origenes hom. 3. in diversos : « Horum, inquit, memoria semper, ut dignum est, in Ecclesia celebratur. »

Eusebius lib. XIII. præpar. Evang. cap. 7 : « Nos, inquit, quotidie id factitamus ; nam veræ pietatis milites, ut Dei amicissimos honoramus. » Idem Eusebius lib. IV. hist.

(1) Psal. XCVIII, 5 et 1 ; I. Paralip. XXVIII, 2 ; Psal. CXXXI, 7 et seq. ; II. Reg. VI, 2.

(1) Num. XXII, 31. — (2) Jos. V, 13, 14 et 16. — (3) Dan. II, 47. — (4) Exod. XXII, 20.

cap. 15. refert ex epistola Ecclesiæ Smyrnensium de martyrio S. Polycarpi, quod cum Gentiles metuerent, ne Christiani, relicto Christo, Polycarpum adorarent, veteres illi Christiani dicebant, se non posse ullo modo Martyres pro Christo colere, sed tamen eos diligere et venerari, quod fidem integre Magistro et Domino servaverint.

Athanasius in lib. de virginitate, circa finem : « Si homo justus ædes tuas, inquit, intraverit, cum timore et tremore occurrens illi, adorabis humi ad pedes illius. » At ut ostendat se loqui de religiosa adoratione : « Non enim, inquit, eum, sed Deum adorabis, qui illum mittit, Dominus enim ait, qui recipit justum, me recipit. » Ubi nota, adorari Deum in justis, non quod adoratio non terminetur ad hominem justum, sed quia ratio, cur justus adoretur, est Deus. Quemadmodum qui recipit justum hospitio, eique eleemosynam facit, Christum recipere, et Christo eleemosynam facere dicitur, quia fit propter Christum, et Christus ita accipit, ac si fieret sibi.

Basilius oratione in sanctum Mamantem : « Ecclesia, inquit, per hoc, quod eos honorat, qui præcesserunt, præsentes impellit. » Et orat. in quadraginta Martyres : « Honor, inquit, quem bonis conservis exhibemus, benevolentiæ erga communem dominum significationem de se præbet. »

Gregorius Nazianzenus oratione in Machabæos, initio conqueritur, quod sanctos Machabæos non omnes ubique colant, sicut martyrium ipsorum meretur. Et orat. I. in Julianum, non procul ab initio, loquens de quodam honore, impenso a Juliano Apostata cuidam Martyri, quem Martyr ille mirabili signo recusavit : « O insignem, inquit, Martyrum inter se Charitatem, honorem illius, qui multos Martyres contemptui habiturus erat, recusarunt. » Et paulo ante dixerat, honorem Martyrum esse perspicuam notam amoris in Christum.

Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem, ubi multa dixit de cultu, qui sanctis Martyribus ab Ecclesia exhibetur, ait : « Cui Regum talis honor habetur? Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum adeo decantatus, et fama celebratus est, ut hic miles pauper, modo conscriptus Tyro, quem Paulus armavit, quem Angeli unxerunt, quem Christus coronavit? »

Epiphanius hæres. 79. ubi refellit eorum errorem, qui Mariæ tamquam Deæ sacrificium offerebant, metuens, ne ista occasione nullus honor B. Mariæ deferretur, ut nunc hæretici faciunt, sæpissime repetit illa verba : « Sit in honore Maria, Dominus adoretur. »

Joannes Chrysostomus homil. de sanctis Juventino et Maximo : « Non aliter priscos, inquit, aliter recentiores colitis Sanctos, sed eadem alacritate omnes. » Et infra : « Et Martyres, inquit, quos hodie colimus, aderant. » Et infra : « Idcirco sæpe eosin visamus, tumulos adoremus etc. »

Cyrillus Alexandrinus lib. VI. in Julianum, ultra medium : « Nos, inquit, non Deos factos esse diximus sanctos Martyres, sed omni honore dignari consuevimus. »

Theodoretus lib. VIII ad Græcos : « Suos, inquit, mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit, ac illos quidem cassos gloria; vanosque reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit, etc. » Ubi notandum est, honorem Deorum traditum Martyribus; quia ubi colebantur Dii, nunc coluntur Martyres, non autem quod eodem modo colantur. Subdit enim Theodoretus : « Atqui nos, o Græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina ulla deferimus, sed ut sanctos homines, Deique amicissimos honoramus. »

Denique Joannes Damascenus de fide Orthodoxa, lib. IV, cap. 16. : « Honorare, inquit, decet Sanctos, ut amicos Christi, ut filios et hæredes Dei etc. »

Ex Latinis Tertullianus de corona militis, meminit celebrationis festorum in natalitiis Martyrum.

Cyprianus lib. IV, epist. 5. : « Martyrum, inquit, passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus. »

Ambrosius serm. 6. in fine : « Quisquis honorat Martyres, honorat et Christum, et qui spernit sanctos, spernit et Dominum. »

Maximus serm. de natali sanctorum Octavii, Adventoris et Solutoris Martyrum : « Cuncti, inquit, Martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi, quorum reliquias possidemus. »

Prudentius de S. Hyppolito :

Hic corruptelis, animique et corporis æger
Oravi quoties stratus, opem merui.

Nota illud :

Oravi stratus

Paulinus natali primo S. Felicis :

Roma Petro Pauloque potens rarescere gaudet,
Hujus honore Dei etc.

Et natali octava :

Cujus honore Deus gaudet, quia Martyr honorem
Contempsit proprium.

Hieronymus in epist. ad Riparium : « Honoramus, inquit, servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. » Et in vita Paulæ : « Vale, o Paula, et cultorem tuum orationibus juva. » Et ibidem dicit, Paulam cum inviseret sanctos Eremitas, singulis ad pedes provolutam, ita eos venerari solitam, ac si in singulis Christum adoraret. Ubi certe non agitur de cultu civili; non enim femina nobilissima rusticanos civiliter honorasset tanta subjectionis significatione.

Augustinus serm. 1. de Sanctis Petro et Paulo : « Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat Gentium multitudo. » Et epist. 44. : « Ostendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? » Idem lib. XX contra Faustum, cap. 21. objicienti Fausto, quod Christiani idola vertissent in Martyres, respondit a Christianis coli Martyres, sed non latria. Et in Psal. XCVI objicientibus Ethnicis, quod Christiani colerent Angelos, respondit similiter, et addit : « Utinam et vos illos colere velletis; facile enim ab ipsis disceretis, non illos colere, id est, non colere ut Deos, sed ut Sanctos. »

Gregorius lib. III Dialog. cap. 24. dicit, B. Petrum apparuisse cuidam Theodoro lampades instruenti in Ecclesia ipso B. Petro dicata, ut ostenderet probare venerationem, quam servientes sibi exhibent.

Bernardus serm. in illud : Signum magnum etc. « Amplectamur Mariæ vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. » Et serm. sequenti, qui est de aquæducta : « Totis, inquit, medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. »

Argumentum quintum sumi potest ex invocatione, templis, festis, votis, peregrinationibus, imaginibus et aliis, de quibus postea : cum hæc omnia ad cultum Sanctorum non dubium sit pertinere.

Argumentum sextum ex eo, quod semper Ethnici, Judæi, Hæretici accusaverunt Christianos idololatriæ, propter cultum Sanctorum, quod certe non fecissent, nisi vidissent a Christianis Sanctos passim religiose coli. De Ethnicis testatur Eusebius, lib. VIII, cap. 6. hist. De Judæis idem Euseb. lib. IV, cap. 15. De Juliano Apostata Cyrillus lib. VI et X in Julian. De Manichæis Augustin. lib. XX, cap. 21. contra Faustum; de Porphyrio, Vigilantio, et Eunomio Hieronymus lib. contra Vigilantium.

Argumentum septimum ex ratione; nam si honor civilis debetur civili virtuti, sapientiæ, potentiæ, et nobilitati : Ergo honor plusquam civilis debetur supernaturali virtuti, sapientiæ, potestati, nobilitati : sed Sancti quoad virtutes supernaturales, excellunt omnino, cum ferveant divina charitate, et peccare non possint : nihil enim inquinatum intrare potest in regnum cœlorum, Apocal. XXI. Quoad sapientiam, vident ipsam sapientiam increatam, et in ea cognoscunt rerum omnium causas, juxta illud, Matt. V : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quoad potestatem, sunt Reges cœlorum, et participes ipsius throni divini, ut dicitur in Apoc. cap. III : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Et Luc. XX : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Quoad nobilitatem, sunt filii Dei, reipsa jam adoptione confirmata per gloriam. Igitur merito jureque optimo religioso cultu prosequendi sunt.

Denique, Deus Sanctis honorem et gloriam promisit, I. Reg. II : *Qui honorificaverit me, glorificabo eum.* Joan. XII : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Et Rom. II : *Gloria et honor omni operanti bonum* : (2) ergo debetur eis honor; et certe non ab aliis, quam a nobis, qui illis inferiores sumus. Non convenit autem mortuis honor civilis, ergo religiosus illis debetur.

(1) Matth. V, 8; Apoc. III, 21; Luc. XXII, 29. — (2) I. Reg. II, 30; Joan. XII, 26; Rom. II, 10.

CAPUT XIV.

Solventur argumenta initio proposita.

Nunc adversariorum argumenta breviter dissolvamus. Ad primum. Si Calvinus per cultum religionis intelligit cultum latriæ, fatemur Sanctos non debere coli cultu religionis. Sed negamus, præter cultum latriæ nullum esse alium cultum, nisi civilem, jam enim ostendimus quemdam tertium cultum, qui etiam dicitur religionis, licet secundario.

Ad secundum, admitto duliæ cultum deberi Sanctis, et nego id esse absurdum. Ad primam probationem respondeo, colere sine latria non esse colere sine cultu, sed colere sine tali cultu. Nam etiam B. Augustinus, qui tamen non erat ineptus, lib. XX contra Faustum, cap. 21. dicit, Sanctos coli, et non latria.

Ad secundam probationem dico, duliam non esse plus quam latriam. Nam secundum profanos auctores idem significant : secundum autem Scripturæ et Ecclesiæ usum longe major est latria, quam dulia : latria enim non est quilibet cultus, sed cultus summæ servitutis : dulia est cultus cujuslibet servitutis.

Dices : At non sumus servi Sanctorum, sed conservi, ergo dulia sanctis non convenit. Aliqui respondent : cultum Sanctorum non vocari duliam, id est, servitutem, quia exhibetur eis a servis; sed quia exhibetur ipsis, qui servi Dei sunt. Sed isti timuerunt, ubi non erat timor.

Dicendum igitur, duliam significare quamlibet servitutem, tam perfectam, quam imperfectam. Est autem perfecta servitus eorum, qui id, quod sunt, alterius sunt; et operantur moti ab alio, tam efficienter, quam finaliter, id est, operantur propter Dominum, et ab ipso Domino moti tamquam instrumenta ad operandum, ut Aristot. docet, lib. I. Polit. cap. 3. Imperfecta servitus est eorum, qui aliquid horum habent, non tamen omnia, id est, qui moventur ab alio aliquo modo. Unde infans dicitur nihil differre a servo, licet sit dominus, Galat. IV, quia movetur ab alio effective : et contra, is qui regit, dicitur servus eorum quos regit, II. Cor. IV : *Nos autem servos vestros per Jesum* (1); quia movetur ab alio finaliter. Nos ergo etiamsi non sumus servi Sanctorum perfecte, sumus tamen imperfecte, quatenus illi nos movent et juvant ad bene operandum exemplo suo, et intercessione apud Deum. Hinc B. Paulinus natal. 1, 2 et 3. S. Felicis, passim vocat se famulum et servum S. Felicis; et B. Gregorius lib. II Dialog. c. 24. non timuit dicere B. Petro, grata esse servientium sibi obsequia.

Ad confirmationem ex Valla et Beza, fateor secundum usum profanorum scriptorum idem esse duliam et latriam, tamen secundum usum Scripturæ, latria fere numquam accipitur pro cultu, qui exhibetur creaturæ : secundum usum autem Ecclesiæ, numquam omnino. Et sicut licuit antiquæ Ecclesiæ contra veteres hæreticos nova vocabula invenire, ut ὁμοούσιος etc. cur non licuit etiam Ecclesiæ posteriori contra hæreticos posteriores nova aliqua vocabula invenire, aut certe iisdem in alia significatione uti ?

Ad illud Augustini de dulia et latria respecta Dei, Respondeo : eum locum esse pro nobis; nam ex eo, quod Augustinus ait, latriam dari Deo, ut Deus est, duliam eidem, ut Dominus est : colligitur latriam non posse communicari creaturæ, quia unus tantum est Deus : at duliam posse communicari, quia multi sunt vere et proprie Domini. Quamquam interim fatemur, duliam, qua colitur Deus, esse duliam per excellentiam, et specie distingui ab ea, qua coluntur Sancti.

Ad tertium argumentum; ad primum locum, Deuteron. VI. dico, eum locum debere sic intelligi : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (2); ea servitute, quæ Deo soli convenit. Nam in Græco est λατρεύσεις. Unde Augustin. quæst. 61. in Genes. annotavit : ideo non esse dictum, solum Deum adorabis, et illi soli servies; sed : *Deum adorabis, et illi soli servies*, quia adoratio convenit etiam creaturis, non autem servitus latriæ, quæ hic nominatur. Sed præterea quamvis esset scriptum, illi soli δουλεύσεις, eodem modo exponi deberet; nimirum, illi soli servies certo quodam genere servitutis, non autem absolute, illi soli servies. Siquidem in textu Hebraico est תעבוד; et tamen invenimus, non obstante hoc præcepto, dictum Jacobo ab Isaac, Genes. XXVII : *Serviant tibi populi, et adorent te filii matris tuæ* (1); ubi sunt illa verba, עבד et השתחוה. Præterea sicut hic legimus : illi soli servies, ita legimus I. Timoth. VI : *Qui solus habet immortalitatem* (2), et tamen scimus, Angelos et animas esse etiam immortales suo quodam modo.

(1) II. Cor. IV, 5. — (2) Deut. VI, 13.

Ad illud I. Timoth. I : *Soli Deo honor et gloria;* respondeo, similiter intelligendum de certo honore et gloria ; Nam Rom. II. lego : *Gloria et honor omni operanti bonum.* Denique arctius dictum est Isai. XLIV : *Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus;* et tamen legimus in Psalm. LXXXI : *Ego dixi, Dii estis* (3); nec tamen illud primum est falsum, sed sano modo intelligendum est.

Ad illud Matth. IV dico, Diabolum postulasse a Christo προσκύνησιν, in signum latriæ, et proinde postulasse latriam; ac propterea a Domino illi fuisse responsum : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Ad illud Galat. IV : *Iis, qui natura non sunt Dii,* (4) δουλεύσατε, respondeo, verbum δουλεύειν esse commune servituti Dei et creaturarum, et proinde exponi debere pro loci exigentia. Hic autem sumitur pro cultu solius Dei ; id enim circumstantiæ loci necessario postulant.

Ad quartum argumentum; ad primum exemplum dico, Aman voluisse adorari ut Deum; id enim ex verbis Mardochæi colligitur.

Ad secundum de Cornelio dico, cum S. Hieronymo lib. contra Vigilantium, Cornelium aliquid divinum in Petro inesse putavisse, et ideo jure correctum : vel cum Chrysostomo in hunc locum Actorum, Cornelium pie Petrum veneratum, sed Petrum ex modestia eum honorem, qui aliioqui sibi debebatur, recusasse.

Ad tertium, quid mirum, si Paulus noluit sibi sacrificari ? Id enim supra diximus, esse actum externum, soli Deo debitum.

Ad quartum dico, esse pro nobis; nam vel Joannes putavit eum, qui sibi apparuerat, esse Deum, aut Angelum : si Deum merito reprehensus est : si Angelum, et tamen adoravit, cur nos reprehendimur, qui facimus quod Joannes fecit? num melius Joanne norunt Calvinistæ, sintne Angeli adorandi?

At cur, inquiunt, reprehensus est? Primo, quia forte Angelus sic apparuit, ut potuerit existimari Christus. Dixerat enim cap. I : *Ego sum primus, et novissimus, et fui mortuus, et ecce sum vivens* etc. Itaque poterat existimari Christus, cujus personam gerebat, nisi ipse explicuisset, se non esse Christum, et ideo corrigendus fuit adorator non propter errorem adorationis, sed propter errorem personæ. Ita respondet Augustin. quæst. 61. in Genes.

Secundo dico, Joannem recte voluisse Angelo cultum debitum exhibere; sicut meminerat fecisse Abrahum, et Lotti, atque alios majores suos : tamen Angelum prohibuisse ob reverentiam humanitatis Christi. Nam ante Christi adventum Angeli se ab hominibus adorari patiebantur; at posteaquam Deus homo factus est, et omnes Angeli hominem in Christo adorare cœperunt, noluerunt ipsi ab hominibus adorari, et præcipue ab Apostolis, aliisque summis viris. Ita Beda, Anselm. Richard. et Rupertus in cap. XIX Apocal. et scholia Græca in cap. XXII et ante hos auctores S. Gregor. lib. XXVII moral. cap. 11. et homil. 8. in Evang. Nec tamen sequitur, nos male facere, si Angelos adoremus; nam et nos recte illos adoramus, et ipsi recte adorari recusant. Itaque Joannes ipse cum cap. XIX semel audivisset : *Vide ne fecerís* etc. tamen cap. XXII iterum voluit eumdem Angelum adorare; intelligebat enim, et se recte facere adorando, et Angelum recte facere recusando, nec enim suspicari licet Joannem aut obliviosum, aut indocilem fuisse.

Ad ultimum ex Patribus, dico, eos loqui contra errores Gentilium, qui ex hominibus sceleratis veros Deos faciebant, eisque sacrificia offerebant. Nam quod alioqui sancti Angeli et homines debito cultu prosequendi sint, sexcentis in locis iidem Patres affirmant, quorum locorum jam aliqua supra retulimus.

(1) Gen. XXVII, 29. — (2) I. Tim. IV, 16. — (3) I. Tim. I, 17; Rom. XI, 10; Isai. XLIV, 6; Psal. LXXXI, 6. — (4) Galat. IV, 8.

CAPUT XV.

Proponitur controversia de invocatione Sanctorum.

Demonstravimus Sanctos esse colendos : sed quia peculiaris difficultas est de cultu invocationis, idcirco nunc recto ordine sequitur, ut tractemus de invocatione Sanctorum.

Duo sunt de hac quæstione errores extremi, veritas est in medio, ut fere semper esse solet. Primus error est, posse ac debere S. Mariam, quæ præcipua Sanctorum est, invocari, non secus ac Deus invocatur. Ita olim quidam, quos Epiphanius refert et refellit, hæresi 78. in fine, et hæresi 79. per totum. Alter est error, nullum Sanctorum post mortem debere invocari ullo modo, quia vel non possunt orare mortui pro viventibus ; vel si possunt, non nisi in genere orant, quia non possunt cognoscere nostras preces, quas ad illos fundimus. Hic error multorum est.

Primus omnium videtur fuisse Vigilantius, qui in hunc lapidem offendit. Nam quod Alphonsus de Castro in libro de hæresibus, verbo, Sancti, tribuit hunc errorem Eustathio, qui ante Vigilantium vixit, non facile probari potest. Siquidem Eustathius Basilicas Martyrum contemnebat, et forte reliquias etiam : at de invocatione nihil docuit. Vide Socratem lib. II. cap. 33. et Concilium Gangrense. Igitur Vigilantius, ut est in lib. S. Hieronymi contra Vigilantium, docebat, post mortem nullius pro altero exaudiri orationem, et ideo Sanctos mortuos non orare pro viventibus, ex quo sequitur, frustra eos invocari.

Deinde invocationem Sanctorum apertius et fortius oppugnarunt tempore B. Bernardi Henriciani, seu Petrobrusiani, et Apostolici, ut refert ipse S. Bernardus serm. 66. in Cantica, et auctor vitæ S. Bernardi lib. III. cap. 5. Idem paulo post docuerunt Waldenses, ut auctor est B. Antoninus IV. par tit. XI. c. 7. §. 2. Idem postea quidam nomine Cathari, ut auctor est Turrecremata, lib. IV. par. 2. cap. 35. summæ de Ecclesia. Idem postea Joan. Wiclef. ut scribit Thomas Waldensis tom. III. tit. XII. c. 108. et seq. Nec non Thaboritæ, qui de familia sunt Joannis Huss, ut scribit Æneas Sylvius de origine Bohemor. c. 35. Quamquam Wiclefus non illicitum esse dicebat orare Sanctos, sed solum inutile et superfluum ; dicebat enim videri stultitiam recurrere ad scurras alicujus Principis, quando ipse Princeps est paratissimus per se audire, vel sectari turbidos rivos, quando fons ipse patet : quibus verbis obiter Sanctos scurris et rivis turbidis conferebat, quod est hæreticorum proprium.

Denique, hæretici nostri temporis, ut Lutherus in libris ad Waldenses ; Melanchthon in Apol. art. 21. Confess. Augustanæ ; Brentius cap. 24. Confess. Wirtemb. et Calvinus lib. I. cap. 14. §. 12. et lib. III. Instit. cap. 20. §. 20. et seq. tria docent de orationibus Sanctorum. Primo, ex divinis litteris non haberi, quod sancti mortui orent pro vivis, ac proinde hoc non esse certum. Secundo, si sancti orant, eos non orare nisi in genere pro tota Ecclesia electorum, non autem pro isto, aut illo in speciali. Tertio, inutile et illicitum esse invocare Sanctos, sive Angelos, sive homines, ac petere, ut pro nobis orent ; inutile quidem, quia non habent tam longas aures (ita enim Calvinus loquitur) ut preces nostras audire possint : illicitum autem, quia hinc obscuratur gloria Christi, qui est unicus mediator et intercessor noster.

CAPUT XI.

Deteguntur aliquot fraudes et mendacia hæreticorum.

Habemus igitur quæ sit sententia adversariorum, sed antequam eam refellamus, utile erit cognoscere breviter, quibus calumniis et mendaciis Melanchthon, et Calvinus eam simplicibus persuadeant.

Philippus loco notato tria mendacia dicit. Primo, nos tribuere Sanctis divinitatem, id est, vim cognoscendi mentium cogitationes. Mendacium est apertum ; nec enim ullus Catholicorum hoc dicit, vel dixit unquam ; asserimus enim eos cognoscere nostras preces, non ut sunt in mentibus nostris, sed ut sunt in Deo, quem vident, et qui eas ipsis ostendit.

Secundo, ante tempora S. Gregorii non

exstare mentionem invocationis Sanctorum. Paulo liberalior fuit Martinus Kemnitius, qui in examine sess. XXII. Concilii Tridentini dicit, invocationem Sanctorum cœpisse post tempora Augustini ; et in exam. sess. XXV. dicit, auctorem invocationis B. Mariæ fuisse Petrum Gnapheum, qui vixit circa annum Domini 480., quæ imperitia vel malitia est intolerabilis in tantis Magistris in Israel, cum sint loca innumerabilia in Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Basilio, Athanasio, Irenæo, et aliis quos postea citabimus, et quæ etiam citantur a Centuriatoribus, Centur. IV. cap. 4. et Centur. V. cap. 4.

Tertio, Papistas esse asinos, qui docent ex libro S. Hieronymi contra Vigilantium, Vigilantium negasse invocationem Sanctorum, cum in toto illo libro Hieronymi non sit una syllaba de invocatione Sanctorum, sed solum de honore reliquiarum. At hoc ipsum ostendit Philippum non quidem asinum, sed certe valde stupidum fuisse ; nam etsi Vigilantius non dixit, Sanctos non esse invocandos, tamen dixit, eos non posse orare pro nobis : hinc autem si non colligeremus, eum negasse invocationem Sanctorum, tunc vere tardiores asinis essemus. Quis enim invocaret eum, qui non potest ullum auxilium præbere ? Sapientius igitur fecerunt Magdeburgenses, Centur. IV. cap. 8. qui videntes non posse negari, quin Vigilantius idem senserit quod ipsi, dicunt, eum non fuisse hæreticum, sed sanctum Presbyterum, et cum Hieronymo contendisse, ac vicisse.

Porro Calvinus multa etiam dicit mirabilia. Primum affirmat lib. III. Institut. c. 20. §. 21. in omnibus hymnis et litaniis Papistarum, nullam unquam fieri Christi mentionem : et cum semper oremus Sanctos mortuos, numquam nobis in precibus Christum occurrere. Quod certe tale mendacium est, ut periculum sit, ne Diabolus cognomen mendacis amittat ; quid enim ? nonne in litaniis dicimus : *Kyrie eleison, Christe eleison, Pater de Cœlis Deus etc.* Nonne fere omnes hymni, quos in Breviario legimus, sunt vel Ambrosii, vel Gregorii, vel Prudentii, vel Sedulii antiquissimorum auctorum ? Et nonne omnes diriguntur ad Deum, et terminantur per *Gloria tibi Domine*, vel quid simile ? Nonne omnes orationes Ecclesiæ, quæ leguntur in Missa, diriguntur etiam ad Deum, et terminantur *Per Christum Dominum nostrum* ?

Secundo, Sanctos cum Christo regnantes passim in illo capite 20. libri III. vocat mortuos, larvas, umbras, colluviem ; quæ incredibilis blasphemia est.

Tertio dicit, lib. III. cap. 20. §. 20. solum Christum introisse in sanctuarium cœli, et solum ipsum deferre ad Deum vota populi eminus in atrio existentis. Quibus verbis significat, non solum sanctos homines, sed etiam SS. Angelos non posse Deo nostras preces offerre, sed solum Christum : quod est contra apertissimam Scripturam, Tob. XII : *Ego*, inquit Raphael, *obtuli orationem tuam Domino*. Et Apocal. VIII : *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo* (1). Et contra ipsum Calvinum, qui infra sui oblitus admittit Angelos offerre Deo nostras preces.

Quarto dicit, lib. III. cap. 20. §. 22. nos invocare Sanctos plane ut Deos, et habere nos Deos plurimos non pro numero urbium, ut dicitur Hierem. II. de Judæis, sed pro numero capitum multitudinis, quæ est calumnia manifesta, ut ex Litaniis apparet. Quis enim Deo dicere auderet, S. Deus, ora pro nobis ? Nec est nova calumnia ; nam etiam antiqui hostes Ecclesiæ mentiebantur, homines mortuos pro Diis Catholicos habere, ut patet ex Cyrillo lib. VI. in Julian. ultra med. et lib. X. ante med. et ex Eusebio lib. IV. histor. cap. 15. et lib. VIII. cap. 6. et ex Augustino lib. XXII. contra Faustum cap. 4. et ex Hieronymo contra Vigilantium.

Quinto ibidem dicit, nos rogare virginem, ut filium jubeat facere quod petimus. At quis nostrum hoc dicit ? cur non probat ullo exemplo ? Præterea si Josue X. dicitur : *Obediente Deo voci hominis*, cur non posset aliquo modo dici, filium Dei obedire matri aliquid petenti ?

Sexto ibidem dicit, nos ante statuas Barbaræ, vel Catharinæ demurmurare Pater noster, et Pastores hunc usum suo plausu approbare. At fideles etiam simplicissimi si interrogentur, respondere solent, se orationem Dominicam dirigere ad Deum, id autem se facere coram imaginibus Sanctorum, sperantes per auxilium Sanctorum suam orationem ad Deum melius, et felicius perventuram, sed etiamsi aliqui tam stupidi es-

(1) Tob. XII. 12 ; Apoc. VIII. 4.

sent, ut S. Barbaræ dicerent, Pater noster, num imperitia aliquorum traduci debet quasi esset dogma Ecclesiasticum? et qui sunt Pastores, qui hunc abusum probant?

Septimo dicit, in Concilio III. Carthaginiensi vetitum fuisse, ne in publicis precibus diceretur : *Sancte Petre, ora pro nobis*, sed istud decretum, nisi in suo codice Calvinus addiderit, nusquam reperitur. Concilium enim solum definit, ut oratio sacrificantis dirigatur ad Patrem, non ad Filium, vel Spiritum sanctum, de Sanctis nulla mentio. Sed Calvinus per suam Dialecticam ex eo, quod oratio debet dirigi ad Patrem; deducit, non posse invocari Sanctos, et inde ulterius deducit, Concilium statuisse, ut non dicatur: *S. Petre, ora pro nobis.*

Octavo dicit, horrendum esse sacrilegium, Sanctos vocare præsules salutis, et nullo colore defendi, quod quidam Sanctis dicunt: E cœlo nos respice, et adjuva. At priora sunt verba Ambrosii libro de viduis : posteriora Gregorii Nazianzeni oratione in Cyprianum, in Athanasium, in Basilium : istis autem duobus viris nihil habuit antiquitas sapientius.

CAPUT XVII.

Quomodo Sancti invocandi non sint.

Nunc ut rei veritas manifesta fiat, ponemus et probabimus aliquot propositiones.

Prima propositio : « Non licet a Sanctis petere, ut nobis tamquam auctores divinorum beneficiorum, gloriam, vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media concedant. » Hæc est contra primum errorem, et contra calumnium Calvinistarum. Probatur Primo Scriptura, Psal. LXXXIII : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Et Psal. CXX. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi, auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (1). Montes sunt homines sancti, ut exponit Augustinus in hunc Psalmum, et fusius tract. I. in Joannem, et libro de Pastoribus. cap. 8. jubemur ergo levare oculos ad montes, id est, ad Sanctos, et ab eis auxilium exspectare, sed ut intelligamus ab eis auxilium exspectandum esse, non ut ab auctoribus; sed ut ab imperatoribus; ideo statim subditur : *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Item Jacob. I: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum* (2).

Secundo probatur ex usu Ecclesiæ; nam in orationibus, quæ leguntur in Missa, vel in officio in celebritatibus Sanctorum, nihil unquam aliud petimus, quam ut eorum precibus a Deo nobis beneficia concedantur.

Tertio ratione; nam ea quibus indigemus, superant vires creaturæ, ac proinde etiam Sanctorum : ergo nihil debemus a Sanctis petere, nisi ut a Deo impetrent, quæ nobis utilia sunt.

Quarto ex Augustino lib. VIII. civit. Dei cap. ult. et lib. XXII. cap. 10. et ex Theodoreto lib. VIII. ad Græcos, qui diserte docent, Sanctos non esse invocandos ut Deos, sed ut qui a Deo impetrare possunt quod volunt.

Est tamen notandum, cum dicimus, non debere peti a Sanctis, nisi ut orent pro nobis, nos non agere de verbis, sed de sensu verborum; nam quantum ad verba, licet dicere: S. Petre miserere mei, salva me, aperi mihi aditum cœli : item da mihi sanitatem corporis, da patientiam, da mihi fortitudinem etc. dummodo intelligamus, salva me, et miserere mei orando pro me, da mihi hoc, et illud tuis precibus et meritis. Sic enim loquitur Gregorius Nazianzenus orat. in Cyprianum et in Basilium, et alii multi veterum : Necnon Ecclesia universa, cum in hymno ad Virginem dicit :

MARIA mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Et in hymno Apostolorum :

Quorum præcepto subditur
Salus et languor omnium,
Sanate ægros moribus,
Nos reddentes virtutibus.

Et sicut Apostolus de se dicit, Roman. XI: *Ut salvos facerem aliquos ex illis.* Et I. Cor. IX : *Ut omnes facerem salvos* (3), non ut Deus, sed juvando concionibus, precibus etc.

(1) Psal. LXXXIII, 12; CXX, 1 et 2. — (2) Jac. I, 17. — (3) Rom. XI, 14; I. Cor. IX, 22.

Secunda propositio : « Sancti non sunt immediati intercessores nostri apud Deum, sed quidquid a Deo nobis impetrant, per Christum impetrant. » Nota, tres personas posse considerari, quando nos Deum oramus; unam ipsius Dei, a quo petimus beneficia; alteram Christi, per cujus meritum ea cupimus nobis dari; tertiam ejus, qui petit beneficia per Christum. Ex his tribus personis non potest prima Sanctis tribui, ut jam probavimus; nec secunda, ut nunc ostendemus; sed solum tertia.

Itaque Sanctos invocamus ad hoc solum, ut faciant id, quod nos facimus, quia melius et efficacius ipsi facere possunt quam nos, melius illi et nos simul, quam nos soli. Probatur jam conclusio; Solus Christus est, qui mundum reconciliavit Deo, et qui meruit nobis gloriam et gratiam, et omnia necessaria ad salutem, ut patet Coloss. I: *Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia, pacificans per sanguinem crucis ejus, quæ in terris, et quæ in cœlis sunt.* Et I. Joan. II : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (1).

Atque hinc Christus dicitur *ostium* Joan. X. et *via* Joan. XVI : quia, ut ipse ait, *nemo venit ad Patrem*, nisi per ipsum. Hinc etiam dicit Joan. XIV. *Petite in nomine meo.* Hinc dicitur mediator Dei, et hominum I. Timoth. II. et I. Joan. II. dicitur advocatus apud Patrem : ergo nihil a Sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum quo nobis Christi meritum applicetur, et per Christum gratiam et gloriam consequamur.

Secundo probatur ex verbis Sanctorum. Ambrosius lib. de Isaac. cap. VIII : « Ipse Christus, inquit, est os nostrum, per quod Patri loquimur : oculus noster, per quem Patrem videmus; dextera nostra, per quam nos Patri offerimus. » Augustinus Psalm. CVIII. exponens illud : oratio ejus fiat in peccatum: « Oratio, inquit, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum. » Bernardus sermone de B. Virgine, qui incipit, Signum magnum : « Opus est, inquit, mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quam Maria. » Quibus verbis docet Christum esse intercessorem immediatum, qui per se impetrat, Sanctos esse mediatos, qui non nisi per mediatorem Christum impetrant.

Tertio probatur ex orationibus Ecclesiæ. Omnes enim, quæ de Sanctis sunt, illam formam habent : « Concede nobis Deus intercessione hujus Sancti tale beneficium, per Christum Dominum nostrum. »

CAPUT XVIII.

Sanctos pro nobis orare.

Habemus igitur, quomodo Sancti invocandi non sint. Nunc, ut intelligamus quomodo invocandi sint, accedat Tertia propositio : « Sancti orant pro nobis saltem in genere secundum Scripturas. » Probatur ex iis Scripturis, quæ agunt solum de sanctis hominibus. Primus est Hier. XV : *Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum* (2). Ergo Moses et Samuel jam mortui poterant, et solebant orare pro populo Judæorum; ergo falsum est in Scripturis non haberi, quod Sancti mortui orent pro vivis.

Respondet Calvinus duobus modis. Primo, ex hoc loco colligi potius contrarium; cum enim dicitur, *si steterint*, nimirum ad orandum, significatur eos nec stetisse, nec orasse; et si isti præcipui Prophetæ non orabant, quanto minus alii?

At contra, quia etsi forte significetur, eos tunc non orasse, quia intelligebant rem esse jam desperatam, tamen significatur eos alias orare consuevisse, quando se impetrare posse putabant, alioqui inepta esset hæc Dei locutio. Nam si quis diceret, si jumentum meum oraverit pro te, nihil impetrabit : inepte loqueretur. Quare? Quia jumenta non possunt orare; et similiter si quis diceret, si venerit huc Cicero, vel Demosthenes, non persuadebunt mihi, inepte loqueretur, quia mortui huc venire non solent. Ita ergo et Deus (quod absit) inepte loqueretur, cum dicit : *Si steterint coram me Moyses et Samuel* : Si illi non possent, vel non solerent Deum interpellare. Aliud esset, si Scriptura diceret, si starent, id est, si per impossibile nunc viverent, et orarent. At nunc ait : *Si steterint*, et Græce ἐὰν στῶσι, non ἐὰν ἵστασι; et Hebraice רעמדך si stabit Moyses.

(1) Coloss. I, 19 et 20; I. Joan. II, 2. — (2) Jerem. XV, 1.

Secundo respondet, sensum hujus loci hunc esse, si nunc steterint coram me duo aliqui insignes viri, quales olim erant Moses, et Samuel, tamen nihil obtinebunt. At contra opponimus gravissimos auctores, Chrysostomum homil. 1. in epist. I. ad Thessalon. et Hieronymum in hunc locum, et Gregorium lib. IX moral. cap. 12. qui docent Deum loqui de ipso vero Mose, et Samuele.

Secundus locus est II. Machab. ult. ubi Judas in visione quadam vidit Oniam Pontificem, et Hieremiam Prophetam, qui jam obierant, orantes pro populo Judæorum; ad quem locum nihil habet, quod respondeat Calvinus, nisi hunc librum non esse Canonicum. At nos probamus esse Canonicum argumento, quod Calvinus non potest rejicere, si vult sibi constare; ipse enim contra invocationem Sanctorum affert tanquam argumentum potissimum testimonium Concilii III. Carthaginiensis, ut videbimus in solutione argumentorum; in illo autem eodem Concilio cap. 47. sic dicitur: « Item placuit, ut præter Scripturas canonicas nihil legatur in Ecclesia sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, etc. » Et infra: « Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo etc. » Vel igitur Calvinus recipiat libros Machabæorum, ut canonicos et divinos, vel non detereat nos hujus Concilii auctoritate a Sanctorum invocatione; nec enim dicendum est, eos Patres in uno sapere, et in altero delirare.

Tertius locus est Apoc. V. ubi describuntur 24 seniores in cœlo procidisse coram throno Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Quem locum exponentes Primasius, Richardus, scholia Græca apud Œcumenium, et Gagneius, dicunt orationes illas esse intercessiones pro infirmorum stabilitate.

Quartus locus est II. Petri I: *Dabo autem operam, et frequenter habere vos*, nimirum commendatos, sive in animo, *post obitum meum, ad horum memoriam faciatis* (1). Ut enim exponunt scholia Græca apud Œcumenium, aliqui veteres non inepte hinc colligebant, Sanctos post obitum gerere curam viventium. Et quamvis hoc non sit evidens argumentum, tamen est probabile.

Quintus locus est Luc. XVI. ubi dives Epulo orat pro fratribus suis: ergo multo magis orant justi pro tota Ecclesia.

Sextus est Apocalyps. VI. animæ sanctorum Martyrum magno clamore petunt vindictam de interfectoribus suis: ergo multo magis misericordiam petunt fratribus suis. Respondet Brentius istas orationes intelligi figurate; dicuntur enim Sancti mortui clamare ad Dominum, quia preces, quas viventes effuderunt, adhuc resonant in auribus Dei. At contra: nam dives Epulo dum viveret, non oravit pro fratribus suis. Sancti etiam Martyres dum hic viverent, non petebant a Deo vindictam de persecutoribus, sed potius ut eis ignoscerentur: ergo oratio, qua petunt vindictam, nova est; nam dum viverent, quia peccare poterant, et periculum erat ne si ultionem peterent, id facerent ex cupiditate, non petebant: nunc autem eam petunt intuitu, et amore justitiæ, ut recte exponit Beda.

Accedat ultimo, quod Scripturæ aperte docent communionem Ecclesiæ triumphantis cum militante; nam Hebr. XII, Apostolus dicit, nos accessisse ad Ecclesiam primitivorum, qui sunt in cœlis, id est, cives illorum esse, Ephes. II. et Gal. IV. dicit, matrem nostram esse Hierusalem, quæ est in cœlis. Et Coloss. I. et Eph. IV. dicit, Christum esse caput super omnem Ecclesiam, et certe non excluditur Ecclesia coelestis: at communio ista exigit necessario, ut membra pro invicem sollicita sint, et invicem se juvent. Hæc enim est natura membrorum sub uno capite viventium, ut Apostolus docet Roman. XII. et I. Corinth. XII. Hinc apparet quam falsum sit, quod Calvinus dicit lib. III Institut. cap. 20, §. 24. Deum voluisse, ut nullum nobis esset commercium cum Sanctis mortuis, sed nec illis nobiscum. At quomodo hæc vera esse possunt, si sumus una Respublica, unus populus, unum corpus? Vide Augustinum lib. XX. civit. Dei, cap. 9. ubi hoc ipsum probat.

Quarta propositio: « Sancti, qui regnant cum Christo, pro nobis orant, non solum in genere, sed etiam in particulari. » Probatur primo, Angeli orant pro nobis, et curam nostri gerunt, etiam in speciali, ut patet Tob. XII. Zachar. I. Apocalyps. VIII. Daniel. X. Psalm. XC. et Matth. XVIII. ergo multo magis id spiritus hominum beatorum faciunt; nam in primis nihil eis deest eorum, quæ

(1) II. Petr. I, 15.

Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinent, cum sint præditi intelligentia, et voluntate, et adsint semper Deo, et nos vehementer diligant, ac demum sint æquales Angelis, ut dicitur Lucæ XX. Deinde aliquid habent præ Angelis, quod sunt membra corporis Ecclesiæ nobis magis conjuncta, quam sint Angeli, et experti sunt miserias, et pericula nostra, quæ Angeli non sunt experti.

Respondet Calvinus, hoc argumentum concludere, si possimus ostendere, sicut Angeli præsunt hominibus, eosque custodiunt, atque eorum rebus intersunt, ita etiam sanctos hominum spiritus facere. Existimat enim ipse (ut olim Vigilantius) Sanctos omnes in atrio quodam quasi in libera custodia inclusos esse, nec inde unquam egredi, aut ullam de nobis sollicitudinem gerere.

Nos autem facile ostendemus non solum ab Angelis, sed etiam a spiritibus beatorum hominum regi et gubernari fideles viventes: Et sit hoc argumentum secundum; id enim promisit Christus, Apocal. II: *Qui vicerit*, inquit, *et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo.* Et c. III: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Et infra: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (1). Hic loquitur Joannes de spiritibus mortuorum, ut patet ex illis verbis: *Et custodierit usque in finem opera mea*; et loquitur de tempore ante resurrectionem, ut patet ex eo quod dicit: *Reget eas in virga ferrea.* Nam regere in virga ferrea, non significat, punire, quod etiam post resurrectionem fiet, sed significat regere virga pastorali, quod solum fit ante resurrectionem. Dicitur autem virga ferrea, quia inflexibilis est ad injustitiam, ut Psalm. XLIV: *Virga directionis*, id est virga rectissima, *virga regni tui*, et etiam sempiterna; nam regni ejus non erit finis. Quod autem sequitur: *Et tanquam vas figuli confringet eos*, non significat homines perdendos, sed peccatores, Christo peccata conterente, et delente, ut exponit Augustinus in Psal. II. juxta illud Actor. X: *Occide, et manduca.* Vel reguntur, sive pascuntur electi in virga ferrea, reprobi autem tanquam vas figuli confringuntur.

Quod vero hoc significet, regere, in virga ferrea, patet primo ex verbo Hebræo, quo utitur David Psalm. II: רְעֵם. Et ex Græco Joannis Apocalypsis 2, 12 et 19. quod est ποιμανεῖς, id est, pasces, sive pastoraliter reges.

Secundo ex eo, quod dicitur Apocalypsis XII: *Peperit filium, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea* (2); Christus autem non punit omnes gentes, sed regit pastoraliter.

Tertio, quia Psal. II. unde Joannes verba sua desumpsit, dicitur Christus totam suam hæreditatem regere in virga ferrea: *Postula a me etc.* nec tamen suspicari possumus totam Ecclesiam a Christo esse destruendam.

Quarto, quia sic exponunt, regere in virga ferrea, Hilarius, Augustinus, et Theodoretus in Psalm. II. et Primasius, ac Beda, et Rupertus in cap. II. Apocalypsis. Habemus igitur, spiritus hominum beatorum post mortem ante diem resurrectionis accipere potestatem in gentes, et regere, et pascere eas; necnon esse columnas in templo Dei, id est, sustentare Ecclesiam, quod proprie sanctis Martyribus convenire docet Chrysostomus in fine sermonis de Juventio et Maximo, ac demum sedere in throno Christi, id est, cum illo præsidere toti mundo, et Ecclesiam regere et gubernare.

Idem colligitur ex illo Math. XXIV: *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem, amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum* (3). Bona enim Domini Ecclesia est, ut Hilarius docet, quod etiam aperte legimus in præfatione de Apostolis, quam unam esse ex novem antiquissimis testatur Pelagius Papa II, qui S. Gregorium præcessit, in epist. 4. decretali. In ea præfatione dicitur: « Gregem tuum Pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores. » Id quod et Patres diserte docent.

Basilius oratione in quadraginta Martyres, dicit: « O cuneum inexpugnabilem! o communes generis humani custodes, optimi curarum socii etc. » Et Gregorius Nazianzenus orat in Cyprianum: « Tu, inquit, ab alto nos respice, nostrumque sermonem, ac vitam dirige, et sanctum ovile hoc pasce, aut simul una rege etc. »

(1) Apoc. II. 26 et seq. — (2) Apoc. XII. 5. — (3) Matth. XXIV. 46.

Hilarius in Psal. CXXIV : « Neque desunt stare volentibus Sanctorum custodiæ, neque Angelorum munitiones.»

Ambrosius lib. VIII. in Lucam, in fine : « Sicut Angeli præsunt, inquit, ita et his, qui vitam meruerint Angelorum. »

Item Leo serm. 2. de anniversario suæ assumptionis : « Petrus, inquit, nunc plenius, et potentius ea, quæ sibi commissa sunt, peragit, et omnes partes officiorum, atque curarum, in ipso, per quem est glorificatus, exequitur. » Et similia habet serm. 1. et 3. ejusdem argumenti. Item Maximus in serm. de Martyribus Tauricis : « Cum his, inquit, nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt. »

Denique Theodoretus lib. VIII. ad Græcos, circa finem : « Qui peregre, inquit, aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, aut potius itineris duces ; qui vero jam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes.» Habemus igitur ex Scripturis secundum Patrum explicationem, Sanctos orare pro nobis.

Idem probatur Secundo testimoniis Patrum. Cyprianus lib. I, epist. 1 : « Si quis hinc nostrum, inquit, prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris, apud misericordiam patris non cesset oratio, »

Gregorius Nazianzenus orat. 14. quæ est de obitu Gregorii patris sui : « Nunc magis, inquit, proficit nobis precibus, quam antea doctrina, quanto etiam Deo propinquior est, postquam vincula deposuit corporalia. »

Joannes Chrysostomus in serm. de Juventio, et Maximo : « Etenim sicut milites, inquit, vulnera in prœliis sibi inflicta regi monstrantes fideuter loquuntur, ita et illi abscecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæcumque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt. »

Hieronymus hanc ipsam conclusionem ex instituto probat libro contra Vigilantium, in epistola ad Paulam de obitu Blæsillæ : « Pro te, inquit, Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum. »

Augustinus lib. VII. de Baptismo contra Donatistas, cap. I. « Adjuvet, inquit, nos Cyprianus orationibus suis, in istius carnis mortalitate tamquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino quantum possumus, bona ejus imitemur. »

Leo serm. 3. de anniversario suæ assumptionis : « Nunc, inquit, mandatum Domini pius Pastor (Petrus) exsequitur, confirmans nos cohortationibus suis, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur.» Et in serm. 1. de SS. Petro et Paulo : « Sicut, inquit, nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendum misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos. » His accedant omnia testimonia, quæ afferemus pro sequenti conclusione ; nam qui dicunt Sanctos invocandos, sine dubio fatentur eos orare pro nobis.

Probatur ultimo ex apparitionibus Sanctorum, qui aperte testati sunt, se orare pro nobis etiam in particulari. Scribit Eusebius lib. VI. histor. capite 5. S. Potamiœnam carnifici promisisse, se cum ad Dominum pervenisset, aliquid ei boni impetraturam : deinde post tres dies a consummato martyrio carnifici per quietem apparuisse, atque ejus capiti coronam imposuisse, pauloque post juxta Martyris prædictionem, et ipsum ex impio carnifice pium Christi Martyrem effectum.

Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 16 : « Non solum, inquit, beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem, cum a barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed testibus certis. » Alia id genus plurima vide apud Basilium in orat. de S. Mamante ; Gregorium Nazianzenum oratione prima in Julianum, et oratione de S. Cæsario ; Gregorium Nyssenum in vita Gregorii Neocæsariensis ; Theodoretum lib. V. histor. cap. 24. Evodium, et Lucianum de inventione, et miraculis S. Stephani ; Ambrosium in serm. de SS. Gervasio et Prothasio, et serm. 90. de S. Agnete ; Prudentium hymno de S. Fructuoso ; Paulinum natali octavo S. Felicis ; Sulpitium in vita S. Martini, qui omnes auctores ante mille annos floruerunt.

CAPUT XIX.

Sanctos esse invocandos.

Sequitur Quinta, ac postrema propositio : « Sancti, sive Angeli, sive homines pii, atque utilitor a viventibus invocantur.» Probatur primo Scriptura, Genes. XLVIII. Jacob sic ait benedicens filiis Joseph : *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis* (1). Hic aperte S. Jacob Angelum invocavit. Item Job V : *Voca si quis est, qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere.* Ubi nomine Sanctorum intelligit Angelos, ut B. Augustinus exponit in annotationibus in Job, qui etiam illud, c. XIX : *Miseremini mei amici mei*, ad Angelos dici existimat, juxta quod dicitur, cap. XXIII : *Si fuerit Angelus loquens pro eo unus de millibus, misebitur eis, et dicet, Et libera eum.* Sicut etiam cap. XV. cum dicit : *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis.* Nomine Sanctorum intelliguntur Angeli ; nam idem habetur cap. IV. his verbis : *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem* (2). Quamvis autem hæc verba non videantur convincere, quia non sunt ipsius scriptoris libri, sed Eliphaz amici Job, tamen ideo convincunt, quia indicant tunc fuisse consuetudinem invocandi patrocinium sanctorum Angelorum.

Item Exod. XXXII. Moses ita orat : *Recordare Domine Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum* (3). In quem locum scribens Theodoretus quæst. 67. in Exod. dicit sanctum Mosem, cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum. Ubi notandum est, quia ante Christi adventum, Sancti, qui moriebantur, non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium ; ideo non fuisse consuetum in Testamento veteri, ut diceretur : Sancte Abraham ora pro me etc. sed solum orabant homines ejus temporis Deum, et allegabant merita Sanctorum, qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur.

Respondet Calvinus, non peti ejusmodi verbis auxilium a meritis Sanctorum, sed solum commemorari pactum, quod Deus cum Patriarchis fecerat de protegendis, et adjuvandis eorum posteris.

At solutio non satisfacit, nam et pactum Dei, et justitia Sanctorum simul commemorabantur, ut patet ex Psal. CXXXI : *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.* Et infra : *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.* Quæ verba Salomonis sunt orantis Deum per merita patris sui Davidis, jam defuncti, ut constat ex lib. II. Paralipom. cap. VI. Unde etiam lib. III Reg. cap. XV. dicitur : *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini.* Et Daniel. III : *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum* (4). Et Moses Exod. XXXIV. Hierem. cap. XXXII. et alii, cum orabant Deum, initio dicere solebant : *Deus, qui facis misericordiam in millibus his, qui diligunt te*, id est, qui propter justitiam Patrum misereris sæpe filiorum, quod erat implorare merita veterum justorum. Unde etiam B. Augustin. quæst. 149. in Exod. sic ait : «Admonemur, inquit, cum merita nostra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.» Idem docet Chrysostomus homil. 42. in Genes. et 27. in Matth.

Præterea in utroque Testamento sæpe legimus, viventes a viventibus invocatos ; nam lib. I. Regum cap. VII. dicunt filii Israel ad Samuelem : *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Item Job ultimo : *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis.* Roman. XV. Paulus ait : *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum* (5). Idem repetit Ephes. VI ; I. Thessal. V ; II. Thess. III. Coloss. IV. et Hebr. XIII. ergo licebit etiam nunc invocare eosdem Sanctos cum Christo regnantes. Nam si nunc non licet, vel quia nolunt ; et hoc non, cum sint majori charitate præditi, quam antea, et (ut loquitur Cyprianus serm. de mortalitate) de sua immortalitate securi, et de nostra in-

(1) Gen. XLVIII, 16. — (2) Job. V, 1; XIX. 21; XXXIII, 28; XV, 15; IV, 18. — (3) Exod. XXXII. 13. — (4) Psal. CXXXI, 1 et 10; III. Reg. XV, 4; Dan. III, 35. — (5) I. Reg. VII, 8; Tob. XIII, 8; Rom. XV, 30.

Hilarius in Psal. CXXIV : « Neque desunt stare volentibus Sanctorum custodiæ, neque Angelorum munitiones.»

Ambrosius lib. VIII. in Lucam, in fine : « Sicut Angeli præsunt, inquit, ita et his, qui vitam meruerint Angelorum. »

Item Leo serm. 2. de anniversario suæ assumptionis : « Petrus, inquit, nunc plenius, et potentius ea, quæ sibi commissa sunt, peragit, et omnes partes officiorum, atque curarum, in ipso, per quem est glorificatus, exequitur. » Et similia habet serm. 1. et 3. ejusdem argumenti. Item Maximus in serm. de Martyribus Tauricis : « Cum his, inquit, nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt. »

Denique Theodoretus lib. VIII. ad Græcos, circa finem : « Qui peregre, inquit, aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, aut potius itineris duces ; qui vero jam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes.» Habemus igitur ex Scripturis secundum Patrum explicationem, Sanctos orare pro nobis.

Idem probatur Secundo testimoniis Patrum. Cyprianus lib. I, epist. 1 : « Si quis hinc nostrum, inquit, prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris, apud misericordiam patris non cesset oratio, »

Gregorius Nazianzenus orat. 14. quæ est de obitu Gregorii patris sui : « Nunc magis, inquit, proficit nobis precibus, quam antea doctrina, quanto etiam Deo propinquior est, postquam vincula deposuit corporalia. »

Joannes Chrysostomus in serm. de Juventio, et Maximo : « Etenim sicut milites, inquit, vulnera in prœliis sibi inflicta regi monstrantes fideuter loquuntur, ita et illi abscecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæcumque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt. »

Hieronymus hanc ipsam conclusionem ex instituto probat libro contra Vigilantium, in epistola ad Paulam de obitu Blæsillæ : « Pro te, inquit, Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum. »

Augustinus lib. VII. de Baptismo contra Donatistas, cap. I. « Adjuvet, inquit, nos Cyprianus orationibus suis, in istius carnis mortalitate tamquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino quantum possumus, bona ejus imitemur. »

Leo serm. 3. de anniversario suæ assumptionis : « Nunc, inquit, mandatum Domini pius Pastor (Petrus) exsequitur, confirmans nos cohortationibus suis, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur.» Et in serm. 1. de SS. Petro et Paulo : « Sicut, inquit, nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendum misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos. » His accedant omnia testimonia, quæ afferemus pro sequenti conclusione ; nam qui dicunt Sanctos invocandos, sine dubio fatentur eos orare pro nobis.

Probatur ultimo ex apparitionibus Sanctorum, qui aperte testati sunt, se orare pro nobis etiam in particulari. Scribit Eusebius lib. VI. histor. capite 5. S. Potamiœnam carnifici promisisse, se cum ad Dominum pervenisset, aliquid ei boni impetraturam : deinde post tres dies a consummato martyrio carnifici per quietem apparuisse, atque ejus capiti coronam imposuisse, pauloque post juxta Martyris prædictionem, et ipsum ex impio carnifice pium Christi Martyrem effectum.

Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 16 : « Non solum, inquit, beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem, cum a barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed testibus certis. » Alia id genus plurima vide apud Basilium in orat. de S. Mamante ; Gregorium Nazianzenum oratione prima in Julianum, et oratione de S. Cæsario ; Gregorium Nyssenum in vita Gregorii Neocæsariensis ; Theodoretum lib. V. histor. cap. 24. Evodium, et Lucianum de inventione, et miraculis S. Stephani ; Ambrosium in serm. de SS. Gervasio et Prothasio, et serm. 90. de S. Agnete ; Prudentium hymno de S. Fructuoso ; Paulinum natali octavo S. Felicis ; Sulpitium in vita S. Martini, qui omnes auctores ante mille annos floruerunt.

CAPUT XIX.

Sanctos esse invocandos.

Sequitur Quinta, ac postrema propositio : « Sancti, sive Angeli, sive homines pii, atque utilitor a viventibus invocantur.» Probatur primo Scriptura, Genes. XLVIII. Jacob sic ait benedicens filiis Joseph : *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis* (1). Hic aperte S. Jacob Angelum invocavit. Item Job V : *Voca si quis est, qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere.* Ubi nomine Sanctorum intelligit Angelos, ut B. Augustinus exponit in annotationibus in Job, qui etiam illud, c. XIX : *Miseremini mei amici mei*, ad Angelos dici existimat, juxta quod dicitur, cap. XXIII : *Si fuerit Angelus loquens pro eo unus de millibus, misebitur eis, et dicet, Et libera eum.* Sicut etiam cap. XV. cum dicit : *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis.* Nomine Sanctorum intelliguntur Angeli ; nam idem habetur cap. IV. his verbis : *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem* (2). Quamvis autem hæc verba non videantur convincere, quia non sunt ipsius scriptoris libri, sed Eliphaz amici Job, tamen ideo convincunt, quia indicant tunc fuisse consuetudinem invocandi patrocinium sanctorum Angelorum.

Item Exod. XXXII. Moses ita orat : *Recordare Domine Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum* (3). In quem locum scribens Theodoretus quæst. 67. in Exod. dicit sanctum Mosem, cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum. Ubi notandum est, quia ante Christi adventum, Sancti, qui moriebantur, non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium ; ideo non fuisse consuetum in Testamento veteri, ut diceretur : Sancte Abraham ora pro me etc. sed solum orabant homines ejus temporis Deum, et allegabant merita Sanctorum, qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur.

Respondet Calvinus, non peti ejusmodi verbis auxilium a meritis Sanctorum, sed solum commemorari pactum, quod Deus cum Patriarchis fecerat de protegendis, et adjuvandis eorum posteris.

At solutio non satisfacit, nam et pactum Dei, et justitia Sanctorum simul commemorabantur, ut patet ex Psal. CXXXI : *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.* Et infra : *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.* Quæ verba Salomonis sunt orantis Deum per merita patris sui Davidis, jam defuncti, ut constat ex lib. II. Paralipom. cap. VI. Unde etiam lib. III Reg. cap. XV. dicitur : *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini.* Et Daniel. III : *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum* (4). Et Moses Exod. XXXIV. Hierem. cap. XXXII. et alii, cum orabant Deum, initio dicere solebant : *Deus, qui facis misericordiam in millibus his, qui diligunt te*, id est, qui propter justitiam Patrum misereris sæpe filiorum, quod erat implorare merita veterum justorum. Unde etiam B. Augustin. quæst. 149. in Exod. sic ait : «Admonemur, inquit, cum merita nostra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.» Idem docet Chrysostomus homil. 42. in Genes. et 27. in Matth.

Præterea in utroque Testamento sæpe legimus, viventes a viventibus invocatos ; nam lib. I. Regum cap. VII. dicunt filii Israel ad Samuelem : *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Item Job ultimo : *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis.* Roman. XV. Paulus ait : *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum* (5). Idem repetit Ephes. VI ; I. Thessal. V ; II. Thess. III. Coloss. IV. et Hebr. XIII. ergo licebit etiam nunc invocare eosdem Sanctos cum Christo regnantes. Nam si nunc non licet, vel quia nolunt ; et hoc non, cum sint majori charitate præditi, quam antea, et (ut loquitur Cyprianus serm. de mortalitate) de sua immortalitate securi, et de nostra in-

(1) Gen. XLVIII, 16. — (2) Job. V, 1; XIX. 21; XXXIII, 28; XV, 15; IV, 18. — (3) Exod. XXXII. 13. — (4) Psal. CXXXI, 1 et 10; III. Reg. XV, 4; Dan. III, 35. — (5) I. Reg. VII, 8; Tob. XIII, 8; Rom. XV, 30.

columitate solliciti: vel quia non possunt; et hoc non, quia si poterant cum hic essent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria? vel quod non sciant quid oremus; et hoc non, quia unde sciunt Angeli conversionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in cœlis, ut dicitur Luc. XV. inde sciunt Sancti nostras preces: vel demum quia fit injuria Deo, aut Christo, si alius quam ipse invocetur; et hoc non, quia tunc non liceret viventes invocare.

Atque hoc argumentum adversarii numquam solvere potuerunt. Calvinus enim solum respondet, aliam esse rationem invocationis vivorum et mortuorum, quia vivi omnes subnixi una Christi intercessione tam pro se, quam pro aliis Deum rogant, quia sunt invicem membra; et quia Scriptura, hortatur, ut oremus pro invicem, Jacobi V. At hoc idem de mortuis dici potest; nam et illi sunt membra ejusdem Ecclesiæ, et una Christi intercessione nituntur; quidquid enim nobis petunt, a Deo per Christum petunt.

Probatur tertio ex Conciliis, ac primum in epist. Episcoporum Europæ scripta ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post Concilium Chalcedonense, sic dicitur: « Sanctissimum vero Proterium in Choro, et ordine sanctorum Martyrum ponimus, et ejus intercessione misericordem, ac propitium Deum habere postulamus. » Et actione 11. Concilii Chalcedonensis, dicunt Patres: « Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret. » Deinde in VI Synodo generali, cap. 7. ex canonibus recens editis, sic dicitur: « Solo Deo creatore adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur. » Item VII Synodus generalis actione 6. in fine: « Cum timore, inquit Synodus, omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum. » Item in Concilio Gerundensi, cap. 3. Aurelianensi I, can. 29. Moguntino sub Carolo Magno, cap. 33. Toletano V, cap. 1. et Toletano VI, cap. 2. et Bracarensi II, cap. 9. indicuntur litaniæ recitandæ vel triduo ante ascensionem, vel aliis temporibus. Sunt autem ista Concilia fere omnia celebrata ante annos fere mille. Iis accedat factum Gregorii, qui litanias indixit tempore pestis, lib. I. vitæ ejus, cap. 42. et Walfridus Strabo, c. 28. testes sunt.

Sed forte objicient, litanias hic vocari solum Kyrie eleison, Christe eleison; id enim vocant litaniam Græci; ut patet ex Basilio epist. 63. et ex liturgia ipsius Basilii et Chrysostomi.

Respondeo: in Conciliis prædictis litanias vocari illas ipsas invocationes Dei, et Sanctorum, quas nos modo vocamus litanias; nam in primis Walfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. 28. declarans, quid sit litania, de qua agitur in his Conciliis, et nominatim in Concilio I Aurelianensi, dicit esse Sanctorum invocationem. Deinde tunc dicebantur litaniæ triduo ante ascensionem, et dicebantur non stando, sed ambulando, et circumeundo aliqua loca: at nunc videmus servari idem tempus, et eumdem ritum; ergo eædem sunt litaniæ omnino.

Probatur quarto testimoniis Græcorum, et Latinorum Patrum. Ex Græcis primus prodeat S. Dionysius Areopagita, qui cap. 7. Ecclesiast. hierarch: « Nam profecto, inquit, idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. Sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, et naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit etc. »

S. Irenæus lib. V. contra hæreses ultra medium: « Et sicut illa (Eva) seducta est, ut effugeret Deum, sic hæc (Maria) suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ, virgo Maria fieret advocata. » Quid clarius?

Eusebius lib. XIII. præparationis Evangelicæ, cap. 7: « Hæc nos, inquit, quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tamquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur. »

Athanasius serm. in Evangelium de sanctissima Deipara, id est, de annuntiatione circa finem: « Inclina, inquit, aurem tuam (Maria) in preces nostras, et ne obliviscaris populi tui. » Et infra: « Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo. » Et infra: « Intercede hera, et domina, et regina, et mater Dei pro nobis. »

Basilius orat. in 40. Martyres: « Qui aliqua, inquit, premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursum lætatur, hos oret: ille ut a malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis. » Idem oratione in Psalm. XXXIII. in illud: Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: « Sanctæ, inquit, spirituales virtutes (Angeli) aliquæ, oculi dicuntur, quod curam susceperint nos intervisendi: nonnullæ aures, ut quæ nostras excipiunt preces. »

Gregorius Nazianzenus orat. in Cyprianum, in ipso medio, loquens de quadam sancta Virgine, quam Cyprianus tunc Ethnicus, et Magus per dæmonem ad stuprum sollicitabat: « Virginem Mariam, inquit, rogavit, ut periclitanti Virgini opem ferret. » Et infra: « Vicit Virgo, vincitur dæmon etc. » Idem in fine Cyprianum invocat; sicut etiam fecit in fine orationis in Basilium, et in fine orationis in Athanasium, ubi sic ait: « Tu autem e supernis propitius nos respice, et populum hunc sanctum dirige, et nos in pace quidem fove et compasce, in certamine autem dirige, et suscipe, et cum te ipso statue, et iis qui tales sunt ut tu, etiamsi magna sit petitio. »

Chrysostomus homil. 66. ad populum, circa fin.: « Nam, inquit, et ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, et fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant, et scenarum fabrum, et piscatorem ut protectores orat qui diademate redimitus incedit. » Idem hortatur ad supplicandum Sanctis homil. 5. et 8. in Matth. homil. 43. in Genes. homil. 1. in priorem Thessal. serm. in Juventium et Maximum, et alibi.

Gregorius Nyssenus orat. in S. Theodorum, circa fin.: « Intercede, inquit, ac deprecare pro patria apud communem Regem et Dominum. Timemus afflictiones, exspectamus pericula. Non longe absunt scelesti Scythæ, bellum adversum nos parturientes. Ut miles propugna pro nobis, ut Martyr pro conservis utere libertate loquendi. » Et infra: « Quod si majori etiam opus fuerit deprecatione et advocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare, admone Petrum, excita Paulum, Joannem item Theologum, ac discipulum dilectum etc. »

S. Ephrem in sermonibus de laudibus sanctorum Martyrum: « Precamur, inquit, beatissimi Martyres, qui pro Domino salvatore, proque illius charitate sponte et impigre tormenta sensistis, atque ideo familiarius Domino conjuncti estis, ut pro nobis miseris et peccatoribus, et de negligentiæ squalore sordentibus, Dominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gratia Christi. »

Cyrillus catechesi 5. mystagogica: « Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, suscipiat preces nostras etc. »

Theodoretus in historia sanctorum Patrum, singulas vitas ita concludit: « Ego autem huic narrationi finem imponens rogo et quæso, ut per horum intercessionem divinum consequar auxilium. » Multa item habet de invocatione Sanctorum lib. VIII. ad Græcos, qui est de Martyribus.

Damascenus lib. IV. de fide, cap. 16: « Per eos (Sanctos jam defunctos) dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundantur, tentationes et tristitiæ solvuntur. Omne donum bonum a patre luminum per eos, qui inhæsitabili fide petunt, descendit. »

Theophylactus in cap. XI. ad Hæbr.: « Jam nunc, inquit, arrabonem, et pignus honoris habent (Sancti in cœlo) unde alias eis potestas esset, ut succurrere queant invocantibus se? Unde ipsis, quod fiduciam habent intercedendi? »

Jam ex Latinis. S. Cornelius Papa in epistol. I. quæ est de translatione corporum Apostolorum: « Orantes, inquit, Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercedentibus sanctis suis Apostolis, maculas vestrorum purget peccatorum etc. »

S. Hilarius in Psal. CXXIX.: « Intercessione, inquit, Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum et promerendum, spiritualis intercessionis ministerio indigente. » Similia dicit de intercessione sanctorum Apostolorum, et Prophetarum in Psal. CXXIV.

S. Ambrosius lib. de viduis, ultra medium: « Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi qua habuerunt, peccata laverunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt. » Item lib. X. in Lucam exponens

cap. 21 : « Mortuis regibus, inquit, in perpetuum Martyres regnum cœlestis gratiæ honore succedunt, et illi fiunt supplices, hi patroni. »

S. Hieronymus in epitaphio Paulæ circa finem : « Vale, inquit, o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva, fides, et opera tua Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas, impetrabis. »

S. Maximus in ser. de S. Agnete : « Itaque, inquit, o splendida Christo, pulchra Dei filio, et omnibus Angelis, et Archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus. »

Ruffinus lib. II. hist. cap. 33 : « Circuibat (Theodosius) cum sacerdotibus et populo omnium orationum loca, ante Martyrum et Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. »

S. Paulinus in fine carminis Panegyrici de sancto Celso :

Celse juva fratrem socia pietate laborans,
Ut vestra nobis sit locus in requie.

Et in epist. 12. ad Severum inserens quædam carmina de S. Claro, sic ait :

Qualibet in regione poli situs aut paradisi,
Clare sub æterna pace beatus agis.
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Ut sis Paulini, Therasiique memor.

Prudentius eodem tempore plurima scripsit carmina de Sanctis, in quibus eos invocari a viventibus docet. Proferamus loco exempli pauca. In carmine de S. Laurentio, sic ait :

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere.
Et tristis haud ullus reddit.
Cui præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.

Item in Hymno de S. Cassiano.

Audit, credе, preces Martyr prosperrimus [omnes,
Ratasque reddit quas vides probabiles.

Item de S. Hippolyto :

Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulet, annuere.

S. Augustinus tract. 84. in Joan. : « Ideo quippe ad ipsam mensam, inquit, non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut ipsi pro nobis orent. » Item serm. 17. de verbis Apostoli : « Habet, inquit, Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt cum Martyres eo loco recitant ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. » Item lib. de cura pro mortuis c. 4 : « Non video, inquit, quod sit adjumentum mortuorum provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, nisi ad hoc, ut dum recolunt ubi sint reposita eorum, quos diligunt, eisdem Sanctis illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent. »

S. Victor Uticensis lib. III. de persec. Wandalica circa finem : « Adestote, inquit, Angeli Dei, deprecamini Patriarchæ, orate S. Prophetæ, ostote Apostoli suffragatores, præcipue tu Petre beate, quare siles pro ovibus, et aquis a communi Domino magna tibi cautela, et sollicitudine commendatis? Tu S. Paule gentium magister, cognosce quid Wandali faciunt Ariani, et filii tui gemunt lugendo captivi, universique ingemiscite simul pro nobis Apostoli. »

S. Fulgentius in serm. de laudibus B. Mariæ : « Ideo, inquit, omnes cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro Jesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus fœminis subveniret. »

S. Leo serm. 5. de Epiphania : « Confirmate, inquit, amicitias cum S. Angelis et Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini, horum divitias concupiscite, et per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. » Vide eumdem in sermonibus de anniversario suæ assumptionis, et de sanctis Petro et Paulo, et Laurentio.

S. Gregorius lib. II. Dialog. cap. ult. in fine : « Ubi, inquit, in suis corporibus Sanctorum Martyres jacent, dubium Petre non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut et faciunt, et pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt, sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, ubi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos majora signa ostendere, ubi de eorum præsentia potest mens infirma

dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto majus habet fidei meritum, quanto illic eos novit, et non jacere corpore, et tamen non deesse ab exauditione. »

S. Gregorius Turonensis lib. I. de gloria Martyrum cap. 94 : « Cyprianus, inquit, beatissimus Carthaginiensis, et antistes, et Martyr, salutem sæpius infirmis supplicantibus præstat. »

S. Beda lib. IV. in Cantica, circa finem ; « Sed et cavernam maceriæ, inquit, cito volatu petamus, id est, Sanctorum vel Angelorum, vel hominum orebras pro nobis intercessiones apud misericordiam pii conditoris quæramus, hæc sunt enim firmissima, ac tutissima Sanctæ Ecclesiæ præsidia. » Idem habet lib. III. in Matth. in illud cap. 15. Qui non respondit ei verbum : « Sanctorum, inquit, sunt petenda suffragia, ut ipsi supplicent pro Ecclesia. »

S. Anselmus in lib. de excellentia B. Virginis Mariæ cap. ultim. : « Rogamus, inquit, te Domina per ipsam gratiam, qua te pius et omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum nobis impetres, et obtineas, ut plenitudo gratiæ, quam meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati præmii misericorditer quandoque donetur. »

S. Bernardus serm. 2. super Evangelium Missus est : « In periculis, inquit, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis, et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit, et nomen Virginis Maria. »

Ex his 30. antiquis, et doctissimis Patribus, soli sunt quinque Gregorio posteriores; ex quo apparet, quam illustre fuerit mendacium Philippi, qui ante Gregorium ignotam fuisse scripsit Sanctorum invocationem.

Probatur quinto ex miraculis B. Bernardi factis contra hanc hæresim. Scribitur enim lib. III. vitæ ejus cap. 3, quod cum B. Bernardus apud Tolosam contra hanc ipsam hæresim prædicaret, populorum turbis offerentibus panes, ut eis vir sanctus benediceret, et benedicebat ille signo crucis edito his verbis : « In hoc scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis, adepti fuerunt sospitatem. » Et cum Episcopus Carnotensis, qui aderat, diceret : Si bona fide sumpserint, sanabuntur. » B. Bernardus addidit : « Non hoc ego dixi, sed vere quicumque gustaverint, sanabuntur, ut veros nos et veraces Dei nuntios esse sciatis. » Et subjungit auctor : « Tam ingens multitudo languentium gustato illo pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur. »

Nota, miracula isla non esse facta proprie ad probanda merita B. Bernardi ; nam ipse diserte dixit, ut sanarentur ægroti, si vera erant, quæ prædicaverat : et ne forte tribuerentur fidei, et devotioni populorum addidit, omnes sanandos qui inde gustassent, sive cum fide, sive sine fide, ut nimirum totum miraculum referretur tamquam ad finem, ad confirmationem veritatis : Ergo cum sint facta innumerabilia miracula ad hanc nostram sententiam confirmandam aut ipsa vera est, aut Deus testis fuit falsitatis.

Accedant postremo infinita miracula, quibus Sancti sæpissime demonstrarunt, se audire preces viventium, et posse ac velle eos juvare, a quibus invocantur. Vide de his miraculis epistolam Nili recitatam in VII Synodo act. 4. Theodoretum in histor. lib. V. cap. 24. et lib. VIII. ad Græcos. Ambrosium sermon. 90. qui est de S. Agnete. Augustinum lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. Gregorium Turonicum in libris de gloria Martyrum et Confessorum. Gregorium Romanum lib. III. Dialog. cap 22. 23. 24. 25 et 37 ; Bonaventuram in vita S. Francisci.

Ex his colligi potest, quam sint leves hæreticorum responsiones, quas adhibent ad loca Patrum a nobis citata ; nam Magdeburgenses Centuria IV. cap. 4. inconstantissime loquuntur; nunc enim agnoscunt esse Patrum testimonia, sed dicunt eos errasse, nunc vero dicunt a maligno spiritu esse inserta in operibus tantorum virorum, quod tamen non aliter probant, quam quia Ambrosius lib. III. de spiritu sancto c. 12. et Epiphanius in hæresi Colliridianorum, dicunt solum Deum esse adorandum. Nec advertere volunt eos Patres loqui de adoratione, quæ soli debetur Deo, in quo sensu etiam nos fatemur, solum Deum adorandum, cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quo tamen bene cohæret, quod dicimus, Sanctos non ut Deos, sed ut amicos Dei invocandos.

Porro Brentius cap. 24. Confessionis Wirtembergensis, omnia conatur eludere per figuram prosopopeiæ. Dicit enim Patres in concionibus invocare solitos esse nomina mortuorum ac si viverent, sicut interdum inter declamandum alloquimur cœlum, vel terram, mortuos homines, quos tamen certe scimus non audire. At hoc figmentum in primis, si ullum haberet locum, solum haberet in testimoniis Basilii, Nazianzeni, et quorumdam aliorum, qui inter concionandum Sanctos invocaverunt. Nullum autem habet in testimoniis Dionysii, Irenæi, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, et aliorum, qui vel docent Sanctos invocandos, vel narrant, a quibus sint invocati. Sed quod nec in testimoniis Basilii, et Gregorii locum habeat, inde patet, quod isti Patres ibidem pollicentur sibi, et aliis auxilium ex illa invocatione, et miracula quæ facta sunt, satis ostendunt, non inanem prosopopeiam, sed petitionem efficacem esse invocationem Sanctorum.

Jam Calvinus lib. III. cap. 20. instit. respondet, Patres voluisse quidem prohibere hanc superstitionem, sed non potuisse frangere impetum vulgi, id quod ostendit ex Concilio Carthaginiensi III, cap. 23, ubi prohibetur, ne in precibus, quæ ad altare funduntur, oratio dirigatur ad alium, quam ad Patrem. Ex quo vult Calvinus colligi, voluisse Patres ejus Concilii saltem impedire ne mysterium cœnæ profanaretur invocatione mortuorum. Quod etiam confirmatur ex S. Augustino lib. XXII. de Civ. Dei c. 10, ubi dicit Sanctos non invocari a sacerdote sacrificante.

Sed nimis infirmum est Calvini refugium: Nam quod Patres non cupiverint prohibere invocationem Sanctorum, patet ex verbis ipsorum jam citatis, ubi ipsi suadent, hortantur, docent, Sanctos invocandos, et ipsi eos passim invocaverunt, et in Conciliis a se celebratis eos invocari præceperunt. Neque in Concilio Carthaginiensi habetur unum verbum de invocatione Sanctorum, sed solum, præcipitur, ut oratio sacerdotis sacrificium offerentis dirigatur ad Personam Patris, non Filii aut Spiritus sancti, quod etiam modo servamus, quamvis toti sacrificemus Trinitati.

(1) Rom. X. 14.

Beatus etiam Augustinus solum docet, ipsa prece qua sacrificium offertur, non invocari Sanctos, sed Deum, cui soli sacrificatur; Nam quod in ipso sacrificio memoria fiat Martyrum, et invocentur, ut pro nobis orent, idem Augustinus diserte docet tracta. 84. in Joan. et serm. 17. de verbis Apostoli, et Cyrillus cathechesi 5 mystagogica, ut supra citavimus, et idem patet ex liturgia Chrysostomi, et aliorum veterum; nam in omnibus Sancti invocantur.

CAPUT XX.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Superest nunc argumenta adversariorum proponere, et solvere.

Argumentum primum. Invocatio Sanctorum in injuriam Dei cedit; Nam Rom. X. dicitur: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* (1) Ergo ille solus invocatur, in quem credimus, non autem credimus nisi in Deum, ergo vel solum Deum invocamus, vel Sanctos faciemus Deos.

His accedunt duo loca Patrum. Ambrosius in I. cap. ad Roman.: « Solent, inquit, pudorem passi neglecti Dei, misera uti excusatione dicentes: Per istos posse ire ad Deum, sicut per comites pervenitur ad Regem. Age, numquid ita demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis? et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, et relicto Domino conservos adorant; quasi sit aliquid plus, quod servetur Deo; Nam ideo ad Regem per tribunos aut comites itur, quia homo utique est Rex, et nescit, quibus debeat Rempublicam credere. Ad Deum autem (quem utique nihil latet, omnia enim merita novit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devota. »

Item Theodoretus lib. VIII. ad Græcos in fine: « Suos, inquit, mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit; ac illos quidem cassos gloria, vanosque reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim

Diasiisque ac Dionysiis, hoc est, Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque SS. Martyribus solemnitates populari epulo peragantur. » His verbis fatetur Theodoretus nos habere Sanctos pro Diis.

Respondeo, quemadmodum non fit injuria, sed honor Regibus, quando eorum amici honorantur, et ad eos legati mittuntur, ita Deo non injuriam, sed honorem deferri, quando Sancti non ut Dii, sed ut amici Dei honorantur, et tamquam patroni apud Deum accipiuntur. Alioqui etiam faceret Deo injuriam, qui a viventibus orationes postularet, ut fecit Apostolus Rom. XV. et alibi, et Centurio injuriam Christo fecisset, qui (ut dicitur Luc. VII.) non per se, sed per seniores Judæorum a Christo auxilium petiit.

Ad primum autem locum dico, ibi agi de invocatione, qua aliquis invocatur ut Deus, et primus auctor bonorum; præcedit enim: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (1). Dico præterea, revera sicut Deum non potest invocare ut Deum, qui in eum non credit, id est, qui non credit eum esse Deum, et qui ei non credendo in eo non sperat, nec eum diligit: ita etiam non posse eum Sanctos invocare, ut Sanctos, et amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, id est, non credit esse Sanctos, nec in eis sperat, ut in patronis, nec eos ut tales diligit. Nec nomen invocationis, vel fidei in Scripturis soli Deo tribuitur. Dicit enim Jacob Gen. XLVIII: *Invocetur nomen meum super pueros hos, et nomina Patrum meorum.* Ex quo loco docet B. Augustinus lib. locutionum de Genes. nu. 200. invocationem non solum Dei, sed etiam hominum esse. Et in epist. ad Philemonem dicit Apostolus: *Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes Sanctos* (2). In quem locum B. Hieronymus prolixe ostendit, etiam in Sanctos haberi debere fidem.

Ad locum Ambrosii dico, eum agere contra Ethnicos, qui astrorum cursus colebant, contra quos ibidem Apostolus agit. Unde etiam dicit, eos colere conservos, id est, creaturas, non secus ac Deum; quomodo faceret, qui comiti honores regios deferret. Quod autem in fine addit: « Ad Deum promerendum non esse opus suffragatore; » intelligitur ex parte Dei, quasi dicat, Deus non eget interpretibus, cum ipse per se omnia videat, et intelligat; tamen ex parte nostri opus esse suffragatoribus, vel saltem id esse utilissimum, idem Ambrosius clarissime docet in lib. de viduis, ut supra ostendimus.

Dices, hoc idem poterant respondere Gentiles. Respondeo, negatur; nam illi putabant, summum Deum non esse immediate accessibilem, nec aliter ad eum veniri, nisi per cultum inferiorum virtutum, ut clarius docet Theodoretus in cap. I. ad Coloss.

Ad locum Theodoreti dico, eum significare voluisse, gloriam Deorum translatam in Martyres, quia templa et festa Deorum conversa sunt in templa et festa Martyrum, sed tamen eorum, quos religio vera permittit, ut Martyres non pro Diis habeamus, sicut illi habebant Jovem et Liberum et alios, sed pro viris sanctis et amicis Dei, qui nos exemplis, precibus, et meritis suis plurimum juvant. De qua re supra diximus.

Argumentum secundum. Invocatio Sanctorum injuriam facit Christo; nam I. Timoth. II. dicitur: *Unus est mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus* (3). Si ergo solus ipse est mediator, injuriam ei facit quicumque per alium ad Deum accedit. Quare Augustinus lib. II. contra Parmenian. cap. 8: « Si Joannes, inquit, ita diceret: hæc scripsi vobis, ut non peccetis, et si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum, et Deum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, et non sicut Antichristum inveretur? » Et infra: « Si esset mediator Paulus, essent utique et cæteri coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat, unus Deus, unus mediator Dei et hominum. »

Præterea Coloss. II. dicitur: « Nemo vos seducat volens in humilitate et religione Angelorum, quæ non vidit ambulans etc. » In quæ verba sic scribit Theodoretus: « Qui legem, inquit, defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia, et Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne pre-

(1) Joel. II. 32; Act. II, 21; Rom. X. 13. — (2) Gen. XLVIII. 16; Phil. 4 et 5. — (3) I. Tim. II. 5.

carentur Angelos, et in hodiernum usque diem videre licet apud istos, et eorum finitimos oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes, universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri : et oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. »

Respondeo, nullam injuriam Christo fieri per invocationem Sanctorum. Neque enim invocamus Sanctos, ut fungantur vice Christi, vel Christum adjuvent, sed ut adjuvent nos, quo facilius a Deo per Christum impetremus, quæ poscimus, et si argumentum aliquid valeret; etiam concluderet, non esse petendas vivorum orationes, quod tamen esse contrarium Scripturis etiam hæretici concedunt.

Ad primum ergo locum respondeo, tribus de causis dici Christum unum, et solum mediatorem Dei et hominum. Primo, quia solus ipse fuit mediator per modum redemptionis. Notandum enim est posse tribus modis unum mediatorem reconciliare duos dissidentes; uno modo declarando, uter justum petat; altero modo solvendo creditori pro debitore; tertio modo orando creditorem, ut debitum remittat.

Primus modus, qui est declarando, uter justum petat, inter Deum et hominem, locum non habet, quia constat Deum ab homine esse offensum.

Secundo modo solus Christus est mediator Dei, et hominum, ex hoc modo loquitur Apostolus, ut patet tum ex eo, quod subdit : *Qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis* ; tum etiam quia scribit ad Timotheum Episcopum Ephesi in Asia, ubi tunc vigebat hæresis Simonis, quæ Angelos loco Christi introducebat, unde etiam in epist. ad Ephesios, et ad Coloss. qui sunt populi Asiæ, passim inculcat Christum esse caput totius Ecclesiæ, et per eum solum reconciliatum esse mundum Deo.

Postremo modo etiam Sancti dici possunt mediatores inter Deum, et eos, pro quibus orant. Neque est, cur timeamus, nomen mediatoris transferre ad Sanctos, sicut ad eos transferimus nomen advocati, et intercessoris, quæ Christo tribuuntur Rom. VIII. et I. Joan II. Nam S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nyssenum, Martyres mediatores inter nos, et Deum appellat, et S. Cyrillus lib. XII. thesauri cap. 10. dicit Prophetas et Apostolos omnes fuisse mediatores, et Moses ipse Deuter. V. dicit de se : *Ego sequester et medius fui, inter Dominum et vos, in tempore illo* (1). Quibus verbis alludens Apostolus Galat. III. dicit, legem veterem ordinatam fuisse per Angelos; *in manu mediatoris*, id est, Mosis, et Hebr. IX. et XII. vocat Christum mediatorem novi Testamenti, ad distinctionem Mosis qui fuit mediator Testamenti veteris.

Hinc solvitur argumentum ex testimonio Augustini; Nam quia Donatistæ, putabant a sacerdote pendere gratiam Sacramenti, ita ut sacerdos bonus baptizans sanctificaret, sacerdos malus baptizans pollueret, et proinde faciebant sacerdotem mediatorem quodammodo redemptionis, ideo Augustinus docet, plebem esse securam sive a bono, sive a malo baptizetur, quia unus est mediator Dei et hominum Christus. Quod autem non neget Augustinus sacerdotem posse dici mediatorem orando, patet, quia ibidem dicit Christianos recte facere, cum se invicem orationibus commendant.

Altera causa, cur Christus dicatur unus mediator, est, quia Christus non solum est mediator ratione officii, quia conciliat Deum homini, sed etiam ratione naturæ, quia est medius inter Deum et hominem, cum ipse et Deus et homo sit : id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo. Hanc rationem reddunt fere omnes Patres, ut Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Œcumenius, et alii in hunc locum Pauli, necnon Epiphanius in Ancorato ante medium. S. Cyrillus lib. XII. thesauri cap. 10. et lib. I. de Trinitate, ante medium ; Hilarius lib. IX. de Trinit. non procul ab initio ; Augustinus lib. IX. de Civit. Dei cap. 17. et Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2.

Tertia causa est, quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, ut ipse nullo mediatore indigeat. Nam Sancti cæteri etsi mediatores sunt inter Deum, et nos, quia Deum suis precibus nobis propitium reddunt : tamen et ipsi indiguerunt reconciliari Deo per mediatorem Christum, et nunc etiam quidquid nobis impetrant, a Deo per Christum impetrant : Christus autem nec pro se, nec pro nobis ullo mediatore indiguit, vel indiget, sed ut dicitur Hebr. VII : *Accedit per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis* (1).

(1) Deut. V, 5.

Hanc rationem secutus est B. Augustinus lib. II. contra Parmenianum cap. 8 : « Homines, inquit, omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus interpellat, sed pro omnibus, hic unus, verusque mediator est. » Et hinc patet alia solutio ad argumentum ex verbis Beati Augustini, non enim negat, quin sacerdos possit esse mediator orando pro populo ; nisi in eo sensu, quo mediator Dei et hominum dicitur, qui pro omnibus interpellat, et ipse nullo eget, qui pro se interpellet, aut per quem interpellet.

Urget Calvinus hunc locum Augustini, qui ait : « Pro quo nullus interpellat, et ipse pro omnibus, hic unus, verusque mediator est. » Sed Sancti, per nos orant pro nobis et nemo pro illis. Respondeo, B. Augustinum, cum ait Christum pro nobis interpellare, velle dicere, Christum esse quem omnes interpellant, ut omnium mediatorem, sive illi pro se, sive pro aliis orent. Hoc modo Christus interpellat nunc pro B. Petro, non quod oret pro ejus salute, sed quia interpellat pro salute mea, quam etiam B. Petrus postulat. Alioqui etiam Angeli essent mediatores eo modo, quo Christus, nam Angeli orant pro omnibus, et nemo pro illis. Sed ideo non sunt mediatores eo modo, quo Christus, quia ipsi egent Christo, per quem impetrent nobis a Deo beneficia.

Ad tertium locum, qui est ex epist. Coloss. dico, ibi Apostolum damnare hæresim Simonis Magi, qui Platonicos secutus, docuit quosdam Angelos adorandos quasi minores Deos, qui et mundum fabricarunt, et per Prophetas locuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum qui invisibilis est, nisi per hos Angelos. Vide de hac hæresi Irenæum lib. I. cap. 20, Tertullian. in lib. de præscriptione, et Epiphanium in hæresi Simonis. De hac idololatria, sive magia, qua adorantur Angeli loco Dei vel Christi, exponunt hunc locum omnes interpretes. Joannes Chrysostomus hom. 7. in epist. ad Coloss. : « Sunt nonnulli, inquit, qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari, et ad Patrem accedere, sed per Angelos. Propterea (Paulus) sursum, ac deorsum, quæ de Christo sunt, versat. » Ita etiam exponit Œcumenius et Theophylactus ; Ambrosius in hunc locum putat eos notari, qui adorant stellas.

Hieronymus quæst. 10. ad Algasiam, et Haymo in hunc locum docent reprehendi eos, qui sacrificabant Angelis, nec ab his dissentit Theodoretus, imo ipse clarissime omnium docet notari hic Simonianos, qui dicebant, Deum apprehendi non posse, sed per Angelos esse placandum, et ex illo ipso Concilio, quod ipse citat, apparet, idololatriam esse, quam Paulus reprehendit. Sic enim ait Concilium Laodicenum cap. 35 : « Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, et ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inventus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit, quoniam derelinquens Dominum nostrum Jesum Christum accessit ad idola. » Ubi, ut vides, Concilium non damnat quamlibet venerationem Angelorum, sed eam, quæ Deo propria est.

Quod vero Theodoretus dicit de oratoriis S. Michaelis, duobus modis potest intelligi. Uno modo, quod velit dicere, hæreticos ædificasse oratoria sancti Michaeli, ut eum ibi colerent secundum hæresim Simonis, ei sacrificando etc. Altero modo, quod significare voluerit, templa ab hæreticis exstructa ad sacrificandum malis Angelis, esse conversa a Catholicis in oratoria S. Michaelis, et ex multitudine talium locorum colligi, quam multum hæresis Simonis ibi olim grassata fuerit.

Quod enim templa idolorum olim conversa sint in Basilicas Martyrum, et aliorum Sanctorum, certum est ex ipso Theodoreto lib. VIII. de Martyribus, et adhuc Romæ videtur templum omnium Deorum conversum in templum omnium Sanctorum, et templum Castoris et Pollucis, in templum Sanctorum Cosmæ et Damiani, et Gregorius lib. II. Dialogorum cap. 8. scribit a S. Benedicto conversum fuisse fanum Apollinis in oratorium S. Martini, et ipse B. Gregorius lib. XIX. epist. 71. ad Mellitum, præcipit Augustino Episcopo Anglorum, ut fana idolorum non destruat, sed aqua benedicta aspergat, et reliquis Sanctorum ornet, ac demum in templa Dei veri convertat.

Argumentum tertium. Sancti jam defuncti non cognoscunt viventium preces, igitur frustra invocantur. Quod autem Sancti non

(1) Hebr. VII, 25.

cognoscant preces viventium, his argumentis probatur. Primo, Scriptura soli Deo tribuit scrutari renes, et corda, et scire cogitationes hominum III. Regum VIII: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Secundo, Job. XIV. dicitur: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Tertio Ecclesiast. IX. dicitur: *Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil noverunt amplius.* Quarto, Isaiæ LXIII. dicitur: *Tu es enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* Quinto, lib. IV. Regum cap. XXII. dicitur Josiæ regi a Deo: *Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum in locum istum* (1). Sexto, B. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 13: « Si parentes, inquit, non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt quid agamus quidve patiamur? Isaias Propheta dicit: Abraham nos nescivit, et Israel non cognovit nos. » Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex ipsis procreatum ageretur, ignoraverunt, quomodo mortui vivorum rebus, atque actibus cognoscendis, adjuvandisque miscentur?

Item Gregorius Nazianzenus in fine orationis in Gorgoniam sororem suam: « Si tibi, inquit, aliqua nostri sermonis est ratio, et hoc sanctis animis a Deo munus, ut talia resciscant, suscipe nostrum sermonem multorum epitaphiorum loco. » Vides certe Gregorium dubitasse, an Sancti cognoscant nostras preces. Qualem etiam dubitationem legimus in Augustino lib. de vera religione cap. 55: « Quisquis, inquit, Angelorum vel hominum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit: Quisquis in illo manet, et potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. » Ubi videtur dubitare, utrum omnes Sancti possint humanas preces sentire.

Similem etiam dubitationem legimus in Origene lib. II. in epist. ad Romanos, non procul a principio: « Si extra corpus, inquit, positi, vel sancti qui cum Christo sunt, agunt aliquid et laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant, vel rursum peccatores etiam ipsi, extra corpus positi, agunt aliquid secundum propositum mentis suæ, Angelorum nihilominus ad similitudinem ministrorum; habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque chartulæ committenda mysteria. »

Respondeo, hujus argumenti nec bonam esse consecutionem, nec verum id, quod assumitur. Itaque primum consecutio negari potest: Nam cum certum sit ex tot Patrum testimoniis, ex tot miraculis a Deo ostensis, eos qui invocant sanctos, exaudiri et impetrare quod petunt. Certe non frustra invocantur Sancti, etiamsi demus eos non audire, neque cognoscere nostras preces, nam aliquis alius eorum vice fungitur; sicut non frustra supplicat Regi, qui certe scit Regem non lecturum supplicationem, sed aliquem alium ex aula ejus, et nihilominus ita se impetraturum quod petit, ac si Rex legisset supplicationem.

Deinde, non est verum quod assumitur, Sanctos ignorare quid ab illis petamus. Nam etsi dubitatio esse possit, quemadmodum cognoscant absentia, et quæ solo cordis affectu interdum proferuntur; tamen certum est eos cognoscere, cum, ut ostendimus, præsint nobis, et rerum nostrarum curam gerant. Et certe melior est hæc consequentia: Sancti recte invocantur, ergo sciunt quid petamus; quam illa: non sciunt quid petamus, ergo non recte invocantur. Nam antecedens primi argumenti habetur ex consensu totius Ecclesiæ: antecedens secundi, non probatur ullo solido fundamento.

De modo autem, quo cognoscunt, quatuor sunt Doctorum sententiæ; quidam dicunt eos cognoscere ex relatione Angelorum, qui nunc ad cœlos ascendunt, nunc inde ad nos descendunt. Quam rationem innuit B. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 15.

Alii dicunt, Sanctorum animas, sicut etiam Angelos, mira quadam celeritate naturæ quodammodo esse ubique, et per se audire preces supplicantium, quam rationem videtur habere B. Hieronymus in lib. contra Vigilantium. Sed neutra est sufficiens, nam neque Angeli, neque animæ beatæ, etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cognitione oramus. Et præterea, ad cognoscendas preces, quæ eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus.

Alii dicunt, Sanctos videre in Deo omnia a principio suæ beatitudinis, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, et proinde etiam

(1) III. Reg. VIII, 39; Job. IV, 21; Eccl. IX, 5; Isai. LXIII, 16; IV. Reg. XXII, 20.

orationes nostras ad se directas. Ita docent B. Gregorius lib. XII. moralium cap. 13. et B. Thom. 3. part. quæst. X. art. 2, et 2. 2. quæst. LXXXIII. art. 4. et Cajetanus ibid. estque probabilis hæc sententia.

Alii postremo dicunt, Sanctos non videre in Verbo orationes nostras a principio suæ beatitudinis, sed solum tunc revelari eis a Deo orationes nostras, quando eas fundimus. Sic enim Prophetæ, Deo revelante, cognoverunt futura, et multi Sanctorum hic in terris donum a Deo habuerunt, quo cognoscerent cogitationes hominum, et facta etiam occultissima, ut de Samuele I. Regum IX. Item de Elisæo narratur lib. IV Regum cap. V. et de Petro Actor. V, et idem de S. Benedicto scribit B. Gregorius lib. II. Dialog. cap. 20. Et idem legimus de S. Bernardo, Francisco, aliisque permultis: Quanto magis credendum est, Sanctos in cœlo hoc dono pollere? Hæc est aperta sententia B. Augustini lib. de cura pro mortuis cap. 15.

Atque ex his duabus prior videtur simpliciter probabilior, quia si indigerent Sancti nova revelatione, Ecclesia non diceret ita audacter omnibus Sanctis: *Orate pro nobis*, sed peteret aliquando a Deo, ut eis revelaret preces nostras. Deinde non posset reddi ratio tam facile, cur Sancti nunc invocentur; et ante adventum Christi non invocarentur. Tamen posterior sententia est magis idonea ad convincendos hæreticos; rationem enim superiorem Calvinistæ non recipiunt, quippe qui putant Sanctos non videre Deum ante Diem judicii, hanc autem rejicere non possunt; nam etiamsi Sancti non viderent Deum adhuc possent eis revelari preces nostræ sicut hic in terris revelabantur.

Sed dices: Quid respondebimus hæreticis secundum hanc ultimam sententiam, si petant, cur Patribus in limbo non revelarentur preces viventium, si nunc revelantur in cœlo? Respondeo, Patribus in limbo non fuisse ordinarie revelatum quid hic agebatur, quia non erant beati; Nam ad perfectam beatitudinem pertinet scire ea, quæ ad se pertinent, et præcipue quæ faciunt ad honorem et gloriam. Præterea, quia Sancti in limbo non ita gerebant curam rerum nostrarum, nec erant præpositi Ecclesiæ, ut Sancti in cœlo sunt, ut supra ostendimus, et ex divinis litteris manifeste deduximus.

Ex his ad primum dico, solum Deum cognoscere cogitationes omnes omnium cordium, idque naturaliter et propria virtute: Sanctos autem solum cognoscere eas, quæ a Deo ipsis manifestantur, sive beatifica visione, sive etiam nova revelatione.

Ad secundum respondet Gregorius lib. XII. moralium c. 13. eam locum exponens, sanctum Job voluisse dicere, naturaliter non cognoscere defunctos, quid agant vivi, sicut nec vivi cognoscunt, quid agant mortui; tamen Sanctos, qui Dei claritate fruuntur, omnia in Deo videre; quæ nimirum ad eos pertinent.

Ad tertium, eadem solutio est.

Ad quartum, Hieronymus in eum locum exponit de cognitione approbationis, ut sit sensus; Abraham nescivit nos, id est, non habet nos pro filiis, non diligit nos, contemnit nos, quia intelligit nos a te recessisse, et hæc videtur litteralis expositio. Quia tamen B. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 13. exponit de cognitione proprie dicta, ideo responderi etiam potest, Abrahamum et Israelem, et alios Patres veteris Testamenti non cognovisse posteros suos viventes, quia nondum beati erant, et naturaliter mortui non sciunt quid viventes agant.

Ad quintum, eadem solutio est.

Ad sextum dico, Augustinum loqui in eo capite de cognitione et conversatione naturali, id enim solum contendit, mortuos non versari nobiscum, nec esse sollicitos de rebus nostris, nec eas cognoscere, sicut faciebant, cum hic viverent. Nam quod supernaturaliter divina revelatione sciant, quæ hic aguntur, docet aperte ibid. cap. 15. Et quod divina virtute possint huc venire, et nobis opem ferre, docet ibid. cap. 16. ubi sic ait: « Non igitur, inquit, ideo putandum est, vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis, vel adjuvandis Martyres adsunt, sed ideo potius intelligendum est, quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersint, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt. »

Dices; Augustinus putabat, matrem suam beatam esse, ut ipse dicit de cura pro mortuis cap. 13. et tamen ibidem probat, mortuos non scire quid agamus, quia mater sua numquam ad consolandum veniebat. Respondeo, Sanctos cognoscere preces nostras, et posse ad nos venire quando volunt; tamen non propterea scire omnia nostra, nec interesse assidue rebus nostris, more hu-

mano, ut Augustinus eo loco probat exemplo matris suæ.

Ad locum Nazianzeni dico, illud (Si) non esse dubitantis, sed affirmantis, ut cum dicit Apostolus ad Philemonem : *Si habes me socium, suscipe illum* (1); Nam Gregorius Nazianz. passim asserrit, Sanctos videre quod hic agatur, ut oratione in Athanasium : « Ab alto, inquit, recte novit, res inspicit nostras, manumque porrigit iis, qui laborant pro bono, et tanto amplius, quanto magis a vinculis est liberatus. »

Ad alterum locum B. Augustini dico, eum rectissime dicere : « Quisquis in illo manet, et potest humanas preces audire, » quia multi manent in Deo, qui non possunt humanas preces audire, videlicet illi omnes, qui sunt in charitate, et tamen nondum sunt beati, nam omnis qui manet in charitate, in Deo manet, I. Joan. IV. et tamen non omnis, qui manet in charitate, jam est in cœlo beatus.

Ad locum Origenis dico, eum ibi agere de naturali conversatione et notitia ; non enim ambigit, an Sancti videant quid agamus, et nos juvent orationibus suis, quod disertis verbis docet lib. VIII. contra Celsum circa finem, et hom. 26. in lib. Numeri, et hom. 16. in Josue, et alibi, sed solum, utrum sancti hominum spiritus, sicut Angeli et Dæmones, qui vere semper nobis adsunt, illi ut ad bonum, isti ut ad malum pertrahant, nobiscum assidue versentur.

Argumentum quartum. Deus paratissimus est nos audire, et magis nos diligit quam ullus Sanctorum, ergo frustra invocantur Sancti, imo signum diffidentiæ est, Sanctos invocare, ait enim Dominus Luc. XI: *Petite, et accipietis*. Et Joan. XVI : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Et Paulus ad Hebræos IV : *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus* (2). Præterea Joannes Chrysostomus in hom. de profectu Evangelii sic ait : « Certum, inquit, non opus tibi patronis apud Deum, neque multo discursu, ut blandiare aliis ; sed licet solus sis, patroneque careas, et per temetipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris; neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis pleni simus malis. » Idem habet præfatione in Psal. IV.

Respondeo, nihil ex hoc argumento colligi, alioqui enim etiam frustra et ex diffidentia peteremus preces viventium ; et præterea licet Deus sit paratus audire, et magis nos diligat, quam ullus Sanctorum, tamen magis paratus est audire Sanctos, quam nos, et magis diligit Sanctos, quam nos ; quia oratio, ut impetret, requirit dispositionem in orante, quam non habemus semper ; ideo utilius est, ut ad Deum cum Sanctis eamus, quam soli. Unde Job ultimo dicit Deus : *Ite ad servum meum Job, ut oret pro vobis* (3). Et Gen. XX, Abimelech nonnisi per Abrahæ preces a Deo sanari potuit. Et Ezech. XX, Deus ipse quærebat virum, qui opponeret se iræ ipsius ; volebat enim ignoscere populo, sed per sancti alicujus preces. Denique, quis nescit prædestinationem ipsam juvari precibus Sanctorum, quod statuerit Deus uti Sanctorum precibus, ad salutem alicujus exequendam.

Ad loca Scripturæ dico, esse impertinentia ; nec enim cum oramus Sanctos, tunc nihil a Deo petimus, vel non petimus cum fiducia ; imo contra ; ideo Sanctorum preces imploramus, ut majori cum fiducia ad Deum accedere possimus, et facilius impetremus, quod petimus.

Ad locum Chrysostomi dico, in primis eum loqui de iis, qui preces mortalium implorant, non de iis, qui Sanctos cum Christo regnantes invocant ut patet ex illis verbis ; « Non est opus multo discursu, ut blandiare aliis etc. » Dico præterea, eum reprehendere illos, qui pro se non orant, sed tantum aliorum orationes petunt, ut faciunt multi divites, qui nolunt laborare in oratione, et idcirco solum largiuntur elemosynas pauperibus, ut orent pro se ; quibus merito anteponit eos qui pro se orant, etiamsi aliorum orationes habere forte non possint. Quibus tamen utrisque anteponendi illi, qui et pro se orant, et simul aliorum preces implorant, ut ipse idem Chrysostomus passim docet, ut hom. 5. in Matth. : « Non igitur, inquit, quasi ociosantes et desides ex aliorum meritis pendeamus ; habent enim vim pro nobis et quidem maximam, orationes, supplicationesque Sanctorum, sed tunc profecto, cum nos quoque idipsum per pœnitentiam postulamus. » Et hom. 1. in priorem epist. ad Thessalon : « Quid mihi opus est, inquit, aliorum precibus, quando ipse sedulus fuero? numquam hoc dixeris homo ; necesse est, et multa prece necesse est. » Et infra : « His itaque cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas projiciamus etc. » Vide etiam homil. 8. in Matth. et homil. 43. in Genesim.

(1) Phil. 17. — (2) Luc. XI, 9 ; Joan. XVI, 23 ; Hebr. IV, 16. — (3) Job. XLII, 8.

Argumentum quintum. Quis sit invocandus, Christus verbo, et exemplo nos docuit: Nam Matth. VI. et Lucæ XI : *Orantes*, inquit, *dicite, Pater noster qui es in cœlis*, ipse etiam Christus aliquoties Patrem compellat, Joan. XII : *Pater, clarifica me*, Joan. XVII : *Pater, venit hora etc* (1). Non igitur Angeli, vel homines mortui invocandi sunt, ita colligunt Magdeburgenses Cent. I. lib. 1. cap. 4. colum. 139.

Respondeo, orationem Dominicam ad solum Patrem referri volunt idem Magdeburgenses ibidem. Sic enim habent : « Non Angelum, vel Patriarcham, aut Prophetam mortuum, sed Patrem tantum jubet invocari. » Quæro igitur, liceatne Filium et Spiritum sanctum invocare, an non? Respondebunt licere. Sic enim infra docent : « Quod etiam Filius possit ac debeat invocari, exempla docent. » Et infra : « Spiritum sanctum quoque posse ac debere invocari, vel ex Baptismi verbis colligi potest. » Hæc illi.

Non igitur concludit illud argumentum ; Christus verbo et exemplo solum Patrem invocari docuit, ergo sancti homines, aut Angeli invocandi non sunt. Nam si hoc concluderet, concluderet etiam illud : Christus verbo et exemplo solum Patrem invocari docuit, ergo Filius Dei, et Spiritus Sanctus invocandi non sunt.

Addo præterea, Christum cum Apostolos docuit orare, non de eo, qui orandus est, sed de iis rebus, quæ petendæ sunt, admonere voluisse discipulos. Satis enim constabat, Deum esse orandum, et solum etiam Deum, cum auctor donorum quæritur ; sed de modo orandi, sive de petendis rebus Apostoli ambigebant, cum dicerent Luc XI : *Doce nos orare*.

Argumentum sextum. Nullum exstat Scripturæ mandatum, vel exemplum, vel promissio de invocatione Sanctorum : non igitur Sancti invocandi sunt. Ita colligit Confessio Augustana artic. 12. et omnes alii hoc argumento uti solent.

Respondeo, si hoc argumentum concluderet, efficeret etiam, Sanctos non orare pro Ecclesia, nec in genere, nec in particulari, quod tamen Apologia Confessionis Augustanæ aperte concedit. Sic enim loquitur : « De Sanctis, etsi concedimus, quod sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in cœlis orent pro Ecclesia in genere, tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus exstat in Scriptura, præter illud somnium sumptum ex libro Machabæorum posteriore. » Hæc Apologia.

Deinde, quod ad mandatum attinet, nullum certe mandatum requiritur, quando ipsa necessitas nos impellit. Exempla plurima sunt in utroque Testamento, ut supra demonstravimus. Promissio denique minime desideratur, cum innumerabilia signa et prodigia ad invocationem Sanctorum facta satis testentur, Deum audire eos, qui Sanctorum patrocinia ad impetrandum aliquid a Deo adhibent. Quamquam in libro Job cap. ult. particulare mandatum, exemplum, et promissionem habeamus ex quibus de toto genere invocationis judicari potest : *Ite ad servum meum Job ;* en mandatum : *et orabit pro vobis ;* en exemplum : *et ego suscipiam faciem ejus, ut non vobis imputetur stultitia ;* en promissio.

At, inquiunt, Job erat vivus et præsens, Sancti vero mortui sunt et absentes. Sed non ita est ; Sancti enim nunc maxime vivunt ea parte sui, qua preces audire, et pro supplicibus interpellare Deum possunt. Nec sunt absentes, quoad exanditionem, licet loco absentes videantur, ut supra satis probatum est. Et patet de Angelis ex illo Psal. CXXXVII : *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Et I. Corinth. IV : *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, et hominibus* (2). De sanctis item hominibus patet ex Apocalyp. cap. XI et XIX. ubi describuntur Sancti in cœlo videntes ea, quæ fiunt in terra. Unde Basilius in lib. de virginitate ante medium : « Reverearur, inquit, ipsum sponsum ubique præsentem, et hujus Patrem ac sanctum Spiritum, et quid singula dico ? Angelorum innumerabilem multitudinem, et cum his Patrum sanctos spiritus ; nullus enim horum est qui non ubique omnia videat. » Et Gregorius lib. XII. moralium cap. 12 : « Quæ animæ intus claritatem omnipotentis Dei cernunt, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. »

Argumentum Septimum. Nemo audet

(1) Matth. VI, 9 ; Luc. XI, 2 ; Joan. XII, 27 ; XVII, 1. — (2) Psal. CXXXVII, 1 ; I. Cor. IV, 9.

causidici partibus apud terrenum Principem fungi, nisi à Principe ipso admissus : Unde ergo vermibus, inquit Calvinus lib. III. Instit. cap. 20. § 23. tanta licentia, ut Deo patronos obtrudant, quibus munus injunctum non legitur? »

Respondeo, non facimus Sanctos causidicos, sive patronos ejus generis, cujus illi sunt hic in terris qui jure agunt, causasque defendunt, quique non misericordiam sed justitiam petunt; hos enim a Magistratu admitti necesse est. Tribuimus autem Sanctis illud solum munus, quod hic in terris tribuere solemus amicis et familiaribus Principum, qui sæpe pro miseris intercedunt, nec ulla nova facultate ad id faciendum egent.

Argumentum octavum. Multi invocantur, qui non modo non Sancti, sed nec homines fuerunt, ut Christophorus, Georgius, Catharina : superstitiosa igitur invocatio est. Ita ratiocinatur Philippus in Apolog. art. 21 Confess. Augustanæ, et Calvinus in lib. de ratione veræ reformationis Ecclesiæ, ubi etiam pro solita sua modestia S. Dominicum, carnificem, S. Medardum et quosdam alios, bestias ; Sanctos vero generatim, monstra appellat.

Respondeo, Sanctorum quorumdam historias apocryphas quidem et incertas esse : non tamen propterea Sanctos ipsos numquam fuisse. Nam si ita argumentari liceat ; plerique Apostoli inter Sanctos numerari non poterunt, nam historiæ, quæ feruntur vel ex Abdia, vel ex aliis, ut plurimum non sunt prorsus indubitatæ. Habemus quidem in Evangelio vocationem Apostolorum, et pauca quædam ex vita ipsorum, necnon felicem dormitionem S. Jacobi Majoris, Act. XI. et S. Petri prædictam mortem gloriosam a Domino, Joannis XXI. At aliorum Apostolorum finem ex divinis litteris non habemus. Quocirca Gelasius Papa, Canone, Sancta Romana dist. 15. historiam S. Georgii inter Apocryphas numerat, et tamen sanctum ipsum Georgium colendum esse affirmat, quia etsi apocrypha erat historia, quæ tunc exstabat, non tamen apocrypha est consuetudo universalis Ecclesiæ, qua semper Georgii, Christophori, et Catharinæ memoria celeberrima fuit.

Adde præterea, quod si apocryphæ sunt historiæ trium vel quatuor Sanctorum, innumerabilium aliorum certissimæ atque indubitatæ sunt; quorumdam etiam sanctitas et gloria in ipsis divinis litteris prædicatur, ut Mariæ, Joannis Baptistæ, Petri, Stephani, et aliorum. Quocirca si ideo nolunt adversarii Georgium, Christophorum, aut Catharinam colere, quod eorum historiæ incertæ sint, cur Mariam, Joannem, Stephanum, Petrum, Jacobum, non colunt, quorum historias negare non possunt ? Cur etiam in suis ipsi Calendariis eos ponunt, quos perditissimos homines fuisse, interdum etiam diversæ religionis a sua, fateri cogerentur, si ad rem attendere paulo diligentius vellent, de qua re vide Dialogum sextum Alani Copi Angli.

Argumentum nonum. Si Sanctorum invocatio superstitione, et ethnica imitatione careret : certe non peteretur ab uno Sancto unum, ab alio aliud, cum Deus unus sit auctor omnium donorum, et iis æque possit per intercessionem unius, ac per intercessionem alterius quidlibet concedere : at Catholici unum invocant contra pestem, alium contra oculorum dolorem, alium contra dolorem dentium.

Respondeo, hoc argumentum passim inculcant Magdeburgenses, Calvinus, et alii, sed antiquam renovant querimoniam Juliani Apostatæ apud Cyrillum lib. VI. in Julianum ; Manichæorum, apud Augustinum lib. III. contra Faustum cap. 4, et Vigilantii apud Hieronymum lib. in Vigilantium. Omnes enim isti queruntur quod verterimus idola in Martyres, et eos similibus votis colamus ; quod argumentum est, majores nostros esse Cyrillum, Augustinum, Hieronymum, et reliquam Ecclesiam, quæ cum illis communicabat : majores autem Calvini, et Magdeburgensium esse Julianum Apostatam, Faustum Manichæum, Vigilantium, ac cæteros apostatas, vel hæreticos, qui cum eis communicabant.

Sed ut ad rem propius accedam, dico. Deum posse, si voluerit, per quemlibet Sanctorum omnia concedere, et sine Sanctis etiam multa, vel omnia dare ; interdum tamen velle unius intercessione, miraculum aliquod operari ; aliud vero intercessione, alterius operari. Quis autem novit consilium Dei ; aut quis ei dicere potest, cur ita facis ? Sicut etiam per unum operatur Deus multa miracula, et per alterum fortasse majorem nulla, cujus rei causam solus ipse novit, ut B. Augustinus docet in epistol. 137. ad Clerum et populum Hipponens : « Ubique quidem, inquit, Deus est, et nullo continetur

vel includitur loco, qui condidit omnia. Verumtamen quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quo voluit ut pergerent (duo Clerici) quia inde nobis facilius, fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Numquid non et Africa sanctorum Martyrum corporibus plena est? et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim dicit Apostolus, (I. Corinth. XII.) non omnes Sancti habent dona curationum : ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique sicut vult. » His accedat, quod etsi quidam Sancti aliquo genere miraculi interdum magis clarent, quam alii, tamen ab omnibus omnia petimus, nec putamus ita ab uno unum esse petendum, ut non etiam existimemus alterius intercessione obtineri posse.

Argumentum Decimum. Sancti in cœlo nihil sibi mereri, vel impetrare possunt, ergo multo minus aliis. Respondeo, Sanctos non posse mereri, nec sibi, nec aliis ; tamen ex meritis præcedentibus posse impetrare et sibi et aliis, id quod orando petunt ; petunt enim sibi gloriam corporis, nobis autem omnia, quibus indigemus.

Sed objicies, jam præmium acceperunt meritorum suorum, ergo nihil amplius eis debetur. Respondeo, eos quidem accepisse præmium, sed ad præmium eorum hoc etiam pertinere, ut semper sint amici Dei, et ut amici Dei, impetrent a Deo, quidquid ab illo petunt. Sicut etiam hic in terris, si aliquis, qui diu militavit Regi, omnia stipendia sua acceperit, poterit tamen pro aliis supplicare, et jure amicitiæ obtinebit multo facilius quam alius, qui numquam Regi servivit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONTROVERSIARUM

DE ECCLESIA TRIUMPHANTE

LIBER SECUNDUS

DE RELIQUIIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM.

CAPUT I.

Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum.

Disseruimus Libro superiore de gloria et cultu Sanctorum; nunc de veneratione earum rerum, quæ ad illos pertinent, id est, reliquiarum sanctarum et imaginum disputandum erit. Ac, ut a reliquiis ordiamur, reliquiarum sanctarum cultum primus reprehendere cœpit Eunomius, et post eum Vigilantius, si B. Hieronymo lib. contra Vigilantium credimus. Neque his repugnat quod ibidem paulo infra idem Hieronymus dicit, hanc hæresim olim erupisse contra Ecclesiam, et adversus eam scriptum esse librum Tertulliani, qui dicitur Scorpiacus: nec etiam quod in epistola ad Riparium originem hujus hæresis revocet ad Judæos et Samaritanos; nam vere primus auctor, qui expresse hoc asseruit, Eunomius fuit. Gnostici enim, contra quos scribit Tertullianus suum Scorpiacum, solum negabant, martyria perpetranda. Ex quo tamen deduci poterat, Martyrum corpora non colenda, quamvis ipsi hoc expresse non dicerent. Porro Judæi et Samaritæ omnia corpora immunda esse credunt: nihil tamen in particulari de Sanctorum corporibus disputant.

Post Vigilantium Constantinus Copronymus Imperator, ut Suidas in ejus vita scribit, omnes reliquias ubique deleri jussit. Eadem hæresi laborasse Claudium Taurinensem, scribit Jonas lib. I. de cultu imaginum. Eamdem etiam Wiclefistis placuisse, auctor est Thomas Waldensis tom. III. tit. 14.

Denique eamdem hoc tempore Lutherani et Calvinistæ excitarunt. Nam Lutherus in sermone de cruce, reliquias ut fidelium seductiones altissime sub terram absconendas judicat. Eum secuti Magdeburgenses passim reprehendunt cultum reliquiarum, sed præcipue Cent. IV. cap. 6. col. 456. Idem facit Calvinus lib. de formandæ Ecclesiæ necessitate, et in admonitione de reliquiis.

Argumenta Wiclefistarum duo erant. Primum, quia Matth. XXIII. arguuntur a Domino Judæi, quod ornarent sepulchra Prophetarum. Secundum, quia in tumulis, quæ dicuntur Sanctorum nec animæ, nec corpora Sanctorum sint, sed soli cineres.

His addit Calvinus in admonitione de reliquiis alia quinque. Primum, quia Deus abscondit Mosi corpus, ut habetur Deuteron. ult. Causa autem redditur ab hominibus, ne Judæi illud adorarent. Unde etiam in epistola Judæ legimus, Diabolum contendisse cum Michaele Archangelo de Mosi corpore: quia videlicet Diabolus illud manifestare volebat, ut occasionem præberet Judæis illud adorandi.

Secundum, quia Paulus II. Corinth. V. dicit, post resurrectionem Christi se non nosse Christum secundum carnem; quibus verbis monet, quidquid in Christo carnale fuit, oblivioni tradendum, et missum faciendum, ut in eo secundum spiritum quærendo et possidendo omne studium ponamus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tertium, quia idem Paulus ad Colossens. II. damnat omnem cultum arbitrarium, id est, a Deo non institutum, quem ipse Græce vocat ἐθελοθρησκίαν, tamquam stultitiam, etiamsi speciem sapientiæ habere videatur. At certe cultus reliquiarum non habetur a Domino institutus, sed est voluntarius, et ab hominibus excogitatus.

Quartum, quia desiderium reliquiarum numquam superstitione caret, imo mater est idololatriæ. Nam non possunt haberi vel affectari, quin statim sequatur veneratio : venerationi autem nullus adhibetur modus, quin statim honor Christo debitus ipsis tribuatur. Id quod experientia testatur; nam in signum solemnis adorationis, cerei nunc passim accenduntur coram Martyrum sepulchris. Et confirmatur; nam Hieronymus objicienti Vigilantio esse idololatriam accendere cereos coram reliquiis, nihil aliud respondere potuit, quam id facere solum mulierculas, quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Addere possumus Concilium Elibertinum, can. 34. ubi dicitur, ejusmodi cereis Sanctorum spiritus inquietari; et Augustinum, qui lib. de moribus Ecclesiæ cap. 34. reprehendit sepulchrorum adoratores.

Quintum, quia maxima pars reliquiarum supposititia est, et sæpe accidit, ut pro reliquiis Sanctorum ossa latronum, vel etiam canum, aut asinorum veneremur. Id quod probat Primum, quia Augustinus in libro de opere Monachorum cap. 28. cum dixisset quosdam Monachos circumferre, et venditare membra Martyrum, addidit : « Si tamen Martyrum. » Si enim jam tunc cœperunt imposturæ, quid modo fieri credendum est? Deinde, quia tam multæ reliquiæ ejusdem generis inveniuntur, ut oporteat vel eumdem Sanctum multa corpora habuisse, vel multas esse falsas reliquias. Hæc ille; quæ omnia argumenta cap. 4. refellentur.

Porro Calvinistæ ubicumque possunt reliquias Sanctorum exurunt, et cineres in flumen abjiciunt : et notandum sane anno 1562, a Calvinistis corpora Sanctorum Irenæi, Hilarii, et Martini effossa, et cremata, et in profluentem projecta fuisse, ut refert Surius, quod idem eodem in loco corporibus aliorum Sanctorum fecerant Ethnici ante annos 1400, nam ut scribit Eusebius lib. V. histor. cap. 3. Ethnici Martyrum reliquias igni absumptas, in Rhodanum abjecerunt. Ut hinc nimirum intelligamus, quanta sit Calvinistarum cum Ethnicis cognatio sacrilegiorum atque perfidiæ. Quod autem Calvinistæ ferro et flammis agunt, id agunt impostoris, mendaciis et fraudibus Magdeburgenses, quorum aliquas hic breviter duximus adnotandas.

CAPUT II.

Deteguntur mendacia Centuriatorum.

Initio igitur de origine venerationis et cultus reliquiarum mirabiliter disputant Magdeburgenses; nam Centur. VI. in ipsa præfatione dicunt, eo sæculo, nimirum post annum Domini 500, cœpisse cultum reliquiarum occasione templorum, quæ tunc ingentibus sumptibus exstruebantur. Idem tamen Centur. V. cap. 7. col. 744. dicunt, cultum reliquiarum ipso quinto sæculo, id est, ante annum 500 cœpisse. Non ergo verum est, quod dicunt in præfatione Centur. VI. Porro idem auctores Centur. IV. cap. 6. col. 456. et cap. 13. col. 1446. dicunt, superioribus sæculis, id est, usque ad annum 300, nihil haberi in probatis auctoribus de veneratione et translatione reliquiarum, sed cœpisse istam superstitionem sæculo quarto, quando jussu Juliani Apostatæ reliquiæ Sancti Babylæ translatæ fuerunt, quæ translatio cum summa celebritate facta est circa annum Domini 365. Eo enim tempore Julianus imperavit, ut sanctus Hieronymus testatur in Chronico : non ergo verum est, quod scripserunt Magdeburgenses Centur. V et VI.

Sed neque est verum, quod in ista Centuria IV. dicunt; nam in additione ad primam Centuriam, in vita sancti Lucæ, fatentur iidem Centuriatores, ante tempora Juliani fuisse translatas summo cum honore reliquias sancti Andreæ et S. Lucæ Constantinopolim a Constantino Imperatore, ut B. Hieronymus testatur libro contra Vigilantium.

Præterea Cent. II. cap. 3. col. 31. et sequentibus referunt ad verbum ex historia Eusebii lib. IV. cap. 15. epistolam Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio Polycarpi; in qua epistola narratur, Christianis cupientibus reliquias Martyris, et Judæis pertinacissime resistentibus, judicem Ethnicum voluisse

corpus in medio positum cremari usque ad cineres : et tamen Christianos collegisse incredibili aviditate reliquias illas : « Ac si essent (inquit epistola) lapidibus pretiosissimis pretiosiores, et auro probatissimo probatiores. » Eas autem reliquias a Christianis collectas ad cultum, patet tum ex verbis citatis, tum ex contentione adversariorum. Judæi enim atque Ethnici resistebant, ne reliquiæ rapercntur prætextu pietatis. Existimabant enim corpora a Christianis adorari, ut in eodem loco Eusebius testatur : non ergo verum est, quod dixerunt Centur. IV.

Sed neque tunc cœpit honor reliquiarum; nam B. Gregorius lib. III. epistol. 30. scribit, ipso tempore, quo Petrus et Paulus passi sunt, venisse fideles ab Oriente, qui eorum reliquias tamquam suorum civium peterent; sed cum eas detulissent usque ad secundum lapidem ab urbe, divino miraculo impeditos, non potuisse ulterius eas deferre; tum vero a Romanis fidelibus apud Catacumbas reconditas fuisse. Unde postea Cornelius Papa (ut in Pontificali Damasus refert) transtulit ad ea loca, ubi nunc jacent. Itaque de origine cultus reliquiarum quatuor mendacia inter se pugnantia Magdeburgenses protulerunt.

Secundum mendacium est, Centur. IV. cap. 8. colum. 602. ubi postquam dixerunt, recte et pie Vigilantium contra reliquias scripsisse, Hieronymum autem solis conviciis et importunitate pro reliquiis pugnasse, addunt Gregorii testimonium : « Id quod (inquiunt) etiam Gregorio visum est, qui de scripto Hieronymi contra Vigilantium ita censuit : in Vigilantium ita conviciis debachatur Hieronymus, ut plusculum in eo modestiæ cogar desiderare. » At ista verba nullius Gregorii sunt, sed Erasmi in argumento ab librum B. Hieronymi contra Vigilantium.

Tertium est, Centur V. cap. 6. colum. 699. ubi sic habent : « Augustinus (inquiunt) de reliquiis Stephani scribit, superstitiosum, et magnum concursum multitudinis ad eas in Africam usque factum, dementatis populis quibusdam illusionibus, quæ pro miraculis habitæ sunt, libro de civitate Dei XXII. capite 8. » At si legamus totum istud caput, quod ipsi citant, non inveniemus usquam nomen superstitionis, vel illusionis, sed tantam pietatem erga sacras reliquias, ut hic locus Augustini satis esse videatur ad omnes hæreticorum nebulas dissipandas. Inter alia multa sic ait de quodam miraculo : « Clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat : ampla civitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt etc. » Et infra : « Unum est apud nos factum, non majus quam illa, quæ dixi, sed tam clarum atque illustre miraculum, ut nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum qui oblivisci ulla ratione potuerit. »

Neque est hoc Magdeburgensium solum mendacium impudens, sed etiam peccatum in Spiritum Sanctum, quod Dei miracula testatissima, illusiones vocent : et præterea est insania manifesta, cum B. Augustinum, virum sapientissimum, quasi pueriliter ludentem faciant. Nam cum beatus Augustinus toto illo capite probare contendat fidem Catholicam, non carere veris miraculis : nonne prorsus insaniret, secumque ipse, et cum fide pugnaret, si miracula, quibus fidem probari dicit, illusiones ipsemet appellaret, et populum, qui illis credit, superstitiosum, et dementatum diceret?

Quartum mendacium est omnino simile superiori; nam eadem Centuria V. cap. 15. columna 1506. dicunt reliquias Martyrum ab Ethnicis contemptas fuisse, et in eo melius sensisse, quam superstitiosi Christiani sentiant, Theodoreto auctore libr. VIII. de Martyribus. Atqui Theodoretus eo libro nusquam habet, melius sensisse Gentiles de reliquiis, quam Christianos, sed omnino contrarium asserit, et defendit. Vide (Lector) locum, et judex esto.

Quintum est Centuria IV. cap. 13. colum. 1446. ubi referunt historiam de translatione sancti Babylæ, ex Ruffino lib. I. cap. 36. quia enim oraculum Apollinis obmutuerat ob viciniam sepulchri sancti Babylæ, et ideo Julianus Apostata jusserat inde amoveri arcam Martyris : dicunt Centuriatores Diabolum de industria simulasse se impediri a Martyre, ut ea ratione occasionem daret celeberrimæ illi translationi, et sic introduceret usum translationis, et venerationis reliquiarum.

At istud mendacium est impudentissimum; nam in primis repugnat omnibus auctoribus, qui de hoc miraculo scribunt, nimirum Chrysostomo libro contra Gentiles, Ruffino lib. I. cap. 36. Socrati lib. III. cap. 18. Sozomeno lib. V. cap. 19. et Theodoreto lib. III. cap. 10. Deinde miraculum sequens clare ostendit Diabolum serio timuisse; nam

vix area Martyris inde abducta fuerat, cum descendit ignis de cœlo, et idolum, unde Diabolus fundebat oracula, totum consumpsit.

Præterea non fuit ista prima translatio reliquiarum; nam, ut jam ostendimus, multæ antea præcesserunt, et idem corpus sancti Babylæ antea fuerat translatum ex Antiochia ad suburbium istud Daphnes, ut Chrysostomus docet; unde postea Julianus iterum Antiochiam transferri jussit: non ergo potuit Diabolus illa simulatione velle introducere usum translationum. Præterea si Diabolus ita cupit istam idololatriam erga reliquias, cur semper instigavit Judæos, Ethnicos, et Hæreticos, ut abolerent omnes reliquias.

Sextum mendacium est in eadem Cent. IV. cap. 13. col. 1447. ubi referunt ex Gregorio Nazianzeno oratione prima in Julianum, duos adolescentes nepotes Constantii Imperatoris, Gallum et Julianum, volentes exstruere insignem Ecclesiam supra tumulum Mamantis Martyris, inter se divisisse opus; sed partem illam, quæ exstruebatur a Gallo vere pio, et fideli felicissime processisse: partem autem, quæ exstruebatur a Juliano, qui apostata futurus, jam mente corruptus erat, non potuisse unquam coalescere, eo quod terra insolito more contremiscens, continuo quasi evomeret, quidquid Juliani sumptibus in fundamentis projiceretur. Causam hujus miraculi Nazianzenus dicit fuisse, quod sancti Martyres inter se mirifice diligant. Ideo enim Martyrem, cui templum exstruebatur, honorem illum recusasse, quod nollet ab eo honorari, a quo collegas suos contumelia afficiendos prævideret: et ipsum etiam Deum, qui corda intuetur, opus Galli, tamquam Abelis sacrificium admisisse, opus Juliani, tamquam sacrificium Cain abjecisse. Sic igitur Gregorius.

At nostri Centuriatores de hoc miraculo duplicem sententiam proferunt. Aiunt Primo temeritatem esse credere, illud portentum opera Martyris accidisse, propterea quod Martyres non sunt καρδιογνῶσται, et dormire dicuntur: ita illi loco citato, colum. 1445. At licet non sint Martyres ex natura sua καρδιογνῶσται, id est, cordium scrutatores, quis tamen impedit, quo minus cordium cogitationes illis revelentur a Deo? et licet dormire dicantur, quia requiescunt a laboribus suis, tamen non sic dormiunt, quasi non videant, nec intelligant; nam si ita esset, tum etiam nec viverent.

Addunt Secundo colum. 1447. Deum impedivisse fabricam Juliani, ut indicaret, sibi displicere cultum illum superstitiosum Martyrum. At si ita est, cur non impedivit fabricam Galli, qui eidem Martyri operam dabat? An etiam Deum dormivisse dicent, ac fortasse Galli fabricam non vidisse?

Mendacium Septimum est in præfatione sextæ Centuriæ, ubi dicunt, a nobis divinis honoribus coli reliquias, atque easdem etiam ac si viverent et sentirent, suppliciter invocari: « Cœperunt, inquiunt, exanguia, et semicorrosa ossa coli, invocari, divino honore affici. » Eadem fere habet Calvinus in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ: « Nec solum, inquit, Sanctos Christi loco adorant, sed etiam eorum ossa, vestes, calceos, et simulacra. »

At quis unquam Catholicorum reliquias invocavit? Quis unquam auditus est in precibus, aut litaniis dixisse: « Sanctæ reliquiæ orate pro me? » Et quis easdem unquam divino honore affecit, vel Christi loco adoravit? Nos enim reliquias quidem honoramus et osculamur ut sacra pignora patronorum nostrorum; sed nec adoramus ut Deum, nec invocamus ut Sanctos, sed minore cultu veneramur, quam Sanctorum spiritus, nedum quam Deum ipsum. Ita respondit etiam olim Hieronymus Vigilantio idem objicienti: et multo etiam ante idem responderunt discipuli S. Polycarpi apud Eusebium, loco antea citato lib. IV. hist. cap. 15.

CAPUT III.

Asseritur veritas, et probatur.

Nunc ad argumenta pro veritate accedamus. Primum sumi potest ab exemplis Scripturarum. Exodi XIII. Moses discessurus cum populo ex Ægypto in Palestinam, noluit ibi relinquere ossa S. Josephi, jamdudum mortui, sed ea honorifice secum asportavit, et transtulit in terram promissionis. Non ergo superstitiosum neque novum est, transferre ossa Sanctorum, ut Magdeburgenses in singulis centuriis clamant. Item Deut. ultimo Deus ipse (ut Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Moysi honoravit dum illud propriis manibus sepelivit. Item IV. Reg. XIII. ossa Elisæi cum tetigissent mortuum quemdam hominem, continuo illum ad vitam revocarunt. Non ergo Deus contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat, et honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patravit. Item IV. Reg. XXIII. cum Josias delubra idolorum everteret, et omnem idololatriam delere vellet, tantum abest, ut reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset, et in cineres redegisset, ossa tamen sancti Prophetæ ibidem reperta asservari jusserit.

Ad hæc de sepulchro Domini legimus Isaiæ XI: *In eum* (Messiam videlicet) *Gentes sperabunt, et erit sepulchrum ejus gloriosum* (1). Hunc locum de sepulchro Christi intelligi certum est, tum ex ipsis verbis, tum ex Apostolo Rom. XV. quod autem non intelligatur solum de sepulchro pro eo tempore, quo ibi Christus jacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde reliquias honorandas, docet Hieronym. epist. ad Marcellam, ut migret Bethlehem ubi docet, Isaiam prædixisse id, quod modo sit, ut sepulchrum Domini ab omnibus honoraretur. Ex quo refellitur Lutheri blasphemia, qui in libro de abolenda Missa dicit, Deo non majorem curam esse de sepulchro Domini, quam de bobus.

Denique, si Christus hic adesset, et nos vestem ejus devote oscularemur; continuo nos idololatras esse Lutherus et Calvinus dicerent, at mulier Emorrhoissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, et sanata est, Matth. IX. Neque Actor. V. sunt reprehensi populi, qui certatim ad umbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurrebant, sed potius fidei suæ præmium retulisse dicuntur, et tamen quæ reliquiæ viliores ipsa umbra cogitari possunt? Neque habiti sunt Actor XIX. superstitiosi, qui Pauli sudaria, et semicinctia deferebant ad ægrotos, ut etiam nos modo facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus.

Argumentum Secundum ex Concilliis diversarum partium orbis terræ. Ex Oriente habemus Concilium Nicænum II. Actor. 3. quod vocat reliquias fontes salutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat; et Actor. 7. in ultima definitione jubet deponi Clericum, et Laicum excommunicari, qui reliquias Martyrum contemnit, et non, ut rem sacram, cum honore tractat.

Item ex Oriente habemus Gangrense Concilium ante annos 1200, canone ultimo, ubi anathema dicit iis, qui memorias Martyrum id est, loca, ubi sunt Martyrum reliquiæ, execrantur. Eustathiani enim, contra quos coactum fuit Concilium, nolebant ingredi Martyrum basilicas, ne corpora Martyrum, quæ ipsi immunda putabant, venerari viderentur.

Ex Africa, Concilium Carthaginiense V, can. 14. jubet, ut nulla altaria, vel memoriæ Martyrum dedicentur, nisi ibi sint aliquæ Martyrum reliquiæ: et aliter dedicata evertantur: vel populus admoneatur, ne ea loca frequentet, ne superstitione aliqua teneatur, si colat videlicet quasi Martyris sepulchrum ubi revera non est corpus Martyris. At si est superstitio colere pro Martyris corpore, id quod non est revera tale: Religio igitur erit corpus veri Martyris colere; religioni enim opponitur superstitio.

Ex Hispania habemus Concilium Braccarense III, canon. 5. ubi statuitur, in supplicationibus illecam reliquiarum gestari debere manibus Episcoporum, aut aliorum Sacerdotum, populo præcedente et sequente.

Concilium Epaonense, in Gallia celebratum, canon. 25. jubet, reliquias Sanctorum non poni in Ecclesiis, ubi non sunt Clerici, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.

Ex Germania habemus Concilium Moguntinum, tempore Caroli Magni celebratum, in cujus can. 51. statuitur, ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum, sine consilio Episcopi, et licentia sanctæ Synodi. Quod certe ad honorem non exiguum sanctarum reliquiarum pertinet.

Habemus denique ex Italia Concilium Lateranense, sub Innocentio III. cap. 62. ubi cavetur propter periculum fraudum, ne novas reliquias ullus publice venerari incipiat, sine auctoritate summi Pontificis. Unde est lex canonica cap. Cum ex eo, de reliquiis, et Sanctorum veneratione; cui similis est lex etiam civilis, C. de Episcopis et Clericis L. Decernimus.

Tertio, probatur ex Patribus. Eusebius lib. VII. histor. cap. 15. de sede lignea S.

(1) Isai. XI, 10.

Jacobi Apostoli : « Servatur : inquit, cum ingenti studio, velut a majoribus tradita memoria sanctitatis, et cum magna veneratione habetur. » Hæc ille. Non ergo rideant Lutherani, si quando audiunt Romæ cathedram S. Petri ligneam honorari.

S. Athanasius in vita B. Antonii, scribit sibi ab Antonio relictum pallium tritum, et addit : « Legatarius Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio ejus meruerat accipere, Antonium in Antonii muneribus amplectitur, et tamquam magna hæreditate ditatus, lætantur per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. » De eodem Magno Antonio Hieronymus refert in vita Pauli primi Eremitæ, cum Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reverentiam, illam induere solitum, in diebus tantum solemnibus Paschæ et Pentecostes.

S. Basilius in Psalm. CXV. in illud : *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* (1) : « Quando, inquit, Judaice quis moriebatur, abominabilia erant morticinia : cum pro Christo mors contingit, pretiosæ sunt reliquiæ Sanctorum ejus. Antea dicebatur Sacerdotibus et Deo dicatis : Non contaminabitur ex aliquo mortuo ; nunc autem qui contingit ossa Martyris, quamdam sanctificationis societatem assumit ex gratia corpori insidente. » Et oratione in quadraginta Martyres, loquens de reliquiis ipsorum per totam illam regionem dispersis : « Hi sunt, inquit, qui nostram regionem administrant, et veluti turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non uno loco seipsos includentes, sed multis jam locis hospites facti, et multas patrias exornantes. »

Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem, initio orationis : « Anima quidem, inquit, ex quo sublimis abiit, in suo loco requiescit, et corpore soluta cum sui similibus una vivit. Corpus vero venerandum et immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore, et cultu compositum atque ornatum, in augusto, sacroque loco situm est. » Deinde narrat multis verbis eos qui templa Martyrum ingrediuntur, primo mirari molem ædificii, deinde parietes et pavimentum pulchre ornata, tum statuaset picturas varias, et subjungit tandem : « Ubi his, inquit, oculos oblectavit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictionem, contrectationem ejus esse credens. Quod si quis etiam pulverem, quo conditorium, ubi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, ac tamquam res magni pretii condenda terra colligitur : Nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, et optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, et ejus desiderii compotes facti. »

Gregorius Nazianzenus orat. I. in Julianum paulo ante medium, reprehendens Julianum, quod cum Deorum falsorum monumenta veneraretur, veri Dei amicorum, et Martyrum corpora despiceret : « Non victimas, inquit, pro Christo cæsas reverius es ? (et aliquot interpositis) « quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora. Hæc non colis, sed contemnis et aspernaris, qui Herculis rogum, ex calamitate injuriisque mulieribus illatis excitatum, admiraris. »

Eusebius Emissenus sive potius Cæsarius Arelatensis, aut quicumque homiliarum illarum est auctor, homilia de sancta Blandina : « Ubi sunt, inquit, qui venerationem sacris Martyrum dicunt deferendam non esse corporibus etc. »

S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, catechesi 18 : « Ut autem, inquit, non solum anima Sanctorum honoretur credatarque ; quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia, jacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens, vivificatus est. »

S. Joannes Chrysostomus serm. de sanctis Juventio et Maximo, primum laudat eos, qui corpora illa inhumata relicta pie rapuerunt etiamsi cum periculo vitæ suæ. Deinde subjungit : « Idcirco sæpius eos invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur. » Vide eumdem hom. ult. in epist. ad Romanos, ubi dicit, Romam excellere omnibus urbibus, propter corpora Petri et Pauli. Item hom. 61. ad populum, ubi comparat sepulchra et reliquias Sanctorum cum sepulchris et cadaveribus Imperatorum, et Regum, et ostendit illa summo honore coli, ista deserta et abjecta esse : et pulchre dicit, summum honorem Constantino Imperatori fuisse, quod potuerit fieri janitor B. Petri, quia nimirum sepultus erat ad fores ejus basilicæ, ubi conditæ erant aliquæ particulæ B. Petri reliquiarum.

(1) Psal. CXV. 15.

Theodoretus lib. VIII. ad Græcos de Martyribus : « Ac animæ quidem, inquit, triumphatorum Martyrum in cœlesti nunc patria vitam agunt Angelorum choris intersitæ : Eorum vero corpora, non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed civitates, oppida, paganique conventus hæc inter se sortito partiti sunt, laborantibusque animis, ac ægrotis corporibus salutaria ea confiteri non cessant. »

Denique Joannes Damascenus lib. IV. cap. 16. de fide Orthodoxa copiose disputat de Martyrum reliquiis venerandis.

Jam ex Latinis S. Ambrosius serm. 93. de sanctis Nazario et Celso in fine : « Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta ? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis : honoro per confessionem Domini sacratos cineres : honoro in cineribus semina æternitatis : honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et dæmones ? quod et affixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro ? Honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo. »

Maximus in sermone de sanctis Octavio, Adventore, et Solutore : « Cuncti, inquit, Martyres devotissime percolendi sunt, sed ii præcipue venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus. »

Gaudentius Episcopus Brixiæ, tractatu de dedicatione Basilicæ : « Ut venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit, deinde ut hanc honori eorum basilicam fundare valeremus, ipse largitus est etc. » Vide totum tractatum, ubi multa de cultu reliquiarum loquitur.

S. Paulinus natali tertio S. Felicis, de urbe Roma loquens, ob reliquias Apostolorum, sic ait :

Nam prius imperio tantum, et victricibus armis,
Nunc et Apostolicis terrarum ea prima sepulchris

Ibidem :

Martyris ad tumulum debes et terra coronas.

Prudentius in hymno de S. Laurentio.

O ter, quaterque, o septies
Beatus urbis incola,
Qui te, ac tuorum comitum
Sedem celebrat ossium.

Cui propter advolvi licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.

Vix fama nota est abditis,
Quam plena Sanctis Roma sit,
Quam dives Urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

S. Hieronymus in lib. adversus Vigilantium : « Dolet, inquit, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. » Idem in epist. ad Marcellam, quam scripsit nomine Paulæ, et Eustochii, inter alia bona quæ sunt in Palæstina, numerat, posse adorare sacros cineres Joannis Baptistæ, Elisæi, et Abdiæ, qui ibi servantur.

Ruffinus lib. XI. hist. cap. 28. cum Gentiles tempore Juliani ossa B. Joannis Baptistæ apud Sebastem Palæstinæ igni cremarent : « Quidam, inquit, cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed mente ferina fieri viderent, mori gratius habentes, quam hujuscemodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus, vel insanientibus subtraxere, et ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias perulere etc. » Vide eumdem libro eodem cap. 33.

S. Augustinus epist. 103. ad Quintianum : « Portant sane (latores epistolæ) reliquias beatissimi et gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis. »

Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 73 : « Sanctorum corpora, et præcipue beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime honoranda credimus. »

S. Leo in serm. de S. Laurentio, de era-

ticula ejus loquens : « Nam, quid, inquit, non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii ? »

S. Gregorius lib. V. epist. 50. ad Palladium : « Quia reliquias, inquit, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, necnon Laurentii, atque Pancratii Martyrum, cum veneratione præbuimus, hortamur, ut eas cum reverentia suscipere, et collocare, auxiliante Domino debeatis. » Idem repetit epistola sequenti. Idem lib. III. epist. 30. Constantiæ Imperatrici petenti caput S. Pauli respondet, sacrilegum esse corpora tantorum Sanctorum tangere, vel inspicere. Et ibidem narrat, multos repentina morte obiisse, quod præsumpsissent ad corpora Sanctorum tangenda, vel aspicienda propius accedere ; et tandem pollicetur se missurum aliquid de rasura catenarum S. Pauli, si tamen limando aliquid detrahere poterit ; eam enim esse catenarum illarum conditionem, ut pro dignitate, vel indignitate petentium, aut sine mora ulla ramenta de catenis lima excutiantur, aut nihil omnino excuti possit, etiamsi totis viribus quis limando laboret.

S. Gregorius Turonicus libro de gloria Martyrum et Confessorum, nihil fere aliud tractat, ut supervacaneum sit aliquid inde velle decerpere. Omitto Bedam, Bernardum, ac posteriores, quod de fide ipsorum ne adversarii quidem dubitent.

Quarto, probatur ex miraculis factis ad reliquias, quæ certe non fierent, si Deo cultus reliquiarum non placeret. S. Epiphanius in vita Isaiæ, Ezechielis, et Hieremiæ scribit, a plurimis coli solita sepulchra eorum ob multa beneficia, quæ in iis locis propter merita eorumdem Prophetarum Deus conferebat.

S. Basilius oratione in Mamamtem dicit omnibus nota esse miracula, quibus Martyr aliis sanitatem, aliis vitam reddiderit. Et oratione in Julittam scribit, cum reliquiæ S. Julittæ ad quemdam locum adductæ fuissent, ubi laborabatur penuria aquæ, mox e terra erupisse fontem aquæ dulcissimæ, ut videretur sancta illa, quasi mater vel nutrix communis, totam illam regionem lacte suo alere.

S. Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianum : « Omnia potest, inquit, pulvis Cypriani, cum fide, ut sciunt hi, qui ipsi experti sunt, et miraculum ad nos usque transmiserunt. »

S. Chrysostomus in lib. contra Gentiles, de reliquiis S. Babylæ Martyris : « Sententiæ, inquit, nostræ abunde fidem faciunt, quæ quotidiana a Martyribus eduntur miracula. »

Palladius in historia Lausiaca cap. 62. ad reliquias Philemonis, multa miracula facta narrat. S. Ambrosius sermone de sanctis Gervasio et Protasio, et epistola ad sororem de eisdem, inter multa miracula facta refert etiam cæcum nomine Severum, arte lanionem, omnibus notissimum, fuisse curatum ad contactum feretri, quo reliquiæ portabantur. Ubi etiam non tacet idem B. Ambrosius, Arianos impudentissime negare ausos illa miracula, quæ totus populus videbat.

S. Hieronymus lib. contra Vigilantium : « Tu, inquit, sæpius hoc vilissimo tortus es pulvere, » ubi dæmonem alloquitur, qui per os Vigilantii reliquias Sanctorum, vilissimum pulverem appellaverat : et in epist. ad Eustochium de vita Paulæ, narrat ad sepulchra Elisæi et Joannis Baptistæ, atque Abdiæ, rugire dæmones consuevisse : In vita Hilarionis dicit, magna quotidie signa fieri ad sepulchrum ejus.

S. Augustinus lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. tot miracula dicit facta ad reliquias S. Stephani brevissimo tempore, ut multi libri scribendi sint si omnia referri debeant. Sulpitius in vita Martini dicit, solo contacto vestis ejus curatam mulierem a fluxu sanguinis. Alia id genus sine numero referri possent.

Quinto, probatur ex miraculis, quæ sæpe in ipsis Sanctorum mortuis corporibus cernuntur, per quæ Deus apertissime nos ad eorum venerationem quasi invitare videtur. S. Joannes Chrysostomus scribit in sermone de sanctis Juventio et Maximo, vultus eorum corporum ita splendere cœpisse post mortem, ut non posset in eos intendi sine honore quodam, et plane tales fuisse, qualem describit vultum Stephani S. Lucas Actor. VI. cum ait : *Intuebantur cultum ejus tamquam vultum Angeli* (1).

S. Hieronymus in vita Hilarionis scribit, corpus ejus post decem menses adhuc omnino integrum repertum, et tantis fragrans odoribus, ut delibutum unguentis videretur.

S. Augustinus serm. 2. de S. Vincentio,

(1) Act. VI, 15.

dicit, corpus ejus expositum feris, a corvo mirabiliter defensum : et projectum in aquas mergi non potuisse. Et lib. IX. Confess. cap. 7. dicit corpora sanctorum Gervasii et Protasii incorrupta fuisse plurimos annos a Deo conservata, ut suo tempore propalarentur.

Sulpitius in epistola ad Bassulam Sacrum, de obitu S. Martini dicit, post mortem ejus in ipsius corpore glorificati hominis apparuisse figuram ; fuisse enim carnem ejus vitro puriorem, lacte candidiorem, ut septennis pueri decorem ostenderet. Quod idem de corpore S. Francisci refert S. Bonaventura. De S. Eduardo Rege Anglorum, qui ante annos 400 floruit, scribit auctor ejus vitæ apud Surium mense Januario, anno 36. ab ejus obitu, inventum esse corpus ipsius integrum, plenum succo, flexibile, ac si etiam tunc viveret, et non solum ossa et carnes in nullo læsas, sed nec pilos capitis aut barbæ, nec ipsas vestes aut calceos. Quid de corpore S. Andreæ dicemus, ex quo liquor mirificus perpetuo funditur.

Ego ipse vidi Bononiæ corpus B. Catharinæ integrum, atque incorruptum, cum ante annos supra centum Sancta illa virgo de hac vita migraverit. Vidi quoque apud Montem Falcum in Umbria corpus B. Claræ æque integrum, atque incorruptum, cum ante annos 300, Virgo illa fœlicissima obierit : et, quod majus adhuc miraculum videri potest, in ejus corde conspiciuntur instrumenta Dominicæ passionis ex ipsa carne tam admirabili arte formata, ut omnes qui ea cernunt, cogantur dicere, vere digitus Dei est hic. Ac, ut alia multa prætream, quid postremo de cive ac patrona mea beatissima Agnete Politiana dicam ? Floruit illa ante annos 300, et vivens et mortua multis magnisque miraculis, quorum unum me puero contigit, cujus non ego solum, sed tota civitas testis fuit. Ejus corpus incorruptum, atque pulcherrimum non semel vidi. De qua etiam a probatis auctoribus litteris proditum est, cum ad ejus sacrum corpus visendum, et venerandum Sancta Catharina Senensis accessisset, pluviam cœlestis roris, instar mannæ, supra utramque divinitus descendisse. Et cum cives de sacro illo corpore aromatibus condiendo cogitarent, ut dictius servaretur, continuo suavissimum liquorem instar balsami, ab eo corpore fundi, ac manare cœpisse, ut omnes intelligerent, corpus divina gratia conditum nullis aliis aromatibus indigere. Ejus divini liquoris adhuc reliquiæ in Ecclesia cum ipso corpore asservantur.

Sexto, probatur ex inventione et revelatione divinitus facta Sanctorum corporum. Si enim Deo cultus reliquiarum non placeret, cur ipse servis suis corpora Sanctorum, quæ latebant, ostenderet ? S. Ambrosio revelata divinitus corpora sanctorum Gervasii et Protasii, scribit ipse in epistola de hac re, quæ refertur in tomis Surii. Scribit hoc idem S. Augustinus lib. IX. Confess, cap. 7. Extat etiam epistola Luciani, in qua significat sibi divinitus ostensa corpora Sanctorum, Stephani, Nicodemi, et aliorum. Fuisse autem verum illud Stephani corpus, innumerabilia miracula ostenderunt, de quibus Evodius libros duos conscripsit. Et B. Augustinus serm. 91. ex novis : « Latuit, inquit, tanto tempore corpus ejus (Stephani) processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus. »

Adhæc refert Sozomenus lib. V, cap. 8. ossa sanctorum Martyrum Nestabi et Eusebii fratrum, quæ Gazenses miscuerant cum ossibus camelorum et asinorum, ne a Christianis internosci possent, sanctæ cuidam fœminæ divina revelatione ostensa, et ab eadem collecta fuisse. Idem Sozomenus lib. VII. cap. ult. refert ossa Habacuc et Michææ Episcopo cuidam divinitus revelata fuisse. Idem Sozomenus lib. IX. cap. 2. refert quadraginta Martyrum reliquias divina revelatione inventas.

Beda de sex ætatibus in Martiano, refert caput Joannis Baptistæ ab ipso Joanne revelatum duobus Monachis : et in Zenone scribit, corpus sancti Barnabæ cum Evangelio Matthæi super ejus pectore inventum, ipso Barnaba revelante.

Septimo, probatur ex translatione reliquiarum, de uno loco ad alium, honoris gratia, ab antiquis celebrari solita. Nec enim negari potest, quin ad honorem pertineant sacrorum ossium translationes. Prima quidem et antiquissima translatio fuit ossium Joseph ex Ægypto in Palæstinam, a Mose facta Exod. XIII. Deinde translatio reliquiarum Petri et Pauli, quæ facta est ipso tempore, quo passi sunt, ad Catacumbas : Gregorius lib. III. epist. 30. Tum eorumdem corporum translatio a Catacumbis, partim ad Vaticanum, partim ad prædium Lucinæ in via Ostiensi. Cornelius Papa epist. I. Ruffinus

lib. II. cap. 28. describit translationem reliquiarum Joannis Baptistæ ex Palæstina Alexandriam.

S. Hieronymus libro contra Vigilantium scribit, tempore Constantini Imperatoris translata Constantinopolim, Andreæ, Lucæ, et Timothei reliquias; et tempore Arcadii translatas ex Judæa in Thraciam reliquias Samuelis Prophetæ, tanto honore, ut in vase aureo ab Episcopis reliquiæ portarentur, comitante tanta populorum frequentia, ut a Palæstina usque ad Chalcedonem jungerentur populorum examina.

S. Ambrosius initio exhortationis ad virgines : « Ego, inquit, ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis et gratiæ reservavi. » Augustinus lib. IX. Confess. cap. 7 : « Cum, inquit, corpora sanctorum Gervasii et Protasii propalata et effossa digno cum honore transferrentur etc. » Chrysostomus lib. de Babyla describit, quanto honore reliquiæ Martyris translatæ sint. Sozomenus lib. VII. cap. 10. describit translationem reliquiarum S. Meletii Antiocheni. Theodoretus lib. V. c. 36. describit translationem reliquiarum Chrysostomi. Evagrius lib. I. cap. 16. describit honorificam translationem S. Ignatii sub Theodosio juniore Antiochiam.

Octavo, probatur ex eo, quod reliquiæ sub altaribus reconduntur, cujus rei meminit Sanctus Ambrosius in exhortatione ad virgines, de reliquiis Vitalis et Agricolæ, et in epistola ad sororem, de inventione corporum Gervasii et Protasii. Sanctus Hieronymus libro contra Vigilantium. Prudentius in hymno 11, de coronis Sanctorum, qui est de S. Hippolyto. Sanctus Augustinus serm. 11. de Sanctis. Sozomenus lib. V. cap. 8. et Concilium Carthaginiense V. can. 14. Videtur autem ista consuetudo Apostolorum tempore cœpisse; nam ideo Joanni Apocalyp. VI. ostensæ sunt in cœlo animæ Martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris sub altaribus requiescunt, ut Augustinus insinuat loco notato. Porro ad magnum honorem pertinere hunc locum reliquiis assignatum, docent Hieronymus et Augustinus locis notatis, et res ipsa hoc docet. Semper enim altaria in magno honore fuerunt, ita ut etiam suo modo adorarentur, nam Tertullianus libro de Pœnitentia, inter ritus Christianorum ponit, aris Dei adgeniculari.

Nono, probatur ex usu cereorum, et lampadum, quibus honorantur sacræ reliquiæ; nam quod lumen sit honoris signum, nec sit superstitiosum, lumen accendere ante rem inanimam, etiam Sole lucente, patet ex candelabro, quod semper lucebat ante arcam testimonii, Exod. XXV. Fuisse autem usum accendendi cereos coram reliquiis, patet ex objectione Vigilantii apud Hieronymum : « Videmus, inquit, moles cereorum Sole fulgente accendi etc. » Et ex ipso Hieronymo epist. ad Riparium : « Ergo accensi ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt? »

Item ex Constantino, qui, ut habetur primo Tomo Conciliorum in vita Sylvestri, inter alia dona, quæ obtulit sacris reliquiis Petri, Pauli, Laurentii, sanctæ Crucis, multa numerantur candelabra, multæ lucernæ, quæ perpetuo ardere deberent : Nec est credibile, Constantinum aliquid obtulisse, quod non esset in usu antea in Ecclesia. Præterea Theodoretus in historia lib V. cap. 36. testatur in translatione reliquiarum S. Chrysostomi, plurima accensa lumina prælata fuisse.

Paulinus natali III Felicis describens cultum, qui S. Felici habebatur :

Aurea, inquit, nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis.
Limina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte, diuque micant, sic nox, splendorque diei
Fulget, et ipsa dies cœlesti illustris honore.
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Gregorius lib. III. Dialogorum cap. 21. meminit lampadis, quæ ardebat etiam noctu, dormientibus omnibus, in templo S. Petri.

Decimo, probatur ratione ducta ab utili, et ab honesto. Ratio ducta ab utili, est apud Chrysostomum in lib. de sancto Babyla Martyre. Deus enim, ut Chrysostomus ait, nihil fere utilius nobis reliquit ad salutem, Sanctorum reliquiis : nihil enim efficacius repræsentat, et infigit in animo memoriam Sanctorum, quam sepulchrum ipsorum; statim enim atque videmus sepulchrum Sancti alicujus, recordamur illius, et virtutum ejus, patientiæ, charitatis, castitatis, pietatis; et simul cogitamus quanta gloria fruatur in cœlis pro labore brevissimo hujus vitæ etc.

Ratio ducta ab honesto est multiplex. Primum enim corpora Sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum. Vide Tertullianum de resurrectione carnis. Secundo, fuerunt, et sunt instrumenta Dei ad miracula. Tertio, sunt pignora patronorum. Quarto, sunt exuviæ carissimorum. Quinto, sunt trophæa triumphantium. Sexto, designata sunt ad gloriam incredibilem, nimirum, ut sint post resurrectionem corpora sole clariora, et usque adeo corporibus omnibus præstent, ut super omnia merito collocentur. His igitur, aliisque de causis Sanctorum reliquiæ « fidelibus magni fiunt, et debito cultu honorantur.

CAPUT IV.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Ex iis, quæ dicta sunt, non erit difficile argumenta solvere, quæ initio proposuimus.

Igitur ad Primum argumentum, quod erat Joannis Wiclef ex Evangelio depromptum, respondemus, Dominum non reprehendere Judæos, quod ædificarent, vel ornarent monumenta Prophetarum, sed quod non imitarentur eos, quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui illos occiderunt, atque ita seipsos condemnarent. Sic enim exponunt eum locum fere omnes Patres, ut Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus in cap. XXIII. Matthæi, et Ambrosius, ac Beda in cap. XI. Lucæ : « Propheticorum, inquit Ambrosius, ædificatione tumulorum, sceleris eos, qui occiderunt, arguebant, et similium æmulatione factorum se quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes : non igitur ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur. » Hæc ille. Et Chrysostomus hom. 73. in Matth. : « Non quia ædificant, inquit, nec quia Patres suos accusant, væ illis dixit, sed quoniam ita facientes, et ita dicentes Patres suos condemnare audebant, cum ipsi pejora committerent. »

Dices; At Luc. XI. Dominus ait : *Profecto testificamini, quia consentitis operibus Patrum vestrorum, quia illi Prophetas occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra* (1). Ubi videtur Dominus accusare ipsam ædificationem tamquam testimonium consensus in necem Prophetarum.

Respondet Chrysostomus loco citato, Judæos ædificare solitos sepulchra Prophetarum non ut honorarent Prophetas, sed ut ostenderent vires, et potentiam majorum suorum, qui Prophetas occidere potuerunt. Licet enim Judæi non esse hanc suam intentionem dicerent, sed omnino contrariam; tamen revera hanc fuisse eorum intentionem patet, quia occidere quærebant Dominum Prophetarum.

Hieronymus in cap. XXIII. Matth. paulo aliter exponit, dicit enim antiquos Judæos ex superbia occidisse Prophetas; recentiores autem ex superbia, et ambitione ædificasse sepulchra eorumdem, et proinde eo facto consensisse operibus Patrum suorum.

Cajetanus satis accommodate exponit, eum, qui sepelit occisum, posse id facere vel ut honoret mortuum, vel ut compleat actum homicidæ; ordinarie enim homines occidantur, et postea sepeliantur, ut scelus lateat. Judæi autem etiamsi dicerent se ædificare sepulchra Prophetarum, ut eos honorarent, tamen id facere videbantur, ut complerent opera Patrum suorum, ut patet ex eo, quod ipsi postea majores Prophetas, id est, Christum, et Apostolos aliquos occiderunt.

Ad Secundum dico, in monumentis adesse, ut minimum, memoriam Sanctorum; nam inde sepulchra Sanctorum apud veteres passim dicuntur memoriæ. Porro memoria Sanctorum honorabilis est. Alioqui nec in sepulchro Christi adest nunc anima, vel caro Christi, et tamen justa Isaiæ cap. XI. erit sepulchrum ejus gloriosum. Dico præterea, in sepulchris Sanctorum inveniri alteram partem substantiæ ipsorum, id est, materiam illam ipsam, quam Spiritus Sanctorum animarunt, et rursum animabunt.

Ad Primum Calvini de Moysi corpore multis modis responderi potest. Hilarius in cap. XVII. Matth. Ambrosius lib. I. de Cain cap. 2. et Gregorius Nyssenus in vita Moysis dicunt, Moysem nondum esse mortuum, et proinde nec sepultum, sed translatum cum Henoch, et Elia; id quod etiam aliqui recentiorum docent. Sed id non facile defendi potest; et firmis argumentis eam sententiam oppugnat Rupertus in cap. ult. Deuter. Philo in fine librorum de vita Moy-

(1) Luc. XI. 48.

sis docet, mortuum quidem Moysem, et sepultum, sed ad gloriam Moysis pertinere, quod sepultus sit in sepulchro tam admirando, ut nullus hominum dignus fuerit unquam illud conspicere. Quo etiam videtur alludere Œcumenius in epist. Judæ. Probabile tamen est quod scribit Chrysostomus hom. 3. in Matth. occultatum fuisse Moysi sepulchrum, ne a Judæis coleretur pro Deo.

Dices; nec coluerunt Moysem viventem pro Deo, ergo multo minus coluissent mortuum. Respondeo, viventem non coluerunt, quia quotidie ab illo audiebant, unum esse verum Deum, se autem illius servum: At post mortem recordati mirabilium ejus, et non audientes verba ejus, facile potuissent adduci ut crederent esse Deum, eumque adorarent si scirent ubi esset, præsertim quia valde credibile est corpus ejus, licet mortuum, conservasse adhuc splendorem vultus et decorem, quem autea habebat, sicut multis Sanctorum accidit. Exemplum habemus in serpente æneo; nam Num. XXI. jubente Moyse aspiciebant Judæi tacti a serpentibus in illum æneum serpentem, et curabantur; nec tamen eum adorabant cultu latriæ, quia nimirum Moyses dixerat illis, serpentem illum non esse Deum, sed signum duntaxat salutis: at IV. Reg. XVIII. eidem serpenti tamquam Deo sacrificabant, cum tamen jam nulla operaretur miracula et ideo ab Ezechia confractus fuit.

Dices; idem periculum est nunc in reliquiis aliorum Sanctorum. Respondeo falsum esse: nam populus Judæorum eo tempore propensissimus erat ad idololatriam, ita ut etiam vitulos aureos coleret; Unde post captivitatem Babylonicam, quia populus ille non amplius coluit idola, videmus Deum illustrasse sepulchrum Isaiæ, Ezechielis, Hieremiæ, Elisæi, Abdiæ, et aliorum multis miraculis, et gratum habuisse cultum, qui ossibus eorum exhibebatur, ut Epiphanius, et Hieronymus tradunt. Adde, quod numquam est auditum apud Christianos, ut aliqui Sanctorum reliquiis divinos honores detulerint. Nec desunt in Ecclesia, qui et litteris, et sermonibus populos doceant, quis cultus reliquiis debeatur.

Ad Secundum dico II. Corinth. V. cum dicitur: *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* (1), per carnem intelligi mortalitatem et passibilitatem; et sensum esse, si novimus aliquando Christum mortalem et passibilem, nunc non novimus, nisi immortalem et impassibilem; sicut I. Corinth. XV. dicitur: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et Hebr. V: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque obtulit, etc.* (2) Sic exponunt omnes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, Ambrosius, Anselmus etc.

Eodem modo respondit VII Synodus, act. 6. eidem argumento, quod ab Iconomachis objectum fuerat. Ubi etiam additur testimonium sancti Cyrilli. Et quod non velit Apostolus docere (quod Calvinus ait) esse oblivioni tradendum, et missum faciendum quidquid in Christo carnale fuit, id est, omnem memoriam humanitatis ejus, ut solum de spiritu et divinitate cogitemus, patet; nam Paulus I. Corinth. XI. dicit Sacramentum Eucharistiæ institutum in memoriam passionis; et addit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (3): et ipse nihil sæpius repetit, quam crucem, et passionem et mortem Domini. Et quomodo, quæso, juxta Isaiam cap. XI. esset sepulchrum ejus gloriosum, si deberemus oblivisci mortis Domini? Denique vel debemus recogitare beneficia Domini, vel non: Si non, ingratissimi sumus, contradicimusque Paulo, qui Hebr. XII. ait: *Recogitate eum, qui talem adversum semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem* (4). Si sic, ergo debemus incarnationem, nativitatem, passionem et mortem Domini cogitare.

Ad Tertium dico. Primo, cultum reliquiarum non esse cultum voluntarium, id est, ab hominibus excogitatum, sed esse a Deo inspiratum, ut patet ex Scripturis citatis; nam Scriptura approbat cultum sepulchri, fimbriæ Christi; item umbræ Petri, sudariorum et semicinctiorum Pauli etc.

Dico Secundo, apud Paulum Coloss. II. ἐθελοθρησκείᾳ non significare cultum quomodocumque voluntarium, id est, non præceptum a Deo, sed ab homine excogitatum; sed cultum superstitiosum, ut noster interpres recte vertit: sive falsam religionem, ut exponit sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 10. Probandum igitur esset Calvino cultum reliquiarum esse superstitiosum, vel falsum, si vellet esse reprehensum a Paulo.

(1) II. Cor. V, 16. — (2) I. Cor. XV, 50; Hebr. V, 7. — (3) I. Cor. XI, 26. — (4) Hebr. XII, 3.

Ad Quartum; nego periculum esse idololatriæ, imo cultus reliquiarum est detestatio omnis idololatriæ. Nam Martyres mortui sunt, ut idololatriam destruerent; qui ergo Martyris reliquias colit, indicat se gaudere de idololatriæ destructione: et recte Christiani apud Ruffinum lib. I. cap. 35. cum transferrent reliquias Babylæ canebant magna voce: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia.*

Ad illud de cereis, dico cereos accensos coram tumulis Martyrum non esse signum adorationis, Deo debitæ; nam non offeruntur cerei Martyribus tamquam sacrificia, sed accenduntur in signum lætitiæ. Ignis enim accendi solet ad lætitiam significandam etiam in rebus profanis. Præterea, ignis signum est gloriæ, unde Imperatoribus Romanis, et Imperatricibus ubique ignis præferebatur, teste Herodiano lib. I. Sancti autem vera gloria nunc fruuntur, et cum Christo regnant, atque imperant in cœlis, ut merito illorum memoriæ ignis accendi possit. Denique ignis signum est vitæ, proinde cereis protestamur vivere Sanctorum animas, et ipsa corpora suo tempore victura.

Ad Hieronymum dico, eum, cum ait de iis qui accendunt cereos coram reliquiis « Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam » loqui de iis, qui cereos accendunt, existimantes inde Martyres illustrari; nam Vigilantius dixerat, per Ironiam: « Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari. » De his ergo qui cum tali opinione falsa cereos accendunt, Hieronymus dicit, eos zelum habere, sed non secundum scientiam.

Quod autem Hieronymus absolute putaverit bonum coram reliquiis accendi cereos, patet Primo, quia in epist. a Riparium ipsemet affert in argumentum cultus Sanctorum usum accendi cereos: et libro in Vigilantium ait: « Causabantur quondam et Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus egebat unguento, nec Martyres lumine cereorum: et tamen illa mulier in honore Christi fecit, devotioque mentis ejus recipitur: et quicumque accendunt cereos secundum fidem suam, habent mercedem. » Et infra: « Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, et idcirco recipiendum est. »

Secundo, idem patet, quia Hieronymi tempore erat usus ejusmodi cereorum non solum apud mulierculas, sed etiam apud Episcopos et universam Ecclesiam, ut patet ex Paulino, Theodoreto, et aliis supra citatis.

Tertio, si esset superstitio accendere cereos interdiu coram reliquiis, esset etiam accendere cum legitur Evangelium, et cum mortui deferuntur ad sepulchrum. Atqui consuevisse ad Evangelium accendi cereos in toto Oriente, docet Hieronymus ibidem contra Vigilantium: et accendi in funere, docet ipse idem in vita Paulæ, ubi dicit in funere Paulæ etiam Episcopos cereos accensos gestasse.

Ad Conciliam Eliberitanum respondimus cum ageremus de Purgatorio, Concilium id prohibuisse, quia fiebat more Gentilium, inter quos tunc Christiani versabantur etc.

Ad Augustinum dico, eum vocare sepulchrorum adoratores quosdam, qui (ut ipse putabat) sacrificium panis et vini aliarumque epularum Manibus defunctorum offerebant, et deinde iisdem cibis et vino se ingurgitabant et inebriabant. Sic enim loquitur: « Novi, inquit, sepulchrorum adoratores, novi multos esse, qui, luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates, ebrietatesque suas deputent religioni. » Sed hæc scripsit Augustinus initio conversionis suæ. Postmodum autem reprehendit quidem illam consuetudinem, sed non tamquam idololatriam; nam lib. VI. Confess. cap. 2. dicit, matrem suam consuevisse ex pietate id facere: sed Mediolani ab Ambrosii clericis fuisse prohibitam. Ambrosius enim prohibuerat istam consuetudinem, ne daretur occasio ebrietati, et quia videbatur affinis superstitioni Gentilium, licet integro animo a Christianis in fieret. Idem etiam Augustinus lib. VIII. Civit. Dei, cap. 27. dicit, meliores Christianos id non facere, eos autem, qui id faciunt, non sacrificare defunctis Martyribus, sed ponere super tumulos Sanctorum epulas ut a Deo per merita Martyrum sanctificentur.

Quod autem Augustinus non putaverit malum venerari sepulchra Sanctorum, patet ex epist. 42. ad Madaurenses: « Videtis, inquit, imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare. » Et Nota, Augustinum hæc scribere idololatris, ut ostenderet idolorum cultum a Christianis destructum. Præterea Augustinus cum reprehendit

sepulchrorum adoratores, certe non reprehendit Chrysostomum, et Hieronymum, sed turbas imperitorum. Atqui Chrysostomus serm. in Sanctos Juventium et Maximum dicit : « Tumulos Martyrum adoremus; » et Hieronymus ad Marcellam, ut migret Bethlehem, dicit, sepulchra et cineres Joannis Baptistæ, Elisæi, et Abdiæ merito adorari a fidelibus in Palæstina.

Gaudentius Brixianus Ambrosii æqualis, tract. 4. in Exodum : « Gulæ, inquit, suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent; post hoc sacrificia etiam ausi sunt eis sacrilega celebrare, quamvis nec ipsi minus mortuis suis sacrificant parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt etc. » Ubi arguit morem illum tamquam ex Gentilium errore relictum. Itaque fortasse pauci quidam mortuis sacrificabant, qui etiam merito reprehenduntur, sed non propterea omnis cultus sacrarum reliquiarum abolendus est, quia nimius cultus jure reprehensus est.

Ad quintum argumentum, negamus reliquias, quæ publice in templis exponuntur venerandæ, esse suppositias. Semper enim Ecclesia diligenter curavit, ne fraudes fierent, et præcipue post decretum Concilii Lateranensis, ut nullæ reliquiæ publice recipiantur sine auctoritate Romani Pontificis.

Ad illud Augustini (si tamen Martyrum) dico, non mirum, si Augustinus dubitabat de reliquiis, quas quidam privati homines circumferebant. Nos autem de reliquis agimus, quæ publice in templis conservantur.

Ad illud, de pluribus corporibus, dico, in variis locis esse partes eorumdem corporum, sed denominari a parte totum; nam, ut scribit Basilius orat. in 40. Martyres, toti Martyres 40. dicebantur tunc esse in variis urbibus, quia quælibet civitas habebat partem eorum. Theodoretus etiam lib. III. de Martyribus dicit, Martyrum corpora raro inveniri integra in uno aliquo monumento, sed esse divisa, et distributa in varia loca.

Denique S. Joannes Chrysostomus in libro, quod Christus sit Deus, Apostolum Petrum et Romæ, et Constantinopoli jacere dicit, cum tamen Constantinopoli nihil esset, nisi aliqua particula; nam corpus ipsum Romæ esse sepultum idem Chrysostomus testatur homil. 32. in epist. ad Romanos. Sed verba ejus audiamus ex libro jam citato : « Romæ, inquit, quæ urbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris et pellionis currunt Reges, et præsides, et milites; et Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii Reges. »

CAPUT V.

De nomine Imaginis et Idoli.

Sequitur nunc ordine suo disputatio de cultu imaginum; cujus disputationis octo erunt partes. Primum enim dicendum erit de nomine imaginis, idoli, et simulacri. Secundo, qui fuerint hostes imaginum. Tertio, an liceat habere imagines. Quarto, an liceat eos colere. Quinto, quo cultu colendæ sint.

His addam peculiarem tractatum de cruce, et quidem trimembrem. Nam Primo agemus de vera cruce Dominica. Secundo, de imagine crucis permanente. Tertio, de imagine transeunte, id est, de signo crucis, quod in aere pingimus.

Ut igitur a nomine incipiamus, Henricus Stephanus in suo thesauro in voce εἴδωλα, scribit apud Ecclesiasticos idolum vocari omne simulacrum, numen aliquod repræsentans, quod culto et honore dignamur. Ex quo sequitur apud Ecclesiasticos imagines Christi et Sanctorum, et præcipue imagines Trinitatis recte vocari idola. Et si quidem Henricus per Ecclesiasticos intelligit Doctores suos, Calvinum, Martyrem, Illyricum et alios ejusdem classis, recte dicit, illi enim vix unquam aliter imagines nostras appellant, quam idola. Si autem per Ecclesiasticos intelligit sanctos Patres, vel Apostolos, et Prophetas, falsissimum est, quod ipse dicit; nam in primis VII Synodus, act. 5. et act. 7. anathema dicit iis, qui imagines Christi et Sanctorum vocant idola.

Deinde Origenes homil. 8. in Exod. et Theodoretus quæst. 38. in Exod. XX : *Non facies tibi sculptile* (quod LXX verterunt εἴδωλον) *et omnem similitudinem etc.* (1) Dicunt inter imaginem et idolum hoc interesse, quod imago est vera roi similitudo; ut cum pingimus hominem, equum etc. Imago enim ab imitando dicta est. Idolum autem est falsa similitudo, id est, repræsentatio, quod revera non est. Ut cum Gentiles proponebant statuas Veneris, aut Minervæ. Illa signa idola erant, quia repræsentabant Deos generis fœminini, quales Dii nec sunt, nec esse possunt. Atque ita vere repræsentabant, sed erant falsæ imagines. Id enim, quod non est, repræsentari non potest. Ex quo intelligimus imagines Christi et Sanctorum non esse idola. Sed nec Trinitatis, aut Angelorum imagines sunt idola, quia non sunt lactæ ad repræsentandam naturam Trinitatis, vel Angelarum, sed ad exprimendam formam, in qua apparuerunt, vel certe eorum proprietates, ut infra dicemus.

(1) Exod. XX, 4.

Hanc esse veram differentiam illarum vocum secundum Ecclesiasticos, probatur Primo, quia Scriptura nusquam tribuit nomen idoli ulli veræ imagini, sed solum simulacris Gentilium, quæ falsos Deos referebant. Scriptura vocat filium Dei imaginem Patris, Sapient. VII, Coloss. I, et ad Hebræos I, at numquam vocat idolum Patris; et III. Reg. VII. dicitur, Salomon fecisse ad ornatum templi imagines Cherubim ad similitudinem hominum; item imagines leonum, boum, palmarum, malogranatorum, florum etc. nec unquam ista vocantur idola, quia nimirum rerum verarum similitudines erant.

Secundo, quia Scriptura Testamenti veteris idola vocat ordinarie גִּלּוּלִים, ut Levit. XIX. XXVI. et alibi, vel אֲלִילִים, ut Num. XXIII. Osee, VI. et alibi. Porro אֱלִיל significat vanum, falsum; et similiter אוֶן vanum mendacium; interdum etiam vocat שֶׁקֶר, id est, mendacium, ut Hieronymus notat in cap. VII. Osee, ubi semper vides idolum aliquid falsi significare. Denique Habacuch II. ait Scriptura : *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile, et imaginem falsam?* (1) ubi clarissime definitur idolum imago falsa. Cui simile est, quod ait Plato in Theeteto, cum ait : φάντα καὶ εἰδωλοποιικὴν πολλὴν παντάπασιν τοῦ ὄντος, id est, mendacia, et idola pluris faciunt, quam veritatem, ubi idolum cum mendacio conjunxit, et veritati opposuit.

Tertia, quia B. Paulus. I. Corinth. VIII. ait : *Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Ubi idolum nihil esse dicitur, quia licet sit aliquid secundum materiam, tamen nihil est formaliter, cum id repræsentet quod nihil est, et proinde nec vere repræsentet, et consequenter nec sit. Cui loco alium similem adducit Hieronymus in cap. VII. Osee, ad probandum idolum nihil esse; nam Esther XIV. dicitur : *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt,* (2) id est, idolis.

Quarto, quia B. Hieronymus in c. II. Habacuch. et in c. XIII. Zachariæ, et alibi passim confert hæreses, cum idolis, quia ut idolum est falsa imago, ita hæresis est falsa imaginatio.

Quinto, ex ipsa vocis proprietate; nam (ut Tertullianus docet libro de idololatria) idolum est diminutivum ab εἶδος, id est, forma, et significat formam parvam, non quantitate sola, sed perfectione. Est enim proprie idolum (ut exponit Eustathius in lib. II. Odysseæ) imago inanis, qualis est, quæ cernitur in umbra hominis, et qualia sunt phantasmata, id est, imagines quas imaginatione fabricamus quibus sæpe nihil respondet in re; et qualia denique sunt spectra et umbræ mortuorum, quæ videntur quidem esse aliquid solidum, sed inanes sunt. Unde Homerus in XI. Odysseæ, et Lucianus in Dialogo de mortuis, animas mortuorum vocant εἴδωλα; et Virgilius in VI. lib. Æneidos videtur idipsum explicare voluisse, cum ait :

> Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
> Æneas strictamque aciem venientibus offert;
> Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
> Admoneat volitare cava sub imagine formæ;
> Irruat, et frustra ferro diverberet umbras.

Ubi quod Homerus, et Lucianus vocant εἴδωλα, vocat ipse umbras, et cavas imagines, id est, vanas et inanes. Quoniam ergo idolum propria et primaria significatione designat imaginem inanem, inde scriptores sacri, et Ecclesiastici Doctores vocaverunt idola statuas falsorum Deorum, licet solidæ sint quoad materiam, quia inanes sunt quoad formam, id est, quoad repræsentationem. Hæc de nomine idoli.

Nomen simulacri est quidem paulo communius; nam Lactantius lib. VI. de vero cultu, cap. 10. et 13. vocat hominem Dei simulacrum; et lib. II. de origine erroris, cap. 2. dicit, simulacrum dici a similitudine, et

(1) Habac. II, 18. — (2) I. Cor. VIII, 4; Esther. XIV, 11.

proinde omnem veram imaginem posse dici simulacrum. Verius tamen est, quod alii dicunt, simulacrum dici a simulando, non a similitudine; nam in Scripturis simulacra ubique ponuntur pro idolis. Semper enim ubi Latinus interpres posuit simulacra, ut Actor XV. Psal. CXIII. I. Joan. ult. et alibi, semper in Græco est εἴδωλα; et B. Augustin. in Psal. CXXXV. dicit, Latinos ea simulacra vocare, quæ a Græcis dicuntur idola. Hieronymus quoque in cap. VII. Osee dicit, sic opponi simulacrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati, quia simulacrum Deum falsum refert.

Denique, sicut Homerus et Lucianus vocant idola umbras mortuorum, quæ videntur solida corpora quædam, et non sunt; ita etiam Lucretius lib. IV. et Virgilius lib. IV. Georgicorum, et lib. VI. Æneidos, easdem mortuorum umbras passim appellant simulacra.

CAPUT VI.

De principibus Iconomachorum.

Auctores Iconomachiæ fuerunt omnes aut Judæi, aut Mahumetani, aut Magi, aut manifeste Hæretici, ita ut negare non possint qui hoc tempore oppugnant imagines, avos et majores suos fuisse impios.

Alphonsus de Castro, verbo, Imago, tribuit hunc errorem cuidam Felici, quem dicit damnatum in Concilio Franconiæ, teste Platina in Adriano I, nec tamen potest invenire, quis iste Felix fuerit. Tribuit item Sereno Episcopo Massiliæ, quem B. Gregorius reprehendit lib. VII. epist. 109. et lib. IX. epist. 9. Denique eumdem errorem tribuit Alphonsus B. Epiphanio in epist. ad Joan. Hierosolymit.

Sed nullus horum, pace Alphonsi, in isto errore versatus est; num Felix damnatus in Synodo Francofordiensi, est Felix Episcopus Urgelitanus. Is autem (ut ex Adone in Chronico, et Jona lib. I. patet) solum docuit, Christum esse filium Dei adoptivum, quia tamen eadem Synodus reprobavit eodem tempore (ut ex eodem Adone in Chronico anni 792. patet) Pseudosynodum Græcorum contra imagines, putaverunt tam Platina quam Alphonsus, hæresim Felicianam esse hæresim Iconomachorum.

Serenus autem confregit quidem imagines, sed nullo modo Iconomachis hæreticis annumerandus est; nam imagines fregit, quia videbat eas a Christianis, tum recens conversis, adorari pro Diis. Unde Beatus Gregorius laudat zelum ejus et fidem, et solum reprehendit temeritatem, quod ausus sit id facere, quod nullus unquam Episcopus fecerat, et monet eum, ut populum instruat cur imagines ab Ecclesia teneantur, et præmissa instructione imagines in templis reponi sinat. Nec erat opus, ut Castro diceret, Serenum, et Epiphanium excusari ab hæresi, quia res nondum erat determinata. Satis enim res determinata erat usu totius Ecclesiæ; sed nihil isti contra fidem, aut veritatem egerunt, vel docuerunt. Ac præsertim Epiphanius, qui purgatur ab omni suspicione erroris circa imagines in VII Synodo, act. 6. et nos infra de hac re agemus. Et certe non sine temeritate, et præjudicio Catholicæ fidei tam crassi errores tam magnis viris tribuuntur.

Nicolaus Sanderus lib. I. cap. ult. de imaginibus, dicit, primos Iconomachos fuisse Manichæos, tum quia id videtur indicare Tharasius in VII. Synodo, tum etiam quia Faustus apud Augustin. lib. XX. c. 3. cont. Faustum, gloriatur a sua sectæ hominibus Deum sine simulacris coli. Sed an res ita se habeat, vehementer dubito; nam Tharasius in VII Synodo, act. 5. non dicit Manichæos respuisse imagines, sed dicit, Iconomachos dum imagines respuunt, similes esse Manichæis, qui asserebant, Christum non habuisse verum corpus; qui enim negat Christum posse depingi, videtur existimare Christum non habere verum corpus. Porro Faustus apud Augustinum non loquitur de imaginibus Sanctorum, sed solum de imaginibus Dei. Unde nec Faustus eo loco reprehendit Manichæos, quod imaginibus carerent, et Catholicos, quod haberent imagines, nec Augustinus reprehendit: Ergo primi Iconomachi sunt Judæi, qui in suo Thalmud quod prodiit anno Christi 476, ord. II. tract. I. dist. 2. diserte docent, Christianorum Ecclesias esse domos idololatriæ, quod propter imagines dictum esse patet tum ex VII Synodo, ubi frequenter Iconomachi dicuntur Hebræi: tum ex Dialogis Leontii, ubi altercatur Judæus cum Christiano de imaginibus. Habetur pars horum Dialogor. in VII Synodo, act. 5.

Circa idem tempus Zenone imperante

exstitit Xenaias, quem principem Iconomachorum fuisse dicunt Nicephorus lib. XVI. c. 27. et Cedrenus in compendio. Fuit autem iste Xenaias homo Persa, et barbarus, imo et servus fugitivus: et licet non esset baptizatus, simulans tamen se Christianum irrepsit ad Episcopatum. Sed quamquam iste aperte suasit, non esse venerandas imagines: non tamen legimus, quod persuaserit, nisi forte aliquibus paucis. At post annos fere centum, Justino juniore Imperatore, Samaritani quidam irruperunt in Ecclesiam quamdam, et in imagines Christi, et Sanctorum ferocissime grassati sunt, ut patet ex epist. Simeonis Eremitæ ad Justinum Imperatorem, quæ habetur in VII Synodo, act. 5.

Non diu postea, post annum Domini 600, exortus est Mahumetus, qui suæ sectæ hominibus nullas imagines in templis permisit, ut ex Alcorano, cap. 15. et 17. et ex ipsa experientia patet. Nec enim Turcæ imagines habent, et nos idololatras putant propter cultum imaginum.

Iterum post annos fere centum, id est, post annum 700 Domini, Hebræus quidam maleficus Ezidi Regi Arabum Mahumetano promisit 30 annos vitæ, si in suo imperio juberet imagines Christi, et Sanctorum ex Christianorum Ecclesiis auferri et comburi. Jussit ille, sed cum Christiani non parerent, immisit Arabes et Hebræos in Ecclesias, qui negotium impigre perfecerunt: Sed Rex Ezides anno sequenti obiit, et Hebræus tanquam impostor a successore ejus turpissima morte mori coactus est. Narratur historia in VII. Synodo act. 5. necnon a Cedreno, Zonara, et Niceta in vita Leonis Isauri.

Paulo post, Leo Isaurus Imperator a Judæis similiter persuasus, publico edicto imagines deponi, et deleri ex templis omnibus jussit: Et multos Christianorum resistentium neci dedit; unde Iconomachi cognomen invenit. Auctores sunt, Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, et alii. Atque hic fuit primus Christianorum, qui bellum movit contra imagines; nam etsi Philippicus, teste Paulo Diacono, deposuerat imagines sex Synodorum: tamen id fecerat odio sextæ Synodi, non odio imaginum. Fuit enim Philippicus Monothelita, non Iconomachus.

Utrum autem Leo recte fecerit, an male, vel ex eo perspici potest, quod maluit in ea causa Judæorum maleficorum consiliis adhærere, quam S. Gregorii Papæ, S. Germani Patriarchæ Constantinopolitani, qui tunc sedebant, et Imperatori aperte resisterunt, ut ex iisdem auctoribus patet. Fuisse autem Gregorium illum, et Germanum, optimos et doctissimos Pontifices tradunt historici omnes ejus temporis Græci et Latini. Restituerunt etiam Leoni duodecim sapientes, qui cum præposito suo, qui dicebatur magister Œcumenicus, publicis sumptibus alebantur, et omnium optimi, et sapientissimi erant; quos Leo una cum domo, et instructissima eorum bibliotheca combussit. Vide Zonaram in vita hujus Leonis.

Impietatem porro Leonis secutus est Constantinus Copronymus hujus Leonis filius, qui in signum futuræ improbitatis dum baptizaretur, sacrum fontem stercore fœdavit: et præterea Necromanticus fuit, et hæreticus Nestorianus; nam non credidit B. Mariam esse Deiparam, ut ex Zonara et Cedreno cognosci potest.

Monet autem recte Sanderus Gulielmum Xilandrum, non fideliter vertisse in hac historia verba Cedreni. Ubi enim Cedrenus scripsit, Constantinum istum exegisse juramentum ab omnibus imperio suo subjectis, quo juramento confirmarent, nullam se imaginem adoraturos; illa verba, ἐκέλευε μὴ προσκυνεῖν τινί; ille vertit: nulli se simulacro supplicaturos; quasi videlicet Christiani idolis supplicent. Cum tamen constet, ut jam ostendimus, imagines non recte vocari simulacra; et usus Christianorum habeat, ut imagines veneremur, non ut eis quasi viventibus et sentientibus supplicemus. Sed nimirum qui fidem Deo non habet, nihil mirum, si etiam fidem non servet in libris transferendis.

Post annum deinde 800, cum aliquandiu quievisset bellum contra imagines; iterum renovatum est a Leone Armenio Imperatore: et qui ei successerunt, Michaele Balbo, et Theophilo, quos omnes improbissimos fuisse, postremum etiam Judaicæ sectæ, et Necromantiæ addictum testantur Cedrenus et Zonaras in vita ipsorum.

Eodem tempore, quo Theophilus in Oriente imagines oppugnabat, exstitit in Occidente sub Imperio Ludovici Pii Caroli Magni filii Claudius Hispanus, Episcopus Taurinensis, Felicis Urgelitani discipulus, qui imagines omnes, et cruces e templis omnibus suæ diœcesis abstulit. Fuit autem homo imperitus, et superbus, ut ex libello ejus, li-

proinde omnem veram imaginem posse dici simulacrum. Verius tamen est, quod alii dicunt, simulacrum dici a simulando, non a similitudine; nam in Scripturis simulacra ubique ponuntur pro idolis. Semper enim ubi Latinus interpres posuit simulacra, ut Actor XV. Psal. CXIII. I. Joan. ult. et alibi, semper in Græco est εἴδωλα; et B. Augustin. in Psal. CXXXV. dicit, Latinos ea simulacra vocare, quæ a Græcis dicuntur idola. Hieronymus quoque in cap. VII. Osee dicit, sic opponi simulacrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati, quia simulacrum Deum falsum refert.

Denique, sicut Homerus et Lucianus vocant idola umbras mortuorum, quæ videntur solida corpora quædam, et non sunt; ita etiam Lucretius lib. IV. et Virgilius lib. IV. Georgicorum, et lib. VI. Æneidos, easdem mortuorum umbras passim appellant simulacra.

CAPUT VI.

De principibus Iconomachorum.

Auctores Iconomachiæ fuerunt omnes aut Judæi, aut Mahumetani, aut Magi, aut manifeste Hæretici, ita ut negare non possint qui hoc tempore oppugnant imagines, avos et majores suos fuisse impios.

Alphonsus de Castro, verbo, Imago, tribuit hunc errorem cuidam Felici, quem dicit damnatum in Concilio Franconiæ, teste Platina in Adriano I, nec tamen potest invenire, quis iste Felix fuerit. Tribuit item Sereno Episcopo Massiliæ, quem B. Gregorius reprehendit lib. VII. epist. 109. et lib. IX. epist. 9. Denique eumdem errorem tribuit Alphonsus B. Epiphanio in epist. ad Joan. Hierosolymit.

Sed nullus horum, pace Alphonsi, in isto errore versatus est; num Felix damnatus in Synodo Francofordiensi, est Felix Episcopus Urgelitanus. Is autem (ut ex Adone in Chronico, et Jona lib. I. patet) solum docuit, Christum esse filium Dei adoptivum, quia tamen eadem Synodus reprobavit eodem tempore (ut ex eodem Adone in Chronico anni 792. patet) Pseudosynodum Græcorum contra imagines, putaverunt tam Platina quam Alphonsus, hæresim Felicianam esse hæresim Iconomachorum.

Serenus autem confregit quidem imagines, sed nullo modo Iconomachis hæreticis annumerandus est; nam imagines fregit, quia videbat eas a Christianis, tum recens conversis, adorari pro Diis. Unde Beatus Gregorius laudat zelum ejus et fidem, et solum reprehendit temeritatem, quod ausus sit id facere, quod nullus unquam Episcopus fecerat, et monet eum, ut populum instruat cur imagines ab Ecclesia teneantur, et præmissa instructione imagines in templis reponi sinat. Nec erat opus, ut Castro diceret, Serenum, et Epiphanium excusari ab hæresi, quia res nondum erat determinata. Satis enim res determinata erat usu totius Ecclesiæ; sed nihil isti contra fidem, aut veritatem egerunt, vel docuerunt. Ac præsertim Epiphanius, qui purgatur ab omni suspicione erroris circa imagines in VII Synodo, act. 6. et nos infra de hac re agemus. Et certe non sine temeritate, et præjudicio Catholicæ fidei tam crassi errores tam magnis viris tribuuntur.

Nicolaus Sanderus lib. I. cap. ult. de imaginibus, dicit, primos Iconomachos fuisse Manichæos, tum quia id videtur indicare Tharasius in VII. Synodo, tum etiam quia Faustus apud Augustin. lib. XX. c. 3. cont. Faustum, gloriatur a sua sectæ hominibus Deum sine simulacris coli. Sed an res ita se habeat, vehementer dubito; nam Tharasius in VII Synodo, act. 5. non dicit Manichæos respuisse imagines, sed dicit, Iconomachos dum imagines respuunt, similes esse Manichæis, qui asserebant, Christum non habuisse verum corpus; qui enim negat Christum posse depingi, videtur existimare Christum non habere verum corpus. Porro Faustus apud Augustinum non loquitur de imaginibus Sanctorum, sed solum de imaginibus Dei. Unde nec Faustus eo loco reprehendit Manichæos, quod imaginibus carerent, et Catholicos, quod haberent imagines, nec Augustinus reprehendit: Ergo primi Iconomachi sunt Judæi, qui in suo Thalmud quod prodiit anno Christi 476, ord. II. tract. I. dist. 2. diserte docent, Christianorum Ecclesias esse domos idololatriæ, quod propter imagines dictum esse patet tum ex VII Synodo, ubi frequenter Iconomachi dicuntur Hebræi: tum ex Dialogis Leontii, ubi altercatur Judæus cum Christiano de imaginibus. Habetur pars horum Dialogor. in VII Synodo, act. 5.

Circa idem tempus Zenone imperante

exstitit Xenaias, quem principem Iconomachorum fuisse dicunt Nicephorus lib. XVI. c. 27. et Cedrenus in compendio. Fuit autem iste Xenaias homo Persa, et barbarus, imo et servus fugitivus: et licet non esset baptizatus, simulans tamen se Christianum irrepsit ad Episcopatum. Sed quamquam iste aperte suasit, non esse venerandas imagines: non tamen legimus, quod persuaserit, nisi forte aliquibus paucis. At post annos fere centum, Justino juniore Imperatore, Samaritani quidam irruperunt in Ecclesiam quamdam, et in imagines Christi, et Sanctorum ferocissime grassati sunt, ut patet ex epist. Simeonis Eremitæ ad Justinum Imperatorem, quæ habetur in VII Synodo, act. 5.

Non diu postea, post annum Domini 600, exortus est Mahumetus, qui suæ sectæ hominibus nullas imagines in templis permisit, ut ex Alcorano, cap. 15. et 17. et ex ipsa experientia patet. Nec enim Turcæ imagines habent, et nos idololatras putant propter cultum imaginum.

Iterum post annos fere centum, id est, post annum 700 Domini, Hebræus quidam maleficus Ezidi Regi Arabum Mahumetano promisit 30 annos vitæ, si in suo imperio juberet imagines Christi, et Sanctorum ex Christianorum Ecclesiis auferri et comburi. Jussit ille, sed cum Christiani non parerent, immisit Arabes et Hebræos in Ecclesias, qui negotium impigre perfecerunt: Sed Rex Ezides anno sequenti obiit, et Hebræus tanquam impostor a successore ejus turpissima morte mori coactus est. Narratur historia in VII. Synodo act. 5. necnon a Cedreno, Zonara, et Niceta in vita Leonis Isauri.

Paulo post, Leo Isaurus Imperator a Judæis similiter persuasus, publico edicto imagines deponi, et deleri ex templis omnibus jussit: Et multos Christianorum resistentium neci dedit; unde Iconomachi cognomen invenit. Auctores sunt, Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, et alii. Atque hic fuit primus Christianorum, qui bellum movit contra imagines; nam etsi Philippicus, teste Paulo Diacono, deposuerat imagines sex Synodorum: tamen id fecerat odio sextæ Synodi, non odio imaginum. Fuit enim Philippicus Monothelita, non Iconomachus.

Utrum autem Leo recte fecerit, an male, vel ex eo perspici potest, quod maluit in ea causa Judæorum maleficorum consiliis adhærere, quam S. Gregorii Papæ, S. Germani Patriarchæ Constantinopolitani, qui tunc sedebant, et Imperatori aperte resisterunt, ut ex iisdem auctoribus patet. Fuisse autem Gregorium illum, et Germanum, optimos et doctissimos Pontifices tradunt historici omnes ejus temporis Græci et Latini. Restituerunt etiam Leoni duodecim sapientes, qui cum præposito suo, qui dicebatur magister Œcumenicus, publicis sumptibus alebantur, et omnium optimi, et sapientissimi erant; quos Leo una cum domo, et instructissima eorum bibliotheca combussit. Vide Zonaram in vita hujus Leonis.

Impietatem porro Leonis secutus est Constantinus Copronymus hujus Leonis filius, qui in signum futuræ improbitatis dum baptizaretur, sacrum fontem stercore fœdavit: et præterea Necromanticus fuit, et hæreticus Nestorianus; nam non credidit B. Mariam esse Deiparam, ut ex Zonara et Cedreno cognosci potest.

Monet autem recte Sanderus Gulielmum Xilandrum, non fideliter vertisse in hac historia verba Cedreni. Ubi enim Cedrenus scripsit, Constantinum istum exegisse juramentum ab omnibus imperio suo subjectis, quo juramento confirmarent, nullam se imaginem adoraturos; illa verba, ἐκέλευε μὴ προσκυνεῖν τινί; ille vertit: nulli se simulacro supplicaturos; quasi videlicet Christiani idolis supplicent. Cum tamen constet, ut jam ostendimus, imagines non recte vocari simulacra; et usus Christianorum habeat, ut imagines veneremur, non ut eis quasi viventibus et sentientibus supplicemus. Sed nimirum qui fidem Deo non habet, nihil mirum, si etiam fidem non servet in libris transferendis.

Post annum deinde 800, cum aliquandiu quievisset bellum contra imagines; iterum renovatum est a Leone Armenio Imperatore: et qui ei successerunt, Michaele Balbo, et Theophilo, quos omnes improbissimos fuisse, postremum etiam Judaicæ sectæ, et Necromantiæ addictum testantur Cedrenus et Zonaras in vita ipsorum.

Eodem tempore, quo Theophilus in Oriente imagines oppugnabat, exstitit in Occidente sub Imperio Ludovici Pii Caroli Magni filii Claudius Hispanus, Episcopus Taurinensis, Felicis Urgelitani discipulus, qui imagines omnes, et cruces e templis omnibus suæ diœcesis abstulit. Fuit autem homo imperitus, et superbus, ut ex libello ejus, li-

bris Jonæ inserto apparet, et hæresim Arianam, jam sepultam, rursus ad lucem revocare conatus est.

Post illa tempora circa annum Domini 1372, exstitit Joannes Wiclef, qui obiter attigit imaginum reprehensionem, sed discipuli ejus acrius postea imagines oppugnaverunt. Vide Thomam Waldensem, tom III. tit. 19. Eumdem errorem tribuit Waldensibus Claudius Coussordius lib. contra Waldenses, artic. ultimo.

Scribit etiam Joannes Cochlæus lib. III. historiæ Hussitarum, a Hieronymo de Praga imaginem Christi crucifixi dejectam, et stercore fœdatam, cum tamen ipse in cubiculo adoraret imaginem, Wiclefi diademate coronatam.

Denique hoc nostro sæculo primus, qui imagines e templis abstulit, Andreas Carolstad. fuit, anno 1522, teste Joanne Cochlæo in vita Lutheri. Lutherus autem quamquam rem probaret, reprehendit tamen auctorem, ut ibidem Cochlæus dicit, quia, ut id faceret non a se potestatem et auctoritatem flagitaverat. Item Zwinglianos contra imagines pugnasse scribit Cochlæus in act. Lutheri anni 1526. Philipus quoque in locis communibus explicans decalogum, reprehendit imaginum venerationem. Similiter Magdeburgenses Centur. VIII. passim, sed precipue cap. 9 et 10.

Denique Joan. Calvinus lib. I. cap. 11. et lib. IV, cap. 9. § 9. Institut. acerrime imaginum cultum reprehendit; et Calvinistæ ubicumque possunt, eas frangunt, vel comburunt, vel abradunt.

CAPUT VII.

Licere imagines et facere, et habere.

His præmissis, ut ostendamus licere Christianis usum imaginum, proponemus et refutabimus varios, qui de hac re exstiterunt, errores.

Ac primus quidem est Judæorum, qui quondam propensissimi erant ad idololatriam; at post Christi adventum superstitiosissimi sunt contra imagines. Dicunt enim jure divino prohibitum esse imagines quaslibet efficere, teste Paulo Burgensi, addit. 2. ad Lyranum super cap. XX. Exod. quod idem docent Wiclefistæ apud Waldensem, tom III. tit. 19. cap. 152. Ratio eorum est, quia Exod. XX. dicitur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem etc.* (1) Cæterum hic est error manifestus. Et sine dubio non prohibetur in decalogo omnis imago, sed solum illa, quæ dici potest idolum, id est, imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræsentat tamquam Deum eam rem, quæ non est Deus. Cum enim dicitur: *Non habebis Deos alienos*, prohibetur actus interior idololatriæ; cum autem additur: *Non facies tibi sculptile etc.* prohibetur actus exterior. Vide Augustinum quæst. 71. in Exod.

Probatur hæc sententia. Primum, quia si prohiberetur omnis imago, sequeretur præcepta decalogi non esse tantum 10, sed 11, vel 12, contra Scripturam, quæ dicit esse 10. Exod. XXXI. et XXXIV. Deuter. IV. IX. et X. nam constat unum præceptum esse: *Non habebis Deos alienos*, Alterum non assumes nomen Dei in vanum. 3. Sabbata sanctifices. 4. Honora parentes. 5. Non occides. 6. Non mœchaberis. 7. Non furaberis. 8. Non dices falsum testimonium. 9. Non concupisces. Ista novem sine controversia sunt distincta.

Porro illud: *Non concupisces*, vel debet dividi in duo; ut non concupiscat, non concupisces uxorem alienam; 10. non concupisces rem alienam; vel ista omnia ad unum pertinent. Si debet dividi in duo, ergo illud: *Non facies tibi sculptile*, erit undecimum, vel oportet dicere, illud non esse præceptum distinctum a primo, ut revera dicunt Clemens Alexandr. lib. VI. Strom. Augustin. qu. 71. in Exod. et epist. 119. cap. 11. et communiter Scholast. III. sentent. dist. 37 37. et Catechismi omnes Latini. Et tunc non prohibetur sculptile quodcumque, sed solum sculptile, quod habetur pro Deo alieno.

Si autem: *Non concupisces*, est unum tantum, ut existimant Philo in lib. de decalogo ante med. Joseph. lib. III. antiquit. cap. 6. et 8. Origen. hom. 8. in Exod. Ambrosius et Hieronym. in cap. VI. ad Ephes. Procopius et Rupertus in cap. XX. Exodi: Tunc illa omnia verba erunt unum præceptum: *Non facies tibi sculptile etc. Et non adorabis ea, neque coles*, sed facere imagines absolute, et adorare easdem, sunt res distinctæ, ut patet; quia potest unus adorare sculptile, quod non fecit, et alius non adorare, quod fecit. Ergo unum tantum horum est prohibitum, alioqui essent undecim præcepta. Sed certum est prohiberi cultum: ergo non prohibetur fabricatio per se, sed solum in ordine ad cultum. Proinde peccat, qui facit, ut adoret, non qui facit ad alium usum.

(1) Exod. XX, 4.

Secundo probatur, lege divina non prohiberi imagines absolute, ex eo, quod in ipsa Scriptura legimus imagines factas Dei jussu. Siquidem Exod. XXV. Deus fieri jussit imagines Cherubim super arcam. Num XXI. Serpentem æneum, III Reg. VI. et VII. Cherubim, boves, leones, et alia. Respondent Judæi, Deum præcepisse hominibus, non autem sibi ipsi. Porro imagines templi ipsum jussisse fieri, sicut prohibuit furtum; et tamen ipse jussit ut Judæi spoliarent Ægyptum. Exod. XII.

At contra. Primo, præcepta decalogi sunt explicationes juris naturæ, excepto illo de Sabbato: res autem prohibitæ jure naturæ, sunt prohibitæ, quia malæ; non malæ, quia prohibitæ, et proinde nec a Deo præcipi possunt. Nec jussit unquam Deus furtum, sed donavit ut Dominus, Judæis bona Ægyptiorum. Deinde, si imagines essent prohibitæ, certe propter periculum idololatriæ; at idem est periculum, si Deus jubeat eas fieri, imo eo majus, quo illæ habentur diviniores, sicut accidit de serpente æneo, IV Reg. XVIII. non ergo prohibuit Deus imagines absolute.

Probatur tertio, quia numquam intelligitur prohibitum id, quod nullo modo adversatur fini legis: finis autem præceptorum primæ tabulæ est, ut servetur Deo suus honor illibatus, ut patet ex initio decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Item ex illa comminatione: *Ego sum Deus zelotes.* Item ex illa explicatione, Exod. XX: *Non facietis mecum Deos aureos, et Deos argenteos.* Item ex Levit. XXVI: *Non facietis sculptile, et idolum, ut adoretis.* Denique ex illo Isaiæ XLII: *Ego Dominus gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus* (1). At imago non facta ad venerationem, non adversatur honori Dei: Non igitur est prohibita.

Dices: Imago est occasio idololatriæ. Respondeo etiam Sol, et Luna, et alia multa sunt talia; sed per accidens.

Quarto, ars pingendi, et sculpendi bona est, et a Deo, ut patet Exod. XXXI et XXXV. ubi dicitur, Deus dedisse duobus viris Beseleel et Ooliab spiritum suum, sapientiam, et scientiam ad sculpendum, et excogitandum multa pro ornatu tabernaculi.

Quinto, Deus primus auctor est omnium imaginum, naturalium, et artificialium, nam genuit filium ad imaginem suam; et formavit hominem ad imaginem suam.

Sexto, imago est secundum naturam, et necessaria; nam in primis omnia naturalia producunt aliquid sibi simile, id est, imaginem sui. Homo quidquid cognoscit sive sensu, sive intellectu, per imagines cognoscit. Non possumus in lumine versari, quin corpora nostra umbram efficiant, quæ imago est corporis. Vestes omnes imagines sunt eorum membrorum ad quæ tegenda factæ sunt.

Denique Judæi tempore Christi habebant imaginem Cæsaris in nummis, ut patet Matth. XXII. et nunc etiam retinent imagines Principum in pecuniis, cur ergo dicunt, non licere ullam imaginem habere? Certe si quis eis eripere vellet imagines, quas in nummis et aulæis habent, continuo mutarent sententiam.

Secunda opinio est Ambrosii Catharini in opusculo de imaginibus, ubi docet, Deum in decalogo prohibuisse imagines simpliciter: sed illud præceptum fuisse positivum, et temporale: nam propterea existimat ipse Deum jussisse fieri imagines Cherubim, ut indicaret, imagines non esse malas per se, sed solum malas, quia prohibitas; et etiam ne præjudicaretur Testamento novo, in quo permittendæ erant imagines.

Sed hæc opinio nobis non probatur, tum propter argumenta facta contra Judæos, tum etiam quia sanctus Irenæus lib. IV. cap. 31 et 32. diserte docet, decalogum esse legem naturalem, excepto præcepto de Sabbato. Et Tertullian. lib. de idololat. toto contendit, nunc maxime observandum hoc præceptum. Idem docet B. Cyprianus lib. III. ad Quirinum, c. 59. et de exhortatione martyrii, cap. I. B. Augustin. passim affirmat totum decalogum, excepta lege de Sabbato, a Christianis servandum, et nominatim illud: *Non facies tibi sculptile.* Vi-

(1) Exod. XX, 2, 5 et 23; Levit. XXVI. 1; Isai. XLII, 8.

de lib. XV. conf. Faustum, cap. 4 et 7. et lib. XIX. cap. 18. lib. III. contra 2. epist. Pelagian. cap. 4. Idem habet B. Thomas 2. 2. q. CXXII. art. 1. et 4. Ergo si in decalogo prohiberentur omnes imagines, peccarent Christiani habentes imagines.

Dices : in decalogo præceptum Sabbati est positivum saltem ex parte ; ergo nihil prohibet, quominus etiam præceptum de imaginibus sit ex parte positivum. Respondeo : in præcepto Sabbati posita esse multa, quæ indicent, illud esse positivum ; nam Primo, præmittitur, *Memento* ; quia nimirum cum non sit naturale præceptum, poterant illius facile Judæi oblivisci. Secundo, additur ratio præcepti : *Quia Dominus quievit ab opere die septimo* ; non autem additur ratio ulli alteri præcepto, quia cætera sunt simpliciter naturalia. Denique Irenæus, Augustinus et Thomas diserte solum Sabbatum excipiunt a naturalibus præceptis decalogi.

Tertia opinio est Thomæ Cajetani, in c. XX. Exod. qui docet, non esse prohibitum facere ullam imagineni, vel idolum, sed solum prohibitum esse, ne quis faciat sibi imaginem, quam habere velit pro Deo suo ; et probat, quia non est dictum : *Non facies sculptile* ; sed, *non facies tibi sculptile*.

Hæc sententia displicet solum in modo loquendi : nam Cajetanus pro eodem habet idolum, et imaginem, cum falsum sit ; ut supra ostendimus. Deinde videtur concedere licere facere idola, quæ habeantur pro Diis, modo non habeat pro Diis ille, qui facit. At Tertullianus toto lib. de idololatria probat evidentissimis rationibus prohibitum esse Christianis pictoribus, aut statuariis facere idola Gentilibus. Et Ecclesia celebrat 8. Novembr. martyrium sanctorum Claudii, Nicostrati, et sociorum, qui necati sunt, quia noluerunt simulacra Gentilibus facere cum essent peritissimi statuarii.

Neque Cajetanus hoc negaret, quippe qui in 2. 2. quæst. X. artic. 4. docet, non licere vendere idola Gentilibus ; ideo incaute locutus est in commentario Exodi. Nec obstat illa particula, *tibi* ; nam secundum Hebraicam phrasim redundat. Sicut Genes XII : *Vade tibi de terra tua* ; et in Canticis canticorum passim.

CAPUT VIII.

Non esse prohibitas imagines Dei.

Quarta opinio est Calvini lib. V. Instit. cap. 11, ubi dicit Primo, nefas esse Deo invisibili, et incorporeo, imaginem visibilem et corpoream collocare. Secundo, imagines Christi et Sanctorum non esse prohibitas simpliciter, sed non debere poni in templis. Tertio, historias depictas habere aliquem usum ad instruendum ; imagines autem solas Christi, vel Sanctorum sine ulla notatione rerum gestarum nullum habere usum, nisi ad oblectandum, et ideo frustra fieri.

Ut ergo incipiamus a primo capite, probat Calvinus non posse pingi imaginem Dei. Primo, quia Exod. XX. prohibetur omnis Dei similitudo ; nam postquam dixerat Scriptura : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, subjungit infra, explicans : *Deos aureos, et argenteos non facietis mecum*, id est, non facietis imagines aureas, vel argenteas, quæ Deum repræsentent. Et Deuteron. IV : *Memento quod Dominus locutus sit tibi in monte Horeb, vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti, observa ergo teipsum ne forte deceptus facias tibi ullam similitudinem.* Et Isa. XL : *Cui similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* Et cap. XLVI : *Cui assimilastis me, et adæquastis, et comparastis me, et similem fecistis? Qui confertis aurum de sæculo, et argentum statera ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat Deum.* Denique Act. XVII. Paulus dicit : *Genus ergo cum simus Dei, non est existimandum, auro, vel argento, aut lapidi artis sculpturæ, et cogitationis hominum divinum esse simile.*(1)

Secundo, probat ex Concilio Elibertino can. 36 : « Placuit in templis non haberi picturas, ne quod colitur, vel adoratur, in parietibus depingatur ». Ubi palam est agi de imaginibus Dei, qui solus a Christianis colitur et adoratur.

Tertio, idem probat ex Patribus : nam Eusebius lib. I. de præparatione Evangelica, cap. 6. et lib. II. cap. 8. et Lactantius lib. I. divin. institutionum, c. 15. scribunt, omnes quorum simulacra videmus, fuisse homines

(1) Exod. XX. 4 et 23 ; Deut. IV. 15 et 16 ; Isai. XL. 18 ; XLVI. 5 et 6 ; Act. XVII. 29.

mortales : ergo nullum erat simulacrum veri Dei immortalis. Item Augustin. de fide, et symbolo, cap. 7. dicit, nefas esse Deo simulacra collocare. Præterea idem Augustin. lib. IV. civit. Dei c. 19. et 31. refert Varronem dicentem, qui primi Deorum simulacra induxerunt, eos et timorem dempsisse, et errorem auxisse. Et lib. VI. c. 10. refert Senecæ querimoniam, qui dolebat inviolabiles Deos in materia vilissima, atque ignobili dedicari.

Poterat addere etiam Origenem lib. VII. contra Celsum, in fine, et Joan. Damascenum lib. IV. de fide, cap. 17. qui docent, Christianos nullam Dei imaginem habere, utpote incorporei et invisibilis. Denique Patres VII Synodi, act. 4. 5. et 6. qui dicunt, Christum recte pingi, quia est homo : Deum autem pingi non posse.

Quarto, probat ex periculo erroris : nam licet S. Gregorius scripserit, imagines esse libros idiotarum, tamen e contrario Scriptura vocat imaginem ligneam, doctrinam vanitatis, Hierem. X. et conflatile, doctorem mendacii. Habacuc. II : « Itaque, inquit Calvinus, si Gregorius in schola spiritus edoctus fuisset, numquam dixisset imaginem librum idiotarum esse. »

Quinto, ratione, quia non videtur posse fieri veram imaginem corpoream rei incorporeæ. Adde etiam, quod imagines fiunt rerum absentium : Deus autem ubique est præsens.

Hæc opinio Calvini est etiam aliquorum Catholicorum, ut Abulensis in cap. IV. Deuter. quæst. 5. Durandi in III. dist. 9. q. 2. et Peresii de traditionib. par. 3. in tractatu de imaginibus ; qui docent, imaginem Dei non recte fieri, et ab Ecclesia fortasse tolerari, non tamen probari.

Ego dico tria : Primo, non esse tam certum in Ecclesia, an sint faciendæ imagines Dei, sive Trinitatis, quam Christi, et Sanctorum ; hoc enim confitentur omnes Catholici, et ad fidem pertinet, illud est in opinione. Secundo, miram esse Calvini fraudem et astutiam, qui posteaquam probavit non esse faciendas imagines Dei, ita digreditur ad amplificationes, et triumphum canit, quasi probasset, non licere colere, vel facere ullam imaginem. Tertio dico, licere pingere etiam imaginem Dei Patris in forma hominis senis ; et Spiritus sancti in forma columbæ, ut Cajetanus docet in 3. p. q. XXV. art. 3. Ambrosius Catharinus in lib. de cultu imaginum. Dieghus Payva lib. ultim. contra Kemnitium. Nicolaus Sanderus in suo opere de cultu imaginum, Thomas Waldensis t. III. tit. 19. c. 155. Id vero ita probamus.

Primo. Angeli sunt incorporei, et tamen depicti et sculpti sunt in Testamento veteri, Exod. XXV. III Regum VI. quare Deus etiam, licet incorporeus, pingi poterit.

Calvinus respondet id factum esse ad pædagogiam veteris legis, nunc autem præteriisse sæculum illud puerile. At nos non quærimus quorsum facta sint, sed tamen disputamus pingi posse rem incorpoream : et sicut ad pædagogiam populi pinguntur Angeli, cur ad pædagogiam populi non poterit pingi Deus? Nam licet præterierit sæculum illud, quod puerile dici poterat respectu nostri, tamen et nostrum puerile dici potest respectu futuri sæculi in cœlo.

Secundo, Deus visus est corporea specie ; nam Adæ apparuit *tamquam homo deambulans in paradiso ad auram post meridiem*, Genes. III. Jacob vidit Deum *innixum summitati scalæ* ; et proinde forma corporea, Genes. XXVIII. Moyses vidit *posteriora Dei*, id est, tergum et humeros, Exodi XXXIII, Isaias cap. VI. et Michææ III Reg. ult. viderunt *Dominum sedentem in solio* ad formam hominis Regis. Et Amos cap. IX. vidit Dominum *stantem super altare*. Denique Daniel cap. VII. vidit eum *sedentem in throno*, et describit caput et capillos ejus canos, et vestimenta ejus alba. Spiritus sanctus apparuit *in forma columbæ*, Matth. III. Denique Angeli apparuerunt frequentissime in forma humana, Genes. XVIII. et XIX. in lib. Tobiæ. Visi sunt etiam cum aliis, ut Isaiæ VI. et Daniel. IX. et in stola candida, Matth. ultim. Luc. ult. et Joan. XX. Quid ergo prohibet sic pingi?

Respondet Calvinus, quod Deus interdum se ostenderit in humana forma, fuisse præludium incarnationis, columbam autem subito evanuisse, ut indicaret Spiritum sanctum invisibilem esse. Sed quorsum hæc? Non enim quærimus ad quem finem, vel quamdiu Deus apparuerit in forma corporea, sed contendimus posse Deum pingi in ea forma, in qua seipsum demonstravit. Et præterea non est verum, apparitionem Dei in forma humana semper fuisse præludium incarnationis ; nam interdum apparuit Deus Pater, vel Spiritus sanctus, qui tamen incarnandi non erant. B. Augustinus lib. XX. Trinit. cap. 11. existimat, in illis tribus viris, qui appa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

runt Abrahæ, Genes. XVIII, apparuisse tres personas Trinitatis: et lib. eodem, cap. ultimo, convincit, Patris personam visam esse in forma humana, ex Daniele cap. VII, ibi enim legimus visum esse *antiquum dierum in throno, qui filio hominis*, id est, Christo, regnum tradebat; et tamen nec tota Trinitas, nec Deus Pater incarnandus erat.

Tertio, Scriptura verbis tribuit Deo omnia membra humana, dum eum dicit stare, sedere, ambulare; nominat ejus caput, pedes, brachia; tribuit illi sedem, thronum, scabellum etc. Cur ergo non poterit pictura exhiberi, qualis depingitur Scriptura?

Respondent, Scripturam ideo sine periculo tribuere membra Deo, quia alibi eadem Scriptura Deum incorporeum esse dicit. Sed cur, quæso, eadem Scriptura non poterit impedire errorem picturæ? Sicut enim a Scriptura discimus, membra quæ tribuuntur Deo in ipsa Scriptura, metaphorice esse accipienda, ita etiam ab eadem discimus membra, quæ tribuuntur Deo in pictura, metaphorice esse accipienda. Et idiotæ, qui vident picturas et non possunt legere Scripturas, possunt ac debent a Prælatis et concionatoribus institui, ut Concilium Tridentinum monet, sess. XXV. Alioqui fateor, non sine periculo exhiberi imperitis ejusmodi picturas. Hic enim tantum defendimus, non esse in universum damnandas ejusmodi imagines.

Quarto, pinguntur ea, quæ minus videntur posse pingi quam Deus, nimirum virtutes, quæ non solum spirituales, sed etiam accidentia sunt; cur ergo non poterit pingi Deus?

Quinto, homo est vera imago Dei; sed hominis potest pingi imago, ergo et Dei; nam quæ est imago imaginis, est etiam exemplaris; quæ enim sunt similia uni tertio, sunt etiam inter se similia.

Dicent, hominem non esse imaginem Dei qua parte pingitur, id est, corpore, sed qua parte non potest pingi, id est, animo.

Respondeo, si ita esset, sequeretur, hominem non posse depingi; nam homo non est homo rationæ figuræ, et colorum, quæ sola exprimuntur in imagine, sed est homo ratione substantiæ, et præcipue ratione animæ, quæ pingi non possunt. Dicitur tamen homo vere et proprie depingi, quia figura et colores imaginis non solum figuram et colores hominis repræsentant, sed ipsum totum hominem; alioqui numquam fieret, ut res depicta videretur res ipsa vera. Quod tamen accidit uvis, quas pinxerat Zeuxis, ad quas carpendas aviculæ accurrebant, teste Plinio lib. XXXV. cap. 10.

Ita igitur licet homo sit ad imaginem Dei ratione intellectus et voluntatis; tamen ipse totus homo intelligens et volens, recte dicitur et est imago Dei; nam Genes. I. non ait Deus: *Faciamus animam*, sed *faciamus hominem ad imaginem Dei*; et cum Imperator quidam sæviret in eos qui confregerant imaginem uxoris suæ, dixit illi S. Macedonius (ut Theodoretus refert in historia religiosa, cap. 30.) eum male agere, quod pro imaginibus suis, Dei occidat imagines. Et tamen Imperator non animas, sed homines occidebat. Si autem ipse totus homo est imago Dei, et totus homo vere pingitur: ergo imago Dei vere pingitur. Illud tamen verum est, quod sicut homo est imago Dei valde imperfecta, obscura, et dissimilis: ita etiam homo pictus est imago Dei valde imperfecta, obscura, et dissimilis.

Ultimo probatur ex usu Ecclesiæ. Jam enim receptæ sunt fere ubique ejusmodi imagines; neque credibile est Ecclesiam toleraturam universaliter aliquid illicitum. Adde quod Concilium VII, act. 5. approbat imaginem Spiritus sancti in forma columbæ, et Concilium Trident. sess. XXV. admittit imagines Dei præcipue in picturis historiarum.

Pro solutione argumentorum observandum est tribus modis posse aliquid pingi. Uno modo ad exprimendam perfectam similitudinem formæ, et naturæ rei ipsius, et hoc modo res corporeæ solum pinguntur, quæ lineamentis et coloribus præditæ sunt. Et si quis hac ratione Deum pingere tentaret, is verum idolum constitueret.

Altero modo ad historiam aliquam oculis exhibendam; quomodo si quis pingere vellet expulsionem Adami de Paradiso, pingere deberet Deum in forma hominis ambulantem, et Adamum, atque Evam modos inter arbores se occultantes, ac demum Angelum in forma humana gladium gestantem, et Adamum cum conjuge expellentem. Qui autem ita pingeret, non vellet certe repræsentare Dei vel Angeli naturam, sed solum exhibere oculis per picturam, id quod auribus exhiberet alius recitando Scripturam, et hoc modo potest Deus pingi.

Tertio, potest aliquid pingi extra historiam ad explicandam naturam rei non per immediatam, et propriam similitudinem, sed

analogiam, sive metaphoricas, mysticasque significationes. Quemadmodum pingimus Angelos, juvenes, alatos, formosos, nudis pedibus etc. ad significandum eos semper viribus pollere, celerrime moveri, splendore gratiæ et virtutum præditos etc. quæ vide apud Dionysium, cap. ultim. cœlestis hierarch. Hoc etiam modo pinguntur virtutes: Et ipse homo, imago Dei, est hujus generis tertii. Non enim est inter hominem et Deum alia similitudo, quam analogica. Hoc modo pingimus Deum patrem, cum eum extra historiam pingimus humana forma.

Hoc modo pingimus Christum in forma ovis, et Evangelistas repræsentamus per aquilam, leonem, bovem, et hominem, et Spiritum sanctum in forma columbæ, aut linguarum ignis. Ubi tamen notandum, non debere ejusmodi imagines multiplicari, nec tolerandum esset, quod pictores audent ex capite suo contingere imagines Trinitatis: ut cum pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, et in medio eorum columbam; ista enim monstra quædam videntur, et magis offendunt deformitate sua, quam juvent similitudine. Unde etiam Ministri Hungarici in suo opere contra Trinitatem lib. I. cap. 4. collegerunt multas formas imaginum Trinitatis, et eas tamquam monstra quædam accurate depicta ridenda proponunt, easque vocant Cerberos, Geryones, Janos trifrontes, monstra et idola, quibus certe ocasionem blasphemandi pictores nostri dederunt.

Præterea notandum est, errare Bartholomæum Carranzam, qui in summa Conciliorum dicit, can. 82. sextæ Synodi, prohiberi imaginem Christi in forma agni, et Spiritus sancti in forma columbæ. At Concilium non prohibet istas imagines, sed anteponit tantum istis imagines Christi in forma humana. Unde in VII Synodo, act. 2. legitur epistola Adriani ad Tharasium, in qua laudata dicitur in VI Synodo imago Christi in forma agni. Idem dicit Elias in VII Synodo, action. 4. idem Epiphanius in VII Synodo act. 6. et præterea in VII Synodo, act. 5. approbatur imago Spiritus sancti in forma columbæ.

Præterea ratio Bartholomæi contra ipsum videtur concludere; ipse enim dicit prohibitas esse has imagines, quia præsente veritate cessare debent figuræ. At istæ imagines non fuerunt in usu in Testamento veteri, sed cœperunt post Christi adventum. Imago enim agni sumpsit occasionem ex illis verbis Joannis: *Ecce agnus Dei*: Imago autem columbæ ex illa columba, quæ apparuit super Christum, Matth. III. Occasionem errandi videtur iste auctor accepisse ex ipso canone, qui non integre habetur in illa Synodo, sed corrigendus est error ex VII Synodo, ubi sæpius iste ipse canon integer adducitur.

Ex his ad argumenta adversariorum facile poterit responderi. Ad primum posset uno verbo dici, in omnibus Scripturis citatis prohiberi imaginem Dei primi generis. Existimo tamen Exodi XX. cum dicitur: *Deos aureos, et Deos argenteos non facietis mecum*. Et similiter Isaiæ XL. et XLVI. ubi Deus conqueritur dicens: *Cui assimilastis me*? ad litteram non agi de imagine facta ad repræsentandum Deum verum, nec enim tales a Judæis fiebant, sed de quibuscumque simulacris, quæ haberentur pro Diis. Vult enim Deus dicere, si vobis simulacrum ligneum est Deus, cum ego etiam sim Deus, sequitur, me similem esse Deo ligneo secundum vos; nam Deus Deo non posset non esse similis?

Ad secundum dico, si Concilium illud loquitur de imagine solius Dei (ut vult Calvinus) nullam esse difficultatem; nam intelligemus Concilium de imagine Dei primi generis. At si loquatur Concilium de omnibus imaginibus, etiam Sanctorum, est major difficultas, de qua infra.

Ad tertium, Eusebius, et Lactantius loquuntur de idolis Gentium. Volunt enim ostendere, Deos Gentilium fuisse homines, et probant, quia omnia idola Gentium sunt statuæ hominum, quorum etiam sepulchra ostenduntur. Augustinus de fide et symbolo, loquitur de imagine Dei primi generis. Varro apud Augustinum recte dicit, eos, qui simulacra Deorum induxerunt, metum dempsisse, et errorem auxisse; nam quidam propterea crediderunt ipsa simulacra esse Deos, et videntes ea nec aliis, nec sibi prodesse, vel obesse, coperunt Deos contemnere. At si non Deos simulacra, sed imagines Deorum esse credidissent, et imagines non proprias, sed analogicas, nec metum amisissent, nec errorem invenissent, quemadmodum non minuitur metus Principum, nec error ullus oritur per imagines eorumdem, quas videmus quotidie. Seneca apud eumdem Augustinum conqueritur, simulacra Diis poni propter eumdem errorem, quia putabantur ipsa simulacra Dii, vel certe Dii

simulacris illis similes judicabantur. Origenes, et Damascenus, et Patres Nicæni loquuntur de imagine Dei primi generis.

Ad quartum dico Primo, a Calvino injuria reprehendi B. Gregorium; nam B. Gregorius, cum ait picturas libros esse idiotarum, non agit de imagine Dei, sed de imaginibus Sanctorum, ac potissimum de historiis depictis, quibus mysteria redemptionis continentur. Prophetæ autem, quos opponit Calvinus Gregorio, cum dicunt, lignum esse doctorem vanitatis, vel mendacii, de simulacris falsorum Deorum, non de veris Sanctorum imaginibus loquuntur.

Dico secundo, idola quidem esse doctores mendacii, quia volunt videri Dii; vel certe videntur referre Deorum effigiem, cum vere non referant: At imago Dei, et Trinitatis, ut a nobis pingitur, doctor est veritatis, quia neque habetur pro Deo a nobis, neque fit ad referendam Dei effigiem, sed ad perducendum hominem in aliquam Dei notitiam per analogicas similitudines.

At quintum, jam ostendimus quemadmodum pingi possit res incorporea.

Ad ultimum, pingi solent absentia, quia non videntur: Deus autem licet sit præsens, tamen non videtur, ideo pingi potest, ac si abesset. Alioqui nec oporteret orare Deum voce exteriore; voces enim sunt propter eos, qui non intuentur cogitationes: Deus autem scrutatur renes et corda.

CAPUT IX.

Imagines in templis recte collocari.

Alterum Calvini dictum, quod imagines non debeant poni in templis, probat ipse lib. I. Instit. cap. XI. Primo, quia primis quingentis annis non fuerunt ullæ imagines in templis Christianorum.

Secundo, quia Concilium Elibertinum can. 36. prohibet picturas in templis fieri.

Tertio, quia non potest imago in templo, in sublimi loco statui, quin statim erigatur signum quoddam idololatriæ. Nam, ut B. Augustinus ait, epistola 49: « Cum his sedibus locantur honorabili sublimitate, ut a precantibus, atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum, atque sensuum, quamvis sensu, et anima careant, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur. » Item in Psal. CXIII: « Hoc enim facit, et extorquet quodammodo illa figura membrorum, ut animus in corpore vivens magis arbitretur sentire corpus, quod suo simillimum videt etc. » Et paulo post: « Pius valent simulacra ad eruvandam infœlicem animam, quod os, oculos, aures, pedes habent: quam ad corrigendam, quod non loquuntur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant, » Ibidem Augustinus dicit, in templis Christianorum esse quidem vasa aurea, et argentea, sed non talia, quæ os habeant, et non loquantur. Confirmat etiam ex I. Joan. ultimo, ubi Joannes non dicit, ut caveant a cultu simulacrorum, sed a simulacris ipsis, quia nimirum non possunt haberi in templo, quin adorentur.

Quarto probat, quia templa sunt instituta pro imaginibus vivis, et iconicis, atque a Deo institutis, quales sunt Baptismus, qui est imago internæ sanctificationis, et gratiæ; et sacra Cœna, quæ est imago corporis Domini: sicut ergo templa ornantur istis vivis quodammodo imaginibus, ita dehonestantur imaginibus mortuis etc.

Quinto, probat lib. IV. cap. 9. § 9. ex Epiphanio in epist. ad Joannem Hierosolymit. ubi dicit, contra Scripturæ auctoritatem esse, quod in Ecclesia pendeat imago hominis: et loquitur de imagine, quam ipse dicit fuisse Christi, vel Sancti alicujus.

Sexto addunt alii, quod Adrianus Imperator (teste Ælio Lampridio in vita Alexandri Imperatoris) in gratiam Christianorum templa jusserit extrui sine simulacris.

Hæc sunt illorum argumenta, quibus tamen nihil territi, asserimus nusquam melius, quam in templis imagines Sanctorum collocari. Probatur primo, quia in Testamento veteri, quando Judæi propensissimi ad idololatriam erant, in templo fuerunt imagines Cherubim, Exodi XXV. et III. Reg. VI.

Secundo, probatur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ fuit primis quingentis annis, ut appareat impudens Calvini mendacium. Tertullianus in libro de pudicitia, ante medium, his testatur, in sacris callicibus Ecclesiæ Catholicæ, depictum fuisse Christum in forma pastoris ovem errantem suis humeris reportantis ad ovile; et tam erat id commune, ut Catholici, contra quos in eo libro

scribit Tertullianus, inde argumentum sumerent ad probandum pœnitentiam, etiam gravium delictorum, in Ecclesia, concedi. At certe calices sacri in Ecclesia et in loco maxime sacro poni solent.

Sozomenus lib. V. cap. 20. et Nicephorus lib. X. cap. 38. scribunt tempore Juliani Apostatæ statuam Christi, quæ apud Paneadem fuerat, in templum a Christianis introductam. Quod certe factum est ante annum Domini 300. cum ad eum annum Sozomenus non pervenerit. Eusebius lib. III et IV. de vita Constantini, dicit, in templis a Constantino exstructis in Palestina, fuisse maximam copiam imaginum aurearum et argenteorum.

Nazianzenus epist. 49. ad Olympium, conqueritur, quod civitas Diocæsariensis evertenda esset, in qua ipse templum mirifice exornarat; et addit: « Neque enim si statuæ dejiciantur, hoc nos excruciat, etiamsi aliqui excruciat, verum etc. »

Damasus in vita Sylvestri scribit, Constantinum in loco, ubi fuerat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo, ad dexteram agni, statuam argenteam Salvatoris; ad lævam autem, statuam argenteam Joannis Baptistæ. In Ecclesia autem ipsa Lateranensi posuisse imagines argenteas Salvatori, Apostolis duodecim, et Angelis quatuor. In VII Synodo, act. 6. refertur, quemadmodum discipuli S. Epiphanii, templum Epiphanio erexerunt, et imaginem ejusdem in eo posuerunt.

Basilius orat. in S. Barlaam in fine, in ipsa concione ostendit imaginem sancti Barlaam alicubi in templo depictam, et ait: gaudere se, quod melius pictores expresserint manum ejus pro Christo combustam, quam ipse oratione descripserit: « Abeo, inquit, fortium Martyris factorum pictura a vobis superatus. Gaudeo tali vestræ fortitudinis victoria hodie victus. Video manus ad ignem, luctam exactius a vobis descriptam. Video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum. »

Gregorius Nyssenus orat. in Theodorum, initio: « Oblectatur, inquit, dum ædem, ut templum Dei, et magnitudine structuræ, et adjecti ornatus decore splendido elaboratum intuetur; ubi et faber in animalium figuram lignum formavit, et pictor induxit etiam flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas et immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem athletæ, certaminum præsidis Christi humanæ formæ effigiem, omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes continent, coloribus artificiose depingens, certamina atque labores Martyris nobis expressit, ac tanquam pratum amœnum et floridum, templum ornavit. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse. »

In Missa Chrysostomi, quam Erasmus Latinam fecit, sic habetur: « Sacerdos egreditur e parvo ostio portans Evangelium, præcedente ministro cum lucerna, et conversus ad Christi imaginem inter duo ostia, inflexo capite cum exclamatione dicit etc. »

Evodius lib. II. de miraculis sancti Stephani scribit, in Ecclesia, ubi reliquiæ S. Stephani servabantur, fuisse quoque imaginem ejusdem Martyris depictam, ad quam visendam frequentes homines concurrere soliti erant.

Prudentius in hymno de S. Cassiano scribit, se in templo S. Cassiani vidisse super altare ejus imaginem.

Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contra
Facis coloram picta imago Martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Item de sancto Hippolyto:

Picta super tumulum species liquidis viget umbris.
Effigians tracti membra cruenta viri.

Paulinus epist. ad Severum, conqueritur, quod se una cum sancto Martino in templo depingi curaverat, et rogat, ut saltem ista carmina adscribi jubeat.

Adstat Martinus perfectæ regula vitæ,
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati,
Exemplar Sanctis ille sit, iste reis.

Et natali 10. sancti Felicis, inquit:

Santasque feramur in aulas.
Miremurque sacras, veterum monumenta figu-
[ras etc.

Nicephorus lib. XIV. cap. 2. scribit, Pulcheriam Augustam posuisse in templo, quod

Constantinopoli ipsa extruxerat, imaginem B. Mariæ, quam e Hierosolymis ad eam miserat Eudoxia.

Valentinianus junior admonitus a Sixto Papa (ut in vita Sixti scribunt Anastasius, qui supplevit pontificale Damasi, Platina, et alii) posuit in Ecclesia S. Petri supra tumulum, id est, super altare B. Petri, imaginem auream Salvatoris, gemmis pretiosissimis ornatam, et duodecim Apostolorum imagines item aureas.

B. Augustinus lib. I. de consensu Evangelistarum, cap. 10. testatur, multis in locis suo tempore cerni potuisse Christum depictum inter Apostolos Petrum et Paulum : et idem dicit de historia Abrahæ mactare volentis filium, lib. XXII. cont. Faustum, cap. 73. Non est autem credibile Augustinum loqui de privatis domibus, ad quas non omnibus patet aditus, sed de publicis locis, et locis non profanis, sed sacris. Nam B. Gregorius lib. IX. epist. 9. dicit, in locis venerabilibus non sine ratione depictos imagines Sanctorum fuisse ab antiquis. Ubi nomine antiquorum non potest intelligere homines sui sæculi, sed superiorum; floruit autem ipse post annum 500. Ergo loquitur de Patribus, qui ante annum 500. floruerunt.

Denique Adrianus I. in libro pro imaginibus, qui habetur post VII Synodum circa finem, refert Sylvestrum, Damasum, Coelestinum, Sixtum, Leonem, Joannem et Pelagium, Pontifices templa picturis exornasse. Qui tamen omnes ante annum Domini 500. sederunt. Vides igitur, quam egregie mentiatur Calvinus, cum ait in Institut. lib. I. cap. XI. § 13. in templis Christianorum non fuisse imagines primis 500. annis.

Tertio, probatur ex quatuor Conciliis, duobus Orientalibus, et duobus Occidentalibus. In Oriente celebrata est VII Synodus tota pro hac re. Item in VIII Synodo, can. 3. renovantur decreta septimæ Synodi. In Occidente celebratum est Concilium Romanum sub Gregorio III, quod quidem nationale fuit, sed concurrerunt ad id Concilium fere mille Episcopi. In eo Concilio damnata est hæresis Iconomachorum, imagines e templis deturbantium, sub ipsis initiis hujus contentionis. Vide Sigebertum in Chronico anni 633. Celebratum est etiam Concilium tempore Stephani, et Caroli Magni, pro eadem re, ut testatur Adrianus I, qui Stephano successit, in libro pro imaginibus ad Carolum.

Quarto, probatur ratione : nam signa sacra nusquam melius, quam in sacris locis poni possunt. Deinde nullum est ornamentum templorum melius, quam sacrarum imaginum, quia imagines simul templum ornant, et continent mentes hominum, ne vagentur inanibus cogitationibus. Præterea templum est imago quædam cœli; nam Apostolus Hebr. IX. comparat tabernaculum Mosaicum cum Cœlo : et Chrysostomus hom. 36. in priorem ad Corinthios dicit, templum Christianorum esse quasi regiam cœli, sive terrestre quoddam cœlum. Sicut ergo templum est imago cœli, ita decet, ut in ipso templo sint imagines eorum, qui in cœlo sunt, id est, Christi et Sanctorum. Denique, ubi melius ponentur imagines Sanctorum, quam in domibus ipsorum, id est, in basilicis Sanctorum, ubi reliquiæ ipsorum quiescunt?

Ad primum argumentum patet solutio. Non enim illud argumentum, sed mendacium fuit.

Ad secundum Payva respondet, Concilium Elibertinum solum prohibere imaginem Dei, quæ pingitur ad ipsius Dei effigiem repræsentandam. Sed non videtur satisfacere, tum quia Concilium loquitur in genere de picturis, tum etiam quia non erat in usu eo tempore, imo nec unquam fuerunt in Ecclesia tales imagines, quæ sunt vera idola, ut ostendimus supra testimoniis Origenis, Augustini, et Damasceni : Concilium autem loquitur de eo, quod fieri solebat, et interdicit ne deinceps fiat.

Nicolaus Sanderus lib. II. de cultu imaginum c. 4. respondet, Concilium illud prohibuisse imagines in templis, quia tempus et locus id requirebant. Tunc enim periculum erat, ne Gentiles existimarent, nostros adorare ligna, et lapides : ac denique periculum erat, ne in persecutionibus fuissent imagines contumelia affectæ a persecutoribus. Hæc solutio bona est.

Neque obstat quod quidam dicunt, hoc Concilium celebratum fuisse post Concilium Nicænum, et proinde non fuisse periculum persecutionum : nam revera Concilium hoc celebratum fuit ante Nicænum, cum adhuc durarent persecutiones, ut patet ex canone 25. ubi agitur de iis, qui adferebant litteras a Confessoribus. Solebant enim ii, qui in persecutione confitebantur fidem, postea dare litteras commendatitias pro lapsis ad Episcopos; et in toto fere Concilio agitur de iis, qui labuntur ad idololatriam. Fateor

tamen rationem illam canonis: «Ne id, quod adoratur et colitur, in parietibus depingatur,» non multum quadrare huic expositioni.

Alanus Copus in Dialogis lib. V. cap. 16. dicit, hic prohiberi imagines, quia ab illis Christianis adorari cœperant tamquam Dii, et hunc esse sensum : Placuit in Ecclesia non esse picturas, ne aliquid in parietibus existens adoretur et colatur ut Deus. In quem sensum accepit istum canonem B. Ivo in suis decretis part. III. cap. 40. sed huic etiam expositioni ratio canonis non omnino quadrat : nam debuisset dici potius, ne id quod pingitur, adoretur : quam ne id quod adoratur, pingatur.

Alii ergo dicunt tantum prohiberi, ne imagines depingantur in parietibus Ecclesiæ, non autem ne depictæ in tabellis aut velis in Ecclesiæ habeantur; et rationem esse volunt propter honorem imaginum, quia in parietibus facillime corrumpuntur, vel humore parietum, vel situ, vel alia ratione. Qua ratione fuit olim prohibitum etiam, ne crux in pavimentis sculperetur, ne videlicet conculcaretur; et tunc hic erit sensus : Placuit picturas in Ecclesia, id est, in ipsa fabrica, sive muris Ecclesiæ esse non debere, ne id, quod adoratur et colitur, in parietibus depingatur, id est, ne contingat rem sacram et venerabilem, quales sunt sanctæ imagines, in parietibus esse, ubi facillime corrumpantur. Huic expositioni aptissime convenit ratio canonis.

Adde postremo, quidquid Concilium statuerit, magis illud Concilium esse pro nobis, quam contra nos; nam contra nos tantum esse potest Concilium 19 Episcoporum, quod provinciale fuit, et minime confirmatum, et in aliis decretis videtur erravisse, præsertim cum in plurimis casibus, ne in articulo quidem mortis velit absolvi pœnitentem.

(Sic enim accipio, quod ait Concilium, communionem dari, quamvis non desint, qui per communionem accipiant sedam Eucharistiam. Moveor autem iis rationibus. Primo, quoniam in ipso Elibertino Concilio pro eodem accipitur reconciliatio et communio; nam can. 69. sic legimus, placuit agi debere pœnitentiam, et sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Ubi vides idem esse reconciliare, et dare communionem, aut certe in ipsa communione includi reconciliationem. Solebant enim veteres Sacramentum reconciliationis semper conjungere cum Sacramento Eucharistiæ. Et ideo Tertullianus et Cyprianus, et alii scriptores ejusdem antiquitatis pro eodem accipiunt communionem reconciliationem, et pacem. Secundo, quia S. Innocentius in epist. ad Exuperium, cap. 2. Corrigens observationem antiquam, qualis fuit tempore Concilii Elibertini, satis aperte indicat, consuevisse pœnitentibus nonnullis, etiam in fine vitæ, negari reconciliationem. Quæsitum est, inquit, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo fine vitæ sum pœnitentiam simul, et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior, durior, posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negatu merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, et duriorem esse remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani Hæretici negantis veniam, asperitatem, et duritiam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore, a perpetuo exitio vindicentur. Hæc Innocentius, cujus verbis illud expendendum videtur, nec dixisse Innocentium, concessam fuisse aliquando lapsis reconciliationem, negatam communionem : sed concessam pœnitentiam, negatam communionem. Concedebatur enim lapsis primo pœnitentia, id est, injungebatur actio pœnitentiæ, deinde alio tempore reconciliatio tribuebatur. Unde est illud Augustini in epist. 180. ad Honoratum, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius pœnitentiæ actionem. Porro apud Innocentium nomine pœnitentiæ non reconciliationem, sed pœnitentiæ actionem esse intelligendam, perspicuum est ex eo quod ipse dicit, petentibus pœnitentiam, et reconciliationem communionis, concessam fuisse pœnitentiam, ne totum negaretur, et nega-

tam communionem, ne homines de reconciliatione securi non revocarentur a lapsu, et quia remissionem duriorem fecit temporis ratio. Ubi vides apud Innocentium id esse negari communionem, quod negari reconciliationem, et remissionem. Quod clarius adhuc perspicitur in verbis sequentibus, ubi dicitur, posteriore tempore concessam fuisse communionem, ne videretur Ecclesia imitari Novatiani asperitatem, et duritiam, qui veniam negabat. Ex sententia igitur Innocentii negare communionem est negare veniam, et Novatiani duritiam imitari, qui, teste Cypriano lib. II. epist. 4. Ambrosio lib. I. de pœnitentia, cap. 2. et Socrate lib. IV. cap. 23. pœnitentiam concedebat, atque ad eam hortabatur, sed reconciliationem a Deo petendam, non a sacerdotibus impertiendam docebat. Sed nihil apertius dici potuit eo, quod extremo loco adjunxit Innocentius, tribui videlicet hoc tempore cum pœnitentia communionem, ut homines in exitu de hac vita a perpetuo exitio vindicentur. Sequitur enim eos, quibus negatur communio, a perpetuo exitio minime liberari; quod non esset consequens, si negata communione non etiam reconciliatio negaretur.)

Pro nobis autem facit, quod hinc aperte colligitur, eo tempore fuisse imagines in templis, non enim diceret Concilium: « Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, » nisi jam esse cœpissent. Præterea hinc habemus, vel ipsas imagines, vel certe Sanctas, quorum sunt imagines, coli et adorari; id enim significat illud: « Ne id quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur. » Adde quod hoc ipsum Concilium can. 26. indicit jejunium omni Sabbato; et can. 33. prohibet usum uxorum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis; quorum utrumque execrantur adversarii nostri.

Ad tertium dico, Augustinum loqui de simulacris præsupposito errore Gentilium. Vult enim Augustinus dicere, quando quis putat simulacrum esse Deum, et accedit, et adoret, et invocet ipsum simulacrum, mirabiliter confirmatur, et fovetur in errore, ab ipsa membrorum humanorum similitudine. Ita eum esse intelligendum probo ex verbis ejus; nam in epist. 49. quæst. 3. ait: « Cum his sedibus collocantur honorabili sublimitate, ut a precantibus, atque immolantibus attendantur ipsa similitudine animatorum membrorum, atque sensuum etc. » Ubi nota illud: « ut a precantibus attendantur. » Et quod ibidem ait: « Accedente præsertim veneratione multorum etc. » Experientia enim docet imagines, quæ non habentur pro Diis, neminem licet rudissimum ita decipere ut putentur vivere et spirare.

Ad illud de vasis Ecclesiæ aureis dico, Augustinum voluisse ostendere simulacra Gentilium, continere homines in errore, non ratione materiæ, quia pretiosa sint, sed ratione figuræ, qui figuram habent nostræ similem; id autem ostendit Augustinus dupliciter. Primo, quia multi dorsum convertunt ad solem, et interim supplicant simulacro solis; non quia sol non sit longe nobilior, sed quia figura illa solis globosa, non tam facile persuadet solem vivere et sentire, quemadmodum figura simulacri, quæ est nostræ similis. Secundo, quia Catholici etiam habent in locis sacris vasa ex materia pretiosa, et tamen quia deest figura humana ne Gentiles quidem putarent ea vasa vivere vel spirare.

Dices, si calices non putantur vivere, quia carent humana forma, ergo imagines quæ habent humanam formam, si in templo sint, putabantur vivere. Respondeo, Augustinus non dicit, imagines humanæ formæ putari vivere; sed si putentur, putari propter formam, non propter materiam. Non ergo Augustinus dicit, imagines in Ecclesia non fuisse, sed solum formam humanam simulacrorum, multum valere ad fovendum errorem in iis, qui simulacra pro Diis colunt. Ad confirmationem dico, Joannem loqui de idolis. Sic enim est in Græco: φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων: ex quo textu Latinum interpretari textum licet.

Ad quartum dico. Primo, Calvinum recte imitari suos majores; nam etiam antiqui Iconomachi dicebant, nolle se imagines istas mortuas, sed sufficere sibi Eucharistiam, quæ est imago corporis Domini; quibus Catholici responderunt in VIII Synodo, act. 6. Eucharistiam non debere vocari imaginem, vel figuram corporis Domini, cum ipsum Domini corpus revera sit. Secundo dico, imagines vivas et mortuas non esse inter se contrarias, sed alias juvari ab aliis, ut ostendimus. Denique imagines Sanctorum non recte vocari mortuas. Imaginis enim vita, est repræsentatio: Illæ ergo sunt mortuæ, quæ nihil repræsentant.

Ad quintum, Thomas Waldensis tom. III. tit. 19. cap. 157. dicit, Epiphanium propter hæresim Antropomorphitarum tunc vigente

hoc fecisse. Alii dicunt, Epiphanium loqui de imagine hominis profani, quæ ibi honorabatur instar imaginum Christi et Sanctorum; ita respondet Marianus Victorius in annotatione ad hanc epist. Communior et verior solutio est, verba illa esse supposititia; quod patet primo, quia post finem epistolæ ista adjecta sunt; epistola enim plane finita erat, ut apparebit legenti.

Secundo, quia hæretici Iconomachi non objecerunt hunc locum Catholicis, cum tamen objecerint omnia dicta Patrum, quæ ullum colorem habere poterant, ut patet ex VII Synodo, act. 6.

Tertio, quia Epiphanius Diaconus in VII Synodo, act. 6. convincit duo alia similia loca, Epiphanii scriptis fuisse inserta ab hæreticis.

Quarto, quia ut ibidem dicitur, discipuli Epiphanii in ejus templo imaginem ejus posuerunt, quod certe non fecissent, si eorum præceptor dixisset, id esse contra Scripturæ auctoritatem.

Quinto, quia tempore Epiphanii Basilius, Nyssenus, et alii vivebant, qui imagines in templis laudabant,

Sexto, quia sententia illa: esse contra Scripturæ auctoritatem pendere in templo imaginem hominis, indigna esset Epiphanio, viro doctissimo, cum sit ineptissima. Nusquam enim id legitur prohibitum, imo contrarium legitur, ut patet de imaginibus Cherubim in forma humana, quæ erant in templo Salomonis.

Septimo, quia Gregorius lib. IX, epist. 9. dicit, nullum unquam Episcoporum ante Serenum Massiliensem fregisse imaginem Christi vel Sanctorum.

Octavo, quia B. Hieronymus in epistola ad Pammachium, contra Joannem Hierosolymitanum, totum fere hanc epistolam Epiphanii a se Latinam factam recitat, et tamen non meminit hujus veli. Nono, quia nec stylus convenit cum reliqua epistola.

Ad illud de Adriani templis sine simulacris, dico, Adrianum jussisse fieri templa sine simulacris Gentilium. Christiani enim nolebant orare in templis Gentilium, quia plena erant idolis. Ideo Adrianus jussit eis fieri templa sine ejusmodi idolis. Unde idem Lampridius ea simulacra ibidem appellat numina; numina autem non vocantur imagines, nisi proponantur adorandæ pro Diis.

CAPUT X.

Imagines utiles esse etiam extra historiam.

Postremum Calvini dictum, quod imagines sine notatione historiæ, non sint utiles, est manifeste falsum; nam ipse non probat ullo argumento non esse utiles, et nos probare possumus esse utiles pluribus modis. Primo, quia Deus in templo suo jussit fieri imagines Cherubim, sine ulla historiæ notatione, Exod. XXV: et certe non sine causa.

Secundo, quia semper Christiani habuerunt imagines, etiam solitarias, et extra historias, cum tamen primi Christiani non ducerentur sola delectatione. Tempore Christi tres imagines factæ leguntur. Prima est, quam Christus ipse linteo faciei suæ admoto fecit, et Regi Abagaro misit. Id enim refert Evagrius lib. IV. cap. 26. et Metaphrastes in vita Constantini Magni, et Damascenus lib. I. de imaginibus: et hanc non esse fabulam, testatur ingens miraculum factum Edessæ per hanc imaginem, ut ibidem scribit Evagrius. Testatur etiam dies festus, qui agebatur Constantinopoli, in die translationis hujus imaginis ex Edessa Constantinopolim.

Secunda est, quam apud Pancadem mulier liberata a fluxu sanguinis Christo erexit; testis est Eusebius lib. VII. hist. cap. 14. qui eam se vidisse asserit. Meminit ejusdem Sozomenus lib. V. cap. 20. Damascenus lib. I. de imaginibus, et Theophylactus in cap. IX. Matth.

Tertia est, quam dicitur Nicodemus fecisse, et quæ a Judæis per ludibrium crucifixa, innumerabilibus miraculis claruit. Refert hoc Athanasius in libello de passione imaginis Domini, cap. 4. Et quamquam dubium esse possit, an sit hoc opus Magni Athanasii, tamen certum est esse antiquissimi auctoris; quandoquidem citatur tamquam antiquissima historia in VII Synodo, act. 4.

Præter has Christi imagines exstant etiam beatæ Virginis, quas B. Lucas pinxisse dicitur, quarum meminit Theodorus Lector, qui ante mille annos floruit, lib. I. Collectaneorum. Nicephorus lib. XIV. histor. cap. 2. et Simeon Metaphrastes in vita S. Lucæ. Ter-

tullianus libro de pudicitia, meminit imaginis Christi in forma pastoris, ovem ferentis in humeris suis depictæ in sacris calicibus, ut supra diximus. Ælius Lampridius in vita Alexandri Severi refert Alexandrum Imperatorem in suo lario imagines Christi et Abrahæ habuisse. At certe credibile est, eum a Christianis didicisse, quemadmodum Christus pingi deberet. Eusebius lib. VII. historiæ, cap. 14. dicit, passim consuevisse pingi imagines Apostolorum, et se multas antiquissimas vidisse. Ambrosius in epistola de inventione sanctorum Gervasii et Protasii, quæ apud Surium exstat, dicit se cognovisse eum, qui sibi apparuerat, fuisse B. Paulum, ex imagine picta quam apud se habebat.

Chrysostomus oratione in S. Meletium, dicit Meletii imagines adeo celebres fuisse, ut etiam in annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus, atque ubique alibi conspicerentur. Similiter Theodoretus in historia religiosa, in vita Simeonis Stylitæ dicit, Romæ in omnibus officinis pro foribus pendere consuevisse imagines S. Simeonis.

Augustini tempore frequentissimas imagines fuisse, colligitur ex lib. I. de consensu Evangelistarum, c. 10. ubi dicit, passim inveniri imagines Christi inter Petrum et Paulum depicti. Multa alia testimonia Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli Hierosolymitani, et Cyrilli Alexandrini, et aliorum multorum Patrum vide in VII Synodo, act. 4. et lib. III. Damasceni Apologetico in fine. Addes etiam præter ista, omnia illa quæ paulo ante nos attulimus, ad probandum, imagines fuisse in templis primis quingentis annis.

Tertio, probatur ab utilitatibus. Prima est instructio et eruditio. Melius enim interdum docet pictura, quam Scriptura; cujus utilitatis meminit S. Gregorius Nyssenus, oratione in Theodorum, et S. Gregorius Papa lib. VII. epist. 109. et lib. IX. epist. 9.

Dices, historiæ quidem depictæ instruunt, at non imagines solitariæ. Respondeo etiam solitarias imagines, ut a Christianis pinguntur, semper continere quasi per compendium aliquam historiam. Nam cum pingitur Christus, semper pingitur vel in forma pueri in sinu matris, vel in forma viri alligati ad columnam, vel in cruce pendentis, vel resurgentis e tumulo, vel ascendentis in cœlum etc. Sic etiam Sancti semper cum insigni virtutis, vel passionis, vel potestatis pinguntur, Petrus cum clavibus, Laurentius cum craticula, Andreas cum cruce etc. Martyres omnes cum palma, Sancti omnes cum diademate. Ex quibus signis seu instrumentis docemur quasi per compendium, quid illi quos veneramur egerint, quidve passi sint.

Secundo, utiles sunt imagines, quamvis solitariæ, ad charitatem erga Deum, et Sanctos fovendam, et augendam. Qui enim diligit, libenter inspicit imaginem absentis amici, et inspiciendo magis inardescit. Hinc Severus Sulpitius, quia vehementissime sanctum Paulinum diligebat, nec tamen poterat apud eum semper esse, rogavit eum per litteras, ut imaginem suam ad vivum expressam ad se mitteret; cui modestissime se excusans, respondit Paulinus epist. 8. ad Severum, se nondum habere perfectam imaginem secundi Adami, sed gerere adhuc primi Adami effigiem, et ideo nolle mittere. Gregorius quoque lib. VII. epist. 53. mittens Secundino imaginem Salvatoris, dicit, se scire eum imaginem cupere, ut in amore ipsius Domini recalesceret.

Tertia utilitas est excitatio ad imitandum. Explicatur prolixe hæc utilitas in VII Synodo, act. 6. extrema, de eadem loquitur Basilius oratione in quadraginta Martyres. Notum est apud Terentium in Eunucho, quam vehementer juvenem quemdam conspecta tabella, in qua pictus erat Jupiter, stuprum inferens Dianæ, ad simile flagitium perpetrandum provocarit. Contra vero Nazianzenus in carmine de virtute, quod citatur in VIII Synodo, act. 4. dicit impudicam mulierem, cum ad quemdam evocata veniret, in ipso limine conspexisse imaginem Polemonis continentissimi hominis, et inde confusam erubuisse, et pœnitentia ductam redisse domum suam.

Quarto, utiles sunt imagines, quia conservant in nobis memoriam Christi, et Sanctorum, et simul in angustiis docent, nos habere patronos, quos invocemus. Hinc Theodoretus in vita Simeonis Stylitæ, dicit Romæ frequentissimas fuisse imagines sancti Simeonis, ut ea ratione sibi tutelam et præsidium multi pararent.

Quinta utilitas est confessio fidei, dum enim diligimus et honoramus imagines Sanctorum, testamur nobis placere eorum fidem, et doctrinam, et sanctos mores: et simul nos detestari omnem impietatem, et idololatriam, contra quam ipsi usque ad mortem

pugnaverunt. Et nunc præcipue testamur, nobis non placere novitates Lutheranorum, et Calvinistarum, dum id religiose veneramur, quod illi sacrilege destruunt.

Sexta est honor Dei et Sanctorum: nemo enim unquam dubitavit, quin erigere statuas, vel imagines magnis viris, ad honorem eorum pertineat. Certe Eusebius lib. VII. historiæ, cap. 14. hanc præcipuam fuisse causam indicat, cur Christiani cœperint Sanctorum imagines desiderare.

Neque obstat, quod ait hoc ex Gentilium consuetudine natum; non enim loquitur de aliqua Gentilium superstitione, sed de naturali, et proinde bona consuetudine, qua soliti erant statuas erigere iis, quos honore dignos judicabant, quamquam in eo postea errarent, quod sceleratis etiam hominibus, et falsis Diis eas erigebant.

CAPUT XI.

Proponitur quæstio de cultu imaginum, cum argumentis adversariorum.

Demonstravimus hactenus imagines Christi, et Sanctorum fieri, atque haberi, et in templis, aliisque sacris locis collocari posse; sequitur nunc controversia de cultu, utrum videlicet ejusmodi imagines aliquo genere cultus prosequendæ sint. De qua controversia Damascenus in libro de hæresibus circa finem, duas extremas hæreses adducit. Unam eorum, qui dicebant, imaginibus deberi divinos honores, quos hæreticos vocat Christianocategorous, id est, Christianorum accusatores, quia propter eos accusabantur Christiani tamquam idolorum cultores. Eodem modo certum est Alexandrum Severum coluisse imagines Christi et Abrahæ, cum cæteris suis idolis, teste Ælio Lampridio. Hæc hæresis refellitur omnibus Scripturæ testimoniis, quæ prohibent ne cultum Deo proprium tribuamus creaturæ.

Alter error priori contrarius est eorum, qui nullum omnino honorem imaginibus Sanctorum deferri patiuntur. Refert hunc errorem Damascenus in libro de hæresibus in fine, et est eorum omnium, quos recensuimus in secundo capite disputationis, qui quidem contendunt, non esse ullo modo colendas imagines, propter hæc argumenta.

Primo, quia Scripturæ utriusque Testamenti severe interdicunt cultum simulacrorum, Exodi XX. Deuteron. IV. Rom. 1. etc. Et quia Catholici respondent, Scripturas reprehendere cultum, qui tribuitur simulacris tamquam Diis: Calvinus lib. I. Institut. cap. 11. §. 9. et 10. conatur ostendere etiam Judæos et Gentiles non habuisse simulacra pro Diis, sed in simulacris Deum verum coluisse: et tamen reprehendi, quia Deus non patitur cultum suum ullo modo communicari cum imaginibus; et certe si Deus non debet coli in imagine, eadem modo Sancti, licet colendi essent, non essent tamen colendi imaginibus. Quod Judæi non habuerint simulacra pro Diis, sed Deum verum in idolo coluerint, probat Calvinus, quia Exod. XXXII, populus dicebat de vitulo aureo: *Isti sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ubi fatentur se in vitulo colere cum Deum, a quo fuerant liberati de Ægypto, et ibidem Aaron indicturus diem festum in honorem vituli aurei, jussit præconis voce dici: *Cras solemnitas Domini est*, ubi in Hebræo illud, *Domini*, est יהוה. Et Jud. XVII. mulier quædam ait: *Sanctificavi, et voci Domino mille et centum argenteos, ut faciam sculptile atque conflatile* (1). Ubi etiam pro, *Domino*, est nomen proprium Dei veri יהוה.

Quod autem Gentiles coluerint Deum verum in idolis, probatur primo ex Augustino in Psalm. CXIII. qui refert Gentiles respondere solitos, cum accusabantur idololatriæ, se non colere ipsa idola, sed numen quod per idolum significabatur. Item ex eo, quod Gentiles mutabant simulacra pro arbitrio, nec tamen Deos mutabant. Item quia uni Deo plura simulacra erigebant: nam unum Jovem esse dicebant, et tamen innumerabilia illi simulacra dicabant. Denique, quia nova idola quotidie sacrabant, nec tamen dicebant, se novos Deos facere.

Secundo, adducunt Concilia tria: Constantinopolitanum, sub Leone Iconomacho, teste Paulo Diacono lib. XXI. Item aliud Constantinopolitanum Episcoporum 338. sub Constantino Copronymo, teste Paulo Diacono lib. XXII rerum Romanarum, utrumque definivit imagines abolendas. Utriusque acta pro-

(1) Exod. XXII, 4 et 5; Jud. XVIII, 3.

lixe referunt Centuriatores, Centuria VIII. cap. 9. Tertium fuit Concilium Francofordiense, in quo reprobata fuit VII Synodus, quæ imagines refinendas censuerat. Ita referunt Ado in Chronico annis 795. Abbas Urspergensis in Chronico anni 793. Hincmarus Remensis lib. contra Episcopum Junonensem, cap. 20. et Joannes Aventinus in historia seu annalibus Bojorum lib. IV. Annonius lib. IV. Rhegino lib. II.

Porro Magdeburgenses Centur. VIII. cap. 9. in fine, ex isto Concilio adducunt argumenta 10. contra imagines, et solvunt argumenta 44. Nicænæ Synodi, et respondent ad 11 testimonia Patrum, quæ allata fuerant pro imaginibus a Nicæna Synodo. Sed tam argumenta, quam solutiones sunt meræ nugæ, numquam enim ea Nicæna Synodus exstitit, ut infra suo loco dicemus.

Tertio, adducunt libros quatuor Caroli Magni contra imagines, ex quibus Calvinus lib. I. Institutionum, cap. 11. duo deducit. Primo, Nicænum Concilium fuisse statim rebutatum ab Orthodoxo Principe. Secundo, in Concilio illo Niceno manifestam impietatem definitam. Nam, ut ex libro Caroli patet, in eo Concilio definitum est, imaginibus deberi honorem sacrificiorum, et eum cultum, qui tribuitur vivificæ Trinitati. Prodiit iste liber anno 1549. addunt Centuriatores Centur. VIII. cap. 9. col. 645. exstare alium lib. adhuc acriorem contra imagines, Ludovici Pii, si tamen credere dignum est.

Quarto, adducunt Patres; nam Irenæus lib. I, cap. 24. ponit inter hæreses Carpocratis, quod coleret imaginem Christi et Pauli. Epiphanius hæres. 79. dicit, hæreticos esse, qui imaginem beatæ Virginis circumferunt et colunt. Ambrosius de obitu Theodosii: « Invenit, inquit, Helena crucem Domini, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic Gentilis est error, sed adoravit illum, qui pependit in ligno. » Hieronymus in cap. III Danielis: « Cultores, inquit, Dei imagines adorare non debent. » Augustinus de moribus Ecclesiæ, cap. 36: « Novi, inquit, picturarum adoratores. » Gregor. lib. VII. epist. 54. et 109. et lib. VIII. epist. 9. dicit imagines adorandas non esse. Alia quædam testimonia adducuntur ab Iconomachis, in VII Synodo, act. 6. et ibidem refelluntur; sed facilia sunt.

Quinto, adducunt exemplum Ezechiæ, IV Reg. XVIII, qui confregit serpentem æneum, quia coli jam cœperat.

Sexto, adducit Calvinus experientiam, quæ docet, paulatim in cultu imaginum irrepere superstitionem, et errorem, quo putatur imagini alligata Divinitas. Nam cur alioqui una imago Christi vel Mariæ, magis frequentatur, quam alia? cur precaturi ad imagines accedunt? cur peregrinantur aliqui magno labore ad aliquam imaginem, cum habeant domi sæpe forte meliores et pulchriores.

Septimo, adducunt aliquot ratiunculas; nam imago, inquiunt, non est capax honoris, cum sit res inanima, et sensus ac rationis expers. Item imago non est sancta ratione ligni, aut ferri, aut marmoris, aut alterius cujusvis materiæ, sed nec ratione lineamentorum, aut colorum, aut alterius rei, quæ in ipsa sit; cur igitur colitur? Denique homo est imago Dei, et tamen non solet adorari: quanto minus igitur ligna, et lapides adorandi erunt, licet imaginem Dei, aut Sanctorum referant.

Atque hæc sunt illorum præcipua firmamenta, quibus respondebitur infra cap. 13. nam cæteras nugas Magdeburgensium libenter omittam, indignæ sunt enim quibus respondeatur. Christus, inquiunt, mortuus est pro hominibus, non pro imaginibus, ergo imagines non sunt colendæ. Egregie scilicet. Item si imagines necessario colendæ essent, soli divites salvarentur, qui eas emere possunt. Item Christus non dixit, qui imagines recipit, sed qui vos recipit, me recipit; ergo honor imaginis non refertur ad exemplar. Quod quidem non argumentari, sed ludere est.

CAPUT XII.

Imagines Christi et Sanctorum recte coli.

Nos cum Ecclesia asserimus, imagines Christi et Sanctorum honorandas esse, modo tamen (ut in Concilio Trident. sess. XXV. declaratur) in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis inesse credatur ulla Divinitas, sed solum honorentur propter eos, quos nobis repræsentant. Quæ sententia probatur. Primum, testimonio Scripturæ; habemus tria genera testimoniorum. Primo ea testimonia, quæ

expresse agunt de imaginibus, numirum Exod. XXV. de Cherubim propitiatorii. Et num. XXI. de æneo serpente. Imagines enim Cherubim super arcam existentes Exod. XXV. necessario adorabantur ab iis, qui arcam adorabant. Imo Hieronymus in epistola ad Marcellam, ut migret Bethlecem, ideo dicit tabernaculum fuisse veneratum a Judæis, quia ibi erant Cherubim. Serpens quoque æneus non poterat non honorari, cum in loco sublimi a Deo positus fuisset, et salutem miseris in se aspicientibus adferret. Unde Augustinus lib. III. Trinit. c. 10. loquens de quibusdam signis, quæ venerationem tamquam religiosa merentur, ponit pro exemplo serpentem æneum. Præterea tam de imaginibus Cherubim, quam de imaginibus serpentis, quod honorari debuerint, patet ex regula S. Augustini lib. III. doctr. Christ. cap. 9. ubi dicit, signa utilia divinitus instituta, veneranda esse, quod honor eorum ad prototypum transit. Fuisse autem illas imagines Cherubim et serpentis a Deo institutas, et utiles, certum est. Jam vero, si licuit, venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorum? Si licuit venerari imaginem Christi in forma serpentis (nam serpentem Christi fuisse figuram habemus Joan. III.) cur non potius venerabilis erit imago Christi in forma hominis.

Deinde, habemus alia testimonia, quæ docent, creaturas honorandas religiose propter solam relationem ad Deum, ut Psalm. XCVIII: *Adorate scabellum pedum ejus.* Matth. V: *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* (1). Ubi nota, juramentum esse actum religionis, quo honoratur primario Deus, secundario id, per quod juratur. Prohibet ergo Deus juramenta sine debitis circumstantiis, per cœlum et terram, ne contumelia fiat ejusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sed similem relationem habent imagines: igitur eadem ratione colendæ sunt.

Ultimum genus testimoniorum est eorum, quæ docent, creaturas dici sacras, vel sanctas propter relationem ad res sacras, Exod. III: *Locus in quo stas, terra sancta est* (2); propter Angeli scilicet præsentiam. Exod. XII. dicitur dies Paschæ, dies sancta et venerabilis propter significationem, et quia dedicata erat cultui divino. Exod. XXVIII. dicuntur vestes Sacerdotum Sanctæ propter eamdem causam. Isaiæ XI. sepulchrum Christi gloriosum. II. Tim. III. dicuntur Scripturæ sacræ litteræ: *A b infantia*, inquit, *sacras litteras nosti* (3). Cur litteræ illæ dicuntur sacræ, nisi quia signa sunt rerum sactarum? Nec solum litteras, sed etiam verba ipsa prolata, venerari consuevimus, præsertim nomen, Jesus; et Evangelium audimus stantes detecto capite, imo etiam luminibus accensis; quamvis in meridie, ut Hieronymus probat lib. in Vigilantium. At imagines Christi et Sanctorum sunt etiam institutæ ad significandas et repræsentandas res sacras, cur ergo eas honorare non licebat? Nam rem sanctam esse, hoc ipso quod sancta est, venerabilem, patet exillis verbis Exod. XII: *Dies prima erit sancta, et septima eadem religione venerabilis* (4). Ubi vides pro eodem accipi, rem sanctam et religiose venerabilem.

Secundo, probatur ex Conciliis Ecclesiæ. Habemus in primis canonem 82 sextæ Synodi, ubi dicuntur imagines venerabiles; tametsi enim isti canones non sint firmæ auctoritatis, tamen iste canon semper receptus fuit ab Ecclesia, et testatur ut minimum usum Ecclesiæ antiquæ. Deinde habemus Synodum Romanam sub Gregorio III, Episcoporum fere mille pro imaginibus celebratam, anno 733. juxta Sigebertum in Chronico. Item Synodum habitam villa Gentiliacensi, anno 766. juxta Sigebertum, vel 767. juxta Adonem, in ea de imaginibus actum, et admoniti Græci, ut cum aliis piis de imaginibus sentire vellent, ut Paulus Æmilius testatur lib. II. Rursus aliam Synodum pro imaginibus Romæ celebratam sub Stephano III, anno 768. juxta Sigebertum, cujus Synodi meminit aliquoties Adrianus in lib. de imaginibus ad Carolum.

Post annum deinde 788, septima Synodus act. 7. definivit, imagines esse venerandas, non quidem cultu latriæ, sed honore illo, quo etiam prosequimur sacras litteras, sacra vasa etc. testis Paulus Diaconus, Cedrenus, Zonaras etc. Est autem hoc Concilium ejusmodi, ut nullo modo dubitari possit, quin generale et legitimum fuerit. Nam habuit in primis legatos Romani Pontificis, et triam aliorum Patriarcharum, Alexandriæ, Antio-

(1) Psal. XCVIII. 5; Matth. V. 34 et 35. — (2) Exod. III. 5. — (3) II. Tim. III. 15. — (4) Exod. XII. 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lixe referunt Centuriatores, Centuria VIII. cap. 9. Tertium fuit Concilium Francofordiense, in quo reprobata fuit VII Synodus, quæ imagines refinendas censuerat. Ita referunt Ado in Chronico annis 795. Abbas Urspergensis in Chronico anni 793. Hincmarus Remensis lib. contra Episcopum Junonensem, cap. 20. et Joannes Aventinus in historia seu annalibus Bojorum lib. IV. Annonius lib. IV. Rhegino lib. II.

Porro Magdeburgenses Centur. VIII. cap. 9. in fine, ex isto Concilio adducunt argumenta 10. contra imagines, et solvunt argumenta 44. Nicænæ Synodi, et respondent ad 11 testimonia Patrum, quæ allata fuerant pro imaginibus a Nicæna Synodo. Sed tam argumenta, quam solutiones sunt meræ nugæ, numquam enim ea Nicæna Synodus exstitit, ut infra suo loco dicemus.

Tertio, adducunt libros quatuor Caroli Magni contra imagines, ex quibus Calvinus lib. I. Institutionum, cap. 11. duo deducit. Primo, Nicænum Concilium fuisse statim rebutatum ab Orthodoxo Principe. Secundo, in Concilio illo Niceno manifestam impietatem definitam. Nam, ut ex libro Caroli patet, in eo Concilio definitum est, imaginibus deberi honorem sacrificiorum, et eum cultum, qui tribuitur vivificæ Trinitati. Prodiit iste liber anno 1549. addunt Centuriatores Centur. VIII. cap. 9. col. 645. exstare alium lib. adhuc acriorem contra imagines, Ludovici Pii, si tamen credere dignum est.

Quarto, adducunt Patres; nam Irenæus lib. I, cap. 24. ponit inter hæreses Carpocratis, quod coleret imaginem Christi et Pauli. Epiphanius hæres. 79. dicit, hæreticos esse, qui imaginem beatæ Virginis circumferunt et colunt. Ambrosius de obitu Theodosii: « Invenit, inquit, Helena crucem Domini, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic Gentilis est error, sed adoravit illum, qui pependit in ligno. » Hieronymus in cap. III Danielis: « Cultores, inquit, Dei imagines adorare non debent. » Augustinus de moribus Ecclesiæ, cap. 36: « Novi, inquit, picturarum adoratores. » Gregor. lib. VII. epist. 54. et 109. et lib. VIII. epist. 9. dicit imagines adorandas non esse. Alia quædam testimonia adducuntur ab Iconomachis, in VII Synodo, act. 6. et ibidem refelluntur; sed facilia sunt.

Quinto, adducunt exemplum Ezechiæ, IV Reg. XVIII, qui confregit serpentem æneum, quia coli jam cœperat.

Sexto, adducit Calvinus experientiam, quæ docet, paulatim in cultu imaginum irrepere superstitionem, et errorem, quo putatur imagini alligata Divinitas. Nam cur alioqui una imago Christi vel Mariæ, magis frequentatur, quam alia? cur precaturi ad imagines accedunt? cur peregrinantur aliqui magno labore ad aliquam imaginem, cum habeant domi sæpe forte meliores et pulchriores.

Septimo, adducunt aliquot ratiunculas; nam imago, inquiunt, non est capax honoris, cum sit res inanima, et sensus ac rationis expers. Item imago non est sancta ratione ligni, aut ferri, aut marmoris, aut alterius cujusvis materiæ, sed nec ratione lineamentorum, aut colorum, aut alterius rei, quæ in ipsa sit; cur igitur colitur? Denique homo est imago Dei, et tamen non solet adorari: quanto minus igitur ligna, et lapides adorandi erunt, licet imaginem Dei, aut Sanctorum referant.

Atque hæc sunt illorum præcipua firmamenta, quibus respondebitur infra cap. 13. nam cæteras nugas Magdeburgensium libenter omittam, indignæ sunt enim quibus respondeatur. Christus, inquiunt, mortuus est pro hominibus, non pro imaginibus, ergo imagines non sunt colendæ. Egregie scilicet. Item si imagines necessario colendæ essent, soli divites salvarentur, qui eas emere possunt. Item Christus non dixit, qui imagines recipit, sed qui vos recipit, me recipit; ergo honor imaginis non refertur ad exemplar. Quod quidem non argumentari, sed ludere est.

CAPUT XII.

Imagines Christi et Sanctorum recte coli.

Nos cum Ecclesia asserimus, imagines Christi et Sanctorum honorandas esse, modo tamen (ut in Concilio Trident. sess. XXV. declaratur) in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis inesse credatur ulla Divinitas, sed solum honorentur propter eos, quos nobis repræsentant. Quæ sententia probatur. Primum, testimonio Scripturæ; habemus tria genera testimoniorum. Primo ea testimonia, quæ

expresse agunt de imaginibus, numirum Exod. XXV. de Cherubim propitiatorii. Et num. XXI. de æneo serpente. Imagines enim Cherubim super arcam existentes Exod. XXV. necessario adorabantur ab iis, qui arcam adorabant. Imo Hieronymus in epistola ad Marcellam, ut migret Bethlecem, ideo dicit tabernaculum fuisse veneratum a Judæis, quia ibi erant Cherubim. Serpens quoque æneus non poterat non honorari, cum in loco sublimi a Deo positus fuisset, et salutem miseris in se aspicientibus adferret. Unde Augustinus lib. III. Trinit. c. 10. loquens de quibusdam signis, quæ venerationem tamquam religiosa merentur, ponit pro exemplo serpentem æneum. Præterea tam de imaginibus Cherubim, quam de imaginibus serpentis, quod honorari debuerint, patet ex regula S. Augustini lib. III. doctr. Christ. cap. 9. ubi dicit, signa utilia divinitus instituta, veneranda esse, quod honor eorum ad prototypum transit. Fuisse autem illas imagines Cherubim et serpentis a Deo institutas, et utiles, certum est. Jam vero, si licuit, venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorum? Si licuit venerari imaginem Christi in forma serpentis (nam serpentem Christi fuisse figuram habemus Joan. III.) cur non potius venerabilis erit imago Christi in forma hominis.

Deinde, habemus alia testimonia, quæ docent, creaturas honorandas religiose propter solam relationem ad Deum, ut Psalm. XCVIII: *Adorate scabellum pedum ejus.* Matth. V: *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* (1). Ubi nota, juramentum esse actum religionis, quo honoratur primario Deus, secundario id, per quod juratur. Prohibet ergo Deus juramenta sine debitis circumstantiis, per cœlum et terram, ne contumelia fiat ejusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sed similem relationem habent imagines: igitur eadem ratione colendæ sunt.

Ultimum genus testimoniorum est eorum, quæ docent, creaturas dici sacras, vel sanctas propter relationem ad res sacras, Exod. III: *Locus in quo stas, terra sancta est* (2); propter Angeli scilicet præsentiam. Exod. XII. dicitur dies Paschæ, dies sancta et venerabilis propter significationem, et quia dedicata erat cultui divino. Exod. XXVIII. dicuntur vestes Sacerdotum Sanctæ propter eamdem causam. Isaiæ XI. sepulchrum Christi gloriosum. II. Tim. III. dicuntur Scripturæ sacræ litteræ: *A b infantia*, inquit, *sacras litteras nosti* (3). Cur litteræ illæ dicuntur sacræ, nisi quia signa sunt rerum sactarum? Nec solum litteras, sed etiam verba ipsa prolata, venerari consuevimus, præsertim nomen, Jesus; et Evangelium audimus stantes detecto capite, imo etiam luminibus accensis; quamvis in meridie, ut Hieronymus probat lib. in Vigilantium. At imagines Christi et Sanctorum sunt etiam institutæ ad significandas et repræsentandas res sacras, cur ergo eas honorare non licebat? Nam rem sanctam esse, hoc ipso quod sancta est, venerabilem, patet exillis verbis Exod. XII: *Dies prima erit sancta, et septima eadem religione venerabilis* (4). Ubi vides pro eodem accipi, rem sanctam et religiose venerabilem.

Secundo, probatur ex Conciliis Ecclesiæ. Habemus in primis canonem 82 sextæ Synodi, ubi dicuntur imagines venerabiles; tametsi enim isti canones non sint firmæ auctoritatis, tamen iste canon semper receptus fuit ab Ecclesia, et testatur ut minimum usum Ecclesiæ antiquæ. Deinde habemus Synodum Romanam sub Gregorio III, Episcoporum fere mille pro imaginibus celebratam, anno 733. juxta Sigebertum in Chronico. Item Synodum habitam villa Gentiliacensi, anno 766. juxta Sigebertum, vel 767. juxta Adonem, in ea de imaginibus actum, et admoniti Græci, ut cum aliis piis de imaginibus sentire vellent, ut Paulus Æmilius testatur lib. II. Rursus aliam Synodum pro imaginibus Romæ celebratam sub Stephano III, anno 768. juxta Sigebertum, cujus Synodi meminit aliquoties Adrianus in lib. de imaginibus ad Carolum.

Post annum deinde 788, septima Synodus act. 7. definivit, imagines esse venerandas, non quidem cultu latriæ, sed honore illo, quo etiam prosequimur sacras litteras, sacra vasa etc. testis Paulus Diaconus, Cedrenus, Zonaras etc. Est autem hoc Concilium ejusmodi, ut nullo modo dubitari possit, quin generale et legitimum fuerit. Nam habuit in primis legatos Romani Pontificis, et triam aliorum Patriarcharum, Alexandriæ, Antio-

(1) Psal. XCVIII. 5; Matth. V. 34 et 35. — (2) Exod. III. 5. — (3) II. Tim. III. 15. — (4) Exod. XII. 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

chiæ Hierosolymæ, necnon Patriarcham Constantinopolitanum, omnes consentientes, ut ex subscriptoribus patet. Præterea adfuerunt Episcopi 330, teste Cedreno, id est, plures quam in prima, secunda, vel tertia Synodo generali. Præterea consensit Imperator Constantinus. Ad hæc disputatum est acriter, et diu allatis in medium Scripturis, Conciliis, et Patribus. Si ergo ullum est Concilium generale legitimum, certe hoc est.

Neque obstat, quod contrarium dicantur statuisse Concilia Constantinopolitana præcedentia et Francofordiense sequens. Nam etiamsi illa omnia fuissent legitima, tamen cedere deberent Nicæno; quia hoc plenarium et generale, illa particularia fuerunt. Est enim regula Augustini lib. II. de Baptismo, cap. 3. Concilia particularia plenariis sine dubitatione cedere debere. Fuisse autem illa tria particularia, patet; nam in Constantinopolitano sub Leone non fuerunt vocati, nec adfuerunt ulli Patriarchæ, excepto Germano Patriarcha Constantinopolitano, qui tamen non consensit, et ideo depositus fuit.

In Concilio Constantinopolitano sub Constantino Copronymo non sunt vocati, nec adfuerunt nec per se, nec per Legatos Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus Patriarchæ, sed solus Pseudoepiscopus, quem hæretici deposito S. Germano Patriarcham fecerant. Testantur hæc Cedrenus, et Zonaras in vita Constantini Copronymi, et ipsi etiam Magdeburgenses Centur. VIII. cap. 9. col. 551. et Paulus Diaconus, qui tunc vivebat, lib. XXII. rerum Romanarum.

Denique Francofordiense omnium judicio particulare fuit, et (si verum est, quod Centuriatores dicunt) adfuerunt quidem Legati Romani Pontificis, sed Synodo assensi non sunt.

Ad hæc accedit, quod ex eventu colligitur Nicænum fuisse legitimum, nam solum illud tandem obtinuit. Imagines enim in templis permanserunt, et suum honorem in Ecclesia semper habuerunt; imo etiam solius hujus Concilii acta exstant, reliqua tria mox evanuerunt, et solum in historiis aliqua eorum memoria servata est, quod idem accidit primo Nicæno. Fuerunt enim plurima Concilia celebrata ab hæreticis contra Nicænum I, sed ipsa cum suis erroribus evanuerunt, sola fides et canones Nicæni ad nos pervenerunt. Habemus præterea VIII Synodum generalem, act. ult. canon. 3. Synodum Tridentinam, sess. XXV.

Tertio, probatur ex Patribus. Basilius in Julianum, ut citat Adrianus Papa in epistola ad Imperatores, in VII Synodo, art. 2: « Historias, inquit, imaginum illarum honoro, et palam adoro, hoc enim nobis traditum a sanctis Apostolis, non est prohibendum etc. »

Chrysostomus in liturgia: « Sacerdos, inquit, ad imaginem Christi caput inclinat. »

Ambrosius serm. 10. in Psalm CXVIII: « Qui, inquit, imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat cujus imaginem coronavit et qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique fecisse videtur injuriam etc. »

Augustinus lib. III. Trinit. cap. 10. loquens de signis sacris, quales sunt imagines, litteræ, et Sacramenta: « Sed quia, inquit, hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tamquam mira non possunt etc. » Ubi nominatim ponit serpentem æneum inter ea, quæ merentur honorem religiosum. Item lib. III. de doctrina Christiana, cap. 9. dicit, eos servire sub signis, qui honorant utilia signa, nec sciunt quid significent, quales erant olim Judæi. Qui autem venerantur utilia, et sciunt quid significent, dicit eos non tam honorare ipsum signum, quam rem significatam, et ideo liberos esse. Quod autem imagines Sanctorum sint utilia signa divinitus instituta: et proinde veneratione digna tam a servis, quam a liberis, patet ex lib. II. de doctrina Christiana, cap. 25. ubi dicit, picturas, et statuas pertinere ad superflua instituta hominum, exceptis illis, quæ ob finem bonum suo loco et tempore proponuntur ab eo, qui habet auctoritatem. Tales autem esse Christi, et Sanctorum imagines, certissimum est. Denique lib. X Confess. cap. 34. reprehendit pictores, et similes artifices, quod necessarium, et moderatum usum, et piam significationem longe aliquando transgrediantur. Ubi admittit, quasdam esse picturas necessarias, quasdam etiam piam significationem habentes, et proinde venerabiles.

Paulinus natali 10. S. Felicis, de imaginibus in templo depictis, sic ait:

Miramurque sacras, veterum monumenta, figuras.

Ubi cum sacras vocat figuras, honorandas etiam docet; res enim sacræ omnes honorandæ sunt.

Gregorius lib. VII. epist. 5. ad Januarium Episcopum Caralitanum, loquens de imagine B. Mariæ, et cruce quæ posita fuerant in Synagoga Judæorum, quas jubet inde auferri: « His, inquit, hortamur affatibus ut sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione, imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare. » Et lib. VII. epist. 53. ad Secundinum, docet imaginem sacram honorandam etiam prostratione ad terram, non tamen ut Deum: « Et nos, inquit, non quasi ante Divinitatem, ante illam prostrenimur etc. »

Damascenus lib. IV. cap. 17. de fide, dicit esse Apostolicam traditionem, cultum crucis et imaginum.

Præterea crucem, id est, crucifixi imaginem fuisse in Ecclesia semper honoratam, certissimum est; nam Lactantius in carmine de passione Domini.

Flecte genu, inquit, lignumque crucis venerabile adora.

Et Sedulius lib. V. carminis Paschalis.

Neve quis ignoret, inquit, speciem crucis esse colendam.

Ambrosius oratione de obitu Theodosii: « Sapienter, inquit, Helena egit, quæ crucem Christi in capite Regum levavit, ut crux Christi in Regibus adoretur. » Et lib. de incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 7: « Numquid, inquit, cum in Christo imaginem Dei, crucemque veneramur, dividimus eum? »

Hieronymus in vita Paulæ: « Prostrata, inquit, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. »

Athanasius quæst. 16. ad Antiochum, dicit, Christianos imaginem crucis colere potius quam lanceæ, vel columnæ, et similium instrumentorum passionis Dominicæ, quia si Gentiles accusent nos, quod colamus lignum, possumus mox separare duo ligna crucis ab invicem, et eo modo sublata figura crucis, conculcare duo illa ligna, ut ostendamus nos non ligna sed imaginem crucifixi venerari. Denique Patres testantur, Christianos semper accusatos a Gentilibus, quod colerent crucem quæ est imago crucifixi.

Tertullianus in Apologetico, cap. 16. dicit, Christianos appellatos religiosos crucis: neque ipse hoc negat esse verum. Minutius Felix in Octavio respondet Gentilibus objicientibus adorationem crucis. Nec obstat quod ipse dicit: « Nos crucem neque adoramus, neque optamus; » nam loquitur de adoratione propria Deo, de qua accusabantur. Interim ex objectione constat crucem aliquo modo honoratam a Christianis. Julianus apud Cyrillum lib. VI. idem objicit. At certe numquam Gentilibus in mentem venisset, ut nostris objicerent adorationem crucis, nisi vidissent primis illis et sanctissimis Christianis crucem summæ veneratioi fuisse.

Ridicula est autem responsio Magdeburgensium, qui ex Concilio Francofordiensi Cent. VIII. cap. 9. in fine dicunt, non esse eamdem rationem crucis et imaginum aliarum; nam Christus nos redemit cruce, non imagine. Ista enim responsio primo jugulat ipsos Centuriatores, ipsi enim non admittunt crucem posse honorari. Deinde imperita solutio est, nam Christus non redemit nos ista cruce, quam modo auream, modo argenteam, modo lapideam, modo depictam in tabula, vel signatam in aere veneramur, sed illa una lignea, cujus imago est, quam veneramur. Nec enim habemus ubique crucem illam Christi veram, et multo minus eam veteres habebant tempore Tertulliani et Minutii, cum postea repertam esse constet temporis Magni Constantini. Magis autem redemit nos Christus corpore suo, quam cruce lignea. Quare si licet venerari imaginem crucis multo magis imaginem corporis. Argumentum quartum, a miraculis. Deus enim per imagines Christi et Sanctorum multa miracula operatur, ex quo intelligimus placere illi, ut imagines honorentur. Illustre in primis est, quod Eusebius refert lib. VII. histor. cap. 14. ubi testatur, ex basi statuæ Christi æneæ ab Hæmorrhoissa positæ apud Paneadem herbam quamdam omnibus incognitam oriri solitam, quæ ubi crevisset usque ad fimbriam imaginis Christi, eamque attigisset, vim haberet omnes morbos depellendi; quod etiam refert Theophylactus in cap. IX. Matth. Addit Sozomenus lib. V. hist. cap. 20. de eadem imagine aliud miraculum, quod

videlicet cum Julianus Apostata statuam Christi inde amovisset, et suam in eodem loco posuisset, mox ignis de cœlo statuam Juliani discerpsit, et caput a reliquo corpore divulsit plane ad eum modum, quo olim accidit idolo Dagon, I. Reg. V.

Non est autem prætereundum hoc loco insigne mendacium Centuriatorum : quod enim Juliani statuæ accidit, id illi tribuunt etiam statuæ Salvatoris. Sic enim loquuntur Cent. IV. cap. 13. col. 1447. « Videtur, inquiunt, etiam ea fulmine confracta esse, ut exstaret testimonium, superstitionem illam, qua statuis vis aliqua tribuitur, Deo non placere. » Et ibidem superstiosam vocant herbas illius vim, quæ morbos omnes curabat. At cum dicunt, imaginem Christi fulmine disjectam, mentiuntur apertissime contra fidem omnium historicorum. Cum autem miracula testatissima Christi, superstioni Diabolicæ adscribunt, imitantur Scribas et Pharisæos, qui ejusdem Christi miracula in Beelzebud fieri, calumniabantur.

Multa alia miracula per imagines a Deo facta legi possunt apud ipsos Magdeburgenses Cent. VI. et sequentibus cap. 13. qui tamen respondent ad hoc argumentum ex libris Carolinis, non sequi, imagines esse adorandas, quia miracula faciunt. Multa enim sunt alia, per quæ Deus miracula facit, quæ tamen non adorantur. Nam Elisæus per aquas Jordanis curavit lepram Naaman : Christus sputo curavit cæcum ; nec tamen adoramus aquam, vel sputum, quia etiam per homines malos aliquando facit Deus miracula, et tamen eos homines omni honore indignos judicamus.

Respondeo, spectandum esse finem miraculorum : id enim, quod miraculo confirmatur, Dei testimonium habet. Jam Elisæus et Christus non adhibuerunt aquam vel sputum in miraculis, ut aquam vel sputum honorarent, sed ut ostenderent, ille quidem se esse Prophetam Dei, iste autem se verum Dei Filium. Similiter homines mali non faciunt miracula, ut se ac vitam suam commendent, sed fidem. Quare non ipsi, sed fides, quam prædicant, veneranda est.

Miracula autem per imagines facta, ideo facta sunt, ut probarent ac sancirent imaginum cultum. Nam cur, quæso, ignis cœlestis discerpsit statuam Juliani, nisi ut vindicaret injuriam factam statuæ Christi? Et cur ab imagine a Judæis confossa, sanguis prodiit, qui infirmos plurimos curavit, ut est apud Athanasium libro de passione imaginis Domini, Gregorium Turonensem de gloria Martyrum, cap. 21. Rhegin. in Chronico anni 801, nisi ut ostenderet se honorare id, quod Judæi contumelia afficiebant?

Præterea beneficia, quæ per imagines a Deo conferuntur, cur illis duntaxat conferantur, qui imagines honorant, et qui existimant Deo placere cultum imaginum? Nam illud miraculum factum Edessæ per imaginem Christi, ut refert Evagrius lib. IV. cap. 26. factum est in salute eorum, qui Christi imaginem venerabantur. Scribit etiam Zonaras in vita Michaelis Balbi, cum Leo Armenius imagines persequeretur, filium ejus Sabbatium Constantinum qui mutus erat, accessisse ad statuam S. Gregorii Nazianzeni, et sanctum ipsum mente precatum, loquendi usum divino miraculo recepisse. At si cultus imaginum esset idololatria, Deus certe tum maxime idololatriæ favere visus fuisset. Scribit Paulus diaconus lib. XXI. rerum Romanarum, cum Iconomachus quidam conspecta statua B. Virginis, lapides in eam jecisset, eamque commiuisset, per quietem virginem ipsam ab eo visam, terribiliter his verbis comminantem : « in caput tuum hoc fecisti. » Deinde paulo post eumdem lapide percussum, atque ita contritum esse, ut ipse statuam comminuerit.

Argumentum quintum duci potest a simili, hoc modo : homo dignus est veneratione, quia imago Dei est, ergo et cæteræ imagines Christi vel Sanctorum digna sunt veneratione, quod enim uni imagini convenit quia imago est, id necessario omnibus imaginibus convenit. Esse autem hominem venerabilem quatenus Dei est imago, Cyrillus et Augustinus testantur.

Cyrillus catechesi 12. sic ait : « Imago lignea terreni Regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei? » Augustinus epist. 203. ad Maximinum Episcopum Donatistarum, explicat, cur in tutulo epistolæ dixerit : « Honorabili fratri, » et ait se non honorare Episcopatum ejus, sed honorare imaginem Dei, quam in illo sciebat esse, cum homo esset.

Respondent Magdeburgenses ex lib. Carolino, argumentum nihil concludere, cum non sint similes depictæ imagines hominis, ut imago Dei est ; imago enim Dei est in mente, similitudo autem inter hominem et picturas est in exteriori figura. Imperite; nam argumentum procedit a simili proportione, ut enim homo se habet ad Deum, cujus est imago, ita se habet pictura ad Christum cujus est imago ; si ergo homo ideo est honorabilis, quia est imago rei honorabilis, certe etiam imago dicta est honorabilis, quia imago est rei honorabilis.

Respondent secundo, hominem non adorari saltem religiose, sed solum civiliter. At licet homo, ut Rex; vel Imperator honoretur civiliter, tamen homo, ut imago Dei honoratur religiose ; causa autem cur honoretur sacra res, est, quemadmodum qui honorat hominem, quia sanctus, vel Propheta, vel Sacerdos, vel Episcopus est, certe religiose honorat, non civiliter, ut supra diximus.

Argumentum sextum item a simili, imago Regis est venerabilis civili quodam honore, ergo imagines Christi et Sanctorum sunt honorabiles cultu religioso. Et confirmari potest hoc argumentum ex insigni fraude Juliani Apostatæ, quam describunt Gregorius Nazianzenus oratione I. in Julianum, Paulus Diaconus in vita Juliani, et alii ; erat in more positum, ut imagines Imperatorum ab omnibus adorarentur, id quod etiam Christiani faciebant, quippe qui sciebant solum civilem adorationem illam fuisse, qualem etiam ipsi Imperatori licet. Ethnico deferebant. Julianus igitur ut cogeret Christianos saltem per errorem adorare idola, jubebat suam imaginem ita depingi, ut simul pingeretur Jupiter de cœlo coronam et purpuram Imperator deferens; pingerentur etiam Mercurius et Mars in Imperatorem respicientes, ut eo modo indicaret, se sapientem et fortem esse. Itaque seipse inter Deos depictum proponebat, ut Christiani de more venerantes imaginem Imperatoris, simul venerarentur Imagines falsorum Deorum. Moret autem Nazianzenus fuisse venia dignos Christianos simpliciores, qui non advertebant dolum, nec putabant se adorare aliud, quam Regis imaginem.

Respondent Centuriatores loco notato, non esse hæc similia, quia imago Regis adoratur propter absentiam Regis, qui non potest esse simul ubique in toto regno : Deus autem ubique est præsens. At in primis non quærimus, cur adoretur imago Regis, sed ex eo, quod adoratur, colligimus, recte adorari imaginem Christi. Præterea Christus, ut homo, non est ubique, nec Sancti sunt ubique. Denique falsum est, imagines Principum non adorari præsente Principe; imo sicut contumeliam facere imagini gravius peccatum est præsente Principe; quam absente : ita etiam honorare imaginem præsente Principe, res est illi gratissima.

Argumentum septimum a contrario ; Imago est capax injuriæ et contumeliæ, ergo et honoris atque cultus. Eusebius lib. IX. hist. cap. 10. scribit in dedecus Maximini, imagines ejus fuisse vel dejectas, vel aliis coloribus fœdatas. Idem de imaginibus Domitiani scribit Suetonius.

Theodosius quoque (optimus alioqui et pientissimus Princeps) cum Antiocheni imaginem uxoris ejus dejecissent, ita iratus est, ut parum abfuerit, quin totam Antiochiam everterit. Extant de hac re duæ orationes Chrysostomi, id est, secunda et tertia ad populum Antiochenum, quibus deplorat scelus illud in Theodosium commissum. Vide etiam Theodoretum lib. V. cap. 19. historiæ. Denique Julianus Apostata Christi statuam non dejecisset, nisi eo modo Christo injuriam fieri credidisset. Neque Deus Juliani statuam fulmine percussisset, nisi ab eo injuriam accepisset, et nisi ad Juliani contumeliam id pertinere visum esset.

Argumentum octavum, idola Gentium merito execramur et confringimus, et hinc laudatur valde Theodosius, quod, teste Theodoreto lib. V. cap. 20. historiæ, jusserit idola ubique destrui. At certe id non fit, nisi ratione significationis, quia sunt imagines falsorum Deorum; igitur e contrario imagines Christi et Sanctorum, quia res vere bonas et sanctas significant, honorabiles sunt.

Argumentum nonum, ab improbitate Iconomachorum, et pietate eorum, qui imagines colunt et coluerunt. Nam Iconomachi, ut ostendimus 2. cap. disputationis, fuerunt omnes aut Judæi, aut Samaritani, aut Mahumetani, aut Necromantici, aut manifeste hæretici, quos impios esse negare nemo potest. At qui imagines defenderunt, fuerunt sancti viri et docti, ut Gregorius et Adrianus summi Pontifices, Germanus, et Tarasius Episcopi Constantinopolitani, Joannes Damascenus, Methodius, Leontius, Jonas Aurelianensis, Paulus Diaconus, et alii pii doctique viri omnium consensu. Non est autem credibile, Deum per hostes suos potius, quam per amicos et sanctos Ecclesiam docere voluisse.

Quid, quod ipse etiam Diabolus odit imagines? Nam ut in Prato spirituali cap. 45.

legimus, Eremitæ cuidam conquerenti, quod spiritus fornicationis illum vexans, cum illo consensuisset, nec abscedere vellet, apparuit Diabolus, ac promisit se discessurum, si is imaginem B. Virginis, quam in cubiculo habebat, non amplius se veneraturum polliceretur. Sed forte Diabolus fingit odium in imagines, ut homines decepti magis eas colant. At si ita est, cur Diabolus tam sæpe per Judæos et Mahumetanos procuravit imaginum eversionem et confractionem?

Argumentum decimum, ab infelici exitu Iconomachorum, et felicitate eorum qui imagines defenderunt. Nam in primis tempore Leonis Iconomachi, postequam imagines Sanctorum in foro Constantinopolitano crematæ fuerunt, orta est pestilentia tam gravis, ut Constantinopoli trecenta hominum millia interirent. Vide Chronicum Matthæi Palmerii, anno 741. Item eadem occasione amisit idem Leo et successores ejus imperium Italiæ, nec unquam amplius recuperare potuerunt. Vide Zonaram et Paulum Diaconum in vita ejusdem. Eo tempore Rex Arabum Ezides, qui imagines Christianorum confringi jusserat, non supervixit unum annum, cum tamen 30 anni promissi illi fuissent ab eo, qui illum ad Iconomachiam incitavit.

Tempore Constantini Copronymi inauditæ calamitates Orientem invaserunt: nam terræmotus ingentes integras urbes dejecerunt, et multa millia hominum occiderunt. Item pestis gravissima orta est, ita ut vicos, hortos, puteos, aliaque loca vix sufficerent sepeliendis hominibus. Et ne dubitaretur quam ob causam ista acciderent, simul ubique in vestibus hominum, in velis sacris, indumentis sacerdotalibus divinitus existebant cruces parvæ, quasi oleo designatæ: Deus enim indicare volebat, velle se ubique conspici crucis imaginem, quam Constantinus Copronymus eo tempore omnino obliterare contendebat. Ad hæc tam horribile frigus accessit, ut mare Ponticum ad centum milliaria congelaretur, essetque glacies profunditatis 30. cubitorum, cui supervenit nix, quæ etiam in glaciem versa est, ad altitudinem 20. cubitorum super aliam glaciem 30. cubitorum. Paula post cœpit solvi glacies, et fragmenta ingentia instar magnorum montium, vel insularum, magno impetu discurrebant, quædam etiam ad Constantinopolim allisa partem mœnium, et vicinas domos everterunt. Testatur autem Paulus Diaconus se vidisse hæc omnia. Eodem anno tanta siccitas postea fuit, ut flumina, fontes, putei fere omnes siccarentur; ita ut omnes intelligerent, et dicerent, propter impietatem in Deum et Sanctos, quam exercuerant Iconomachi, ista omnia fieri.

Denique obstinatus Imperator Constantinus ita periit, ut in morte clamaret, se adhuc vivum igni inextinguibili traditum comburendum. Testis Zonaras et Paulus Diaconus in ejus vita. E contrario Pipinus et Carolus filius ejus, qui cum Romano Pontifice imagines defendebant, ad regnum et imperium provecti felicissime vixerunt, et regnaverunt, ut ex iisdem auctoribus patet.

CAPUT XIII.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Superest jam, ut argumenta adversariorum solvamus. Ad primum Calvini dico, in illis Scripturis reprehendi idololatriam, id est, cultum imaginum, quæ habentur pro Diis, vel per quas coluntur tamquam Dii ii, qui vere non sunt.

Ad probationem illam, qua Calvinus conatur ostendere, Judæos et Gentiles adorasse Deum in idolis; dico in verbis Calvini contineri multa mendacia. Primum est, quod Judæi et Gentiles non vocaverint Deos sua idola; nam lib. I. cap. 11. § 10. Instit. objiciens sibi responsionem Catholicorum, ait: « Non vocamus, inquiunt, nostros Deos, nimirum imagines; » deinde respondet: « Neque illi, aut Judæi, aut Gentiles, olim vocabant, et tamen Prophetæ passim illis fornicationes cum ligno, et lapide exprobare non desuerant. At si Judæi non vocabant idola suos Deos, unde est illud Exodi XXXII. Fac nobis Deos, qui nos præcedant? et isti sunt Dii tui Israel? Unde illud Michææ, Judic. XVIII. Deos meos, quos mihi feceram, abstulistis? Et III. Reg. XII. de duobus vitulis Hieroboam, ecce Dii tui Israel.

Quod autem simulacra ab Ethnicis vocarentur Dii, nemo nescit, qui aliquid in Poetis, vel etiam Oratoribus legerit. Sed unus locus nunc sufficiet ex Danielis V: *Bibebant*, inquit, *vinum, et laudabant Deos suos aureos, et argenteos, æreos, ligneosque et lapideos.* Et alter ex libro Sapient. cap. XIII. *Appellaverunt*

Deos opera manuum suarum (1). Poteratne clarius Scriptura divina Calvini mendacium redarguere?

Secundum mendacium est, quod Judæi, cum fecerunt vitulum aureum, non sint obliti Deum verum. Nam plane e diametro pugnant verba Calvini cum verbis Scripturæ. Calvinus enim lib. I. cap. 11. §. 9. sic ait: « Nec tam incogitantes erant Judæi, ut non meminissent Deum esse, qui eos eduxerat de terra Ægypti. » At Scriptura Deuteron XXXII. *Deum*, inquit, *qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Et in Psalm. CV. *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile: et obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Et Hierem. c. II: *Ambulaverunt post vanitatem, id est, post idola, et non dixerunt, ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti* (2). Quid clarius.

Tertium mendacium est, quod Judæi in omnibus suis idolis Deum unum et verum colere voluerint. Sic enim ait Calvinus lib. I. cap. 11. § 8: « Deum quidem esse noverant, cujus virtutem experti erant. Sed a præeunte imagine volebant cognoscere Deum sibi itineris esse ducem. » Et §. 9. ait: « Deum æternum Judæi, unum, verumque cœli ac terræ Dominum sub talibus simulacris persuasi erant se colere. »

At hoc esse mendacium probabo. Primo, quia si Judæi volebant tantum signum corporeum, non erat opus, ut facerent vitulum; nam habebant nubem et columnam ignis, quæ melius ducebant, quam vitulus, qui portari necesse habebat: non ergo signum corporeum, sed Deum corporeum quærebant.

Secundo, quia nulla causa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quam ovem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Ægyptiorum, qui est vitulus niger albis maculis insignis, quem ipsi vocant Apim; de quo Cicero lib. I. de natura Deorum, et Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 5. et scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius etc. Judæi ergo quia viderant in Ægypto in summo honore vitulum, putaverunt ipsum Deum cœli esse vitulum illum, et ideo illi imaginem vituli statuerunt.

Tertio, quia Josue c. ult. datur optio Hebræis, an velint servire Diis alienis, quibus serviunt Thare et Nachor idololatræ, an idolis Amorrhæorum, an Deo Israel? non ergo in idolis adorabant, vel putabant, se adorare Deum Israel. Nam alioqui potuissent respondere, ineptam esse optionem illam, quandoquidem in ipsis idolis Amorrhæorum, et Thare, ac Nachor Deum verum colerent. Idem confirmatur ex III Reg. XVIII. ubi Elias dicit: *Usquequo claudicatis in duas partes; si Dominus est Deus, sequimini eum: si Baal est Deus, sequimini illum.* Ubi clare opponitur Baal Deo vero. Quando ergo Judæi colebant idolum Baal, certe non colebant Deum verum. Adde illud Deuter XXXII: *Immolaverunt Dæmoniis, et non Deo, Diis, quos ignorabant.* Adde etiam, quod falso accusarentur Judæi servisse Diis alienis, si in idolis semper coluissent Deum verum. At, inquies; quomodo ergo de vitulo dicitur Exod. XXXII: *Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quomodo etiam ibidem de vitulo dicitur חג יהוה *Crax solemnitas Domini est?* Et Judic XVII: *Sanctificavi hoc argentum Domino, ut faciam idolum?* (3) Ad Primum respondeo, significari illis verbis, putasse Judæos beneficium liberationis de Ægypto se accepisse, non a Deo Mosis, sed ab Api Deo Ægyptiorum. Ad Secundum et Tertium, duplex solutio est. Una Cajetani in c. XXXII. Exod. quod vere nomen ipsum Domini, tribuatur a Judæis idololatris idolo, et hoc forte significare Scripturam, Sap. XIV. cum ait: *Incommunicabile nomen lapidibus et ligno imposuerunt.* (4) Nullum enim Dei nomen est incommunicabile, præter hoc יהוה, nam cætera tribuuntur aliquando etiam creaturis.

Dices, at nomen illud יהוה est proprium nomen Dei Israel, non ergo potuit communicari. Respondeo, forte Judæos illos, qui plures veros Deos esse credebant, non putasse hoc esse nomen proprium, sed appellativum. Forte etiam communicasse illud nomen per similitudinem. Quomodo enim Ægyptii vocare solent Nilum, suum Jovem; et nos de homine strenuo dicimus, hic est noster Achilles; de sapiente, hic est noster Cato: Ita Judæi de vitulo dicebant, hic est noster יהוה; habeat sibi Moses suum.

Altera solutio est Abulensis, Cajetani, et

(1) Dan. V. 4; Sap. XIII, 10. — (2) Deut. XXXII, 18; Psal. CV. 19; Jerem. II. 5 et 6. — (3) III Reg. XVIII, 21; Deut. XXXII, 17; Exod. XXXII, 4; Judic. XVII, 3. — (4) Sap. XIV, 21.

aliorum in cap. XVI. Judicum, qui dicunt duo genera idolorum fuisse apud Hebræos. Unum sine nomine certi Dei, quale fuit idolum Michæ, Judic. XVII. et forte vitulus aureus, quem fecit Aaron, Exod. XXXII. et renovavit Hieroboam, III. Reg. VII. non enim Scriptura vocat vitulum Deum Moloch vel Baal etc. sed semper ait : *Hi sunt Dii tui Israel.*

Alterum genus fuit cum certo nomine, ut Baal, Moloch, Astaroth, Chamos etc. ut videre est. III Regum XI. et alibi. Igitur dicunt, nec improbabiliter, posse de primo genere admitti, quod Judæi in idolo putaverint, se colere Deum verum. Cæterum in hoc etiam eos excusse gravissime, tum quia idolo sacrificabant, et in ipso idolo divinam vim inesse credebant : tum etiam quod imaginabantur Deum esse corporeum, et ipsi idolo similem. Ex quo sequebatur, ut putarent se colere Deum verum, sed revera non colerent, nisi figmentum suum : Quemadmodum Manichæi dicebant se colere Deum Patrem, et Filium ejus Christum : sed quia per Deum intelligebant lucem corpoream, per Christum accipiebant solem istum corporeum, nihil habebant Dei, et Christi, nisi solum nomen.

Quod autem Judæi Deum putarent corporeum, et idolo similem, secundum hanc sententiam, patet ex vitulo aureo. Nam ideo faciebant Deum in forma vituli, quia viderant in Ægypto vitulum in summo honore : inde enim existimabant, summum Deum esse vitulum illum, et hoc etiam modo Judæi vere obliviscebantur Dei, licet non putarent se ejus oblivisci. In idolis autem secundi generis adeo certum est Judæos nec coluisse, nec putasse se colere Deum Israel, ut id fateatur etiam Petrus Martyr Calvinista in cap. XVII Judic.

Quartum mendacium est, Ethnicos non putasse idola esse Deos. Sic enim ait Calvinus lib. I. cap. 11. § 9 : « Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, ut non intelligerent Deum alium esse, quam ligna, et lapides. » Hæc ille. Licet autem aliqui non fuerint ita stupidi, ut putarent idola lignea, vel lapidea esse Deos : tamen plurimi ita stupidi erant, ut vere crederent ipsa idola vivere, et sentire, et Deos esse. Neque erat hæc tanta stupiditas, quantam Calvinus videri vult. Nam movebantur Ethnici ad credendum idola esse Deos propter quatuor causas. Primo, quia id eis dicebatur a Pontificibus suis. Secundo : quia videbant totum fere mundum id credere. Tertio, quia Diaboli opera interdum idola movebantur, et loquebantur, et futura prædicebant, seu potius moveri, et loqui videbantur ; nam revera Diabolus ea movebat, et in eis loquebatur, sed populus credebat ipsa vere moveri, et loqui. Solita vero idola loqui, patet ex cap. XXI. Ezech. et cap. X Zachariæ, et ex lib. I. cap. ult. Valerii Maximi. Quarto, quia erant forma humana prædita ; et qui videt sua membra sentire, et vivere, facile persuadetur vivere, et sentire etiam sibi similia, præsertim si id a sapientioribus affirmari audiat. Sed quæcumque fuerint causæ, probo multos Ethnicorum credidisse, ipsa idola esse Deos, et proinde mentiri Calvinum.

Igitur credidisse idola esse Deos probo, Primo ex Scriptura ; nam omnes Prophetæ laborant, ut doceant idola aurea, et argentea non esse Deos, et probant, quia non loquuntur, non vident etc. Vide Isaiam XLVI. Davidem Psalm. CXIII. et Psal. CXIV. et Habac. II. sed præcipue epistolam Hieremiæ Baruch. VI. ubi ad singula argumenta concludit : *Unde notum sit vobis, quia non sunt Dii.* (1). At certe stulti essent Prophetæ si id refellere conarentur quod nemo asseret. Præterea Act. IX. de Paulo dicunt Ethnici : *Paulus hic suadet, dicens, quia non sunt Dii, qui manibus fiunt.* (2) Ergo ipsi putabant esse Deos eos, qui manibus fiunt. Præterea Hierem. II. et Sap. XIII. et XIV. Scriptura dicit, Ethnicos solitos invocare idola, et eis commendare salutem suam : nemo autem invocat, aut orat simulacrum, inquit Augustinus in Psal. CXIII. qui non putet ab illo se exaudiri.

Secundo ex Patribus ; Augustinus lib. III. de doctrina Christiana cap. 7 : « Fateor, inquit, alios demersos esse qui opera hominum Deos putant, quam qui opera Dei. » Et infra : « illi simulacra venerantur, vel tamquam Deos, vel tamquam signa, et imagines Deorum. » Et epistol. 49. ac in Psalm. CXIII. dicit, Ethnicos multos putasse ipsa simulacra vivere, spirare, et audire, et proinde esse Deos viventes, et in hoc errore foveri ex ipsa similitudine humanorum membrorum.

Tertullianus in Apologetico cap. 12. dicit, Deos gentilium plura pati, dum fiunt, ab artificibus, quam patiantur Christiani cum occiduntur, quod eos nolint adorare.

Eusebius lib. V. præparat. cap. 15 : « Triginta, inquit, Deorum millia in terra esse censet Hesiodus. Ego autem multo plures lapideos, atque ligneos hominum creatores esse video. » Denique Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Theodoretus et alii, qui scribunt contra Gentes, rident Ethnicos, quod ligna, et lapides pro Deo colant. Et quid est, quod ait Horatius lib. I. serm. Satyra 8.

> Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.
> Cum faber incertus faceret scamnum, anne
> Maluit esse Deum. [Priapum,

Nec solum Poetæ, sed etiam viri sapientissimi hoc senserunt ; nam Hermes Trismegistus apud Augustinum lib. VIII. de Civit. Dei cap. 23. dicit, alios Deos factos a summo Deo, alios autem ab hominibus : Deos autem ab hominibus factos dicit esse statuas, quibus arte quadam magica alligantur Dæmones, ita ut statua sit quasi corpus Dei, spiritus autem inclusus sit anima, et totum idolum sit Deus, quomodo corpus, et anima est homo. Et Arnobius lib. I. contra Gentes : « Venerabar, inquit, o cæcitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, et ex malleis fabricatos. » Et infra : « Tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam. » Et infra : « Deos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia. »

Vide igitur, Lector, an non mentiatur Calvinus, cum negat Ethnicos habuisse idola pro Diis.

At inquit, Ethnici mutabant simulacra pro arbitrio, nec tamen Deos mutabant. Respondeo, Ethnicos eadem stultitia, qua putabant aliquos Deos posse fieri manibus hominum, potuisse etiam credere Deos aliquos potuisse destrui manibus hominum.

Sed rursum, ait Calvinus, uni Deo multa simulacra ponebant. Respondeo, Ethnicos habuisse alios Deos in cœlo, alios in terra : nec putasse absurdum, si unus Deus cœlestis, ut Jupiter, vel Apollo, haberet in terra multos collegas minores, id est, multa idola ejusdem nominis.

Denique addit Calvinus, Ethnici novas imagines sacrabant, nec tamen putabant se novos Deos facere Respondeo, falsum esse, non putasse Gentiles, se novos Deos facere, saltem terrestres.

Quintum mendacium est lib. I. Instit. cap. II. § 10 : « Prophetæ, inquit, passim Judæis, et Gentilibus fornicationes cum ligno, et lapide exprobrare non desinebant, tantum ob ea, quæ quotidie ab iis fiunt, qui Christiani haberi volant, nempe quod Deum in ligno, et lapide carnaliter venerabantur. »

Hoc est maximum et perniciosissimum mendacium. Nam in primis Judæi et Gentiles immolabant idolis, ut patet de Judæis Exod. XXII. et alibi, de Gentilibus I. Corinth. X. et alibi : et hanc Scriptura vocat fornicationem : Christiani autem nunquam imaginibus immolarunt.

Præterea Judæi et Gentes, vel idola putabant Deos, ut ostendimus, vel certe in idolis creaturas pro Deo colebant, quod Christiani non faciunt. Quod autem Gentiles in idolis colerent creaturas pro Diis, probatur ; nam plurimi in simulacris colebant pro Diis homines mortuos, quos et ipsi mortuos esse credebant, sed non facile audebant id populis dicere. Probat hoc Lactantius lib. I. cap. 14. et 15. ubi etiam refert, Ciceronem Tullioiam suam Deam facere conatum esse, erecto illi simulacro. Et Augustinus lib. VIII. cap. 26. de Civit. Dei, probat, Paganorum Deos homines fuisse : et lib. XVIII. cap. docet Serapidis simulacrum digito ad os admoto indicare solitum, ut taceretur Serapidem fuisse hominem, imo et pœnam capitis constitutam ait iis, qui Serapidem hominem fuisse dicerent, cum tamen vere hominem fuisse, et mortuum, ac sepultum constaret. Idem probat Cyprianus initio libri de Idolorum vanitate, et Eusebius de præparatione Evangelica lib. II. cap. 7. et Tertullianus Apologetici cap. 11.

Alii non homines mortuos, sed dæmones in idolis pro Diis colebant, ut patet ex Hermete apud Augustinum lib. VIII. de Civit. Dei. cap. 23. Quamquam dæmones non solum invitati magicis artibus, ut Hermes dicit, sed etiam sponte sua in idolis habitabant, et se supponebant pro mortuis hominibus, ut loco eorum adorarentur, ut docent, Beatus Cyprianus initio libri de idolorum vanitate, et Beatus Augustinus lib. VIII. de Civitate Dei cap. 24. et lib. XXII. contra Faustum cap. 17. et idem patet ex eo quod dæmones assumpserunt sibi nomina vel idolorum, in quibus residebant, vel hominum mortuorum, quorum vice colebantur.

(1) Baruch. VI. 14, 22 etc. — (2) Act. XIX. 26.

Adjurati enim, et rogati nomen, quidam dicunt, se vocari Beelzebud, quidam Moloch, quidam Chamos etc. alii Jovem, aut Mercurium, aut Apollinem etc. ut observarunt Origenes lib. VI. contra Celsum paulo ante medium. Eusebius lib. VI. præpar. cap. 6. Lactantius lib. II. cap. 16. et Sulpitius in vita B. Martini. Hoc idem Scriptura testatur, cum Deuter. XXXII. dicit: *Immolaverunt dæmoniis, et non Deo.* Et Psal. XCV: *Dii gentium dæmonia etc.* Et I. Corinth. X: *Quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, et non Deo* (1).

Alii nec simulacrum, nec homines mortuos, nec dæmones in idolis colere se dicebant, sed partes mundi; nam in idolo Apollinis colebant Solem, in idolo Jovis æthera etc. ut referunt Eusebius lib. III. præpar. cap. 2. et Augustinus in Psalm. CXIII. et lib. IV. de Civit. Dei cap. 10. et lib. VII. de Civit. Dei cap. 5. et seq.

Alii denique nec ipsas corporeas mundi partes in idolis colere se dicebant, sed animas earum partium, id est, Solis, Lunæ, Terræ etc. ut referunt Eusebius lib. III. cap. 3. præpar. et Augustinus loco citato. Sed omnes isti, ut patet, creaturas pro creatore colucrunt: nisi quis ita desipiat, ut homines mortuos, dæmones, elementa, stellas, creaturas esse neget. Id igitur Scriptura in Ethnicis reprehendit, quod adoraverint creaturam pro creatore. Quod sane Catholici nec faciunt, nec fecerunt unquam, cum imagines nec Deos putent, nec imagines Deorum.

CAPUT XIV.

Solvitur argumentum secundum.

Ad secundum argumentum ex Conciliis. Dico in primis Concilia duo Constantinopolitana fuisse illegitima. Quod patet Primo, quia non adfuit Romanus Pontifex nec per se, nec per legatos, ut ex Zonara, Cedreno, Paulo Diacono, et ex Synodo Nicæna II. act. 6. patet. Porro regula est Ecclesiastica Concilii I Nicæni, sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia generalia celebrari, ut præter alios refert Socrates lib. II. c. 13. Secundo, quia non consenserunt ulli Patriarchæ nec per se, nec per legatos, ut ex iisdem auctoribus patet. Tertio, quia omnes auctores, qui de Conciliis generalibus scribunt, ut Psellus, Photius, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus, Niceias, Paulus Diaconus, Rhegino, Ado, Sigebertus, Abbas Urspergensis, et alii, ista Concilia Constantinopolitana vel non numerant inter Concilia Ecclesiæ, vel aperte reprehendunt.

Dico Secundo, etiamsi legitima fuissent, tamen eis derogatum esse per Concilium plenarium et vere generale, id est, secundum Nicænum.

Est autem hic notandum, Concilium istud Constantinopolitanum falso vocari Ephesinum III, a multis recentioribus, ut ab eo, qui edidit Concilia in quadam admonitione præmissa VII Synodo et ab auctore summæ Conciliorum in principio VII Synodi, a Sixto Senensi lib. V. Bibliothecæ sanctæ annotat. 247. et ab aliis. Causa erroris fuit, quia Concilio isti profano præsedit Theodosius Episcopus Ephesinus. Nam quod vere non Ephesi, sed Constantinopoli habitum sit, patet ex omnibus antiquis historicis, et ex ipso Concilio, quod insertum habetur act. 6. Nicæni Concilii.

Notandum Secundo, Calvinum, et Magdeburgenses impudenter laudare Concilium Constantinopolitanum prædictum; nam illud Concilium etiamsi de imaginibus impie sensit, tamen de cultu et invocatione Sanctorum, et de meritis operum recte sensit, et anathema dixit iis, qui id docent quod nunc Calvinus et Magdeburgenses docent. Nam can. 15. anathematizat eos, qui non invocant B. Mariam; can. 17. eos qui non colunt, et non invocant Sanctos cæteros; can. 18. eos, qui non credunt Deum redditurum vitam æternam pro meritis operum secundum justam judicii sui libram. Habentur autem hi canones inserti in Concilio Nicæno II, actor. 6. et eosdem fideliter recitant Magdeburgenses Centur. VIII. cap. 9. ex quo sane perspici potest eorum incredibilis vel stupiditas, vel impudentia, qui id laudant, a quo anathematizantur.

De Concilio autem Francofordiensi, quo præcipue nituntur adversarii, dico tria. Primo, quidquid illud Concilium definierit, non esse magni faciendum; nam sine dubio illi anteponendum est Concilium Nicænum II,

(1) Deut. XXXII. 17; Psal. XCV. 5; I. Cor. X. 20.

quod certum est fuisse universalius, antiquius, et sine controversia a summo Pontifice approbatum; nam constat ex ipso Concilio adfuisse legatos Papæ Adriani, et rursus approbatum a Leone III, patet ex Ivone, IV parte, cap. 147.

Dico Secundo, si verum est quod dicunt Centuriatores Centur. VIII. cap. 9. col. 639. nihil nobis eam Synodum obesse; nam ipsi dicunt, Synodo Francofordiensi non consensisse, sed repugnasse Adrianum, et legatos ejus. At certum est Synodum, cui repugnat Romanus Pontifex nullius esse auctoritatis, ut patet tum ex Gelasio in tomo de vinculo anathematis, tum experientia. Nulla enim Synodus unquam habita est legitima, cui Romanus Pontifex repugnaverit.

Quid, quod ipsa Synodus Francofordiensis hoc ipsum docet? nam (ut ex Carolinis libris patet,) Synodus Francofordiensis decrevit, judicium ultimum controversiarum ad Romanum Pontificem pertinere, et hoc præcipuo argumento refellit Synodum VII, quia existimavit sine auctoritate Romani Pontificis celebratam: Ergo Synodus Francofordiensis, testimonio Magdeburgensium, seipsam destruit.

Præterea ibidem Magdeburgenses dicunt, Synodum Nicænam ab Adriano confirmatam; Concilium autem Francofordiense reprobat Synodum factam sine Papæ auctoritate, ergo judicio Magdeburgensium non est Nicæna nostra, sed aliqua alia, quæ reprobatur in Concilio Francofordiensi. Denique ibidem docent Magdeburgenses, in Synodo Francofordiensi non esse definitum, ut imagines tollantur a templis, sed ut in templis quidem maneant, at non adorentur. Cur ergo ipsi e templis imagines tollunt? cur frangunt? cur non servant Francofordiense decretum? Ex quo etiam refellitur mendacium Apologiæ Anglorum, quæ docet, in Concilio Francofordiensi decretum, ut imagines delerentur. At e contrario Synodus Francofordiensis testimonio librorum Carolinorum, Hincmari, et ipsorum Magdeburgensium, anathema dixit iis, qui imagines delere volunt. Præterea res ipsa idem ostendit; nam si ea Synodus id statuisset, cur non esset factum? Quis enim resisteret in Occidentali Ecclesia decreto Episcoporum omnium, et Regis potentissimi? Non esse autem factum, certo certius est; nulli enim historici id referunt. Imo Jonas Aurelianensis tamquam rem novam, et sacrilegam refert, quod Claudius Taurinensis in sua diœcesi imagines delere voluerit.

Tertio dico, rem esse incertissimam, quid statutum sit de imaginibus in Synodo Francofordiensi. Nam antiqui auctores non sibi constant, nam in primis ipsum decretum Francofordiense, quod citatur in præfatione librorum Carolinorum, testatur in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ Constantinopoli convenerat, et imagines adorari jusserat. Ubi cum nominat Constantinopolim, videtur loqui de Synodo hæreticorum contra imagines; at cum dicit, ibi decretum, ut imagines adorentur, videtur loqui de Synodo Catholicorum.

Pari ratione libri ipsi Carolini dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum quæ facta fuerat Constantinopoli in Bythinia sine auctoritate Papæ pro imaginibus adorandis. Ubi cum nominat Constantinopolim, et dicit a Synodo abfuisse Papæ auctoritatem, videtur loqui de Synodo hæreticorum: Cum autem dicit in Bythinia, et pro imaginibus Synodum illam celebratam, videtur loqui de nostra Nicæna. Nam Nicæa est metropolis Bythiniæ, Constantinopolis autem in Thracia est.

Jam vero Hincmarus Remensis cap. 20. libro contra Hincmarum Laudunensem, qui ipso fere tempore floruerat, dicit in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ Nicææ convenerat sine Papæ auctoritate. Ubi etiam duo contraria conjungit, ut patet. Aimoinus lib. IV. cap. 85. de gestis Francorum, et Abbas Urspergensis in Chronico anni 793. scribunt in Synodo Francofordiensi damnatam VII Synodum Græcorum, quæ convenerat Constantinopoli sub Constantino et Irene, ubi etiam ipsi contraria jungunt inter se.

Multi autem historici recentiores dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum de tollendis imaginibus, quam Græci VII, generalem dicebant. Ita Platina in vita Adriani, Blondus decadis secundæ lib. I. Sabellicus lib. VIII. Enneadis 8. Paulus Æmilius lib. II. de gestis Francorum. Propter hanc confusionem Alanus Copus Dialogo 4 et 5. docet, in Synodo Francofordiensi solum damnatam Synodum Constantinopolitanam hæreticam: Nicænum autem non solum non damnatam, sed etiam confirmatam, quam sententiam optarem esse veram, sed tamen suspicor esse falsam.

Primo, quia libri illi Carolini, licet falso

inscribantur Carolo, ut dicemus, tamen sine dubio scripti sunt tempore Caroli, ut patet ex refutatione eorumdem librorum, quam edidit Adrianus I. et scripti videntur in Concilio Francofordiensi, et acta continere Synodi Francofordiensis. Id enim asserit Hincmarus ejus temporis auctor, et ipsi libri hoc præseferunt : quod autem Synodus, quæ in his libris refutatur, sit vere Nicæna II, dubitari non potest, si legantur vel ipsi libri, vel Adriani responsio.

Secundo, quia auctores antiqui omnes conveniunt in hoc, quod in Concilio Francofordiensi sit reprobata Synodus VII. quæ decreverat imagines adorandas. Ita Hincmarus, Aimoinus, Rhegino, Ado, et alii passim docent. Dicere autem nos omnes mentiri, vel libros eorum esse corruptos, ut Copus dicit, videtur mihi paulo durius.

Tertio, quia si isti auctores loquerentur de falsa VII Synodo, id est, de Synodo Constantinopolitana contra imagines, certe meminissent etiam in suis historiis Synodi Nicænæ vere septimæ. At non meminerunt ullius Concilii VII, nisi istius, quod reprobatum dicunt.

Neque obstat, quod libri Carolini, et Abbas Urspergensis, et Aimoinus dicunt reprobatam Synodum Constantinopoli habitam ; nam Abbas secutus est libros Carolinos, ut etiam Aimoinus : auctor autem eorum librorum vel lapsu memoriæ, vel ex imperitia posuit Constantinopolim pro Nicæa ; nam alioqui cum dicat Synodum celebratam in provincia Bithyniæ, ubi Nicæa est, non Constantinopolis, satis indicat, se de Nicæa loqui. Et similiter Abbas, et Aimoinus cum dicunt, Synodum celebratam sub Constantino et Irene, clare demonstrant, se loqui de Nicæna Synodo, etiamsi per errorem nominet Constantinopolim. Neque etiam obstat, quod Hincmarus, et libri Carolini dicant, Synodum reprobatam in Concilio Francofordiensi fuisse coactam sine auctoritate Papæ, quod est falsum de Nicæna, et verum de Constantinopolitana : Nam Hincmarus secutus est libros Carolinos, ut ipse indicat. Auctor autem eorum librorum hoc mendacium finxit cum aliis multis, ut imponeret Synodo Francofordiensi, ut mox dicemus.

Neque obstat ultimo quod Platina, Blondus Sabellicus et Paulus Æmilius dicant, reprobatam Synodum de tollendis imaginibus ; nam in primis isti omnes recentiores sunt. Deinde quod ipsi dicunt, non pugnat cum antiquorum historicorum dictis : nam in Synodo Francofordiensi duæ Synodi reprobatæ fuerunt, nimirum Constantinopolitana contra imagines, et Nicæna pro imaginibus, ut patet ex libris Carolinis, et ex Hincmaro. Et fortasse hæc est causa, cur antiquorum historicorum aliqui nominent Nicæam, aliqui Constantinopolim, cum dicunt Synodum Græcorum reprobatam in Concilio Francofordiensi. Videtur igitur mihi, in Synodo Francofordiensi vere reprobatam Nicænam II Synodum, sed per errorem et materialiter, eo modo prorsus quo olim Synodus Arimінensis damnavit homousion. Nam auctor librorum Carolinorum imposuit Synodo, duoque mendacia illi obtrusit : Unum mendacium fuit, in Synodo Nicæna definitum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriæ. Alterum, decretum illud factum a Græcis sine consensu Papæ Romani.

His duobus mendaciis pro veritate habitis, Synodus Francofordiensis reprobavit, et merito, Nicænam Synodum tamquam profanam et illegitimam. Quod illa duo fuerint persuasa Concilio, patet ex ipsis libris Carolinis ; nam in præfatione diserte habetur hoc modo : « Allata est in medium (scilicet in Synodo Francofordiæ) quæstio de nova Grecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur : qui supra, sanctissimi Patres nostri omnimodis orationem, et servitutem eis impendere renuentes contempserunt, atque consentientes condemnarunt. » Hæc ibi. In ipso etiam opere introducitur Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri in Concilio Nicæno anathema dicens iis, qui non adorant imagines eo cultu, quo adoratur sanctissima Trinitas. En clare primum mendacium. Idem auctor clare docet, ad summum Pontificem pertinere judicium controversiarum fidei, et ideo Synodum illam pro adorandis imaginibus nihil valere, quod Pontificis auctoritate carent.

Præterea auctores illi antiqui, qui dicunt reprobatam esse falsam Synodum, quæ decreverat imagines esse adorandas, sine dubio per illud, *adorandas*, intelligunt adorandas cultu latriæ ; nam ipsi quoque docent imagines esse venerandas, et tamen execrantur illam Synodum, quæ jubet imagines

adorari. Ado in Chronico anni 696. dicit, Romæ in die exaltationis Crucis, a toto populo crucem osculari, et adorari solitam. Et in Chronico anni 717. vocat imaginem venerandam, quam everterat Philippicus hæreticus, et restituerat Theodosius Catholicus Imperator. Rhegino lib. I. Chronici sub finem, agnoscit, crucis adorationem, et deturbationem imaginum per Leonem Iconomachum factam scelus appellat. Joannes Aventinus lib. IV. annalium dicit, Carolo Magno Imperatore designato imaginem ejus in templo ab omni populo veneratam ipso præsente. Abbas Urspergensis Chronico, invehitur in Leonem Isaurum, et Constantinum Copronymum propter imaginum dejectionem, eosque vocat impios, et Antichristi præcursores, et e contrario Gregorium Papam laudat, et sanctum virum fuisse dicit, qui propter imagines Christi et Sanctorum, Imperatorem excommunicavit etc.

Quod autem vere mendacia sint, quod Synodus Nicæna carucrit Papæ auctoritate, et quod decreverit imagines adorandas cultu latriæ, certissimum est ; nam in ipso Concilio Nicæno II, act. 2. recitantur epistolæ Papæ Adriani pro imaginibus, et in omnibus actionibus semper primi subscribunt Legati Romani. Deinde quod ad cultum attinet, in prima actione Basilius Ancyranus qui antea fuerat hæreticus, cum resipisceret et confessionem Catholicam ederet, toto Concilio audiente, et probante dixit, se imagines quidem colere, non tamen latria, cum ea soli debeatur Deo. Similiter Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri in VII Synodo act. 3. locutus est. Similiter loquuntur etiam cæteri act. 4 et 7.

Neque mirum videri debet, quod auctor librorum Carolinorum tam manifesta mendacia obtruserit Synodo Francofordiensi de Nicæna Synodo paulo ante habita ; nam si nunc Magdeburgenses, et Calvinus scribere audent, nos colere imagines divinis honoribus plane ut Deos, cum tot libri Catholicorum, et ipsum generale Concilium Latinum, et in Germaniæ finibus Tridenti celebratum, diserte clament contrarium : quid mirum si idem conflictum sit de Synodo Græca, quam paucissimi legere poterant, et quæ in Oriente celebrata fuerat ?

Si dicas, ergo saltem Concilium Francofordiense, quod frequentissimum fuit, et legitimum, errare potuit. Respondeo, potuit errare et erravit, non in juris, sed in facti quæstione. Et præterea non mirum si errare potuit ; nam non consensere Legati Romani, ut Magdeburgenses dicunt : Papa autem non solum non consensit, sed etiam refutavit Francofordiense decretum, ut patet ex libro Adriani de imaginibus ad Carolum, ubi refutantur omnia mendacia illorum librorum Carolinorum.

CAPUT XV.

Solvitur argumentum tertium.

Quod autem ex libris Caroli adferunt, in quibus præcipuum firmamentum causæ suæ constituunt : Dico eos libros neque esse Caroli, neque ejusmodi, quibus ulla fides haberi possit.

Quod Caroli non sint, probatur Primo, quia exstat liber Adriani Papæ I ad Carolum, in quo libri isti accurate refelluntur ; ex quo Adriani libro perspicue intelligitur libros istos ab aliquo hæretico compositos, et a Carolo ad Pontificem missos, ut eis responderet. Esse autem Adriani hunc librum, qui exstat in tertio tomo Conciliorum, cum aliunde, tum etiam ex Ivone intelligi potest ; qui multa ex hoc libro nomine Adriani in IV partem sui decreti transtulit.

Secundo, constat ex historiis Græcorum et Latinorum, ut Zonaræ et Cedreni in vita Leonis Isauri, necnon Pauli Diaconi in vita ejusdem, Romanos Pontifices, Gregorium III. Adrianum I. et Leonem III. defecisse a Græcis Imperatoribus, eos excommunicasse, vectigalia eis tribui ex Italia prohibuisse, seque in tutelam Francorum contulisse, atque in eos tandem Imperium transtulisse, ea de causa præcipue, quod Græci Imperatores hæresi Iconomachorum patrociuarentur, cum e contrario Francorum Reges in fide antiqua constantes essent : Quomodo ergo verisimile est Carolum Imperatorem eadem hæresi laborasse, et pro errore Græcorum contra Romanum Pontificem scripsisse? Sed verba Zonaræ audiamus.

« Igitur, inquit, Papa Gregorius deserta Imperatoris obedientia ob perversam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cum prius sæpe dedisset operam, ut Leonem per litteras ab odio Dei revocaret, atque ad cultum

sacrarum imaginum reduceret. » Et infra in vita Irenes : « Adriano veteris Romæ Papa mortuo Leo suffectus est, vir reverendus et honorabilis, qui cum se ad Carolum Francorum Regem contulisset, ab eo tempore Romæ Franci potiti sunt, Carolo a Leone coronato, et Romanorum Imperatore appellato ; nam Papa Gregorius nihil sibi rei esse voluit cum impiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ gubernatoribus, et pacem cum Francis fecit. »

Tertio, scribit Jonas Aurelianensis lib. I. de cultu imaginum (floruit autem Jonas tempore Ludovici Pii, Caroli filii) Claudium Taurinensem, ejus hæresis patronum, toto tempore quo vixit Carolus, numquam fuisse ausum mutire, idemque ibidem, virum piissimum ac sanctæ memoriæ Carolum Augustum appellat. Si ergo Iconomachi, vivente Carolo, non audebant hæresim suam prædicare ; si defensores imaginum Carolum, ut pium, ac sanctum venerabantur, quanta impudentia est, libros contra imagines Carolo attribuere ?

Quarto, scribit Paulus Æmilius lib. II. hist. Francorum, necnon Rhegino in Chronico in Concilio quodam Gentiliaci coacto, Pipinum Regem, Caroli Magni patrem, Græcorum errorem contra sacras imagines Imperatoris Græci legatis præsentibus confutasse. Ex eodem quoque Paulo constat, non diu postea ad Concilium, quod Romæ Stephanus Papa celebravit contra eumdem Græcorum errorem, misisse Carolum Magnum Episcopos duodecim, ex præcipuis regni. Qua ergo audacia adversarii Christianissimum Principem in Iconoclastam transformare nituntur ? præsertim cum Paulo Æmilio in hac parte assentiantur Magdeburgenses Cent. VIII. cap. 9. col. 570.

Quinto, constat ex historicis omnibus, et ex ipsius Caroli epistolis et carminibus, imo ex ipsis rebus gestis, Carolum et Adrianum semper conjunctissimos fuisse. Exstat adhuc Adriani epitaphium ab Imperatore Carolo non minus eleganter, quam pie descriptum apud Platinam, cujus hoc est initium :

Hic pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita, Deus : pietas, lex : gloria, Christus :
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum.

Et infra :

Post patrem Carolus lacrymans hæc carmina [scripsit,
Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea sem-
Cum Christo teneas regna beata poli. [per.

Num credibile est igitur Carolum alterius religionis, ac fidei fuisse, quam Adrianum ? et in ipsum Adrianum tam acriter scripsisse, cum eum tantopere coluerit, et post obitum laudarit ?

Denique certum est Carolum hominem Græce et Latine peritum, prudentem, et ingeniosum fuisse ; libri autem isti, hominis barbari, imperiti, levis, ac pene stulti esse videntur. Nam Constantinopolim urbem notissimam in Bithynia esse dicit, cum nemo nesciat esse in Thracia, nisi forte, quia frequentes ibi terræmotus fiunt, solum mutaverit. Deinde Concilium pro cultu imaginum Constantinopoli celebratum asserit, cum tamen Nicææ celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit ; et quod gravius est, per calumniam et mendacium multa tribuunt isti libri Nicænis Patribus, quæ numquam dixerunt, et interdum quæ adversarii dixerant ; quale est illud, quod Eucharistia sit imago corporis Christi ; quod non solum Patres Nicæni non defendunt, ut iste auctor somniat, sed etiam ex professo refellunt. Unde accepit Calvinus alterius mendacii occasionem. Quia enim Iconomachi dixerant unam solum imaginem adorandam, id est, Eucharistiam, atque hoc dictum Pseudocarolus Nicænæ Synodo attribuerat, Calvino placuit ita rem totam immutare, ac dicere : « Cæterum ne suo solemni, plaudite, fabula careat, additur clausula (nimirum a Concilio Nicæno) gaudeant, et exultent, qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi offerunt. » Quod est mendacium impudentissimum. Concilium enim Nicænum tantum abest, ut voluerit imaginibus sacrificium offerri, ut diserte in actione septima declaraverit non veram latriam, sed honorariam tantum adorationem imaginibus deferri.

Accedat postremo, quod liber iste tamquam alter Melchisedech, est sine patre, sine matre, sine genealogia ; prodiit enim repente, in lucem, nec scitur quando, aut ubi, aut quomodo, aut a quo repertus ; nec habet nomen auctoris, nec impressoris, nec loci ubi impressus est. Quæ sunt omnia argumenta atque indicia fraudum.

Sed esto, sit liber Caroli Magni, quid tandem adversarii obtinebunt ? prorsus nihil. Auctor enim hujus libri diserte oppugnat omnia fere dogmata Calvinistarum ; aperte enim docet ad Romanum Pontificem pertinere ultimum judicium de controversiis fidei, et eum non a Conciliis, sed a Deo ipso primatum habere. Idem vult exorcismum adhiberi in Baptismo, templa dedicari certo ritu, orandum esse pro defunctis, Sanctos invocandos, reliquias venerandas, Chrismatis, aquæ, salisque benedicti usum in Ecclesia retinendum, in Eucharistia vere esse corpus Christi, idque adorandum, et tamquam verum ac proprium sacrificium offerendum, quæ sunt omnes exploratæ hæreses apud adversarios. Si ergo volunt nos credere huic auctori, cum docet, Nicænam Synodum errasse, credant eidem ipsi, cum asserit tam multa, quæ jam enumeravimus.

Quod si etiam constaret Carolum ipsum hunc librum scripsisse, et in omnibus cum Calvinistis convenire, quid haberent aliud quam testimonium unius hominis laici et militis ? Quod opponere velle Concilio generali Episcoporum stultitia est manifesta. Nam, ut recte ait Damascenus orat. 2. de imaginibus : « Christus non commisit Ecclesiam Regibus, et Imperatoribus, sed Episcopis, et Pastoribus. »

CAPUT XVI.

Solvitur argumentum quartum.

Ad Quartum argumentum ex testimoniis Patrum, ordine respondeamus. Irenæus lib. I. cap. 24. non arguit Carpocratem, quod imaginem Christi haberet, sed quod eam coleret eo modo, quo gentes colunt idola, nimirum sacrificiis, ut clarius explicant Epiphanius hæresi 27. et Augustinus hæresi 7. et præterea quod imaginem Christi, et Pauli eodem loco haberet, quo imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis et Aristotelis. Epiphanius similiter hæresi 79. reprehendit Collyridianos, non quod imaginem B. Virginis, et ipsam Virginem honorarent, sed quod haberent pro Dea, eique sacrificium offerrent.

Jam Ambrosius quando ait, oratione de obitu Theodosii : « Helena crucem invenit, Regem adoravit, non lignum utique qui est error Gentilium etc. » Vult dicere, crucem non adorari propter se, sed propter Christum, qui in ea pependit. Licet enim ipsum lignum honoremus, non tamen honoramus, quia lignum est, sed quia Christum crucifixum repræsentat. Unde Ambrosius ibidem sic ait : « Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum levavit, et collocavit, ut crux Domini in Regibus adoretur. »

Porro Hieronymus in cap. III Daniel. cum dicit, eos, qui Deum colunt, non debere statuas adorare, loquitur de statuis Regum, qui habebantur pro Diis, et quorum statuæ divinis honoribus afficiebantur. Reprehendit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere noluerunt in Babylone.

Ad locum Augustini de moribus Ecclesiæ cap. 36. dico Primo, forte eum loqui de idolis gentium, cum ait : « Novi picturarum adoratores. »

Dico Secundo, eum forte loqui de quibusdam, qui imagines Sanctorum superstitiose colebant, ita ut accederent ad idololatriam ; nam fuisse aliquos Christianos, qui imagines quasi Deos adorarent, testatur Damascenus in fine libri de hæresibus.

Dico Tertio, Augustinum scripsisse eum librum in primordiis conversionis suæ ad fidem Catholicam, et ideo offensum quibusdam ritibus, putasse eos sapere idololatriam, quos tamen postea melius instructus excusavit omnino ab idololatria. Id quod ostendimus cum ageremus de reliquiis ; nam in eodem loco dicit, eos, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, offerre solitos epulas cadaveribus, et inde vocat eos sepulchrorum adoratores : et tamen lib. VIII de Civit. Dei cap. ult. dicit, eos, qui id faciunt, non offerre mortuis epulas, sed solum ponere cibos super tumulos Martyrum, sperantes eos a Deo sanctificari per Martyrum preces.

Ad loca Gregorii dico, Gregorium solum reprehendere cultum imaginum superstitiosum, id est, quo imagines coluntur ut Dii. Ut patet ex epistola ad Secundinum lib. VII. epist. 53 : « Scio, inquit, quod imaginem Salvatoris non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas etc. » Quod autem aliqua veneratio debeatur imagini ex sententia Gregorii, patet ex lib. VII. epist. 5 : « Sublata, inquit, qua dignum est veneratione, imagine, atque cruce etc. »

CAPUT XVII.

Solvitur argumentum quintum.

Ad Quintum de serpente æneo confracto ab Ezechia; respondeo non mirum esse, si id Ezechias fecerit. Hebræi enim, illi adolebant incensum, ut Deo; nam etiamsi adolere incensum non sit necessario sacrificium, cum videamus in Ecclesia etiam non sacerdotes incensum offerre, idque non solum Deo, sed etiam populo: tamen in lege veteri non licebat, nisi sacerdoti adolere incensum, et proinde sacrificium videtur tunc fuisse: vide III Regum XII. et II Paral. XXVI.

Præterea Hebræi obliti significationis, propter quam serpentem erexerat Moses, honorabant illum propter materiam, quomodo cætera idola, hoc est, putabant beneficia sanitatum ab ipso serpente æneo profecta. Id enim indicare voluit Ezechias appellando serpentem נְחֻשְׁתָּן id est, æneulum, ubi diminutivum ponitur per contemptum; vel, ut alii legunt, נְחֻשִׁים id est, æs eorum.

CAPUT XVIII.

Solvitur argumentum Sextum.

Ad Sextum argumentum Calvini, sumptum ab experientia, quia Catholici magis frequentant unam imaginem, quam aliam ejusdem rei; et quia precaturi ad imagines accedunt; et quia peregrinantur ad imagines remotas, cum habeant domi pulchriores. Ex quibus ille colligit, nos credere in imaginibus inesse divinitatem.

Respondeo, unam imaginem magis frequentari, quam aliam, propter varias causas. Prima, quia Deus per unam operatur miracula, et non per aliam; quæ etiam causa est, cur magis frequentemus precibus unum Sanctum, quam alium. Cur autem Deus hoc faciat, non est nostrum discutere.

Secunda causa est, quia quædam imagines pictæ sunt a sanctis viris, ut Luca, Nicodemo et aliis, aliæ a profanis. Certe autem peculiarem devotionem merentur imagines, quæ non solum sunt sanctæ propter significationem, sed etiam propter artificem. In quo genere excellebat imago Edessena, quæ ab ipso Christo facta credebatur: necnon imago S. Stephani, quæ ab Angelo formata et allata fuisse putatur, de qua Evodius lib. II. de miraculis.

Tertia causa est, quia aliquæ magis excitant ad pietatem, quam aliæ, cum sint magis piæ, et religiosæ etc. Porro precaturi ad imagines accedimus, non ut invocemus imaginem, sed ut memoriam ejus, quem orare volumus, nobis imago refricet. Peregrinationes ad imagines rariores sunt in Ecclesia; ordinarie enim peregrinationes ad reliquias, et loca Sancta fieri solent, ut ad sepulchrum Domini, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum, ad domum Virginis Lauretanæ etc. si qui tamen peregrinantur ad imagines, illa tria spectant, quæ diximus.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum septimum.

Ad Septimum argumentum, ad primam rationem, quod imago non sit capax honoris, cum sit res inanima, et sensus, ac rationis expers. Respondeo, inde solum probari, imaginem non esse honoris capacem propter se, et ideo imagines non honorari absolute, sed relative ad prototypum.

Ad Secundam dico, imaginem esse sanctam propter duo. Primo, propter significationem, et repræsentationem rei sanctæ: et hoc modo quælibet imago Christi, vel Sanctorum etiam in officina existens, potest honorari.

Secundo, propter Ecclesiæ institutionem. Nam quemadmodum calices, et vestes, et ipsi homines eo ipso fiunt sacri, quod dedicantur cultui divino, et separantur a profano usu; ita etiam imagines fiunt sacræ, cum ponantur ab Ecclesia in templis, vel aliis, locis sacris, non ut pascant oculos curiosorum, sed ut excitent memoriam et amorem Sanctorum, et serviant cultui rerum sacrarum. In cujus rei signum solent aliquando imagines benedici, et precibus sacerdotalibus quodammodo sacrari, antequam in templis collocentur.

Ad Tertium dico. Primo, hominem ut imaginem Dei esse dignum veneratione, ut supra ostendimus ex Cyrillo catechesi 12. et Augustino epist. 203. Dico Secundo cum Thoma Waldensi tom. III. de sacramentalibus tit. 19. cap. 154. hominem non proponi ab Ecclesia colendum ut imaginem Dei, quia periculum esset, ne homo propter se coli putaretur; nam etiam propter se homo capax est honoris.

CAPUT XX.

Proponitur quæstio: Quo genere cultus imagines sint honorandæ.

Venio nunc ad postremam quæstionem, quo genere videlicet cultus dignæ sint imagines. Tres sunt sententiæ.

Prima, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed solum coram imagine colendum exemplar: ita quidam, quos refert et refellit Catharinus. Idem videtur sensisse Alexander, III part. quæst. 30. art. ult. necnon Durandus lib. III. sent. dist. 9. quæst. 2. et Alphonsus a Castro verbo, Imago. Fundamentum hujus sententiæ est, quia secundum Basilii sententiam in VII. Synodo sæpius repetitam, honor imaginis transit ad exemplar; non ergo inquiunt hi Doctores, in imaginem terminatur: proinde ipsa imago non est quæ honoratur, sed solum per illam, et in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex versibus, qui dicuntur compositi tempore VII. Synodi, quique visuntur Venetiis in æde aurea antiquissimo opere incisa, et referuntur a Sabellico lib. VIII. Enneadis 8.

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Quod autem dicitur de imagine Christi Dei, dici etiam posset de imaginibus Sanctorum, nimirum: Nam Petrus est quod imago docet, sed non Petrus ipsa etc.

Secunda opinio est, quod idem honor debeatur imagini et exemplari, et proinde Christi imago sit adoranda cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum alio-rum cultu duliæ. Ita Alexander, III par. quæst. XXX. art. ult. B. Thom. III. part. quæst. XXV. art. 3. et ibidem Cajetanus, B. Bonaventura, Marsilius, Almain, Carthusianus, Capreolus, et alii in III. distint. 9. idem etiam habet Henricus quodlib. 10. quæst. 6. quamvis addat, nullam imaginem adorandam esse latria; nam ipse putat quidem eumdem esse honorem imaginis, et exemplaris, sed simul docet, imaginem Christi non esse imaginem Christi, ut Christus Deus, sed ut homo est.

Fundamenta horum auctorum hæc sunt. Primo, quia Ecclesia canit de cruce: «O crux ave spes unica, auge piis justitiam, reisque dona veniam.»

Secundo, quia honor imaginis transit ad exemplar ex Basilio, igitur idem est honor imaginis et exemplaris; quare, si exemplar colitur latria, et imago.

Tertio, ex Ambrosio, qui libro de incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. ait, eadem adoratione coli divinitatem Christi, et ejus crucem: «Num, inquit, cum in Christo imaginem Dei, et crucem adoramus, dividimus eum?»

Quarto, ex Hieronymo epistola de obitu Paulæ: «Prostrata, inquit, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.» Sed Dominum pendentem adorasset latria, igitur et ipsam crucem latriæ cultu adorabat.

Quinto, ex Aristotele, qui libro de memoria, et reminiscentia dicit, eumdem esse motum in imaginem, ut imago est, et in ipsum exemplar.

Sexto, mensura adorationis uniuscujusque rei est ratio, sive excellentia, propter quam adoratur; sed ratio, cur adoratur imago, non est alia, quam excellentia exemplaris, ergo idem omnino debetur honor imagini, qui debetur exemplari.

Septimo, qui imaginem Regis afficit contumelia, habetur reus læsæ majestatis, ac si ipsum Regem contumelia afficisset, eadem igitur ratio est imaginis, et exemplaris quod attinet ad honorem, et contumeliam.

Tertia opinio versatur in medio, estque eorum, qui dicunt, ipsas imagines in se, et proprie honorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar, et proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ. Ita Martinus Peresius in libro de traditionibus, tractatu de imaginibus, item Ambrosius Catharinus in tractatu de imaginibus. Nico-

CAPUT XVII.

Solvitur argumentum quintum.

Ad Quintum de serpente æneo confracto ab Ezechia; respondeo non mirum esse, si id Ezechias fecerit. Hebræi enim, illi adolebant incensum, ut Deo; nam etiamsi adolere incensum non sit necessario sacrificium, cum videamus in Ecclesia etiam non sacerdotes incensum offerre, idque non solum Deo, sed etiam populo: tamen in lege veteri non licebat, nisi sacerdoti adolere incensum, et proinde sacrificium videtur tunc fuisse: vide III Regum XII. et II Paral. XXVI.

Præterea Hebræi obliti significationis, propter quam serpentem erexerat Moses, honorabant illum propter materiam, quomodo cætera idola, hoc est, putabant beneficia sanitatum ab ipso serpente æneo profecta. Id enim indicare voluit Ezechias appellando serpentem נְחֻשְׁתָּן id est, æneulum, ubi diminutivum ponitur per contemptum; vel, ut alii legunt, נְחֻשִׁים id est, æs eorum.

CAPUT XVIII.

Solvitur argumentum Sextum.

Ad Sextum argumentum Calvini, sumptum ab experientia, quia Catholici magis frequentant unam imaginem, quam aliam ejusdem rei; et quia precaturi ad imagines accedunt; et quia peregrinantur ad imagines remotas, cum habeant domi pulchriores. Ex quibus ille colligit, nos credere in imaginibus inesse divinitatem.

Respondeo, unam imaginem magis frequentari, quam aliam, propter varias causas. Prima, quia Deus per unam operatur miracula, et non per aliam; quæ etiam causa est, cur magis frequentemus precibus unum Sanctum, quam alium. Cur autem Deus hoc faciat, non est nostrum discutere.

Secunda causa est, quia quædam imagines pictæ sunt a sanctis viris, ut Luca, Nicodemo et aliis, aliæ a profanis. Certe autem peculiarem devotionem merentur imagines, quæ non solum sunt sanctæ propter significationem, sed etiam propter artificem. In quo genere excellebat imago Edessena, quæ ab ipso Christo facta credebatur: necnon imago S. Stephani, quæ ab Angelo formata et allata fuisse putatur, de qua Evodius lib. II. de miraculis.

Tertia causa est, quia aliquæ magis excitant ad pietatem, quam aliæ, cum sint magis piæ, et religiosæ etc. Porro precaturi ad imagines accedimus, non ut invocemus imaginem, sed ut memoriam ejus, quem orare volumus, nobis imago refricet. Peregrinationes ad imagines rariores sunt in Ecclesia; ordinarie enim peregrinationes ad reliquias, et loca Sancta fieri solent, ut ad sepulchrum Domini, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum, ad domum Virginis Lauretanæ etc. si qui tamen peregrinantur ad imagines, illa tria spectant, quæ diximus.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum septimum.

Ad Septimum argumentum, ad primam rationem, quod imago non sit capax honoris, cum sit res inanima, et sensus, ac rationis expers. Respondeo, inde solum probari, imaginem non esse honoris capacem propter se, et ideo imagines non honorari absolute, sed relative ad prototypum.

Ad Secundam dico, imaginem esse sanctam propter duo. Primo, propter significationem, et repræsentationem rei sanctæ: et hoc modo quælibet imago Christi, vel Sanctorum etiam in officina existens, potest honorari.

Secundo, propter Ecclesiæ institutionem. Nam quemadmodum calices, et vestes, et ipsi homines eo ipso fiunt sacri, quod dedicantur cultui divino, et separantur a profano usu; ita etiam imagines fiunt sacræ, cum ponantur ab Ecclesia in templis, vel aliis, locis sacris, non ut pascant oculos curiosorum, sed ut excitent memoriam et amorem Sanctorum, et serviant cultui rerum sacrarum. In cujus rei signum solent aliquando imagines benedici, et precibus sacerdotalibus quodammodo sacrari, antequam in templis collocentur.

Ad Tertium dico. Primo, hominem ut imaginem Dei esse dignum veneratione, ut supra ostendimus ex Cyrillo catechesi 12. et Augustino epist. 203. Dico Secundo cum Thoma Waldensi tom. III. de sacramentalibus tit. 19. cap. 154. hominem non proponi ab Ecclesia colendum ut imaginem Dei, quia periculum esset, ne homo propter se coli putaretur; nam etiam propter se homo capax est honoris.

CAPUT XX.

Proponitur quæstio: Quo genere cultus imagines sint honorandæ.

Venio nunc ad postremam quæstionem, quo genere videlicet cultus dignæ sint imagines. Tres sunt sententiæ.

Prima, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed solum coram imagine colendum exemplar: ita quidam, quos refert et refellit Catharinus. Idem videtur sensisse Alexander, III part. quæst. 30. art. ult. necnon Durandus lib. III. sent. dist. 9. quæst. 2. et Alphonsus a Castro verbo, Imago. Fundamentum hujus sententiæ est, quia secundum Basilii sententiam in VII. Synodo sæpius repetitam, honor imaginis transit ad exemplar; non ergo inquiunt hi Doctores, in imaginem terminatur: proinde ipsa imago non est quæ honoratur, sed solum per illam, et in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex versibus, qui dicuntur compositi tempore VII. Synodi, quique visuntur Venetiis in æde aurea antiquissimo opere incisa, et referuntur a Sabellico lib. VIII. Enneadis 8.

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Quod autem dicitur de imagine Christi Dei, dici etiam posset de imaginibus Sanctorum, nimirum: Nam Petrus est quod imago docet, sed non Petrus ipsa etc.

Secunda opinio est, quod idem honor debeatur imagini et exemplari, et proinde Christi imago sit adoranda cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum alio-rum cultu duliæ. Ita Alexander, III par. quæst. XXX. art. ult. B. Thom. III. part. quæst. XXV. art. 3. et ibidem Cajetanus, B. Bonaventura, Marsilius, Almain, Carthusianus, Capreolus, et alii in III. distint. 9. idem etiam habet Henricus quodlib. 10. quæst. 6. quamvis addat, nullam imaginem adorandam esse latria; nam ipse putat quidem eumdem esse honorem imaginis, et exemplaris, sed simul docet, imaginem Christi non esse imaginem Christi, ut Christus Deus, sed ut homo est.

Fundamenta horum auctorum hæc sunt. Primo, quia Ecclesia canit de cruce: «O crux ave spes unica, auge piis justitiam, reisque dona veniam.»

Secundo, quia honor imaginis transit ad exemplar ex Basilio, igitur idem est honor imaginis et exemplaris; quare, si exemplar colitur latria, et imago.

Tertio, ex Ambrosio, qui libro de incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. ait, eadem adoratione coli divinitatem Christi, et ejus crucem: «Num, inquit, cum in Christo imaginem Dei, et crucem adoramus, dividimus eum?»

Quarto, ex Hieronymo epistola de obitu Paulæ: «Prostrata, inquit, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.» Sed Dominum pendentem adorasset latria, igitur et ipsam crucem latriæ cultu adorabat.

Quinto, ex Aristotele, qui libro de memoria, et reminiscentia dicit, eumdem esse motum in imaginem, ut imago est, et in ipsum exemplar.

Sexto, mensura adorationis uniuscujusque rei est ratio, sive excellentia, propter quam adoratur; sed ratio, cur adoratur imago, non est alia, quam excellentia exemplaris, ergo idem omnino debetur honor imagini, qui debetur exemplari.

Septimo, qui imaginem Regis afficit contumelia, habetur reus læsæ majestatis, ac si ipsum Regem contumelia afficisset, eadem igitur ratio est imaginis, et exemplaris quod attinet ad honorem, et contumeliam.

Tertia opinio versatur in medio, estque eorum, qui dicunt, ipsas imagines in se, et proprie honorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar, et proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ. Ita Martinus Peresius in libro de traditionibus, tractatu de imaginibus, item Ambrosius Catharinus in tractatu de imaginibus. Nico-

laus Sanderus lib. II. cap. ult. de imaginibus. Idem videtur sensisse Gabriel, qui in III. dist. 9. quæst. unica, et in canonem Missæ lect. 49, ait, imaginem adorari eadem adoratione cum exemplari, non tamen univoce, sed analogice. Hoc enim est dicere, coli imagines cultu inferiore, quam ipsum exemplar.

Pro solutione quæstionis, et opinionum conciliatione notandæ sunt tres distinctiones. Id enim, quod honoratur, potest honorari per se, vel per accidens: propter se, vel propter aliud: proprie vel improprie. Per se honoratur suppositum, in quo inest ratio venerationis, per accidens id, quod est conjunctum rei, quæ adoratur, nec est ipsa ratio adorationis: ut cum honoratur Rex, per se honoratur homo ille, qui est Rex, per accidens honoratur purpura, et reliqua illi adjuncta, et accidentia omnia ejus, exceptis regia dignitate, quæ licet non sit id, quod honoratur, est tamen id, quo homo ille honoratur. Itaque persona honoratur per se, ut quæ; regia dignitas honoratur per se, ut qua; reliqua honorantur per accidens.

Secunda distinctio, potest aliquid honorari propter se, vel propter aliud. Id honoratur propter se, quod habet in se rationem venerationis, non dependentem aliunde; et hoc modo sola natura rationalis est venerabilis. Propter aliud honoratur id, quod habet quidem in se causam honoris, sed illa causa tota pendet ab alio, et hoc modo signa rerum sacrarum sunt venerabilia; habent enim in se relationem similitudinis, sive repræsentationem rei sacræ, et proinde quamdam excellentiam, sed illa tota pendet ab ipsa re sacra.

Tertia distinctio, potest aliquid honorari proprie, vel improprie. Id proprie dicitur honorari, quod vere ratione sui ipsius honoratur. Improprie dicitur honorari, quod honoratur loco alterius. Legatus Regis aliquando honoratur ut Legatus, et tunc ipse proprie honoratur, licet propter alium honoretur: aliquando honoratur loco Regis honore proprio Regibus, et tunc ipse improprie honoratur; proprie autem Rex in ipso tunc honoratur. Id clarius apparet quando unus pro alio accipit possessionem aliquam; vel cum funus celebratur absente corpore, circa statuam, et fiunt erga statuam omnia, quæ circa corpus fierent, ut cum aliquando, teste Sexto Aurel. Victore, Romæ triumphavit Trajanus mortuus, et statua ejus pro eo sedit in curru triumphali. Nec enim potest dici, statuam proprie triumphasse, sed Trajanum a statua repræsentatum.

CAPUT XXI.

Imagines per se et proprie colendas.

Nunc juxta positas distinctiones aliquot sententiis rem totam explicabimus. Sit igitur hæc Prima sententia, sive propositio: « Imagines Christi, et Sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens, vel improprie, sed etiam per se et proprie, ita ut ipsæ terminent venerationem ut in se considerantur, et non solum ut vicem gerunt exemplaris. » Probatur Primo, quia Concilium VII, actor. 7. definivit imagines Christi esse venerandas, sed non latria; vult igitur esse venerandas per se, et proprie aliquo cultu: nam si Concilium solum vellet imagines adorari per accidens, vel improprie, ita ut terminus proprius adorationis non esset imago, sed Christus ipse, non diceret, non debere adorari latria; Christus enim latria adoratur, cum sit Deus.

Neque obstat, quod quidam dicunt, imaginem Christi non repræsentare Christum ut Deum, sed Christum ut hominem, et proinde in imagine Christi non posse adorari Christum ut Deum, sed Christum ut hominem: Nam imago Christi ipsum Christum, id est, hypostasim divinam, humana carne vestitam repræsentat: sicut imago cujuslibet hominis non solum figuram, et colorem, sed etiam personam, et totum ipsum hominem repræsentat. Alioqui Apostoli videntes Christum in carne non debuissent adorare latria; nec Thomas dicere debuisset: *Dominus meus, et Deus meus.* Nam non videbant Christum ut Deum, sed ut hominem.

Secundo probatur, nam si imago non est veneranda nisi improprie, quia nimirum coram illa, vel in illa, aut per illam adoratur exemplar, certe licebit simpliciter negare, imagines esse venerandas. Quod enim non dicitur nisi improprie, simpliciter negari potest, ut patet: at Concilium VII, actor. 7. anathema dicit iis, qui negant imagines esse venerandas.

Tertio, Concilium idem ibidem, definit imagines venerandas eo modo, quo veneramur Evangelia et sacra vasa: Atqui ista honorantur per se et proprie, ut omnes fatentur, nec enim personam alicujus alterius gerunt: igitur et imagines per se proprie venerandæ sunt.

Quarto, in ipsa imagine vere inest aliquid sacrum, nimirum similitudo ad rem sacram, et ipsa dedicatio, sive consecratio divino cultui; ergo ipsæ in se, et non solum ut prototypi vicem gerunt, honore dignæ sunt.

Neque objectiones supra adductæ convincunt. Ad Primam dico, imagines sive honorentur proprie, sive per se, sive per accidens, semper honorari propter exemplar, et semper honorem earum transire ad exemplar, sed alio atque alio modo; nam quando imago adoratur improprie, quia videlicet honor in ipsam non terminatur, sed per ipsam in exemplar, tunc immediate, et formaliter honor imaginis transit ad exemplar. At quando imago honoratur per se, et proprie, ita ut in ipsam vere terminetur honor, tunc honor ejus transit ad exemplar non immediate, sed mediate, et quasi consequenter; nam qui honorat imaginem alicujus, sine dubio honorat propter eum, cujus est imago, et proinde honor imagini vere exhibitus redundat in prototypum. Quemadmodum qui facit eleemosynam pauperi, Christo illam fecisse dicitur, non quod eleemosyna immediate non tendat in pauperem, sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christum facit, et Christum honorat in paupere.

Ad Secundam dico, illis versiculis solum doceri, non deberi imagini eumdem honorem, qui debetur exemplari, ut patet ex ratione, quæ in ipsis versiculis redditur. Quia videlicet imago non est Deus, sed imago Dei. Inde enim sequitur non deberi imagini honorem, qui debetur Deo, sed minorem. Nos autem hic non asserimus, eumdem honorem, sed aliquem honorem deberi imagini. Et fortasse auctores primæ opinionis hoc solum dicere voluerunt, nimirum honorem proprium exemplaris non posse exhiberi imagini, nisi improprie: de honore autem inferiore nihil dixerunt. Quod si ita est, ab eis non dissentimus.

CAPUT XXII.

Non esse dicendum, imaginibus deberi cultum latriæ.

Secunda propositio: « Quantum ad modum loquendi præsertim in concione ad populum, non est dicendum imagines ullas adorari debere latria, sed e contrario non debere sic adorari. » Probatur Primo. Concilia non affirmant, sed simpliciter negant imagines adorari latria, igitur et nos eodem modo loqui debemus; nam modus loquendi Conciliorum est modus loquendi Ecclesiæ, et proinde sequendus ab iis, qui nolunt errare. Porro Concilia non asserere, sed negare imagines adorandas esse cultu latriæ, probatur; nam in primis nullum est Concilium, quod asserat imaginibus deberi cultum latriæ, deinde Concilium Nicænum II. act. 7. clamat imagines adorandas, sed non latria. Similiter nostro tempore Concilium Senonense c. 14. et Concilium Moguntinum c. 41. dicunt, a concionatoribus debere moneri populum ne imagines adoret; quod sine dubio intelligitur de adoratione latriæ. Dicent fortasse: Concilia ista loquuntur de latria, quæ exhibetur alicui propter se, non de ea quæ exhibetur alicui propter aliud. At id nihil facit ad rem; hic enim non de sensu, sed de verbis agimus, satis nobis est, in Conciliis simpliciter negari, imaginibus deberi latriam; nos enim modum loquendi Conciliorum sequi debemus.

Secundo, nullæ sunt exactiores formulæ loquendi in materia fidei, quam eæ, quibus utuntur, qui hæresim abjurant; Atqui in VII Synodo act. I. Basilius Ancyranus, et actor. 3. Constantinus Cypri Episcopus abjurantes hæresim dicunt, se recipere et colere imagines, non tamen latria.

Tertio, Patres passim dicunt imagines non esse adorandas, ut patet ex Augustino epist. 119. c. 14: « Prohibetur, inquit, coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse. » Item ex Gregorio, qui lib. VII. epist. 109. et lib. IX. epist. 9. monet Serenum Episcopum, ut populum instruat, ne imagines adoret, et sæpius re-

petit, non debere imagines adorari. At certe loquuntur de adoratione latriæ; nam alioqui imagines venerabiles esse non negant. Porro Joan. Damascenus lib. I. et III. Apologet. sæpius repetit, imagines honorari debere, sed nullo modo latria. Adrianus Papa I. in epistol. ad Carolum Magnum can. ult. quæ epist. habetur in tomis Conciliorum post Nicænam II. Synodum imperfecta, magis autem integra habetur inter epistolas Pontificum nuper editas Romæ, multis verbis docet et repetit, imagines esse honorandas cultu, quo honoramus sacras Scripturas, sed non colendas cultu quo colimus Deum. Idem habet Joannes Aurelianensis lib. de cultu imaginum. Cur ergo, quæso, non loquimur, ut Patres nostri loquuntur?

Quarto, dicere populo, imaginem Christi, vel crucem adorandam esse latriæ cultu, illo ipso, quo adoratur Deus, non caret magno periculo; Nam qui defendunt imagines adorari latria: coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.

Quinto, iste modus loquendi offendit aures Catholicorum, et præbet occasionem hæreticis liberius blasphemandi.

Sexto, secundum rei veritatem (ut ostendam paulo post) non potest dici, adorari latria imagines, nisi per accidens, vel improprie; per se autem, et proprie nullo modo. Et præterea illa adoratio per accidens, vel impropria rarissime exerceri solet. Ordinaria enim adoratio est illa, quæ exhibetur imaginibus externis per se, et proprie. At quod simpliciter dicitur, non intelligitur de eo, quod per accidens, vel improprie, et aliquando convenit rei, sed de eo, quod per se, et proprie, et ut in plurimum convenit, ergo simpliciter loquendo non est affirmandum, sed negandum imagines adorari latria. Est autem valde credibile S. Thomam, Alexandrum Alensem, et alios Doctores scholasticos illius temporis non vidisse Nicænam Synodum secundam, neque octavam Synodum Generalem, neque epist. Adriani Papæ I. pro defensione Synodi Nicænæ. Nam hæc omnia longo tempore latuerunt, et hoc nostro sæculo primum edita sunt, ut vel ex eo cognosci potest, quod in tomis Conciliorum paulo antiquioribus nihil horum exstat: et sanctus Thomas, aliique scholastici veteres nullam unquam de hac Nicæna synodo mentionem faciunt.

CAPUT XXIII.

Imagines Christi improprie, vel per accidens posse honorari cultu latriæ.

Tertia propositio: « Si de re ipsa agatur, admitti potest, imagines, posse coli improprie, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur. »

Ac primum, quod imago possit coli improprie eo cultu, quo ipsum exemplar, probatur; Nam aliquando imago accipitur pro ipso exemplari, et ea, quæ fierent circa ipsum exemplar, si adesset præsens, fiunt circa imaginem, mente tamen defixa in exemplari. Sic concionatores alloquuntur imaginem crucifixi, eique dicunt: tu nos redemisti, tu nos Patri reconciliasti; ista enim non dicuntur imagini, nec ut lignum est, nec ut imago est, sed ut accipitur loco exemplaris, id est, dicuntur ipsi Christo, cujus tamen imago vicem gerit. Quemadmodum etiam in die Parasceves cum crucifixus paulatim detegitur, et ostenditur, et adorandus proponitur, illa omnia per imaginem ipsi Christo vero exhiberi intelliguntur. Tunc autem proprie nullus honor defertur imagini, sed soli exemplari: tamen improprie dici potest ipsa etiam imago honorari.

Quod autem possit imago adorari adoratione ipsius exemplaris, proprie quidem, sed per accidens, probatur; nam aliquando non accipimus imaginem pro exemplari, nec consideramus solam imaginem, vel solum exemplar, sed consideramus exemplar, ut objective relucet in imagine, et ipsum sic repræsentatum, et quasi vestitum, imagine, veneramur: tunc autem necessario adoramus imaginem eodem cultu, quo ipsum exemplar, sed per accidens; nam qui adorat aliquem, adorat etiam omnia, quæ cum illo conjuncta sunt. Sicut qui adorat regem vestitum, adorat simul regem, et vestes; sed imago concipitur eo tempore conjuncta cum exemplari, quod adoratur; igitur etiam ipsa adoratur, per accidens tamen, quia ipsa nec est suppositum quod adoratur, nec ratio adorationis, sed quidam adjunctum.

Videtur autem hæc fuisse mens auctorum secundæ opinionis; nam illi omnes cum explicant, quomodo imago adoretur eadem adoratione, qua ipsum exemplar, semper deveniunt tandem vel ad impropriam adorationem, vel ad adorationem per accidens. Alexander, et Bonaventura satis clare indicant se loqui de adoratione impropria. Dicunt enim ideo imaginem Christi adorari latriæ cultu, quia non tam ipsa, quam Christus in ipsa adoratur.

Porro B. Thomas, et qui cum sequuntur, intelligendi sunt de adoratione per accidens; nam in primis hoc probat argumentatio eorum de unitate motus in imaginem, et in exemplar. Tunc enim est idem motus in imaginem et in exemplar, quando exemplar consideratur ut objective relucet in imagine, ut diximus.

Deinde Capreolus diserte admittit adorationem istam imaginum esse per accidens, quomodo adorantur vestes Regis, cum Rex vestitus adoratur. Imo B. Thomas ipse art. 4. ejusdem quæstionis dicit, ita honorari honore regio imaginem Regis, sicut vestes Regis, certum autem est vestes Regis non honorari regio honore, nisi per accidens.

Denique eodem tendit speculatio Cajetani, cum ille dicit, imaginem Christi adorari latria, non ratione materiæ, nec ratione formæ, seu figuræ, sed ratione actualis repræsentationis; non enim vult dicere, repræsentationem illam actualem esse rationem, cur imago adoretur latria; sed vult dicere, illam repræsentationem esse conditionem, ratione cujus imago concipitur conjuncta cum exemplari, et proinde per accidens adoratur.

CAPUT XXIV.

Imagines per se, et proprie non esse colendas eo cultu, quo exemplar ipsum colitur.

Quarta propositio: « Imago per se, et proprie non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar, et proinde nulla imago est adoranda cultu latriæ per se, et proprie. »

Probatur primo ex Concilio VII. art. 7. ubi legimus imaginem Christi non esse adorandam latria. Id autem falsum esset, si imagini per se, ac proprie deberetur idem cultus, qui debetur exemplari, Christus enim cultu latriæ adorandus est.

Dices, Concilium loquitur de adoratione quæ exhibetur rei propter se; imago autem adoratur latria, sed propter aliud. Contra; nam Concilium dicit, imagines non aliter adorari, quam adorentur liber Evangeliorum et sacra vasa; Quod idem repetit VIII Synodus act. ult. can. 3. At nemo unquam dixit librum Evangeliorum, vel sacra vasa adorari latria ullo modo.

Secundo probatur ex Augustino, Gregorio, et Damasceno, et ex Conciliis Senonensi, et Moguntino supra citatis, ubi habetur imagines non esse colendas cultu divino.

Dices, loquuntur de cultu divino, qui exhibetur alicui propter se. Contra; quia de hoc non poterat esse dubitatio. Concilia autem de his rebus definiunt, quæ in controversiam veniunt.

Tertio latria est cultus proprius Deo, sed nulla imago per se, et proprie est Deus, sive consideretur ratione materiæ, sive ratione figuræ, et colorum, sive ratione relationis, ergo per se, et proprie non debetur ulli imagini cultus latriæ.

Dicet aliquis fortasse, latriam esse cultum proprium Deo, quando exhibetur propter se, non autem quando propter aliud. Contra; nam de essentia veræ latriæ est exhiberi propter se: latria enim dicitur summus cultus, qui debetur vero Deo, ut primo principio omnium rerum: Implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio, et propter aliud; Nam si primo principio, non ergo propter aliud: si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriæ propter se, et hæc est vera idololatria, vel non exhibetur propter se, tum ille non est cultus veræ latriæ.

Prætorea vel ista latria, quæ exhibetur imagini propter aliud, est idem cultus cum eo, qui exhibetur Deo, vel alius minor; si idem, ergo æque colitur creatura, atque ipse Deus: quæ certe idololatria est; nam idolatria non solum est, cum adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cum adoratur idolum simul cum Deo, Exod. XX: *Deos aureos, et Deos argenteos non facietis mecum* (1). Si est cultus minor, non ergo est latria. Nam latria est summus cultus.

(1) Exod. XX. 23.

Quarta ratio, imagini non convenit cultus internus, nec externus veræ latriæ ; nam internus cultus est apprehensio rei, ut primi principii, et prostratio voluntatis conveniens illi apprehensioni : actus autem externus proprius est sacrificium. Certe autem nec apprehendimus imaginem, ut primum principium, nec illi sacrificamus : non igitur illam adoramus cultu latriæ.

Quinta ratio, imago, ut imago, opponitur exemplari, et est illo inferior, ergo non potest coli eodem cultu, sed minori ; Nam unumquodque honorandum est pro sua dignitate. Certe autem longe majus est, esse Christum, quam esse imaginem Christi.

Sexta ratio, qui colebant imaginem Christi divinis honoribus, inter hæreticos numerantur ab Irenæo lib. I. cap. 24. Epiphanio hæresi 27, Augustino hæresi 7, et Damasceno lib. de centum hæresibus in fine : Atqui isti cum Christum colerent, sine dubio imaginem ejus propter ipsum colebant ; non igitur licet imagines colere divinis honoribus, id est, cultu latriæ, etiamsi quis dicat, id se facere propter Deum, vel Christum, non propter imagines ; nam hoc ipso, quod eas colit divinis honoribus, convincitur eas colere propter ipsas, non propter Deum, quidquid ipse verbis dicat.

Accedant postremo illi antiquissimi versiculi :

Nam Deus est, quod imago docet, non Deus etc.

Satis enim aperte significant, non deberi imagini cultum Deo debitum.

Ex his ad argumenta proposita facile responderi potest.

Ad primum : « O crux ave spes unica etc. » Respondeo, vel ibi accipi crucem pro ipso Christo crucifixo, ut diximus ; vel illam esse prosopopeiam rhetoricam, qua Ecclesia alloquitur crucem eo modo, quo Moses alloquitur cœlum et terram, cum ait Deuteron. XXXII : *Audite cœli, quæ loquor etc.* et quando B. Andreas eamdem alloquebatur, cum diceret : « Salve crux pretiosa etc. » significamus autem hac prosopopeia nos desiderare fructum crucis, id est, salvari per meritum Christi, qui in cruce passus est.

Ad secundum dicetur infra in responsione ad quintum.

Ad tertium dico, Ambrosium per crucem intelligere passionem Christi sive carnem patientem, sicut per imaginem Dei intelligit divinitatem. Vult enim dicere, unum esse Christum Deum, et crucifixum, et propterea cum adoratur Christus Deus, non separari ab illo humanitatem ; et cum adoratur Christus crucifixus, non separari divinitatem.

Ad quartum respondeo, Hieronymum ibi non dicere, a Paula proprie adoratam crucem, sed quod prostrata ante crucem adorabat Christum, quem in cruce repræsentari videbat.

Ad quintum de uno motu in imaginem, et in exemplar, variæ dantur solutiones. Peresius respondet, id non esse verum, quod eodem motu feramur in imaginem, et exemplar, cum illa sint opposita, nec possint cognosci, nisi duabus cognitionibus : Ait etiam nusquam haberi in Aristotele id, quod B. Thomas adducit. At certe Aristoteles lib. de memoria et reminiscentia cap. 2. id aperte dicere videtur ; Nam reddere volens causam, cur memoria cognoscat absentia, dicit, causam esse, quia in memoria sunt species rerum, quæ sunt quasi picturæ quædam, et si quidem homo speculetur illa phantasmata, ut res quædam sunt in se, non cognoscet præterita, sed rem præsentem cogitabit : At si speculetur eadem phantasmata, ut imagines sunt, tunc cognoscet præterita, quorum illæ sunt imagines, quia nimirum non potest cognosci imago ut imago, quin simul cognoscatur res, cujus illa est imago. Nec verum est, quod dicit Peresius, relativa quia sunt opposita, non posse cognosci una cognitione ; nam ita sunt opposita, ut unum ab altero pendeat, et unum sine altero nec definiri, nec cognosci possit.

Durandus aliter respondet, admittit enim esse unum motum mentis in imaginem, et in exemplar ; sed negat propterea esse etiam unam adorationem ; nam licet mens utrumque simul cognoscat, tamen non dicit, unum esse alterum, sed intelligit esse distincta, et proinde non adorat illa una et eadem adoratione.

Confirmant alii hanc solutionem, quia licet sit unus motus mentis, id est, intellectus in imaginem et exemplar, tamen possunt esse contrarii motus voluntatis. Nam qui videt imaginem Christi male depictam, odit imaginem, ut imago est, et tamen diligit Christum : et e contrario, qui videt imaginem Judæ pulchre expressam, diligit imaginem, et odit exemplar.

Hæc solutio non satisfacit ; nam B. Thomas non dicit, motum in imaginem, ut imago est, esse etiam in exemplar, sed dicit, motum in imaginem, ut imago alterius est, esse etiam in exemplar ; et hoc est verum tam de motu intellectus, quam voluntatis. Nam qui amat imaginem Christi, non quia imago est, sed quia imago est Christi, impossibile est, quin simul diligat Christum, quandoquidem Christus est ratio, cur diligat imaginem. Qui autem diligit imaginem pulchram Judæ, et odit Judam, non diligit imaginem illam ut Judæ, sed ut pulchram imaginem simpliciter, id est, delectatur illa proportione, quæ est inter imaginem et exemplar, non curans quale sit exemplar.

Existimo ergo aliter respondendum. Ac primum, admitto esse eumdem motum etiam voluntatis in imaginem et exemplar : sed tunc vel exemplar concipitur et adoratur tamquam principale objectum, vel non, id est, vel concipio, et adoro ipsum Christum in imagine objective relucentem ; vel concipio, et adoro imaginem ipsam, ut Christi imaginem, ita ut Christus in obliquo ponatur, non in recto. Si primum, tunc adoratio quidem est latriæ, sed fertur in Christum per se, in imaginem solum per accidens : hoc videntur sibi voluisse Capreolus et Cajetanus. Si secundum, tunc adoratio fertur quidem in imaginem per se, et consequenter in Christum, sed non est adoratio veræ latriæ, sed longe inferior.

Dices ; at Christo convenit adoratio latriæ veræ, si ergo ista adoratio terminatur etiam ad Christum, erit veræ latriæ. Respondeo, Christo convenire veram latriam, quando adoratur ut est in se, non autem quando adoratur ut est in imagine per participationem. Quemadmodum qui honorat famulum Regis, certe honorat ipsum Regem ; et tamen longe aliter honorat Regem ipsum in propria persona, quam in famulo suo, ut notum est. Et hinc patet responsio ad secundum : Nam cum honoratur imago, honor ejus transit ad prototypum, sed honor ille non est talis, qualis debetur prototypo in se, sed qualis ei debetur, ut ab imagine participatur.

Ad sextum dico eodem modo, rationem cur honoretur imago, esse ipsum exemplar, exemplar tamen aliter honorari debere, ut est in se, aliter ut participatur ab imagine.

Ad septimum dico, eum, qui lædit statuam Regis puniri ut reum majestatis, quia vere læsit Regem, sed nego tam graviter puniri, ac si læsisset Regem. Quod si aliquis æque graviter puniretur, id fieret, quia constaret non læsisse statuam ut statuam Regis, sed accepisse statuam pro ipso Rege.

CAPUT XXV.

Quo genere cultus adorentur imagines.

Quinta Conclusio : « Cultus qui per se, proprie debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogice et reductive pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari. » Explico ; Imaginibus non convenit proprie nec latria, nec hyperdulia, nec dulia, nec ullus alius eorum, qui tribuuntur naturæ intelligenti. Non enim est capax res inanima, et rationis expers ejusmodi cultuum : sed cultus quidam inferior et varius pro varietate imaginum. Itaque imaginibus Sanctorum non debetur proprie dulia, sed cultus inferior, qui dici potest dulia secundum quid, vel dulia analogice, sive reductive. Similiter imaginibus B. Virginis non debetur hyperdulia simpliciter ; sed hyperdulia secundum quid, sive analogice reductive.

Denique imaginibus Christi non debetur latria vera, et simpliciter, sed cultus sine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, ut imperfectum ad perfectum. Probatur, sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris, sed imago est ipsum exemplar analogice, et secundum quid ; nam homo pictus est homo secundum quid, et analogice, ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus, et analogicus.

Præterea, imago reducitur ad speciem exemplaris ; nam homo pictus, et equus pictus differunt specie, quia homo verus et equus verus differunt specie : ergo etiam cultus imaginis reducitur ad cultum exemplaris, et forte B. Thomas et B. Bonaventura, et alii hoc solum dicere voluerunt, cum dixerunt, eodem cultu coli imaginem et exemplar ; ita enim eorum sententiam interpretatur Gabriel : quod si ita est, omnes convenimus.

Ex his habemus etiam, quid sit dicen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® CENTRAL DE BIBLIOTECAS

dum de vera cruce Domini, de clavis, spinis, aliisque reliquiis. Sunt enim hæc omnia honoranda minore cultu, quam Christus vel Sancti, quorum reliquiæ sunt, sed tamen tali, qui analogice et reductive pertineat ad speciem cultus, quo Christus vel Sancti coluntur : nam reliquiæ ideo merentur honorem, quia ratione contactus, vel aliquo alio modo habitudinem habent ad eos, quorum sunt reliquiæ.

CAPUT XXVI.

De adoratione Crucis.

Etsi Crux Domini partim inter reliquias veneretur, partim inter imagines (nam crux illa vera, in qua Dominus pependit, propter contactum sacri corporis et sanguinis, inter pretiosissimas reliquias habenda est, nec solum ipsa integra, sed etiam particulæ ejus; at crux illa eadem, quatenus figuram crucifixi Domini repræsentat, et similiter cæteræ cruces illi similes, inter sacras imagines numerantur) tamen quia peculiares errores, et peculiaria argumenta de cruce inveniuntur, peculiarem etiam de illa disputationem instituendam putavimus.

Fuit igitur hæresis in primis Claudii Taurinensis, qui præter cæteras imagines crucem Domini execrabatur, teste Jona lib. I. Vixit autem Claudius anno Domini 800. Idem eodem tempore in Oriente docebant Paulitiani, a quodam Paulo sic appellati, teste Euthymio in Panoplia part. II. tit. 21.

Deinde circa annum Domini 1130. exstiterunt Petrus Bruis, et Henricus, qui similiter crucem Domini, ejusque cultum oppugnabant, teste Petro Cluniacensi, qui contra eos epistolam prolixam et eruditam illo ipso tempore scripsit ad omnes Episcopos. Circa idem tempus, vel paulo post exstiterunt in Oriente Bogomiles, qui idem iisdem argumentis docebant, teste Euthymio Panopl. par. II. tit. 23.

Non minus postea crucis honorem detestati sunt Wiclefistæ, apud Thomam Waldensem to. III. tit. 20. Calvinus lib. I. Institut. cap. 11. §. 7. Magdeburgens. Centur. IV. cap. 4. col. 362. cap. 6. col. 458 et 459. ubi etiam impudenter mentiuntur, usum signi crucis sæculo IV novum fuisse. Nam Tertullianus lib. de corona militis, meminit signi crucis, cum tamen floruerit sæculo II. Sicut etiam Cent. VII. c. 6. col. 491. mentiuntur, Sergium Papam fuisse auctorem primum, ut crux adoraretur, et exoscularetur. Nam Sergius Papa sedit anno Domini 688. At meminit adorationis et exosculationis crucis Evagrius lib. IV. cap. 26. qui est centum annis Sergio antiquior. Meminit etiam Hieronymus in epistol. ad Marcellam, ut migret Bethlehem.

Argumenta Bogomilium et Petrobrusianorum erant tria. Primum, quia crux dolorem et ignominiam Christo attulit, ergo detestanda est iis, qui Christum diligunt.

Secundum, quia stultus et impius judicaretur filius, qui patibulum amaret, et honoraret, in quo pater ejus suspensus fuisset.

Tertium, quia si oportet adorare omnes cruces quia Christus in cruce pependit; oportebit etiam adorare omnia sepulchra, quia in sepulchro Dominus quievit; et omnia præsepia, quia in præsepi reclinatus fuit; et omnes columnas, lanceas, spongias, flagella etc. « Imo et omnes asinos (inquit Claudius) quia Christus asino vectus fuit. »

Quarto arguit Claudius, hostes Christi gaudebant de passione Domini, de resurrectione dolebant : et contra, amici ejus de passione dolebant, de resurrectione gaudebant, ergo qui crucem honorant, et illam amant, imitantur Christi hostes.

Quinto argumentabantur Wiclefistæ apud Waldensem : si ratione contactus, vel quia instrumentum passionis fuit, crucem adoramus, oportebit etiam adorare labia Judæ, quæ contigerunt os Domini osculando, et manum illius servi, qui Dominum tetigit, cum alapam illi infixit; nam hæc omnia tetigerunt Dominum, et instrumenta passionis fuerunt.

Sexto arguunt Centuriatores, superstitio est characteribus tribuere virtutem; at Papistæ tribuunt figuræ crucis vim pellendi Dæmones, et omnia mala; ergo superstitiosi sunt. Quæ objectiones infra cap. 30. diluentur : Antea vero rem explicabimus. Dicemus igitur tria : Primo, de ipsa cruce. Secundo, de crucis imagine. Tertio, de signo crucis transeunte.

CAPUT XXVII.

De Cruce vera Domini.

Quantum ad primum, antequam veniam ad probationes, notanda sunt aliqua de figura ipsius crucis. Sciendum igitur, crucem ex tribus lignis factam esse, quorum unum erat longum, cui corpus adhærebat, alterum transversum superpositum longo, quibus affigebantur manus, tertium lignum erat infixum in ligno longo, ut in eo pedes crucifixi starent, et clavis figi possent. Id testatur Irenæus lib. II. cap. 42 : « Habitus, inquit, id est, figura crucis fines et summitates habet quinque, duas in longitudinem, duas in latitudinem, unam in medio, in qua quiescit, qui clavis affigitur. Item habet Justinus in Dialogo cum Triphone ultra medium.

Utrum autem lignum transvèrsum esset suprapositum ligno longo, ita ut non emineret lignum longum sursum versus, non est certum; nam Beda in quæst. in Genes. ubi de victoria Abrahæ loquitur, dicit crucem similem fuisse litteræ Græcæ τ, qualem etiam fuisse olim Hebraicum Thau, docet Hieronymus in c. IX. Ezechielis. At B. Augustinus epist. 120. c. 26. dicit, lignum longum eminuisse supra transversum. Et hoc est probabilius; nam est conformius verbis Irenæi, et verbis Apostoli ad Ephesios c. III. ubi alludens ad figuram crucis, nominat sublimitatem, profundum, longitudinem, et latitudinem. Porro qui dicunt crucem fuisse similem litteræ Thau, dicunt verum, quia parum differebat.

Quod autem scribit Beda in suis collectaneis et floribus, crucem factam ex quatuor generibus lignorum, ex Cedro, Pino, Cypresso, et Buxo : et quod scribitur in historia scholastica de ligno cruto ex probatica piscina etc. non habent veterum testimonia, nec videntur probabilia.

Illud autem non est ignorandum, veteres aliquid addidisse mysterii gratia, quod etiam nunc ex parte servatur. Nam lignum longum producebant sursum versus, et flectebant ad modum baculi pastoralis, ut referret litteram Græcam P, paulo inferius apponebant duo ligna transversa ad similitudinem crucis S. Andreæ quæ referrent litteram Græcam X. ita ut duæ illæ litteræ per abbreviationem significarent Christum; infra illum ponebant lignum transversum, quod vere perficit crucem, et inde pendebat velum expansum : Infra lignum transversum erat lignum longum in similitudinem hastæ; ad infimam partem addebant capulum ad commoditatem gestandi. Hæc omnia significabant crucem esse vexillum Imperatoris Christi; nam crucem testabatur ipsa figura; Christi nomen indicabant duæ litteræ X et P, vexillum, ex velo, hasta, et capulo dignoscebatur. Vide Joannem Pierium Valerianum de signis hieroglyphicis lib. I. et Primasium lib. IV. in Apocalyp. ubi hoc ipsum signum vocat monogramma et signum Christi. Tale fere fuit et labarum Constantini. Nam ut Eusebius refert lib. IX. hist. cap. 9. labarum, quod ante Imperatores gestari solebat et a militibus adorari, Constantinus in formam crucis redegit, sic tamen ut etiam vexilli formam non amitteret.

Describit autem ipsum labarum Eusebius lib. I. de vita Constantini, ubi dicit, fuisse hastam totam auro circumdatam, in cujus summitate posita erat corona pretiosissima, infra eam cornu transversum ad formam crucis, ex quo pendebat velum purpureum auro et gemmis ornatissimum, ad cujus partem infimam visebantur imagines Constantini et filiorum. In ipsa vero hasta sub corona erant litteræ nominis Christi.

Jam vero modus crucifigendi communis non erat, ut multi putant, funibus alligando, sed clavis figendo. Pictores vero solent solum Christum depingere clavis affixum, latrones autem, et S. Petrum funibus. Sed non ita est, omnes enim clavis figebantur, imo et omnes crucem suam ferebant, omnesque antea flagellis cædebantur. Vide Plutarchum de tarda numinis vindicta; Marcum Tullium act. 7. in Verrem; Nonium Marcellum verbo Patibulum, qui sic ait : « Deligati ad patibulum circumferuntur, deinde cruci figuntur. » Macrobium lib. I. Saturn. c. 11. Joseph. lib. VI. de bello Judaico c. 12. et in vita sua. In lib. de passione S. Andreæ, inquit Proconsul : In ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi præcipiam. Cæterum cum S. Andreas crucifigendus esset, præter modum ordinarium, jussit idem Proconsul ut funibus cum in cruce suspenderent, ne clavis affixus cito deficeret. Adde, quod ideo dubitabatur, quænam ex tribus repertis cru-

cibus, esset crux Dominica, quia omnes tres habebant similia foramina, et clavos etc. Vide Ruffinum lib. X. hist. cap. 8.

His ergo prænotatis, ad argumenta veniamus. Ac primum, quod lignum crucis venerabile sit, probatur ratione ex Scripturis desumpta. Nam Scripturæ testantur, Christum non crucifixum casu, vel invitum, vel propter sua peccata, sed ipsum sponte elegisse crucem, et elegisse ut altare summi sacrificii, quo placaretur Deus, ut scalam sibi ipsi ad regnum, instrumentum liberationis generis humani, ac demum ut instrumentum, quo Diabolum vinceret, ac de eo triumpharet. Ex quo sequitur, crucem illam veram a Deo mirifice fuisse honoratam, et nobis omnibus amabilem, et venerabilem esse debere.

Quod sponte illam elegerit, patet Isaiæ cap. LIII : *Oblatus est, quia ipse voluit*, Joan. X. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam.* In Act. Apostol. cap. II : *Hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum interemistis.* Actor III : *Deus, qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, implevit sic.* Actor. IV. *Convenerunt vere in civitate ista Herodes, et Pontius Pilatus cum Gentibus, et populus Israel facere, quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* (1)

Quod crux fuerit ara summi sacrificii, patet, quia Christus ipse crucifixus est summum sacrificium, in epist. ad Hebr. cap. VII. Unde ad Coloss. I : *Pacificans per sanguinem crucis ejus* (2), id est, per sanguinem ejus in cruce, quasi in altari fusum. Et hoc significavit lapis erectus et inunctus, et domus Dei vocatus a Jacob. Gen. XX.

Quod crux scala fuerit Christo ad regnum Joan. XII : *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, Significans, qua morte esset moriturus.* Ad Philip. II : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum etc.* (3).

Quod fuerit instrumentum liberationis, docent plurimæ figuræ, quas collegit Joannes Damascenus lib. IV. de fide cap. 12. Id enim significavit lignum vitæ in paradiso Genes. cap. II. arca lignea Noe domum ejus salvans Gen. VII. virga Mosis aperiens mare Exod. XIV. lignum aquas dulces reddens Exod. XV, Sed præcipue serpens æneus exaltatus in deserto. Num XVIII. de quo Dominus Joan. III : *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hinc videlicet Ecclesia secuta Paulum. ad Galat. VI. dicit : *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra* (4).

Quod cruce Diabolum vicerit, et de eo triumpharit, patet ex epist. ad Coloss. II : *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus et potestates; traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso.* (5) Origenes hom. 8. in Josue, dicit, in Græcis haberi : triumphans illos in ligno crucis : et licet nunc non habeamus in ligno, sed ἐν ξύλῳ, id est, in ipso, tamen optime referri potest ad crucem, de qua supra dixerat, ἐν τῷ σταυρῷ, ut refert Theophylactus. Dicit ergo Origenes, in cruce duos fuisse affixos, Christum visibiliter, sponte ἐνυλ, et ad tempus ; Diabolum autem invisibiliter invitum, et in sempiternum ejus opprobrium; et hoc probat ex isto loco, ubi Paulus utitur metaphora triumphi, indicare volens, crucem esse currum triumphalem, in cujus summa parte sedet Christus triumphans, et in parte ima trahitur Diabolus alligatus, et ostentatur quasi in pompa; Id enim significat verbum θριαμβεύσας et θριαμβεύσαντα.

Argumentum secundum sumitur a mysteriis in ipsa cruce significatis. Nam, ut ait Augustinus epist. 120. cap. 26 : « Qui mortuus est, quia voluit; etiam mortuus est, quando voluit, nec sine causa crucem potius, quam aliud instrumentum mortis elegit. » Quid autem crux mystica significet docent Irenæus lib. V. Greg. Nyssenus orat. I. de resurrectione; Augustinus in epist. 119. et 120. Hieronymus et Theophylactus in c. III. ad Ephes. ubi de cruce exponunt verba Pauli : « Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, sublimitas, et profundum. » Nam latitudo vocatur lignum transversum; sublimitas, pars ligni, ubi est titulus supra transversum; longitu doligni pars a transverso usque ad terram; profundum, pars ejusdem, quæ latet sub terra.

(1) Isai. LIII. 7 ; Joan. X. 17 et 18 ; Act. II, 23 ; III, 18; IV, 27 et 28. — (2) Coloss. I, 20. — (3) Joan. XII, 31 et 32 ; Phil. II. 7 et 9. — (4) Joan. III. 14 et 15; Galat. VI, 14. — (5) Col. II, 14.

Significat autem ista figura primo totam perfectionem Christianam, ut Augustinus docet : profundum, Fidem; sublimitas, Spem; latitudo, Charitatem ; longitudo, Perseverantiam.

Secundo, Christi passionis effectum, nam lignum supremum significat cœlum Christi passione apertum, et Deum placatum; lignum sub terram infixum, infernum evacuatum, et Diabolum devictum; lignum transversum respiciens Ortum et Occasum, totum orbem terrarum redemptum. Itaque propterea Christum crucifixum adorent cœlestia, terrestria, et inferna, ut Nyssenus deducit.

Tertio, duo brachia crucis, sub uno titulo Salvatoris, significant duos populos (inquit Irenæus) sub uno capite Christo inter se connexos, juxta illud Joan. XII : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (1).

Addunt Minutius Felix in Octavio, et Ambrosius serm. crucis figuram esse etiam naturaliter salutarem. Nam aves numquam volarent, nisi expansis alis crucis formam imitarentur : et navis non moveretur, nisi ex malo et antenna crux fieret : et arator terram non scinderet, nisi ex aratro et stiva crucem faceret ; et rursum aliam ex jugo et temone. Cœlum ipsum crucem facit, si lineæ ducantur ab Ortu ad Occasum, ab Aquilone ad Austrum.

Denique etiam Ægyptiis qui hieroglyphicis characteribus utebantur, crux vitam venturam significabat, ut refert Ruffinus lib. II. hist. cap. 20.

Argumentum tertium, ab inventione crucis, ex qua multiplex testimonium sumitur, quod veneratio ligni crucis Deo placeat.

Primo, quod non permiserit Deus lignum illud demergi in mare, vel flammis absumi. Quod enim hostes Christianorum conati sint abolere crucem, ejusque omnia vestigia, patet ex eo, quod altissime crucem sub terram absconderunt, et in loco crucis, Veneris simulacrum; in loco resurrectionis, Jovis; in loco nativitatis, Adonidis posuerunt, ut refert B. Hieronymus in epist. ad Paulinum de institutione Monachi. Cur, quæso, non cremarunt crucem, cum vellent et possent, nisi quia Deus abstulit illis mentem, ut ad solatium piorum lignum pretiosissimum servaretur ?

Secundo, quod Deus eo tempore crucem inveniri voluerit, quo tuto poterat coli, nimirum ad initium imperii Constantini; Nam si antea reserata fuisset, regnantibus persecutoribus, magis ludibrio quam honore excepta fuisset : Si autem diu post tempora Constantini fuisset inventa, fraudata fuisset sancta crux debito honore. Tunc igitur primum divina providentia crucem manifestavit, cum primum potuit coli.

Tertio, quia per evidentia miracula demonstratum est esse veram crucem, et proinde crucis inventionem, revelationem illam esse a Deo. Nam cum tres cruces simul inventæ fuissent, nec posset plane crux Domini a crucibus latronum internosci, admotæ fuerunt omnes tres ad mulierem quamdam in extremis agentem, et cum duæ priores nihil egissent, tertia admota mulieri, mox illam reddidit sanam. Scribit hoc Ruffinus lib. X. hist. c. 8. Socrates lib. I. cap. 13. Theodoretus lib. I. cap. 18. Sozomenus lib. II. cap. 1. et Nicephorus lib. VIII. cap. 29. Nec solum mulierem ægram sanavit, sed etiam mortuum virum excitavit eodem tempore, ut scribunt Paulinus epist. XI. ad Severum, Severus lib. II. historiæ sacræ et Sozomenus lib. II. c. 1. qui et viri mortui et mulieris ægrotæ meminit.

Neque obstat, quod Ambrosius orat. in Theodosium, et Chrysostomus hom. 84. in Joan. dicant, crucem Domini ex titulo cognitam, quo carebant aliæ duæ. Nam Ruffinus indicat, ex titulo quidem fuisse cognitam crucem Domini, sed non omnino evidenter, quia titulus non erat affixus cruci, sed jacebat prope eam ; ideoque, ut nulla remaneret ambiguitas, ad miraculum confugerunt. Nec solum crux miraculo illo claruit, sed etiam clavus quem Helena ad Constantinum misit. De eo siquidem (ut Ambrosius testatur loco citato) Judæi dicebant : « Ecce et clavus in honore est, et quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque invisibili potestate Dæmones torquet. »

Quarto, quia Helena non ex se incitata est ad crucem Domini quærendam, sed divinis admonita revelationibus. Sic enim testatur Eusebius in Chron. quod Hieronymus Latinum fecit : « Helena Constantini mater, inquit, divinis monita visionibus, beatissimum crucis lignum in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit. » Et idem di-

(1) Joan. XII, 32.

cunt Ambrosius, Ruffinus, Paulinus, Sulpitius, et alii. Ex quo apparet impudens blasphemia Magdeburgensium, qui Centur. IV. cap. 6. col. 458. Helenam superstitiosam vocant, quia Hierosolymam petiit, ut lignum crucis inveniret, quam tamen sancti Patres omnes mirifice laudant, et Spiritu sancto inspirante dicunt, eam crucis lignum quæsivisse. Ipsam vero historiam licet celeberrimam conantur Magdeburgenses dubiam reddere Cent. IV. cap. 13. col 1438 et 1439. duabus conjecturis. Prima est, quia Ambrosius est antiquissimus omnium, qui eam historiam referunt : sed illius orationem in Theodosium, ubi hoc habetur, Erasmus non recipit, ut germanam. Secunda, quia Eusebius lib. III. de vita Constantini, de Helena multa narrat, et de repurgatione montis Calvariæ, et tamen non meminit inventionis crucis.

Ad primam dico primo, non exstare talem Erasmi censuram, imo ipsi Magdeburgenses Centur IV. cap. 13. in vita Ambrosii, ex judicio Erasmi hanc orationem Ambrosio tribuunt. Ex quo perspicere potes eorum constantiam.

Dico secundo, si exstaret, non esse Erasmum divinum oraculum, cui necessario credi debeat, quando nulla maffert rationem.

Dico tertio, falsum esse, quod Ambrosius sit antiquissimus eorum, qui hanc historiam referunt; nam Sulpitius, Paulinus, Ruffinus, Hieronymus, Chrysostomus, qui eamdem recitant, æquales Ambrosii dici possunt, cum eodem tempore vixerint, licet Ambrosius esset fortasse paulo senior. Deinde eamdem recitat Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosio antiquior, in epist. ad Constantium Augustum : item Constantinus ipse, Ambrosio similiter antiquior, ejusdem meminit in epist. ad Macharium, quam refert Eusebius lib. III. de vita Constantini, ubi sic habet : « Tanta est Dei nostri benignitas, ut nulla verborum officia præsenti miraculo digna esse queant. Hoc enim admirationem omnem, stuporemque præterit, indicium tormenti sacratissimi, tot annis humo sepultum, usque dum interfecto communi hoste, liberæ familiæ apparuit, ignorari etc. » Ibidem addit, novis miraculis fidem esse declaratam.

Ad secundam objectionem dicimus, Eusebium in Chronico hujus rei meminisse : in libris autem de vita Constantini non fecisse de hac re mentionem, quia res erat notissima omnibus, et satis putabat esse, quod eam attigisset in litteris Constantini. Huic inventioni sanctæ crucis addi potest inventio sacræ lanceæ, quæ divina revelatione reperta est Antiochiæ, anno Domini 1098 et insigni miraculo nobilitata. Vide Gulielmum Tyrium lib. VI. de bello sacro, Paulum Æmilium lib. IV. de rebus gestis Francorum, et Dodechinum Mariani Scoti continuatorem in Chronico anni 1100.

Argumentum quartum, a testimoniis veterum, qui passim referunt, quanto desiderio tenerentur fideles habendi, aut certe videndi particulas veræ crucis, quod ad magnum crucis honorem pertinere nemo ignorat. In primis B. Cyrillus Hierosolymitanus catachesi 10. et 13. dicit, ex ligno crucis Hierosolymis invento totum mundum repletum; plurimis inde particulas petentibus et impetrantibus Constantinus particulam crucis statuæ suæ inseruit, quam Constantinopoli collocavit, existimans per eam crucis particulam totam urbem custodiendam, ut referunt Socrates lib. I. cap. 13. et Eutropius, sive Paulus Diaconus, qui multa addidit Eutropio lib. XI. rerum Romanarum. Gregorius Nyssenus in vita Macrinæ sororis, scribit, eam gestare solitam ad collum crucem argenteam, cui inserta erat particula veræ crucis.

Paulinus epist. 12. ad Severum, scribit, se mittere, tamquam summum donum, particulam crucis veræ, auro inclusam. Idem etiam natali decimo S. Felicis, scribit, se restinxisse incendium maximum ostensa particula crucis, quod nulla arte extingui poterat.

Ipse, inquit, domum remeans, modicum, sed grande salutis.
De crucis æteræ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu adversis procul ingero flammis etc.

Chrysostomus hom. quod Christus sit Deus, scribit, eos qui potuerant potiri particula crucis, auro inclusam servare, ac inde se valde ornari et custodiri, merito credere. Evagrius lib. IV. hist. cap. 26. et Procopius lib. II. de bello Persico, narrant, Apameæ fuisse particulam sanctæ crucis, quam sibi ostendi populus voluit, cum civitas diu obsessa jamjam capienda videretur, ut nimirum conspecta cruce Domini, alacrius morerentur. Sed cum ab Episcopo crux illa ostenderetur semel, et iterum, et tertio, effulsisse semel, et iterum, et tertio splendidum ignem, non comburentem, sed lucentem, quo territi hostes, obsidionem solverint. Gregorius lib. VII. epist. 126. ad Reccaredum Regem Visigothorum, mittit crucis particulam, ut eximium munus.

Ambrosius oratione in Theodosium, loquens de clavo inserto ab Helena galeæ Imperatoris : « Sapienter, inquit, Helena egit, quæ crucem (particulam videlicet crucis, nimirum clavum unum) in capite Regum levavit, ut crux Christi in Regibus adoretur. »

Hieronymus in Psal. XCVIII. exponit de cruce, illud : *Adorate scabellum pedum ejus.* Et in epist. 17. ad Marcellam, dicit : « Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare, crucis deinde lambere lignum etc. »

Augustinus lib. XXII. de Civitate Dei cap. 8. scribit : Ad terram sanctam, ex monte Calvariæ allatam in Africam, miracula fieri solita, et se cum alio Episcopo eam infodisse, et orationis locum super eam constituisse. Quo honore Augustinus prosequeretur crucem, quando sic honoravit terram, ubi fuerat crux?

His adde Sybillæ carmen, quod habetur lib. VI. carminum Sybillinorum, prope finem.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.

Argumentum quintum, ab exaltatione crucis. Constat enim ex Paulo Diacono, Zonara, et Cedreno in vita Heraclii, Heraclium in recuperatione crucis, quam Persæ ex Hierosolymis abstulerant, divinitus adjutum, ita ut etiam de cœlo Deus lapidibus grandinis pugnaret contra Persas, ut olim fecerat cum Josue. In ipsa etiam restitutione crucis in suum locum, miracula quædam contigerunt, ut refert Sigebertus in chronico anni 631. Unde etiam festum institutum testantur Otho Frisingensis lib. V, c. 9. Beda et Ado in martyrologio.

Argumentum sextum, si locus, in quo Angelus stetit, terra sancta est, Josue cap. V. Exod. III. cur non magis crux, ubi stetit Christus? Si sudaria et semicinctia Pauli honorabantur propter contactum, cur non magis crux Christi sanguine respersa? Si Sacramenta honorantur, quia instrumenta gratiæ, cur non crux, quæ instrumentum est redemptionis?

CAPUT XXVIII.

De imagine Crucis.

Jam vero de imagine Crucis habemus primo testimonium Matth. XXIV : *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo* (1); ex qua apparitione miro modo venerabile redditur signum illud, id est, crux. Nam etsi Calvinus, Musculus, et alii quos refert in sua catena ad hunc locum Marloratus, negent hic agi de cruce, ac velint hunc esse horum verborum sensum : *Tunc apparebit signum Filii hominis*, id est, tunc apparebit Filius hominis tam manifeste, ac si edito signo in se omnium oculos convertisset : omnes tamen veteres ad unum exponunt de cruce : ita Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius, Theophylactus, Euthymius, Beda in cap. XXIV. Matthæi : item Cyrillus catechesi 15. et Augustinus serm. 130. de tempore. Ecclesia quoque canit in festo inventionis : « Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. »

Sybilla etiam lib. VI. in fine :

O lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit.
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Et quidem Thomas Waldensis tom. III, tit. 20, cap. 158. non omnino improbabiliter dicit, ipsam veram crucem ligneam, quæ nunc divisa est in multas particulas, tunc reformandam, et colligendam, et apparituram in cœlo. Nam id videntur asserere Sybilla et Chrysostomus in serm. de cruce et latrone; nec alii Patres contradicunt.

Neque obstat illud Ecclesiæ : « Hoc signum crucis erit in cœlo. » Nam etiam vera crux dici potest signum crucis, id est, instrumentum habens figuram crucis. Sed si hoc non admittatur, saltem imago crucis lucida in cœlo apparebit ex aere, vel igne condensato, ut Abulensis et Jansenius, et alii docent.

Hinc autem multiplex argumentum ducitur, ad probandum honorem crucis; Nam

(1) Matth. XXIV, 30.

primo honorabilis est crux, quia ab ipso Christo vocatur signum ejus, id est, vexillum Christi : si enim vexillum Imperatoris milites adorant, ut patet ex Sozomeno lib. I, hist. cap. 4. cur vexillum Christi non adorabitur? Secundo honorabilis est, quia in cœlo apparebit, loco nimirum sublimi et honorifico. Tertio, quia manibus Angelorum feretur, ut Augustinus docet sermon. 130. Quarto, quia splendebit clarius Sole : quod probant Augustinus et Chrysostomus; quia tunc apparebit, et conspicietur ab omnibus, quando Sol, et Luna, et stellæ obscuratæ fuerint, ut patet ex Matth. cap. XXIV.

Argumentum secundum sumi potest a testimoniis sacrorum Conciliorum. Nam Synodus VI. can. 73. Synodus VII. act. ult. et Synodus VIII. act. item ult. canones ediderunt de veneratione crucis.

Tertium argumentum ab usu et testimoniis veterum. Justinus in Apologia secunda: « Signa, inquit, et notæ, quæ apud nos sunt, hujus rei (crucis) virtutem declarant. » Tertullianus in Apologetico cap. 16. objectioni Gentilium respondet de adoratione crucis ligneæ; Idem facit Minutius in Octavio. Ex quo apparet, ab ipso Ecclesiæ exordio, etiam ante crucis veræ inventionem Christianos solitos habere, et venerari crucis imaginem. Origenes lib. VI. in epist. ad Romanos, dicit crucis figuram ante oculos positam, si attento consideretur, valere ad depellendam omnem tentationem.

Constantinus Magnus labarum in formam crucis redegit, ut patet ex Eusebio lib. IX, cap. 9. hist. et ex lib. I. de vita Constantini. Quia vero labarum adorabatur, numquam Constantinus crucem in labaro posuisset, si putasset, esse idololatriam venerari crucem: imo Sozomenus lib. I, cap. 4. hist. scribit, ideo Constantinum vertisse labarum in crucem, ut milites assuescerent crucem venerari.

Dices, etiam ante Constantini tempora labarum habuit formam crucis, ut Tertullianus in Apologetico cap. 16. Justinus in II. Apologia, et Minutius in Octavio testantur.

Respondeo, labarum ante Constantini tempora habuisse quamdam crucis similitudinem, quia erat velum in ligno suspensum, non tamen proprie crucis figuram habuisse, nisi tempore Constantini. Idem Constantinus, ut refert Eusebius lib. I. de vita Constantini, Romæ devicto Maxentio, in loco celeberrimo erexit crucem cum his verbis : « Hoc salutare signum. » Et rursum in manu dextera statuæ suæ crucem apponi jussit cum his verbis : « Hoc uno veræ fortitudinis signo urbem vestram liberavi etc. » Idem etiam decreto cavit, ne deinceps ulli facinorosi cruci affigerentur, ut crux non amplius horrori, sed amori et venerationi omnibus esset, ut scribit Sozomenus lib. I, cap. 8. et Augustinus serm. 18. de verbis Domini. Et e contrario in pecuniis, quas omnes amant, crucis figuram excudi jussit, ut ibidem Sozomenus refert.

Constantini pietatem imitatus Theodosius, prohibuit ne crux humi sculperetur, vel pingeretur, ne sacrum signum pedibus calcaretur : ita enim habetur lib. I. Codicis, tit. 8. L. Cum sit nobis. Quod testimonium ex Petro Crinito lib. IX, cap. 9. adversarii corrupte citant, quasi Theodosius prohibuisset imaginem crucis sculpi, vel pingi.

Theodosium secutus Arcadius filius, auream monetam cum signo crucis cudi jussit, teste Prospero de prædictionibus et promissionibus part. 3. cap. 34.

Tiberius quoque optimus Imperator, Theodosii legem sequutus, cum vidisset in palatio humi crucem in marmore incisam, mox erigi jussit, dicens : « Cruce Domini frontem et pectus munire debemus, et nos eam pedibus terimus? » testis Paulus Diaconus lib. XVIII. rerum Roman. Ubi etiam addit, sub illo marmore repertum ingentem thesaurum amplius centum millium aureorum, in remunerationem videlicet pietatis tam religiosi Principis.

Constantini tempore scripsit Lactantius carmen de cruce, in quo inter cætera legimus :

Flecte genu, ligumque crucis venerabile adora.

Non diu postea Athanasius quæst. 16. ad Antiochum reddidit causam, cur Christiani faciant et colantpotius imagines crucis, quam lanceæ, vel spongiæ; quia videlicet si Ethnici dicant nos colere lignum, mox duobus lignis crucis disjunctis figuram crucis destruimus, nec amplius veneramur.

Joannes Chrysostomus in supplicationibus argenteas cruces cum ardentibus facibus præferri jubebat, ut Socrates lib. VI, cap. 8. et Sozomen. lib. VIII, c. 8. testantur. Idem etiam Chrysostomus in lib. quod Christus sit Deus, dicit, suo tempore crucis figuram omnibus in locis depingi solitam, in urbibus, in domibus, in cubiculis, in vasis, in solitudine, in montibus etc. Augustinus tractat. 36. in Joan. et in Psal. XXXVI : « Qui tantum, inquit, honorem tribuit supplicio suo, quid servat fidelibus suis? » Cyrillus lib. VI. in Julianum, respondet Juliano reprehendenti Christianos, quod lignum crucis adorarent, ejusque figuram ante domos suas depingerent. Ruffinus lib. II, cap. 29. hist. testatur, apud Ægyptum, cum ad fidem converterentur Ægyptii, ubique fuisse depictas cruces loco thoracis Serapidis, quem Ethnici venerabantur. Beda lib. I. hist. Angl. cap. 25. scribit, Augustinum a B. Gregorio missum ad Anglorum conversionem, crucem argenteam, et imaginem Christi in tabula depictam pro vexillo prætulisse. Ipse etiamGregorius lib. VII, ep. 5. de crucis veneratione loquitur. Leo serm. 8. de passione Domini : « Pulchra specie, inquit, triumphi sui trophæum, et invictissimæ patientiæ signum salutis adorandum populis omnibus inferebat. »

Sedulius in carmine Paschali :

Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis, pœnam vestivit honore.
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit:
Nève quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit ovans etc.

Argumentum quartum ab apparitione, et miraculis crucis. Primo, apparuit Constantino crux lucidissima in aere cum illis verbis : ἐν τούτῳ νικᾷ, id est, in hoc vince : refert Eusebius lib. I. de vita Constantini. Ubi etiam addit, se id accepisse ab ipso Constantino jurante rem ita se habere. Neque apparuit illi crux in somno, ut Sozomenus lib. I, cap. 3. et Paulus Diaconus lib. XI. rerum Roman. dicunt; sed plane vigilanti, et iter facienti cum toto exercitu, ut Eusebius dicit.

Porro non frustra dictum esse Constantino : *In hoc signo vince*, apparet ex victoriis Constantini, nam lib. II. de vita Constantini scribit Eusebius, in prœliis jussisse Constantinum semper deferri labarum crucé insignitum ad eam partem agminis, quæ magis laborabat; et quocumque labarum accessisset, mox etiam victoriam sequi solitam. Addit ibidem, eum, qui labarum deferebat, cum metu hostium irruentium reliquisset labarum, continuo necatum esse : qui autem illud de manu abjicientis suscepit, numquam feriri potuisse, etiamsi innumerabilia prope tela in illum conjecta fuissent; omnia enim (mirabile dictu) in hasta crucis infigebantur.

Secundo, apparuit crux lucidissima supra montem Olivetum tempore Constantini Imperatoris, de qua apparitione exstat epist. Cyrilli Hierosolymitani ad Constantium.

Tertio, apparuit tempore Juliani Apostatæ, qui jam persequebatur, ut narrat Gregorius Nazianzenus orat. I. in Julianum. Nam cum Julianus inspiceret exta pecudum aruspicii gratia, invenit crucem coronatam; et quidam aruspices periti, ut refert Paulus Diaconus in ejus vita, dicebant significari religionem Christianam, quæ crucem venerabatur, fore perpetuam, nec posse vinci a Juliano. Adulatores autem ejus dicebant, significari angustias, et quasi carceres crucis; sed eventus priorem sententiam veram ostendit. Eodem tempore, cum Judæi, Juliani jussu exstruere vellent templum in Hierosolymis in dedecus crucifixi, apparuit rursum in aere circulus ingens lucidus, crucem splendidissimam ambiens; et præterea in vestibus fere omnium hominum ejus loci apparuerunt cruces quasi summo artificio elaboratæ, ut scribit idem Nazianzenus or. 2. in Julian.

Quarto apparuit crux in aere tempore Arcadii, cum Imperator bellum susciperet pro fide contra Persas, Christianorum persecutores, in quo bello divinitus adjutus fuit : testatur hoc B. Prosper in lib. de promissionibus divinis part. III, cap. 34.

Quinto, apparuerunt cruces in vestibus hominum tempore Leonis Iconomachi, cum hæretici contra imagines sacras insanirent, ut testatur Paulus Diaconus in vita Leonis Iconomachi. Ad hoc genus referri potest apparitio crucis in Anglia in arbore, anno 1359, de qua vide Alanum Copum.

Præter has apparitiones miracula sine numero per crucis figuram effecta referri possent. Insigne est illud Hilarionis, quod refert B. Hieronymus factum apud Epidaurum. Nam cum mare egrederetur terminos suos, et periculum esset, ne civitatem obrueret, Hilarion in littore tres cruces pinxit. Mare autem cum eo pervenisset, cœpit intumescere, et in magnam altitudinem instar muri cujusdam excrevit sursum versus, quasi fremens et indignans, quod progredi ulterius prohiberetur, tandem crucis virtuti cedens, fluctus suos in seipsum retorsit. Multa quo-

que miracula facta narrat Beda lib. III, cap. 2. histor. Anglor. per ligneam crucem, ab Oswaldo Rege sancto erectam, ac illud omnium primum, quod ipse cum paucis contra innumerabiles hostes pugnavit, et vicit.

Argumentum ultimum a ratione. Nam signa rerum sanctarum sancta, et venerabilia sunt, ut supra ostendimus : certe quælibet crux sancta et venerabilis est, quia gerit imaginem Christi crucifixi, id est, Christi in ipso opere redemptionis occupati, quo nihil sanctius cogitari potest.

CAPUT XXIX.

De signo Crucis.

Restat signum crucis, quod in fronte, vel in aere pingitur, vel super quascumque res digito exprimitur. Quod signum sacrum esse et venerabile, Primo ostendi potest ex figuris Testamenti veteris. Nam sanguis agni in postibus domorum, de quo Exodi XII. nihil aliud significabat, nisi signum crucis in frontibus Christianorum, Augustino teste in lib. de catechizandis rudibus cap. 20. Item illud Tau, quod Ezechielis cap. IX. jubetur describi in frontibus gementium, apertissime signum crucis, quod in fronte potissimum pingimus, indicabat, teste Cypriano in lib. adversus Demetrianum, et Hieronymo in commentario Ezechielis. His adde illud Apocalyp. XIV : *Habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus in frontibus suis;* id est, signum crucis. Item illud Apocalyp. VII : *Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum* (1). Hoc enim signum, esse signum crucis, docent Œcumenius, Beda, Anselmus et Rupertus in hunc locum. Jacob quoque cum cancellatis manibus benedixit filiis Joseph, Gen. XLVIII. significavit, fore aliquando tempus, quo benedictiones signo crucis fierent.

Secundo, probatur ex testimoniis veterum, qui primis quingentis annis floruerunt. Dionysius c. 4. 5. et 6. Ecclesiast. hierarch. dicit, in omnibus Sacramentis adhiberi signum crucis. Justinus quæst. 118. respondet Gentibus quærentibus, cur Christiani ad Orientem orarent : et dicit, causam esse, quia Deo danda sunt meliora : « Sicut etiam, inquit, dextera potius, quam sinistra signum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus. » Hyppolitus quidam scriptor vetustissimus, et Apostolis familiaris, cujus librum citat Palladius in histor. Lausiaca, cap. 148. scribit, virginem quamdam signo crucis munitam ex prostibulo illæsam evasisse.

Tertullianus ita loquitur lib. de Corona militis : « Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quandocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » Idem habet lib. II. ad uxorem, et in principio Scorpiaci.

Cyprianus lib. IV. epist. 6. in fine : « Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur. » Et libro de unitate Ecclesiæ, ultra medium, dicit, Oziam lepra in fronte percussum, offenso Domino, in qua parte corporis signantur, qui Dominum promerentur. Et libro de lapsis, in principio : « Frons cum signo Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit. »

Cornelius Papa in epist. ad Fabianum, quæ est apud Eusebium lib. VI. hist. cap. 33. dicit, Novatianum a Dæmonio arreptum, quod non recepisset in fronte signaculum Christi.

Origenes in Exodi cap. XV. hom. 6. sic ait : « Timor et tremor cadunt super eos (Dæmones) cum signum in vobis viderint crucis fideliter fixum etc. » Gregorium Neocæsariensem sæpe usum signo crucis contra Dæmones, testatur Gregorius Nyssenus, in ejus vita. Lactantius lib. IV. cap. 26. dicit, Christum eis omnibus prodesse, qui signum crucis in fronte conscripserint.

Cyrillus catechesi 4 : « Non pudeat, inquit, nos crucis Christi. Quod si aliquis id occultet, tu manifeste signa te cruce in fronte. » Et infra : « Fac autem hoc signum, et manducans, et bibens, et sedens, et stans, et loquens, et ambulans, et in summa in omni negotio. » Idem repetit catechesi 13.

Athanasius lib. de incarnatione Verbi : « Signo crucis omnia magica, inquit, compescuntur etc. »

Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 37. inter primas Apostolicas traditiones ponit, signare se signo crucis. Gregorius Nazianzenus orat. I. in Julianum, dicit, etiam milites in mensa signum crucis adhibere solitos. Chrysostomus hom. 55. in Matth. cap. 12. signo crucis omnia Sacramenta perfici docet. Et hom. quod Christus sit Deus, plurima de gloria hujus signi, et eloquentissime persequitur.

(1) Apoc. XIV, 1 ; VII, 3.

Ephrem lib. de pœnit. cap. 3 : « Pingamus, inquit, in januis, atque in frontibus nostris, et in ore, et in pectore, atque in membris omnibus vivificum signum. Armemur insuperabili hac Christianorum armatura. » Item lib. de armatura spirituali, cap. 2 : « Scuti vice crucis signo teipsum muni ; validissima enim armatura est. » B. Antonius, ut refert Athanasius in vita ejusdem Antonii, contra omnes terrores jubebat solo crucis signaculo tutos esse Monachos. Palladius in hist. Lausiaca, cap. 2. scribit, sanctum senem quemdam cum vidisset in puteo aspidem, signo crucis munivisse puteum illum, ac deinde sine timore hausisse aquam, et bibisse. Theodoretus in histor. religiosa, passim meminit crucis, et virtutis ejus.

Ambrosius ser. 43. hortatur, ut omnia opera a signo crucis incipiamus. Et serm. 90 recitantur verba sanctæ Agnetis dicentis : « Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. » Id enim est signum crucis, quo dedicamur Deo.

Hieronymus in epist. ad Demetriadem : « Claudas cubiculum pectoris, crebro signaculo crucis munias frontem tuam. » Item ad Eustochium : « Ad omnem incessum manus pingat Domini crucem. »

Augustinus Tract. 118. in Joan ad finem. « Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi ? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium ; sive ipsi aquæ, qua regenerantur ; sive oleo, quo Chrismate inunguntur ; sive sacrificio, quo aluntur ; nihil eorum rite perficitur. » Item lib. I. Confess. cap. II. « Signabar jam signo crucis, et condiebar sale Christi. »

Beatus Martinus apud Sulpitium : « Ego, inquit, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. »

Prudentius in hymno ante somnum :

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellet omne crimen.
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Paulinus natali 8. S. Felicis :

Nos crucis invictæ signum, et confessio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis, et quamquam membris videamur iner-
[mes,
Arma tamen gerimus, quibus et sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Tertio, probatur ex miraculis signo crucis factis. Tertullianus initio Scorpiaci dicit, Christianos signando, vel adjurando non solum Christianis, sed etiam Ethnicis sæpe prodesse. Lactantius lib. IV. c. 27. dicit præsente Christiano, qui crucem fronte signaverat, Diabolum non ausum Imperatori poscenti responsa dare. Epiphanius hæresi 30. scribit, quemdam Josephum nondum Christianum signo crucis Dæmones expulisse, et deinde Christianum effectum eodem signo incantationes Judæorum destruxisse. Nazianzenus orat. I. in Julian. scribit, ipsum Julianum, licet Ethnicum, cum spectra quædam videret, dum necromantici sua mysteria operarentur, signo crucis seipsum munisse, et mox spectra omnia evanuisse. Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi, scribit, Diaconum ejus, signo crucis munitum, exivisse noctu incolumen ex balneis inter innumerabilia spectra, ex quibus balneis nemo unquam vivus exierat eorum, qui noctu intraverant.

Athanasius in vita Antonii ; Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ ; Theodoretus lib. V. hist. cap. 21. et Gregorius lib. III. Dialog. cap. 7. multa scribunt miracula, quæ ad solum crucis signum Deus fecit, ac potissimum in Dæmonum expulsione. Palladius in historia Lausiaca, cap. 54. scribit, quemdam signo crucis munitum in mediis flammis longo tempore illæsum permansisse. Theodoretus in vita sancti Juliani, et in vita sancti Marciani, scribit, ab utroque suo tempore signo crucis ingentes dracones occisos. Item in vita sancti Aphraatis, et sancti Macedonii, et sancti Petri, et aliorum, scribit, eos signo crucis varios morbos curasse. Quod idem Sulpitius in vita beati Martini ; Hieronymus in vita Hilarionis ; Augustinus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que miracula facta narrat Beda lib. III, cap. 2. histor. Anglor. per ligneam crucem, ab Oswaldo Rege sancto erectam, ac illud omnium primum, quod ipse cum paucis contra innumerabiles hostes pugnavit, et vicit.

Argumentum ultimum a ratione. Nam signa rerum sanctarum sancta, et venerabilia sunt, ut supra ostendimus : certe quælibet crux sancta et venerabilis est, quia gerit imaginem Christi crucifixi, id est, Christi in ipso opere redemptionis occupati, quo nihil sanctius cogitari potest.

CAPUT XXIX.

De signo Crucis.

Restat signum crucis, quod in fronte, vel in aere pingitur, vel super quascumque res digito exprimitur. Quod signum sacrum esse et venerabile, Primo ostendi potest ex figuris Testamenti veteris. Nam sanguis agni in postibus domorum, de quo Exodi XII. nihil aliud significabat, nisi signum crucis in frontibus Christianorum, Augustino teste in lib. de catechizandis rudibus cap. 20. Item illud Tau, quod Ezechielis cap. IX. jubetur describi in frontibus gementium, apertissime signum crucis, quod in fronte potissimum pingimus, indicabat, teste Cypriano in lib. adversus Demetrianum, et Hieronymo in commentario Ezechielis. His adde illud Apocalyp. XIV : *Habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus in frontibus suis;* id est, signum crucis. Item illud Apocalyp. VII : *Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum* (1). Hoc enim signum, esse signum crucis, docent Œcumenius, Beda, Anselmus et Rupertus in hunc locum. Jacob quoque cum cancellatis manibus benedixit filiis Joseph, Gen. XLVIII. significavit, fore aliquando tempus, quo benedictiones signo crucis fierent.

Secundo, probatur ex testimoniis veterum, qui primis quingentis annis floruerunt. Dionysius c. 4. 5. et 6. Ecclesiast. hierarch. dicit, in omnibus Sacramentis adhiberi signum crucis. Justinus quæst. 118. respondet Gentibus quærentibus, cur Christiani ad Orientem orarent : et dicit, causam esse, quia Deo danda sunt meliora : « Sicut etiam, inquit, dextera potius, quam sinistra signum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus. » Hyppolitus quidam scriptor vetustissimus, et Apostolis familiaris, cujus librum citat Palladius in histor. Lausiaca, cap. 148. scribit, virginem quamdam signo crucis munitam ex prostibulo illæsam evasisse.

Tertullianus ita loquitur lib. de Corona militis : « Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quandocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » Idem habet lib. II. ad uxorem, et in principio Scorpiaci.

Cyprianus lib. IV. epist. 6. in fine : « Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur. » Et libro de unitate Ecclesiæ, ultra medium, dicit, Oziam lepra in fronte percussum, offenso Domino, in qua parte corporis signantur, qui Dominum promerentur. Et libro de lapsis, in principio : « Frons cum signo Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit. »

Cornelius Papa in epist. ad Fabianum, quæ est apud Eusebium lib. VI. hist. cap. 33. dicit, Novatianum a Dæmonio arreptum, quod non recepisset in fronte signaculum Christi.

Origenes in Exodi cap. XV. hom. 6. sic ait : « Timor et tremor cadunt super eos (Dæmones) cum signum in vobis viderint crucis fideliter fixum etc. » Gregorium Neocæsariensem sæpe usum signo crucis contra Dæmones, testatur Gregorius Nyssenus, in ejus vita. Lactantius lib. IV. cap. 26. dicit, Christum eis omnibus prodesse, qui signum crucis in fronte conscripserint.

Cyrillus catechesi 4 : « Non pudeat, inquit, nos crucis Christi. Quod si aliquis id occultet, tu manifeste signa te cruce in fronte. » Et infra : « Fac autem hoc signum, et manducans, et bibens, et sedens, et stans, et loquens, et ambulans, et in summa in omni negotio. » Idem repetit catechesi 13.

Athanasius lib. de incarnatione Verbi : « Signo crucis omnia magica, inquit, compescuntur etc. »

Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 37. inter primas Apostolicas traditiones ponit, signare se signo crucis. Gregorius Nazianzenus orat. I. in Julianum, dicit, etiam milites in mensa signum crucis adhibere solitos. Chrysostomus hom. 55. in Matth. cap. 12. signo crucis omnia Sacramenta perfici docet. Et hom. quod Christus sit Deus, plurima de gloria hujus signi, et eloquentissime persequitur.

(1) Apoc. XIV, 1 ; VII, 3.

Ephrem lib. de pœnit. cap. 3 : « Pingamus, inquit, in januis, atque in frontibus nostris, et in ore, et in pectore, atque in membris omnibus vivificum signum. Armemur insuperabili hac Christianorum armatura. » Item lib. de armatura spirituali, cap. 2 : « Scuti vice crucis signo teipsum muni ; validissima enim armatura est. » B. Antonius, ut refert Athanasius in vita ejusdem Antonii, contra omnes terrores jubebat solo crucis signaculo tutos esse Monachos. Palladius in hist. Lausiaca, cap. 2. scribit, sanctum senem quemdam cum vidisset in puteo aspidem, signo crucis munivisse puteum illum, ac deinde sine timore hausisse aquam, et bibisse. Theodoretus in histor. religiosa, passim meminit crucis, et virtutis ejus.

Ambrosius ser. 43. hortatur, ut omnia opera a signo crucis incipiamus. Et serm. 90 recitantur verba sanctæ Agnetis dicentis : « Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. » Id enim est signum crucis, quo dedicamur Deo.

Hieronymus in epist. ad Demetriadem : « Claudas cubiculum pectoris, crebro signaculo crucis munias frontem tuam. » Item ad Eustochium : « Ad omnem incessum manus pingat Domini crucem. »

Augustinus Tract. 118. in Joan ad finem. « Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi ? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium ; sive ipsi aquæ, qua regenerantur ; sive oleo, quo Chrismate inunguntur ; sive sacrificio, quo aluntur ; nihil eorum rite perficitur. » Item lib. I. Confess. cap. II. « Signabar jam signo crucis, et condiebar sale Christi. »

Beatus Martinus apud Sulpitium : « Ego, inquit, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. »

Prudentius in hymno ante somnum :

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellet omne crimen.
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Paulinus natali 8. S. Felicis :

Nos crucis invictæ signum, et confessio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis, et quamquam membris videamur iner-
[mes,
Arma tamen gerimus, quibus et sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Tertio, probatur ex miraculis signo crucis factis. Tertullianus initio Scorpiaci dicit, Christianos signando, vel adjurando non solum Christianis, sed etiam Ethnicis sæpe prodesse. Lactantius lib. IV. c. 27. dicit præsente Christiano, qui crucem fronte signaverat, Diabolum non ausum Imperatori poscenti responsa dare. Epiphanius hæresi 30. scribit, quemdam Josephum nondum Christianum signo crucis Dæmones expulisse, et deinde Christianum effectum eodem signo incantationes Judæorum destruxisse. Nazianzenus orat. I. in Julian. scribit, ipsum Julianum, licet Ethnicum, cum spectra quædam videret, dum necromantici sua mysteria operarentur, signo crucis seipsum munisse, et mox spectra omnia evanuisse. Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi, scribit, Diaconum ejus, signo crucis munitum, exivisse noctu incolumen ex balneis inter innumerabilia spectra, ex quibus balneis nemo unquam vivus exierat eorum, qui noctu intraverant.

Athanasius in vita Antonii ; Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ ; Theodoretus lib. V. hist. cap. 21. et Gregorius lib. III. Dialog. cap. 7. multa scribunt miracula, quæ ad solum crucis signum Deus fecit, ac potissimum in Dæmonum expulsione. Palladius in historia Lausiaca, cap. 54. scribit, quemdam signo crucis munitum in mediis flammis longo tempore illæsum permansisse. Theodoretus in vita sancti Juliani, et in vita sancti Marciani, scribit, ab utroque suo tempore signo crucis ingentes dracones occisos. Item in vita sancti Aphraatis, et sancti Macedonii, et sancti Petri, et aliorum, scribit, eos signo crucis varios morbos curasse. Quod idem Sulpitius in vita beati Martini ; Hieronymus in vita Hilarionis ; Augustinus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lib. XXII. de civit. Dei, c. 8. similiter scribunt. Victor Uticensis lib. II. de perseq. Wand. scribit, ab Eugenio Episcopo Catholico cæcum illuminatum solo crucis signo. Quod si addere vellemus miracula edita post primos quingentos annos, quæ referuntur a probatis auctoribus de S. Benedicto, Bernardo, Francisco, et aliis, numquam finiremus.

CAPUT XXX.

Solvuntur objectiones hæreticorum.

Ex his, quæ dicta sunt, facile erit objectiones hæreticorum, supra notatas, solvere. Ad primam igitur, quæ sumebatur ex eo, quod crux dolorem et ignominiam, Christo attulit, respondemus, si solum crux attulit Christo dolorem et ignominiam, merito esse execrandam : atqui attulisse etiam lætitiam et gloriam, propter Diabolum devictum, et genus humanum redemptum; quæ lætitia et gloria tanta fuit, ut dolorem et ignominiam illam priorem plane absorbuerit, ut patet.

Ad secundam, quæ sumebatur a similitudine eorum, quorum parentes in patibulis perierunt, qui impii viderentur, si ejusmodi patibula honorarent, dico illa non esse similia. Nam qui nunc in patibulis suspenduntur ex sententia judicis, culpa sua suspenduntur; aut vera, aut certe in judicio legitime probata. Præterea inviti suspenduntur. Denique ex ipsa morte nihil lucrantur, nisi pœnam et infamiam. At Christus non propter culpam veram aut probatam crucifixus fuit. Constat enim ipsum judicem sæpius testatum, se nullam in eo causam invenisse. Ad hæc, Christus sponte sua se tradidit crucifixoribus, ut Patris obedientiam impleret, cum alioqui posset evadere, si vellet, ut notum est; quia cum diceret : « Ego sum, » omnes ejus inimici ceciderunt retrorsum. Denique, Christus ex ipsa morte plurima bona retulit, ut diximus, et sibi, et nobis. Neque id solum in Christi morte videmus, sed etiam in mortibus aliorum, qui propter Deum, aut patriam occiduntur. Amici enim libentissime instrumenta passionis eorum tamquam monimenta virtutis conservant.

Ad tertium argumentum, quod honorare crucem sit quasi lætari de morte Christi, quemadmodum inimici ejus faciebant, dico nos nihil cum hostibus Christi habere commune; nam cum gaudemus de Christi passione, non gaudemus de eo, de quo hostes ejus gaudebant, sed de eo, de quo ipse gaudebat, id est, de triumpho ejus, non de ignominia. Alioqui enim etiam novimus Christo patienti esse compatiendum, et dolores ejus piis lachrymis decorandos.

Ad quartum argumentum dico, non sequi, si omnes cruces honoramus, oportere etiam nos honorare omnia præsepia, omnes spinas, omnes lanceas, omnes virgas etc. nam omnes cruces adoramus, quia omnes sunt imagines veræ crucis, in qua Dominus pependit; et præterea etiam ipsius Christi crucifixi. At præsepia, spineta, lanceæ, et similia non sunt imagines Christi, nec etiam præsepii, spinarum, lanceæ, et similium, quæ Christum tetigerunt. Ad imaginem enim non sufficit similitudo, sed requirit super ut unum exprimatur ex alio. Quare frater non dicitur imago fratris, licet similes sint, quia unus non est ab alio. Filius autem, quia non solum est similis patri, sed etiam ab eo prodiit, idcirco vere dicitur et est imago patris. Jam cruces omnes fiunt ad exprimendam illam primam, et sic imagines ejus sunt. At præsepia, lanceæ, et similia, non fiunt ad illa exprimenda, sed ad alios usus, et ideo nec imagines sunt. Quando autem pingitur, vel sculpitur præsepe ad repræsentandam Christi nativitatem, vel columna ad repræsentandam flagellationem, quia tunc præsepe et columna sunt imagines, non curent sua aliqua veneratione.

Si petas unde est, quod pingimus, et adoramus crucem, etiam sine Christo crucifixo; et non pingimus, nec adoramus præsepe, vel columnam sine Christo?

Respondeo, propter tres causas. Primo, quia crux etiam sola refert ipsum Christum crucifixum : illa autem hoc non faciunt. Secundo, quia crux non habet alium usum, quam repræsentandi, præsertim post edictum Constantini, de non crucifigendis hominibus. At illa alia habent alios usus; et ideo qui videret unam columnam depictam, non facile posset scire, quid illa significaret, an columnam Christi, an columnam Trajani, vel Adriani, vel Herculis, vel aliorum. Tertio, quia (ut Athanasius quæst 16. ad Antiochum dicit) cum accusamur, quod adoremus

lignum, possumus statim ostendere, nos colere figuram, non materiam, separando duo illa ligna ab invicem : quod in columna, lancea, spongia, et similibus, non tam facile fieri posset.

Ad quintum, de honorandis labiis Judæ, et manibus eorum, qui Christum occiderunt, tum propter contactum sacri corporis, tum quia instrumenta fuere passionis, respondeo, inter crucem, et labia Judæ, ac manus crucifixorum Christi, magnam esse differentiam, ut docet Thomas Waldensis, tom. III. tit. 13. cap. 120. nam crucem Dominus elegit, et amanter amplexus est, ut rem innoxiam deservientem redemptioni. At labia Judæ, et manus impiorum Christus non elegit, nec amavit, sed execrabatur, ut res impias et sceleratas. Nos autem illa solum amare et honorare debemus, quæ Dominus amavit et honoravit.

Sed possent respondere Wiclefistæ, paria esse labia Judæ, et crucem. Nam ut labia Judæ fuerunt instrumentum sceleris Judæ, et alioqui in se non erant capacia culpæ; ita et crux fuit instrumentum sceleris Judæorum : et sicut Dominus elegit crucem, non ut intrumentum sceleris, sed ut instrumentum passionis; ita quoque elegit labia Judæ et manus interfectorum, non ut intrumenta sceleris, sed ut instrumenta passionis. Unde Augustinus in Psal. XXXIV. dicit, Judam a Christo electum, ut per eum impleret redemptionem nostram.

Respondeo igitur, differentiam in duobus consistere. Primo, quia labia Judæ, et manus interfectorum Christi, non solum instrumenta passionis erant, sed etiam partes illorum hominum impiorum, et ideo non poterant honorari, ut instrumenta passionis, quin simul ipsi impii homines honorari viderentur. At crux, spinæ, columna, et similia non sunt partes illorum hominum, sed sunt res per se existentes, et natura sua innoxiæ etc.

Secundo, quia in passione Domini possumus considerare actionem et passionem, quarum prior sceleratа, posterior sanctissima fuit. Porro labia Judæ et manus impiorum fuerunt instrumenta propinqua et immediata ipsius actionis scelestæ; remota autem et mediata passionis salutaris. E contrario crux, et clavis, et similia fuerunt instrumenta propinqua et immediata passionis sanctæ, et remota ac mediata actionis scelestæ, ut patet; et ideo labia Judæ magis participant actionem, quam passionem, et Crux e contrario magis passionem, quam actionem. Propterea crux simpliciter est venerabilis, labia Judæ simpliciter detestanda.

Ad ultimum, de magia et superstitione dico tantum abesse a magia signum crucis, ut potius eo signo omnis magia solvatur, ut ait rectissime S. Athanasius lib. de incarnatione Domini, et salutari ejus adventu : « Signo crucis, inquit, omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt. » Et infra : « Veniat, qui istorum dictorum experimentum capere velit, et in ipsis præstigiis Dæmonum, et imposturis vaticiniorum, et in miraculis magiæ utatur signo crucis, ab ipsis deriso, nomenque Christi invocet; et videbit, quomodo ejus rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ, et veneficia jaceant. » Hæc ille. Scribit etiam Jacobus Sprenger in malleo maleficorum, part. II. quæst. 1. cap. 2. magos et sagas quando initiantur sacris Dæmonis, palam polliceri Diabolo pro tribunali sedenti, et coram testibus, se crucem Domini conculcaturos; quia videlicet, ubi crux honoratur, nullæ magicæ artes efficaces sunt.

Sciendum igitur est, ideo esse superstitiosum et prohibitum, uti characteribus et figuris ad effectus aliquos producendos, ut magi faciunt, quia effectus illi non possunt esse naturales, quia characteres et figuræ non sunt operativæ naturaliter. Nec provenient illi effectus a Deo, cum nulla talis Dei promissio reperiatur, nec Deus ab illis invocetur, sed fiunt illa omnia a Dæmone, et characteres solum deserviunt pro signo fœderis inter Diabolum et magos. At signum crucis operatur mirabilia, non ex virtute sua naturali, quam habeat, ut figura quædam, nec ut signum pacti cum Dæmone, sed ut signum divinitus institutum.

Ac, ut clarius id percipiatur, nota tres esse effectus crucis mirabiles. Primo, terret, et fugat Dæmones. Secundo, pellit morbos, et omnia mala. Tertio, sanctificat eo, quibus imprimitur. Et quidem primum effectum ex tribus causis habet : ex apprehensione Dæmonis; ex devotione hominis; et ex instituto Dei. Nam Dæmon ubi crucem videt, mox recordatur cruce Christi se victum, spoliatum, ligatum, et enervatum fuisse. Inde crucem timet et fugit, quomodo canis fugit lapidem et baculum quo percussus fuit.

Deinde vim habet crux ex opere operantis eo modo, quo vim habet oratio. Nam signum crucis est invocatio quædam meritorum Christi crucifixi signo expressa. Loquimur enim corde, voce et nutibus. Itaque opponere contra Diabolum signum crucis, est opponere meritum passionis Christi, id est, invocare Deum per Christi merita contra Diabolum. Unde effectus tunc magis procedit ex fide, et fiducia, ac devotione interiore, quam ex ipso charactere crucis; sicut quando oramus voce, et impetramus, effectus tribuitur potuit fidei et fiduciæ internæ, quam sono vocis. Et de his duobus modis nullum est dubium.

Existimo tamen, etiam tertio modo, id est, ex instituto Dei, et ex opere operato valere signum crucis contra Diabolum. Nam videmus Judæos et Paganos sine ulla fide in Christum, solum intendentes facere quod Christiani faciunt, fugasse Dæmones signo crucis, ut patet ex Nazianzeno oratione I. in Julianum, Epiphanio hæres. 30. et Gregorio lib. III. Dialog. cap. 7. ex quo apparet, non devotione aut fide operantis, sed ipso signo crucis fugatum Dæmonem.

Quare sanctus Augustinus lib. LXXXIII. quæstionum, quæst. 79. dicit, indictum a Deo Dæmonibus, ut cedant cruci, tamquam sceptro summi Regis, quomodo populi militibus cedunt, cum ab illis profertur signum Imperatoris: « Nec mirum est, inquit, quod hæc signa valent, cum a bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum, atque utile judicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere. Contremiscunt hæc ubicumque illa prospexerint. »

Dices; ergo erunt plura Sacramenta, quam septem. Respondeo, signum crucis non esse Sacramentum proprie dictum; tum quia non confert gratiam justificantem; tum etiam, quia non habet effectum infallibilem, ut Augustinus dicit, et experientia etiam testatur.

Quantum ad morbos et cætera mala, quæ non possunt percipere vim signorum, dicimus ea fugari per crucem tamquam per signum fidei et fiduciæ, vel potius tamquam per invocationem, signo expressam. Christus enim promisit fidelibus se daturum quidquid peterent cum fide, et nominatim Marci ult. et de morbis dixerat: *Serpentes tollent, super ægros manus imponent, et bene habebunt et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* (1) Fideles igitur contra morbos, et reliqua mala implorant Dei auxilium per Christi meritum, idque faciunt corde, ore, et nutibus. Et quia tunc effectus non producitur ex opere operato, more Sacramentorum sed ex opere operantis, ideo non infallibiliter sequitur.

Quantum ad benedictiones, idem fere dicendum est. Nam cum benedicimus homines, domos, agros, et similia, illo signo commendamus Deo per Christi merita res illas, quas benedicimus; et similiter cum benedicimus aquam, oleum, ramos, candelas etc. commendamus res eas Deo, eumque precamur, ut velit illas nobis esse salutares, utque per eas tamquam per instrumenta nos adjuvet.

Denique id, quod explicite petimus precibus, idem implicite petimus per signum crucis. Quamquam non potest, nec debet negari, quin etiam aliqua sanctitas accedat rebus cum signantur cruce: non quidem sanctitas quæ sit aliqua qualitas physica, sed sanctitas in relatione consistens, qualis est crucis, clavorum, vestium, aliarumque rerum, quæ tetigerunt Christum, aut Sanctos: et qualis est eorum, qui tangunt reliquias Sanctorum. Nam sanctificari aliquo modo eos, qui tangunt reliquias, constanter docent Patres; Basilius in Psal. CXV. Gregorius Nyssenus in vita sancti Theodori, Joannes Chrysostomus in sermone de sanctis Juventio, et Maximo, et alii. Si autem contactus reliquiarum sanctificat, cur non etiam contactus vexilli salutaris? Certe Augustinus lib. II. de peccatorum meritis, et remissione cap. 26. id asserit: « Catechumenos, inquit, secundum quemdam modum sum per signum Christi, et orationem manus impositionis puto sanctificari: et quod accipiunt quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen. » Atque hæc de reliquiis, et Imaginibus pro instituta nostri operis brevitate sufficiant.

(1) Marc. XVI. 10.

CONTROVERSIARUM
DE ECCLESIA TRIUMPHANTE
LIBER TERTIUS

DE IIS REBUS, QUIBUS SUPERNA HIERUSALEM AB ECCLESIA IN TERRIS PEREGRINANTE COLITUR.

PRÆFATIO

Etsi sequentes quæstiones de templis, votis, peregrinationibus, festis, et vigiliis, quæ fiunt in honorem Dei, et Sanctorum, non solum ad hunc locum, sed etiam ad multa alia pertinere possunt, visum est tamen hoc loco eas integre disputare; tum quia dispitationes ita conjunctæ sunt, ut non facile inter se disjungi possint; tum etiam, quia id, quod non est proprium hujus loci, hinc peti poterit, cum alibi opportunitas de ea re disputandi dabitur. Excipio tamen vota, de quibus hoc loco non nisi brevissime disseritur, quia jam alibi res tractata est.

Ut igitur a templis ordiamur, septem erunt partes hujus disputationis. Primum enim explicabimus, quæ fuerint hæreses de hac re. II. An sint templa erigenda. III. Qua forma. IV. Quos ob fines. V. De consecratione templorum, et dedicatione. VI. De ornatu eorumdem. VII. De iis, quæ in templis benedicuntur, ut aqua, oleo, cereis, palmis etc.

CAPUT I.

De erroribus circa templa.

Duo genera hostium habuerunt Dei templa. Unum eorum, qui re ipsa templa evertebant: non odio templorum, sed odio gentis, aut religionis. Aliud eorum, qui templa ipsa, vel eorum aliquid oderant tamquam malum. Primi generis fuerunt Nabuchodonosor, Antiochus, Pompeius, Cassius, Titus, qui templum Salomonis vel incenderunt, vel profanarunt, non odio templi, sed gentis. Vide IV. Reg. ult. I. Machabeor. X. Josephum lib. XIV. antiquitatum, et lib. VII. de bello Judaico. Cornelium Tacitum lib. XXI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deinde vim habet crux ex opere operantis eo modo, quo vim habet oratio. Nam signum crucis est invocatio quædam meritorum Christi crucifixi signo expressa. Loquimur enim corde, voce et nutibus. Itaque opponere contra Diabolum signum crucis, est opponere meritum passionis Christi, id est, invocare Deum per Christi merita contra Diabolum. Unde effectus tunc magis procedit ex fide, et fiducia, ac devotione interiore, quam ex ipso charactere crucis; sicut quando oramus voce, et impetramus, effectus tribuitur potuit fidei et fiduciæ internæ, quam sono vocis. Et de his duobus modis nullum est dubium.

Existimo tamen, etiam tertio modo, id est, ex instituto Dei, et ex opere operato valere signum crucis contra Diabolum. Nam videmus Judæos et Paganos sine ulla fide in Christum, solum intendentes facere quod Christiani faciunt, fugasse Dæmones signo crucis, ut patet ex Nazianzeno oratione I. in Julianum, Epiphanio hæres. 30. et Gregorio lib. III. Dialog. cap. 7. ex quo apparet, non devotione aut fide operantis, sed ipso signo crucis fugatum Dæmonem.

Quare sanctus Augustinus lib. LXXXIII. quæstionum, quæst. 79. dicit, indictum a Deo Dæmonibus, ut cedant cruci, tamquam sceptro summi Regis, quomodo populi militibus cedunt, cum ab illis profertur signum Imperatoris: « Nec mirum est, inquit, quod hæc signa valent, cum a bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum, atque utile judicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere. Contremiscunt hæc ubicumque illa prospexerint. »

Dices; ergo erunt plura Sacramenta, quam septem. Respondeo, signum crucis non esse Sacramentum proprie dictum; tum quia non confert gratiam justificantem; tum etiam, quia non habet effectum infallibilem, ut Augustinus dicit, et experientia etiam testatur.

Quantum ad morbos et cætera mala, quæ non possunt percipere vim signorum, dicimus ea fugari per crucem tamquam per signum fidei et fiduciæ, vel potius tamquam per invocationem, signo expressam. Christus enim promisit fidelibus se daturum quidquid peterent cum fide, et nominatim Marci ult. et de morbis dixerat: *Serpentes tollent, super ægros manus imponent, et bene habebunt et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* (1) Fideles igitur contra morbos, et reliqua mala implorant Dei auxilium per Christi meritum, idque faciunt corde, ore, et nutibus. Et quia tunc effectus non producitur ex opere operato, more Sacramentorum sed ex opere operantis, ideo non infallibiliter sequitur.

Quantum ad benedictiones, idem fere dicendum est. Nam cum benedicimus homines, domos, agros, et similia, illo signo commendamus Deo per Christi merita res illas, quas benedicimus; et similiter cum benedicimus aquam, oleum, ramos, candelas etc. commendamus res eas Deo, eumque precamur, ut velit illas nobis esse salutares, utque per eas tamquam per instrumenta nos adjuvet.

Denique id, quod explicite petimus precibus, idem implicite petimus per signum crucis. Quamquam non potest, nec debet negari, quin etiam aliqua sanctitas accedat rebus cum signantur cruce: non quidem sanctitas quæ sit aliqua qualitas physica, sed sanctitas in relatione consistens, qualis est crucis, clavorum, vestium, aliarumque rerum, quæ tetigerunt Christum, aut Sanctos: et qualis est eorum, qui tangunt reliquias Sanctorum. Nam sanctificari aliquo modo eos, qui tangunt reliquias, constanter docent Patres; Basilius in Psal. CXV. Gregorius Nyssenus in vita sancti Theodori, Joannes Chrysostomus in sermone de sanctis Juventio, et Maximo, et alii. Si autem contactus reliquiarum sanctificat, cur non etiam contactus vexilli salutaris? Certe Augustinus lib. II. de peccatorum meritis, et remissione cap. 26. id asserit: « Catechumenos, inquit, secundum quemdam modum sum per signum Christi, et orationem manus impositionis puto sanctificari: et quod accipiunt quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen. » Atque hæc de reliquiis, et Imaginibus pro instituta nostri operis brevitate sufficiant.

(1) Marc. XVI. 10.

CONTROVERSIARUM
DE ECCLESIA TRIUMPHANTE
LIBER TERTIUS

DE IIS REBUS, QUIBUS SUPERNA HIERUSALEM AB ECCLESIA IN TERRIS PEREGRINANTE COLITUR.

PRÆFATIO

Etsi sequentes quæstiones de templis, votis, peregrinationibus, festis, et vigiliis, quæ fiunt in honorem Dei, et Sanctorum, non solum ad hunc locum, sed etiam ad multa alia pertinere possunt, visum est tamen hoc loco eas integre disputare; tum quia dispitationes ita conjunctæ sunt, ut non facile inter se disjungi possint; tum etiam, quia id, quod non est proprium hujus loci, hinc peti poterit, cum alibi opportunitas de ea re disputandi dabitur. Excipio tamen vota, de quibus hoc loco non nisi brevissime disseritur, quia jam alibi res tractata est.

Ut igitur a templis ordiamur, septem erunt partes hujus disputationis. Primum enim explicabimus, quæ fuerint hæreses de hac re. II. An sint templa erigenda. III. Qua forma. IV. Quos ob fines. V. De consecratione templorum, et dedicatione. VI. De ornatu eorumdem. VII. De iis, quæ in templis benedicuntur, ut aqua, oleo, cereis, palmis etc.

CAPUT I.

De erroribus circa templa.

Duo genera hostium habuerunt Dei templa. Unum eorum, qui re ipsa templa evertebant: non odio templorum, sed odio gentis, aut religionis. Aliud eorum, qui templa ipsa, vel eorum aliquid oderant tamquam malum. Primi generis fuerunt Nabuchodonosor, Antiochus, Pompeius, Cassius, Titus, qui templum Salomonis vel incenderunt, vel profanarunt, non odio templi, sed gentis. Vide IV. Reg. ult. I. Machabeor. X. Josephum lib. XIV. antiquitatum, et lib. VII. de bello Judaico. Cornelium Tacitum lib. XXI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et Augustinum lib. XVIII. de civit. Dei cap. 45.

Christianorum Ecclesias Diocletianus jussit omnes solo æquari, non odio templorum, sed religionis Christianæ. Eusebius lib. VIII. hist. cap. 2. Idem facere voluisse Julianum scribit Hieronymus epistola ad Riparium.

Ariani quoque, et Donatistæ templa Catholicorum profanabant, et spoliabant, non odio templi, sed religionis. Vide Athanasium in Apologia pro fuga sua; et Theodoretum lib. IV. hist. cap. 19. et 20 et Optatum lib. V. contra Parmen.

Ad aliud genus pertinent in primis Manichæi; nam Faustus apud Augustinum lib. XX. cap. 3 et 4. objicit Catholicis, quod haberent templa, et altaria more Gentium, et Judæorum. Manichæos secuti Messaliani templa omnia, et altaria execrabantur, et solum in suis domibus orare volebant Deum, ut Damascenus refert lib. de centum hæresibus. Eodem fere tempore Eustathius templa omnia, et præcipue Martyrum detestabatur, teste Socrate lib. II. histor. cap. 33. et in privatis domibus conventicula fieri volebat.

Petrobusiani templa destruebant, novasque templorum fabricas irridebant. Auctor Cluniacensis in epistola contra Petrobusianos, et auctor vitæ beati Bernardi lib. III. cap. 5. Idem docuerunt postea Albigenses, ut Bernardus Lutzemburgensis in Catalogo refert. Idem docuerunt Waldenses apud Claudium Caussordium lib. contra Waldenses, cap. 6. idem Wiclefistæ apud Thomam Waldensem, tom. III. tit. 17 et 22. idem Thaboritæ apud Æneam Sylvium de origine Bohemorum, cap. 35. Idem Anabaptistæ Transylvani in antithesibus Christi veri, et Christi falsi, editis Albæ Juliæ anno 1568.

Porro Lutherani et Calvinistæ admittunt templa, sed solum ad concionandum, et Sacramenta ministranda. Reprehendunt autem quod fiant templa ad orandum, quod in honorem Sanctorum, quod consecrentur certo ritu, quod magnis sumptibus ornentur. Nam Magdeburgenses Cent. IV. cap. 6. col. 407. et sequentibus, multa dicunt contra ritus consecrandi Ecclesias, et in præfatione Cent. VI. reprehendunt Catholicos, qui ingentibus sumptibus fabricent Ecclesias, easque in Martyrum honorem.

Joannes Calvinus præfat. Instit. reprehendit ornatum templorum ex auro, argento, serico, lapidibus pretiosis etc. et lib. I. cap. 11. § 13. ornamenta templorum solum esse vellet concionem, et Sacramenta et lib. III. cap. 20. § 30. dicit, templa quidem erigi debere ad communes preces fundendas, sed non esse putandum ullam inesse templo sanctitatem. Ubi aperte indicat, privatas preces non fieri ullo modo melius in templo, quam alibi.

CAPUT II.

An templa sint erigenda.

Qui templa simpliciter erigi nolunt, nihil pro se afferre possunt, nisi Scripturas illas, quæ Deum dicunt non habitare in locis manufactis, ut Matthæi V: *Cœlum Dei sedes est, terra autem scabellum pedum ejus.* Et Act. VII: *Sed excelsus non in manufactis templis habitat.* Et Actor. XVII: *Nec in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur*(1). Hinc enim Manichæi (ut testatur Augustinus lib. contra Adimantum cap. 10.) probabant Deum Testamenti veteris, qui jusserat sibi ædificari tabernaculum et templum, non esse verum Deum, sed malum principium, et pugnare cum Deo Testamenti novi. Sed refelluntur elegantissime ibidem ab Augustino; nam Manichæi dicebant, Deum Testamenti veteris voluisse templa: Deum Testamenti novi non voluisse.

At e contrario legimus in Testamento veteri, Isaiæ LXVI, dicentem Deum: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, et quam domum ædificabitis mihi?* Et contra in Testamento novo, Joan. II, dicentem Christum de templo manufacto: *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Et Matth. XXI: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* (2) Deus igitur unus et idem in utroque Testamento approbat templa, in quibus adoretur, et non approbat templa, quibus putetur includi: quomodo idola, id est, Dii gentium vere in templis continebantur, nec inde poterant exire, nisi qui eos affixerant parietibus, inde detrahere et asportare vellent. Sed de hoc plura in cap. 4.

(1) Matth. V. 34 et 35; Act. VII, 48; XVII, 24 et 25. — (2) Isai. LXVI, 1; Joan. II. 16; Matth. XXI, 13.

CAPUT III.

De forma.

De forma Ecclesiarum Christianorum non est quod multa dicamus, cum adhuc antiquissimæ Ecclesiæ visantur. Duo tamen notanda sunt. Unum ad similitudinem templi Salomonis, in quo erat atrium, sancta, et sancta Sanctorum, Ecclesias fere omnes habuisse tres partes. Primo porticus ante ingressum in templum, quem locum Græci πρόναον, nostri vestibulum dicunt: ubi manebant pœnitentes. Deinde erat ναος, id est, templum, sive navis. Ultimo βῆμα, sive ἱερατεῖον, hoc est, sacrarium, sive sanctuarium, sive adyta, quæ erat pars interior templi, ubi erat altare, quæque divisa erat a reliquo templo gradibus, cancellis et velis, sive aulæis: neque eo penetrabant alii, quam sacerdotes cum suis ministris clericis.

Præter has templi partes erat etiam domuncula annexa templo, quæ dicebatur ædicula salutatoria, ubi sedebat Episcopus cum se pararet ad sacra facienda. Vide Eusebium lib. III de vita Constantini, ubi describit templum quod Hierosolymis ad sanctum sepulchrum Constantinus exstruxit: item Theodoretum l. IV hist. c. 20. ubi meminit sacrarii, aulæis separati a reliquo templo, quo introduxit Valentem Imperatorem: ita lib. V, c. 17. ubi meminit tam sacrarii, quam ædiculæ salutatoriæ. Vide etiam Hieronymum in epistola de obitu Nepotiani, Augustinum lib. XXII de Civit. Dei, cap. 8. in fine, et Walfridum Strabonem lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. 4 et 6.

Alterum est, Ecclesias Christianorum, ut plurimum ad Orientem conversas fuisse, et quatuor latera habuisse, quibus quatuor mundi partes aspicerent, exceptis quibusdam, quæ propter loci commoditatem aliter constitutæ sunt. Id partim experientia constat: partim etiam testimoniis veterum. Nam Tertullianus lib. contra Valentinianos, non procul ab initio, dicit, Ecclesias Christianorum Orientem amare solitas. Walfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. 4. dicit, majorem partem Ecclesiarum ita fabricari, ut qui in eis orant, Orientem respiciant: idem Paulinus epist. 12.

Idem testantur Justinus quæst. 118; Epiphanius hæresi 19. quæ est Essenorum; Origenes homil. 5. in Numer. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. Gregorius Nyssenus orat. 3. de Oratione Dominica; Augustinus lib. II de serm. Domini in monte c. 5. Germanus in lib. de theoria rerum sacrarum; Joannes Damascenus lib. IV de fide cap. 13. et omnes illi veteres, qui scribunt Apostolicam esse traditionem, ut oremus conversi ad Orientem: id enim præcipue servari par est in solemnibus precibus, quæ funduntur in templis.

Rationes autem hujus cæremoniæ sunt quinque. Prima, quia ad Orientem erat Paradisus, Gen. II secundum versionem LXX, ubi enim habet vulgata editio: *Plantaverat Deus Paradisum a principio* (1), Græca habet, ἐφύτευσεν παράδεισον ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς, et certe verbum Hebræum קִדְמָה utroque modo recte verti potuit: significant enim Ante, et Orientem, quæ est pars mundi anterior. Unde etiam noster Interpres, Gen. IV, vertit idem nomen, ad Orientalem plagam. Oramus igitur conversi ad Orientem, quia profitemur nos peregrinos, et ad patriam nostram, unde ejecti sumus, suspiramus: ita Gregorius Nyssenus.

Secunda ratio est, quia ab Oriente cœlum surgere et moveri incipit, estque propterea pars illa totius mundi corporalis excellentissima. Ideo autem orantes convertimus faciem corporalem ad corpus excellentissimum, tum, ut ait Justinus, quia Deo sunt danda semper meliora, tum etiam ut admoneamur convertere faciem spiritualem animæ ad spiritum excellentissimum, qui est Deus: ita B. Augustinus.

Tertia ratio est, quia Christus, quem oramus, est lux mundi, Joan. VIII: *Et vir Oriens nomen ejus* (2), Zachar. VI. Ut igitur significemus, nos in oratione illustrari a Christo sole justitiæ, sicut illustrantur a sole corporeo, qui ad Orientem respiciunt, ideo hac cæremonia utimur: ita Walfridus.

Quarta ratio est: quia Dominus ipse moriens in cruce, Occidentem respiciebat, nos ad Orientem oramus, ut quasi in faciem cru-

(1) Gen. II. 8. — (2) Zach. VI. 12.

cifixi intueamur : et quia ipse *ascendit in cœlum cœlorum ad Orientem*, Ps. LXVII, nos ad Orientem convertimur, ut quasi eum ascendentem votis ac precibus deducamus. Ac demum quia ipse ab Oriente venturus creditur ad judicium, Matth. XXIV : *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis* (1) : nos ad Orientem precamur, quasi venturum judicem exspectantes : ita Damascenus.

Possumus addere Quintam rationem, quia Judæi orabant, et orant ad Occidentem, ut patet Exodi XXVI, ubi dicitur, ostium tabernaculi ad Orientem versum fuisse, et Ezechielis VIII, ubi dicitur : *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et adorabant ad ortum solis.* (2) Reprehendit enim Scriptura quosdam, qui contra ritum ejusdem temporis adorabant ad Orientem. Nos igitur ad Orientem respicimus dum Judæi respiciunt ac Occidentem, ut significemus, eorum esse litteram occidentem, nostrum autem spiritum vivificantem : et velamen adhuc manere super cor eorum, nos autem conversos ad Dominum deposuisse velamen.

CAPUT IV.

De fine.

Quatuor ob fines eriguntur sacræ ædes, unde etiam quatuor nomina sortiuntur. Primo, ad sacrificandum Deo, et hinc dicuntur templa. Secundo, ad orandum, et hinc dicuntur oratoria. Tertio, ad Martyrum reliquias honorifice conservandas, et hinc dicuntur basilicæ, seu memoriæ, seu martyria. Quarto, ad populum verbo Dei, et Sacramentis pascendum, et hinc dicuntur Ecclesiæ.

Ex his finibus solum quartum agnoscunt Lutherani et Calvinistæ : Anabaptistæ autem et Waldenses ne illum quidem. Nam quod non debeant in novo Testamento erigi templa ad sacrificia, constanter asserunt omnes hujus temporis hæretici, et probant omnibus illis argumentis, quibus probare solent non esse in Ecclesia ullum externum sacrificium, vel sacerdotium : quæ argumenta non sunt hujus loci.

Unum invenit Argumentum Marloratus, quod directe objiceret contra templa, nimirum illud Apocal. XXI : *Et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus templum illius est.* Ubi de Ecclesia agitur, ut patet ex sequentibus : *Ambulabunt gentes in lumine ejus, et Reges afferent splendorem suum in illam* (3). Quæ verba mutuatur Joannes ab Isaia cap. LX. Isaiam autem certum est de Ecclesia ista militante loqui, et confirmatur argumentum ex eo, quod Deus voluit everti templum Salomonis, quod ad sacrificia erectum fuerat. Potest etiam confirmari ex Patribus; Patres enim ordinarie a vocabulo templi abstinent, cum de Ecclesiis Christianorum loquuntur; imo etiam eas templis opponunt, ut Hieronymus, qui in epist. ad Riparium dicit, Julianum Christi Ecclesias aut evertisse, aut in templa convertisse. Et Cecilius apud Minutium Felicem objicit Christianis, quod tamquam athei nulla haberent templa vel altaria, et Optatus lib. VI : « Quis nostrum, inquit, intravit templum? »

Quod autem ad orandum Ecclesiæ instituendum sit in uno loco orare, quam in alio, negant omnes hujus temporis hæretici, et probant assertionem suam : Primo, ex illis verbis, Matth. VI : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum etc.* Secundo, ex illis, Joan. IV : *Venit hora, et nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Spiritus est Deus, et qui eum adorant, in spiritu, et veritate adorare oportet.* Non ergo oratio obliganda est certo loco. Tertio, ex Paulo I. Timoth. II : *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Quarto, Deus non est magis in templo, quam alibi : *Non enim in templis manufactis habitat, sed cœlum et terram implet* (4). Ergo ubique ex æquo adorari et invocari potest.

Quod vero non sint templa Sanctis erigenda, probant, quia est manifesta idololatria; nam ad latriæ cultum pertinere templa, S. Augustinus docet lib. contra sermonem Arianorum cap. 20. ubi probat Spiritum sanctum esse Deum, quia Apostolus dicit, I. Corinth. VI : *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* (5) « Si legerent, inquit, Ariani

(1) Psal. LVII, 34; Matth. XIV, 27. — (2) Ezech. VIII, 16. — (3) Apoc. XXI, 22 et 24. — (4) Matth. VI, 6; Joan. IV, 23; I. Timoth. II, 8; Act. XVII, 27. — (5) I. Cor. VI, 19.

templum Salomonis ex lignis, et lapidibus Spiritui sancto erectum, non negarent illum esse Deum, cum templi constitutio ad latriæ cultum pertineat : quomodo ergo negant Spiritum sanctum esse Deum, cum templum habeat longe nobilius? » Unde idem Augustinus lib. VIII Civit. Dei, c. ult. dicit : « Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus : quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. » Item lib. I contra Maximinum arg. 11. de Spiritu sancto, sic ait Augustinus : « Nonne si alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis, et lapidibus faceremus templum, anathematizaremur a veritate Christi et ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo? » Hic autem ad marginem notavit Erasmus : « Hoc nunc fit quibuslibet Divis. »

Quod denique non sint Ecclesiæ erigendæ ad conciones et Sacramenta, non aliter probant Anabaptistæ, nisi exemplo Christi, qui concionabatur, nunc in montibus, nunc in desertis, nunc in mari ex navicula, nunc in privatis ædibus; Baptismum dabat in fluminibus; Eucharistiam instituit in privata et profana domo.

Ut igitur hæc omnia ordine refellantur, sit Prima propositio. « Recte instituuntur certa loca, in quibus verbum Dei et Sacramenta populo ministrentur. » Hæc est contra Eustathium, Waldenses et Anabaptistas, et eorum similes.

Probatur Primo, exemplo Christi et Apostolorum, qui etsi interdum data occasione in variis locis verbum Dei seminarent, tamen ordinarie in templo, vel synagogis, quæ erant ejus temporis Ecclesiæ, id faciebant. Matth. XXVI Dominus sic ait : *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.* Et Joan. XVIII : *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Item Actor. V, Angelus educens Apostolos de carcere, dicit illis : *Ite, et stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ hujus; qui cum audissent intraverunt diluculo in templum, et docebant* (1). Act. XIII, Paulus et Barnabas missi ad prædicandum, primum intrant in synagogam, et ibi prædicant.

Secundo, probatur exemplo primorum Christianorum; nam quod primi Christiani habuerint Ecclesias a privatis domibus distinctas, patet ex epist. I. ad Corinth. cap. XI : *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* Et quod ista Ecclesia non esset privata domus, patet ex sequentibus : *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et rursus : *Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis.* Et c. XIV : *Mulieres in Ecclesiis taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent* (2).

Idem confirmatur ex antiquissimis Patribus; nam Clemens lib. X recognitionum, circa finem, refert Antiochiæ Petro prædicante conversam fuisse Theophili domum in Ecclesiam, ibique Petro cathedram constitutam, unde doceret populum. Philo in lib. de vita theorica supplicum, quem citat Eusebius lib. II hist. cap. 17. scribit, primos Christianos in omnibus locis constituisse ædes sacras ad mysteria celebranda, et sacros libros legendos. Justinus in Apolog. II ad finem, dicit Christianos die Dominico in unum certum locum omnes convenire ad verbum Dei, et Eucharistiæ communicationem.

Tertullianus antiquissimus Latinorum lib. contra Valentinianos, non procul ab initio expresse meminit sacræ ædis, ad quam Christiani conveniebant. Cyprianus sermone de eleemosynis arguens mulieres opulentas, quæ in Ecclesiam sine oblatione veniebant : « In Dominicum, inquit, sine sacrificio venis, et partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. » Ubi Dominicum, Ecclesiam vocat, quia domus illa sacra, Domini palatium est.

Gregorius Neocæsariensis, Cypriani æqualis, cum Ecclesiam exstruere vellet, nec satis loci haberet propter vicinam quamdam rupem, eam rupem precibus suis loco movit, ut refert Eusebius, lib. VII histor. cap. 25. Qui etiam c. 26. scribit Catholicos cum Paulo Samosateno de sacra æde apud Aurelianum Imperatorem contendisse. Nec refert, utrum narrationem istam de miraculis Gregorii Eusebius scripserit, an Ruffinus, qui Eusebium Latinum fecit, addiderit; uterque enim est antiquus auctor.

(1) Matth. XXVI, 56; Joan. XVIII, 20; Act. V, 20 et 21. — (2) I. Cor. XI, 18, 22 et 34; XIV, 34 et 35.

Tertio, probatur ratione; nam populus Christianus debet aliquando necessario convenire ad res sacras : nec enim concio potest fieri ad singulos seorsim, nec etiam celebratio Eucharistiæ : et etiamsi posset, non expediret tamen, quia conventus hominum utilissimus est ad alendam animorum unionem : igitur necesse est, ut aliquis certus locus constituatur, ubi ejusmodi conventus fiant.

Præterea si habemus certa loca ad alia ministeria, ut ad judicia, ad convivia, ad somnum etc, cur non etiam ad res sacras ? Neque exemplum Domini contrarium ostendit. Nam vivente Domino nondum erat Ecclesia novi Testamenti constituta, sed tunc colligebatur, et constituebatur, et ideo non mirum, si non habuerit propria loca sacra. At postquam Christiani cœperunt esse populus aliquis, mox habuerunt Ecclesias, ut ostensum est.

Secunda propositio : « Ecclesiæ Christianorum ad sacrificia offerenda institutæ sunt, et ideo vere, et proprie templa appellari possunt. » Probari posset primo, omnibus argumentis, quæ probant Eucharistiam esse sacrificium. Sed hæc, ut dixi, ad alium locum pertinent.

Probatur igitur hoc modo : Ecclesiæ Christianorum semper habuerunt altaria, ergo semper vera templa fuerunt ; nam templum nihil est aliud, quam tomus altaris ; et præterea magis indicat sacrificii ritum altare, quam templum ; nam sine altari non potest sacrificari, sine templo potest ; quare si, ut excludant sacrificia, hæretici negant templa, multo magis deberent negare altaria, sed altaria nullo modo negare possunt, ut patet ex illo I. Cor. X : *Non potestis mensæ Domini, et mensæ dæmoniorum participes esse* (1). Ubi Apostolus opponit mensam Eucharistiæ mensis Idolothytorum, mensæ autem Idolothytorum erant vera altaria. Unde Ambrosius exponit mensæ Domini, id est, altaria. Item ex illo Hebr. XIII : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt* (2). Quem locum adversarii intelligunt de altari crucis, quasi dicat Apostolus : habemus Christi passionem, qua frui non possunt, qui adhuc in ejus figura celebranda occupantur. At Patres intelligunt de sacrificio Eucharistiæ. Nam Theophylactus dicit, hic agi de incruento sacrificio ; idem dicunt Chrysostomus, Sedulius, Theodoretus, Œcumenius.

Accedit traditio omnium Patrum ; nullus fere est veterum, qui non meminerit altaris Ecclesiæ. Canon 3. Apostolorum, Dionysius cap. 3. Eccles. hierar. Irenæus lib. IV. cap. 34. Athanasius in vita B. Antonii, et in Apologia pro fuga sua, Tertullianus lib. de pœnitentia, Optatus lib. VI. contra Parmenianum, Hieronymus in epitaphio Neapolitani, Augustinus epist. 50. et alii omnes sæpe altaris mentionem faciunt, ubi de Ecclesiis loquuntur.

Tertio, probatur testimoniis Patrum, qui nomine templi utuntur. Nam in primis Græci passim utuntur hoc nomine, ut Eusebius lib. III. de vita Constantini, Basilius in Psalm. CXIV ; Nazianzenus oratione in Gorgoniam sororem ; Nyssenus oratione in Theodorum ; Chrysostomus homil. 51. in Matth. et alii ; nec Latini ab hac voce omnino abhorrent ; nam Lactantius in carmine de passione Domini, ait :

Quisquis ades, medique subis in limina templi,
Siste parum etc.

Et Salvianus lib. IV. de providentia : « Ecclesia, inquit, vel potius templum. »

B. Ambrosius lib. II. de officiis, cap. 21 : « Et maxime, inquit, sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini respiendeat. » Et cap. 28. » Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis, spatia laxata sunt. »

Hieronymus in cap. VII. Hierem. Ecclesiam vocat templum ; et B. Augustinus lib. VIII. civit. Dei, cap. ult. cum dicit : « Nec nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus ; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. » Aperte indicat, Deo ista omnia constitui. Unde infra addit : « Non autem ista esse sacrificia Martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum. »

Ex his ad primam objectionem respondeo, in c. XI. Apocal. agi de Ecclesia triumphante. Ubi non erit templum, quia tunc cessabunt oblationes et preces, et Sacramenta, propter quæ templa eriguntur ; ita enim

(1) I. Cor. X, 21. — (2) Hebr. XIII, 10.

exponunt omnes probati auctores, Primasius, Beda, Œcumenius, Richardus, Rupertus, Anselmus, necnon Augustinus lib. XX. civit. Dei, cap. 17. Ubi dicit impudentiæ nimiæ sibi videri, si quis istum locum Apocalypsis exponere velit de præsenti Ecclesia.

Ex quo intelligimus non esse Augustini expositionem Apocalypsis, quæ habetur tom. IX. operum ejus ubi de Ecclesia hujus temporis eum locum intelligere videtur. Et ipse contextus hoc declarat ; nam in cap. 20. describitur judicium, et damnatio impiorum, et concluditur caput illis verbis : « Judicatum est de singulis secundum opera ipsorum, et infernus, et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda ; et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. » Deinde sequitur cap. 21. de gloria beatorum : « Et vidi, inquit, cœlum novum, et terram novam etc. » Præterea paulo post illa verba : (Et templum non vidi in ea) subjungitur, « non intrabit in eam aliquid coinquinatum. » Quod certe non potest intelligi de Ecclesia hujus temporis, in quam multi intrant, immundi, et coinquinati. Ut patet ex parabola de *sagena missa in mare, et ex omni genere piscium congregante*, Matth. XIII, 47.

Respondent, Scripturam loqui de Ecclesia interna, et prædestinata, quæ solum admittit justos. At contra, nam secundum ipsorum principia, quantumvis aliquis sit prædestinatus et fidelis, semper tamen est immundus, et in omni opere peccat. Peccatum enim non tollitur in hoc mundo per Baptismum, ut ipsi dicunt, aut fidem, sed solum non imputatur. Nec possunt dicere hic vocari incoinquinatos eos, quibus Deus non imputat peccata ; nam Joannes addit, aut abominationem faciens, et mendacium. Quæro igitur, aut Lutherani fideles, et prædestinati abominationem faciunt, et mendacium, aut non faciunt ; si faciunt, ergo non sunt in Ecclesia ; si non faciunt, ergo non peccant in omni opere suo. Fateantur ergo necesse est, Joannem loqui de Ecclesia cœlesti, in qua nulli erunt, qui abominationem, et mendacium faciunt.

Ad probationem ex Isaia Hieronymus in eum locum tres indicat expositiones ; unam Judæorum, et Hæreticorum Chiliastarum, qui omnia verba Isaiæ in illo c. LX. referebant ad felicitatem mille annorum, quam se habituros putant cum Christo hic in terris post resurrectionem ; alteram Catholicorum, qui omnia intelligebant de Ecclesia triumphante ; tertiam aliorum Catholicorum, qui omnia intelligebant spiritualiter de Ecclesia hujus temporis.

Lyranus duas alias adfert ; unam quorumdam, qui ea omnia intelligunt de felicitate Judæorum post reditum ex Babylone ; alteram suam, quod intelliguntur omnia de Ecclesia, sed non omnia de eodem statu Ecclesiæ ; sed prima pars capitis intelligitur de Ecclesia secundum statum hujus vitæ ; secunda de Ecclesia secundum statum vitæ futuræ.

Prima expositio hæretica est, et fabulosa, et millies a Patribus explosa. Secunda probabilis est, et secundum eam nulla est in argumento nostro difficultas. Quarta falsissima est, et recte a Lyrano refellitur. Quinta probabilis est, et secundum eam argumentum non habet difficultatem. Tertia est maxime probabilis, et eam sequuntur Hieronymus ipse, et post eum Cyrillus in hunc locum ; et secundum eam ad argumentum respondemus, ea quæ ad litteram intelliguntur de Ecclesia militante, a Joanne in Apocalypsi per anagogem intelligi de Ecclesia triumphante ; id enim Apostoli sæpissime fecerunt ; ut illud : *Ex Ægypto vocavi filium meum*, Osee. XI. quod ad litteram de filiis Israel intelligitur, Matthæus c. II. in sensu allegorico de Christo intellexit ; et quod de Agno Paschali ad litteram dixerat Moyses, Exod. XII : *Os non confringetis ex eo* (1) ; allegorice intellexit Joannes de Christo, Joan. XIX. neque hoc repugnat Hieronymo ; ipse enim ad finem cap. 60. dicit, gloriam Ecclesiæ, quæ describitur illo capite, impleri quidem in hoc sæculo aliquando, sed plenius implendam in futuro.

Ad confirmationem primam dico, Deum voluisse, ut templum Salomonis everteretur, ut intelligeremus, statum veteris Testamenti jam cessasse, non quod ei templorum ædificatio displiceret.

Ad testimonia Patrum dico, primos Christianos, propter recentem memoriam sacerdotii Aaronici, abstinuisse non solum a vocabulo templi, sed etiam sacerdotii, ne viderentur adhuc durare Judaicæ cæremoniæ, Itaque Apostoli in suis epistolis pro sacerdotibus Episcopos, et Presbyteros, pro templis

(1) Osee. XI, 1 ; Exod. XII, 46.

Ecclesias dicunt : et similiter loquantur Justinus, Ignatius, et cæteri antiquissimi Patres.

Deinde tempore Tertulliani jam satis perspecta differentia inter Christianos et Judæos, cœperunt Christiani Presbyteros et Episcopos nominare sacerdotes, ut patet ex Tertulliano libro de velandis virginibus ; libro de monogamia, et alibi ; et ex Cypriano in omnibus fere epistolis ; et ex sequentibus omnibus Patribus. Adhuc tamen abstinebant a vocabulo templi ; quia mundus plenus erat templis idolorum, et usus loquendi obtinuerat, ut nomine templi intelligeretur locus consecratus ad sacrificia cruenta. Et in hoc sensu Octavius apud Minutium Felicem, Optatus, et Hieronymus negant Christianos habere templa.

Dices ; At Octavius objectioni Cecilii, quod Christiani non haberent templa, aras, sacrificia, respondit, ideo Christianos non erigere templa, quod sciant Deum non posse capi ullo loco ; et ideo non sacrificare, quod sciant Deum nulla re indigere ; et seipsos loco templorum constituere, et sacrificare justitiam, pietatem, aliasque virtutes : ubi videtur simpliciter admittere Christianos nulla tunc habuisse templa, vel altaria, vel sacrificia.

Respondeo, Octavium noluisse Sanctum dare canibus ; et quia non videbat Cecilium capacem mysterii Eucharistiæ, quod est unicum Christianorum sacrificium, maluisse hoc tacere, et ad mentem adversarii respondere, qui de sacrificiis cruentis loquebatur. Nam quod ante Minutii tempora Christiani altaria, et sacrificia, et proinde etiam templa habuerint, patet ex Irenæo et Tertulliano jam citatis ; uterque enim Minutio antiquior est.

Tertia propositio : « Ecclesiæ Christianorum recte ad orandum, etiam privata oratione, instituuntur. » Probatur primo, Scripturæ testimoniis ; nam III. Reg. VIII. et II. Paralip. VI. Salomon affirmat templum factum esse, ut sit locus orationis, et petii a Deo, ut quicumque ibi oraverit, exaudiatur, III. Reg. IX. Deus apparens Salomoni pollicetur ita futurum, ut ille petierat. At si esset superstitio orare in templo potius, quam alibi, neque Salomon ad hunc finem instituisset templum, neque Deus approbasset factum ejus ; superstitio enim numquam fuit licita. Præterea Isaiæ LVI. dicitur, domus mea domus orationis vocabitur ; et confirmat hoc ipsum Dominus, Matthæi XXI. Neque obstat verbum Domini : *Intra in cubiculum tuum ; vel, venit, hora, quando nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis etc.* Nam post illa omnia Dominus dixit de templo Salomonis : *Domus mea, domus orationis vocabitur.*

Secundo, probatur exemplis Scripturarum. I. Regum I. Anna precatura Dominum ad tabernaculum accedit, ubi erat arca, ibique orans exaudita est. II Reg. VII. David similiter precaturus perrexit ad tabernaculum, et coram arca Domini orare cœpit. At certe nisi putasset, ibi Dominum magis esse præsentem, et facilius orationem exaudiri, domi suæ mansisset. Idem etiam David, ut habetur I. Paralip. c. XXI. voluit ire ad tabernaculum Domini in Gabaon, ut oraret pro avertenda peste a populo, sed non prævaluit nimio timore perterritus, ideo in ipsa Hierusalem exstruxit altare. Daniel oraturus, quia non poterat ingredi templum, in Babylone existens captivus, saltem aperta fenestra orabat ad eam partem conversus, ubi fuerat templum Domini, Danielis VI. Luc. II : Anna filia Phanuelis, *non discedebat de templo, jejuniis, et obsecrationibus serviens nocte, ac die* (1). Lucæ XVIII : Publicanus in templo orans justificatur. Actor. III : Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Actor. VIII : Eunuchus Reginæ Æthiopum venerat adorare in Hierusalem.

Tertio, probatur ex Patribus. Origenes homil. 2. in Exodum, Ecclesias Christianas domos orationis vocat. Tertullianus in Apologet. cap. 39. dicit, in Ecclesiam convenire, primo ad orationem. Secundo ad lectionem. Tertio ad exhortationem etc. Eusebius lib. II. hist. cap. 17. ex Philone dicit, in singulis locis primorum Christianorum fuisse sacras ædes consecratas orationi.

Chrysostomus homil. 30. contra Anomæos : « Orare, inquiunt, vel domi possumus. Te, homo, decipis, et magno in errore versaris ; nam et si domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quam in Ecclesia. » Idem repetit homil. 79. ad populum.

Basilius lib. II. de Baptismo, quæst. 8. dicit, locum non parum referre ad orandum, et solvit duo argumenta, ab adversariis nobis objecta ex Joan. IV. et I. Tim. II. et in quæstionibus fuse explicatis quæst. 40. dicit, ad Ecclesias non oportere accedere propter negotia sæcularia, sed causa orationis.

(1) Luc. II. 37.

Ambrosius in oratione de tradendis basilicis dicit, se quotidie solitum ire ad Martyres, id est, ad basilicas Martyrum orationis gratia. Hieronymus in Epitaphio Marcellæ : « Apostolorum, inquit, et Martyrum basilicas secretis celebrabat orationibus. » Ruffinus lib. II. hist. c. XXXIII. de Theodosio scribit : « Circuibat omnia orationum loca. » Augustinus lib. XXII. de civit. Dei, cap. 8. meminit multorum, qui in basilicis orantes miracula impetrarunt. Et ibidem dicit, se cum aliis collegis suis quamdam orationis domum dedicasse.

Quarto, probatur ex nomine ; nam Ecclesiæ a Græcis sæpe vocantur ἐυκτήρια, et a Latinis oratoria. Unde Augustinus epist. 109. in oratorio nemo aliud agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit.

Quinto, probatur rationibus. Prima ratio, Deus est in templo magis, quam alibi ; nam alioqui non diceret Paulus I. Cor. III : *Nescitis quia estis templum Dei, et spiritus Dei habitat in vobis?* Et I. Corinth. VI. non diceretur : *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis in vobis ; glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Et II. Corint. VI : *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo* (1). Apostolus enim accipit similitudinem a veris templis ; quia enim templum est domus Dei, in qua ipse peculiari modo inhabitat ; ideo ipse, ut ostenderet in nobis esse Deum peculiari modo, corpora nostra templum Dei appellavit. Unde Augustinus lib. II. ad Simplicianum quæst. 4. dicit, Davidem orasse ante arcam, quia ibi sacratior, et commendatior præsentia Domini erat. Cum igitur in templis sacratior, et commendatior sit præsentia Domini, ibi certe magis orare expediet, quam alibi.

Secunda ratio, Deus in templo citius exaudit, ut patet ex promissione Dei, III. Reg. IX. quod enim Deus promisit templo Salomonis, sine dubio promisit etiam templis Christianorum ; nam quod petiit Salomon cum templum dedicavit, idem petit Ecclesia cum nova templa dedicat, nimirum, ut aures Dei in eo loco sint apertæ. Non est autem credibile Deum exaudisse preces Salomonis, et non exaudire etiam preces Ecclesiæ suæ. Imo hic est modus, quo Deus est in templo peculiariter, nimirum, quia ibi est per exauditionem.

Tertia ratio, quia oratio est res nobilissima, et proinde ei debetur locus nobilissimus, qualis est locus sacer. Ita Basilius lib. II. de Baptismo, quæst. 8.

Quarta, quia in Ecclesia sunt omnia accommodata ad excitandam devotionem, quæ orationi maxime necessaria est. Nam altaria, cruces, imagines, reliquiæ, ipsi etiam parietes Deo dicati movent ad pietatem ; quæ certe alibi non inveniuntur.

Quinta ratio, quia in templis ordinarie præter Dei præsentiam, quæ est ubique, est etiam præsentia mediatoris Christi corporaliter in Eucharistia ; quæ certe auget spem, et fiduciam orantis ; et præterea non potest non incutere menti religiosæ horrorem, et reverentiam ; nam, ut Joannes Chrysostomus dicit, homil. 36. in I. ad Corint. ubi est Christus in Eucharistia, ibi etiam non deest Angelorum frequentia ; ubi autem est talis Rex, et tales Principes, ibi est cœleste palatium, imo cœlum ipsum.

Hinc ad argumenta contraria facile responderi poterit. Ad illud igitur, quod objiciebatur ex Evangelio, respondeo, illa verba : *Intra in cubiculum tuum*, non posse intelligi simpliciter de cubiculo materiali ; nam alioqui Apostolus Domino contradiceret, qui ait : *Volo viros orare in omni loco.* Et nonne ipse Dominus legitur orasse frequenter in montibus? In cubiculo autem non legitur. Et Chrysostom. homil. 79. ad popul. dicit, ubique orari posse, etiam in foro : et adfert exempla quorumdam, qui magistratu clamante, et furente pro foribus ejus loci signo crucis muniti, et brevi oratione solo corde ad Deum missa, mox immutaverunt cor magistratus, et propitium habuerunt, quem iratum habituri erant. Dominus ergo Matth. VI. jubet, ut in oratione non quæramus inanem gloriam, quemadmodum Pharisæi faciebant, qui orabant in angulis platearum, ut viderentur ab hominibus, sed quæramus Deo placere, et ab illo videri. Quando ergo sic oramus, ut non quæramus humanas laudes, semper in cubiculo oramus, sive alioqui simus in Ecclesia

(1) I. Cor. III, 16 ; VI, 19 et 20 ; II. Cor. VI, 16.

sia, sive in montibus, sive etiam in ipso foro. Quando autem intramus cubiculum ad orandum, et cupimus videri, tunc sane extra cubiculum orare dicimur, ut pulchre annotat Joannes Chrysostomus in hunc locum.

Porro Ambrosius lib. I. de Cain, cap. IX. Hieronymus in cap. VI. Matth. et Augustinus lib. II. cap. 6. de serm. Domini in monte, intelligunt per cubiculum secretum cordis, ac volunt prohibitas evagationes mentis tempore orationis. Quod verum est. Sed prima expositio est magis litteralis.

Ad secundum dico, Dominum eo loco non loqui de adoratione ratione loci, sed ratione modi. Non enim vult dicere, tempore novæ Legis neminem adoraturum in Hierusalem, vel in montem Garizim, id enim falsum esset; nam Actor. III. Petrus et Joannes etiam post acceptum Spiritum sanctum ascendebant in templum ut orarent, et ab eo tempore usque nunc qui peregrinantur ad loca sancta Palæstinæ, adorant Deum in Hierusalem, et in monte Garizim, et in aliis omnibus ejus terræ locis.

Sensus igitur verborum Domini est, tempore novæ Legis non adorandum amplius Deum in monte Garizim, id est, non adorandum ritu Samaritanorum, quo utebantur in eo monte adorantes; neque adorandum in Hierusalem, id est, non adorandum ritu Judaico, quo utebantur in templo illo adorantes, sed novo ritu, qui erit in spiritu et veritate, id est, qui non consistet præcipue in externis, corporalibus et umbraticis cæremoniis, sed in interna et spirituali cognitione, et dilectione Dei; in corde contrito et humiliato. Quæ tamen adoratio non excludit externum cultum, si ad internum juvandum, vel exprimendum ordinetur. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, et alii exponunt in commentar. hujus loci; qui illud, *in spiritu*, opponunt cæremoniis Judæorum, quatenus corporales erant; illud, « in veritate, » opponunt iisdem cæremoniis, quatenus umbræ, et figuræ erant.

Non male tamen Theophylactus, B. Thomas, et Cajetanus in hunc locum Joannis, illud, *In spiritu*, opponunt cæremoniis Judæorum corporalibus; illud, *In veritate*, opponunt errori Samaritanorum, qui adorabant quod nesciebant. Itaque solutio in hoc constitit, quod Dominus velit præcipuum cultum Christianorum esse spiritualem, et purum ab omni errore : cum præcipuus cultus Judæorum fuerit externus : cultus autem Samaritanorum fuerit non solum externus, sed etiam impurus, quia simul Deum Israel, et Deos gentium adorabant.

Sed dices, non videtur verum, præcipuum cultum Judæorum fuisse externum. Nam Isai. XXIX. *arguit* Dominus Judæos, quod labiis orarent, et honorarent Deum, cor autem eorum longe esset ab ipso. Et David Psal. L. sacrificium Deo offert cordis contriti et humiliati.

Respondeo : cultum internum, etiamsi is a Judæis requirebatur, et in quibusdam inveniebatur, esse proprium novi Testamenti, quia internus cultus a spiritu fidei, et charitatis procedit, quæ est gratia novi Testamenti, et ex lege veteri nullo modo haberi potest. Sicut enim dicimus, timorem esse legis, amorem Evangelii. et tamen amorem ex toto corde a Judæis Deus requirebat, et S. Patriarchæ et Prophetæ Deum ex toto corde dilexerunt, et hac ratione ad novum Testamentum pertinebant. Non enim a litera legis, sed a spiritu gratiæ id habebant; ita dicimus cultum externum esse proprium legis, quamvis non placeat sine interno; cultum internum esse proprium Evangelii, quamvis sine externo esse non posssit; et si aliqui in lege veteri cultu interno Deum coluerunt, ut Deus petebat, id non a lege, sed a gratia novi Testamenti ad quam etiam ipsi pertinebant, habuerant.

Ad Tertium locum facilis responsio est; cum enim Apostolus ait : *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, et disceptatione* (1), vel agit de publica, vel de privata oratione : si de privata, ut Ambrosius, Anselmus, Haymo, Thomas, et alii Latini exponunt, tunc sensus est secundum eosdem, non solum in Ecclesia, quamvis ea sit præcipua domus orationis, sed etiam in aliis omnibus locis licitum esse orare Deum, modo turpitudo loci non videatur impedire. Si autem de publica oratione agitur, tunc testimonium hoc pro nobis facit; illud enim, « in omni loco, » significat, in omni loco, ubi ad orandum publice convenitur, id est, in omni Ecclesia.

Quod autem hæc sit vera expositio, patet Primo ex eo, quod secundum omnes Græcos, et multos Latinos Apostolus ponit illud,

(1) 1. Tim. II, 8.

in omni loco, propter Judæos, qui solum in uno loco, id est, in templo Salomonis orandum censebant. At privatas orationes etiam Judæi ubique faciebant, ut patet ex illo Matth. VI : *Amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare* (1) : igitur de publica oratione, et de sacrificio agitur, quæ solum in templo Salomonis Judæi fieri debere existimabant.

Secundo patet ex eo, quod statim subditur : *Similiter mulieres in habitu ornato, etc.* quæ non possunt intelligi, nisi de oratione, quæ fit in Ecclesia. Cur enim necesse est mulierem convenienti habitu vestiri, cum ad orandum proficiscitur, nisi propter alios, cum quibus orat ?

Tertio patet, quia cum dicitur : *Volo ergo viros, etc.* illud *ergo*, conjungit hanc sententiam cum initio capitis, ubi dictum est : *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, etc.* (2). Quæ verba B. Augustinus in epist. 59. ad Paulinum, et omnes Græci intelligunt esse dicta de publica oratione, quæ fit in Missarum celebratione. Adde, quod Basilius lib II. de Baptismo quæst. 8. utrumque locum sic exponit, ut velit Christum, et Apostolum docere voluisse, deinceps non fore locum orationis solum in Hierusalem, sed in toto orbe erigenda templa, et oratoria.

Ad Quartum concedo, Deum esse ubique aliquo modo, sed non omnibus modis; nam certe si Deus esset ubique eo modo, quo est in cœlis coram beatis, frustra diceremus : *Pater noster, qui es in cœlis.* Ac ut verba ipsa Calvini refellamus, sciendum est, Calvinum lib. III. Instit. cap. 20. § 30, sic loqui : « Cavendum est, ne putetur templum propria esse Dei habitatio, ut ibi aures suas propius nobis admoveat, quemadmodum aliquot sæculis ante putatum est. » Jam vel Calvinus vult Deum non ita proprie habitare in templo, ut ibi concludatur : vel existimat nullo modo posse dici, Deum magis in templo habitare, quam alibi ; si primum, recte dicit, sed mentitur, cum ait : « Aliquot sæculis aliter putatum fuisse; » numquam enim Catholici tam stupidi fuerunt : si secundum, loquitur omnino contra Scripturas; nam si Deus esset ubique eo modo, quo est in templis, frustra templum diceretur domus Dei, Isaiæ LVI. et alibi passim. Frustra Paulus diceret, nos esse templa Dei, quia Deus in nobis habitat : et si Deus non loquitur, et audit magis in uno loco, quam in alio, cur, quæso, in Testamento veteri ordinarie responsa dabat solum ex propitiatorio, quod erat super arcam?

Quarta propositio : « Sacræ domus non solum Deo, sed etiam Sanctis recte ædificantur, et dedicantur. » Probatur conclusio ista quarta ex Conciliis, et veterum testimoniis. Concilium Gangrense in epist. ad Episcopos Armeniæ, damnat Eustathium tamquam contemptorem basilicarum sanctorum Martyrum, et canon. 20. nominat Martyrum basilicas. Concilium Cabilonense can. ult. Martyrum basilicas appellat. Concilium Carthaginiense V. can. 14. vetat, ne ædes ulli Martyri ædificentur, nisi ibi sit aut corpus, aut aliquæ ejus reliquiæ ; aut ibi Martyr habitaverit; aut certe in eo loco passus sit : aliquid enim horum requiritur, ut memoria Martyris dici possit locus aliquis.

Præterea Patres idem docent, ac primum Græci. Cyrillus catechesi 16. meminit Ecclesiæ Apostolorum erectæ in Hierosolymis in loco, ubi Spiritus sanctus descenderat. Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, nominat templum S. Quirini. Basilius in Psalm. CXIV, in ipso principio vocat sacrum Martyrum templum. Nazianzenus orat. I, in Julianum scribit Gallum, et Julianum ædem sacram Mamæ Martyri ingentibus sumptibus erigere cœpisse, et laudat Gallum, quia ex amore sincero id faciebat. Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum multa dicit de templo ipsi Martyri dicato. Chrysostomus hom. XXVIII ad populum : « Ad veras, inquit, regias Ecclesias dico, et oratorias ædes, et Martyrum templa, etc. » Et hom. 66. dicit, Constantinum post mortem sanctum janitorem piscatoris, quia sepultus erat pro foribus basilicæ S. Petri apud Constantinopolim. Theodoretus lib. VIII ad Græcos, templa olim idolorum, nunc Martyrum esse dicit. Eusebius lib. IV de vita Constantini cap. 58. 59 et 60. dicit templum pulcherrimum Constantinopoli Apostolis a Constantino erectum. Sozomenus lib. VI, cap. 18. meminit templi S. Thomæ, quod erat Edessæ. Socrates lib. I. cap. ult. meminit Ecclesiæ Apostolorum. Evagrius lib. II, cap. 3. meminit templi S. Euphemiæ, et lib. III. cap. 8. templi S. Theclæ amplissime a Zenone exstructi. Ni-

(1) Matth. VI, 5. — (2) 1. Tim. II, 9, 8 et 1.

cephorus lib. XIII, cap. 37. meminit templi S. Basilisci. Damascenus lib. IV, cap. 16. asserit templa in Martyrum memoriam ædificanda. Denique exstat liber Procopii de ædificiis Justiniani, ubi plurima templa Martyrum, aliorumque Sanctorum enumerat.

Ex Latinis Ambrosius lib. I. epist 5. ad Felicem Episcopum Comensem : « Ortus, inquit, est sermo de basilica, quam condidit Apostolorum nomine dedicanda. » Hieronymus lib. contra Vigilantium : « Ingredere, inquit, basilicas Martyrum, et aliquando purgaberis. » Ibidem, et in epistola præcedente, et alibi passim meminit basilicarum Apostolorum et Martyrum.

Gaudentius Ambrosii æqualis, tractatu de dedicatione Ecclesiæ : « Ut venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit; deinde ut hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est, etc. »

Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 4, meminit basilicæ S. Felicis : « In beatissimi, inquit, Felicis basilica poneretur, etc. » Et lib. I. Civit. Dei cap. 4 : « Testantur hoc, inquit, Martyrum loca, et basilicæ Apostolorum, etc. » Et lib. XX. contra Faustum cap. 21 : « Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat. » Et lib. VIII. Civit. Dei cap. 26. « Sed hoc videtur dolere, quod memoriæ Martyrum nostrorum, templis eorum, delubrisque succederent. » Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 73, Martyrum basilicas devote adeundas dicit. Paulinus natali I. S. Felicis dicit, se optare, ut possit servire S. Felici in ejus basilica purganda, et custodienda.

> Et foribus servire tuis, tua limina mane
> Mundities curare fines, et nocte vicissim
> Excubiis servare pias, et munere in isto
> Claudere promeritam defesso corpore vitam.

Victor Uticensis lib. I. persecutionis Wandalicæ scribit, apud Carthaginenses duas amplas basilicas S. Cypriani fuisse. Gregorius lib. II. Dialogor. cap. 8. scribit, a S. Benedicto in monte Cassino duo fana Apollinis versa in oratoria Sanctorum, unum Martini, alterum Joannis. Liber Pontificalis testatur Sylvestrum dedicasse basilicas a Constantino extructas, unam Petro, alterum Paulo, tertiam Joanni, quartam Laurentio, et alias : Liberium B. Mariæ; Damasum aliam S. Laurentio; Innocentium S. Gervasio et Protasi; Sixtum B. Mariæ et S. Laurentio; Leonem S. Cornelio; Gelasium S. Euphemiæ; Symmachum S. Andreæ; Joannem I, S. Philippo et Jacobo; Pelagium II, S. Laurentio; Gregorium S. Agathæ; Bonifacium IV, B. Mariæ, et omnibus sanctis. Qui omnes Pontifices, excepto Gregorio et Bonifacio, ante mille annos floruerunt.

Secundo probatur ratione a simili, ex divinis litteris. Templum Salomonis non solum fuit erectum ad sacrificia, et orationes, sed etiam ad conservandam arcam Domini, ut patet ex lib. I. Paralip. cap. XVII. ubi David volens ædificare templum, dicit ad Nathan : *Vides, quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei sub pellibus.* Item lib. I. Paralip. cap. XXVIII. David dicit : *Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum Dei nostri* (1) Idem patet ex lib. II. Paralip. cap. V. ubi templo exstructo introduxerunt arcam in illud cum magna celebritate, et ex Ps. CXXXI. ubi dicitur David vovisse votum Deo de ædificanda domo arcæ Dei. Ubi etiam legimus, ingredere Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.

Sed idem honor, vel etiam major debetur sacris reliquiis Christi, et Sanctorum, quam arcæ illi Mosaicæ : Nam de sepulchro Domini Hieronymus ait epist. 17. ad Marcellam : « Venerabantur quondam Judæi sancta Sanctorum, quia ibi erat arca. Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini? » Ergo sicut super arcam exstrui potuit ædes, ita etiam super Christi sepulchrum : quod si super Christi sepulchrum, certe etiam super sepulchra Sanctorum : Nam eadem est ratio omnium, solum enim differunt secundum magis et minus. Præterea, quod reliquiæ Sanctorum sint venerabiles eo modo, quo arca Domini, probatur : Nam arca quatenus lignea erat, nullum honorem merebatur, sed ideo venerabatur, quia representabat sedem Dei, et quia per eam Deus loquebatur; At corpora Sanctorum fuerunt vivæ sedes Dei, et viva organa, per quæ Deus locutus est; Nam I. Corinth. VI. dicitur : *Membra nostra templum sunt Spiritus sancti.* Et II. Corinth. XIII. dicitur : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (1) Ergo licebit etiam exstruere sacras ædes ad Sanctorum sepulchra ornanda, et conservanda; et hoc est, Sanctis dedicare basilicas.

(1) I. Paralip. XVII, 1; XVIII, 2.

Dices ; Ergo saltem Angelis, et B. Virgini, et Sanctis, quorum non habemus reliquias, non licebit exstruere basilicas.

Respondeo, nomine reliquiarum non solum intelligi ossa, et vestes, sed etiam loca, ubi Sancti passi sunt, vel ubi habitaverunt, aut aliquid præclari gesserunt. Et hoc modo exstructæ fuerunt Cypriano duæ basilicæ, teste Victore lib. I. una, ubi passus erat; altera, ubi jacebat corpus ejus. Similiter hoc modo exstructæ sunt multæ Ecclesiæ B. Mariæ, vel Angelis in locis, ubi apparuerunt, vel miracula aliqua ostenderunt. Addo etiam, posse erigi basilicas ad Sanctorum memoriam conservandam per imaginem, per ipsum solum nomen. Nimirum potest erigi basilica S. Petro, ut qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipso templi nomine, recordentur S. Petri, eumque in eo loco tamquam patronum colant, et deprecentur. Neque hoc est contra Concilium Carthaginiense V, canone 14. quod statuit, ut nulla memoria acceptetur, nisi ibi sint reliquiæ ejusdem Sancti, vel constet ibi eum esse passum, aut habitasse; Nam Concilium non vult prohibere simpliciter, ne exstruatur basilica sine reliquiis ejusdem Sancti, cui basilica dicatur; sed vult, ut non habeatur pro tali memoria Martyris, in qua credantur esse ejus reliquiæ, nisi fidelissima historia constet, rem ita se habere.

Jam ad argumentum in oppositum duæ solutiones sunt. Prima, quorumdam recentiorum, qui quia non distinguunt inter templum, et basilicam, existimant sacras ædes non posse proprie erigi, nisi Deo, quemadmodum sacrificia non offerentur, nisi Deo. Quia tamen plurima sunt templa, quæ dicantur Deo, ut possint inter se aliquo modo distingui, dicunt denominari a Sanctis, non quod eis erigantur, sed quod in illis templis precipue colantur eorum memoriæ, et ipsi in illis locis patroni invocentur.

Quando igitur legunt in veteribus, vel audiunt in communi sermone vocari templum, vel basilicam S. Petri, vel Pauli, vel aliorum; dicunt debere exponi hoc modo : hæc basilica, vel templum est S. Petri, id est, est templum dicatum Deo in memoriam et nomen S. Petri; vel dicatum est Deo, ut ibi oretur Deus per intercessionem S. Petri : quemadmodum Missa quædam dicitur S. Petri, non quod ipsum sacrificium offeratur Petro, sed quod offeratur Deo in gratiarum actionem pro gloria S. Petro collata, et simul interpelletur Petrus tamquam patronus, et advocatus apud Deum. Quæ sane pia est expositio, et conformis ritui Ecclesiæ, qui servatur in consecratione templorum; Nam aliquoties Pontifex in ea ceremonia dum preces fundit, dicit, se consecrare templum in honorem Dei, et nomen talis, vel talis Sancti.

Altera solutio admittit sacras domos ipsis Sanctis vere et proprie ædificari, non tamen sub ratione templi, sed basilicæ, vel memoriæ. Est enim observandum secundum veterum Patrum doctrinam, templum et basilicam non esse synonima, et licet de eadem domo sæpe dicantur, tamen dici sub diversissimis rationibus. Nam sacra ædes proprie templum dicitur, quatenus erigitur ad sacrificia; eadem sacra ædes dicitur basilica, quatenus erigitur ad ornatum sepulcri alicujus Sancti, et commoditatem visitantium ejusmodi reliquias. Basilica enim non dicit relationem ad sacrificia : Nam etiam Regum palatia dicuntur basilicæ, ut patet Esther V. imo ea palatia proprie dicuntur basilicæ, et inde nomen translatum est ad Martyrum ædes significandas. Quod etiam videmus in altaribus; Nam unus, et idem lapis dicitur altare, quatenus in eo sacrificatur Deo; et idem dicitur tumulus, vel sepulcrum quatenus tegit ossa Martyris alicujus. Omnia enim altaria sunt sepulcra Sanctorum : et sicut lapis ille vere dicatur sancto non sub ratione altaris, sed sub ratione sepulcri : ita domus aliqua vere dicatur sancto non sub ratione templi, sed sub ratione basilicæ. Et quemadmodum idololatria esset erigere Sanctis altaria, et tamen non est idololatria erigere illis lapideos tumulos : ita idololatria esset erigere Sanctis templa sub ratione templi; non tamen idololatria est erigere illis Basilicas. Sicut etiam non est idololatria donare Sanctis thecas aureas, vel argenteas quibus includantur reliquiæ eorum. Nihil enim aliud sunt basilicæ, quam magnæ quædam thecæ, quibus minores thecæ, et ipsa sepulcra clauduntur.

(1) I. Cor. VI, 19; II. Cor. XIII, 3.

Ex quibus sequitur, aliter dici Missam S. Petri, aliter basilicam S. Petri; nam Missa non offertur ullo modo S. Petro, nec primario, nec secundario: at basilica vere ædificatur S. Petro, si non primario, et saltem secundario.

Esse autem hoc discrimen inter templum, et basilicam, probari potest ex Patribus. Augustinus enim clarissime testatur, templi erectionem esse cultum latriæ soli Deo debitum lib. I. contra Maximinum, et lib. contra serm. Arianorum: et idem Augustinus conjungit templum cum altari et sacrificio lib. VIII. de Civitate Dei cap. ult. docens cui convenit unum eorum, et alia convenire, et contra; tamen in iisdem locis Augustinus fatetur, memorias recte Martyribus ædificari, et precipue locus notandus est lib. XXII. de Civit. Dei cap. 10. ubi sic fit: « Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. » Idem Augustinus nusquam dicit templa Martyrum: et tamen passim dicit basilicas Martyrum, quod etiam in aliis Latinis Patribus observare licet.

Porro Græci dicunt quidem templa Martyribus fabricari, vel dedicari, ut patet ex Basilio in Ps. CXIV. ubi vocat, ἱερὸν τοῦ μαρτύρου, et similiter loquuntur Nyssenus, et alii; tamen certum est eos intelligere materialiter, id est, domum illam, quæ dicitur templum, fabricari Martyribus, non tamen sub ratione templi ad sacrificia, sed basilicæ, ad ornandam memoriam ipsorum Sanctorum.

Quod autem ipsi etiam intelligant, sacras ædes exstrui Martyribus, et non solum Deo, in eorum memoriam, sicut sacrificium offertur Deo in eorum memoriam, probatur; nam ipsi simpliciter asserunt ædes exstrui Martyribus, et tamen nusquam dicunt sacrificium offerri Martyribus, imo hoc simpliciter negant, ut patet ex Theodoreto lib. VIII. ad Græcos: ergo aliter existimabant ædes, aliter sacrificium ad Martyres pertinere. Neque obstat ritus consecrationis; nam cum dicitur, templum sacrari ad honorem Dei, et nomen Martyris, agitur de consecratione templi, ut templum est.

CAPUT V.

De dedicatione et consecratione Ecclesiarum.

Magdeburgenses Cent. IV. cap. 6. col. 407. et sequentibus, tria in dedicationibus reprehendunt. Primo, quod templa a nobis cum ingenti lætitia, et celebritate dedicentur, quod ortum esse dicunt ex ζηλοτυπίᾳ Judaismi, et esse rursum introducere Judaismum in Ecclesiam.

Secundo, quod utamur tot cæremoniis in consecratione templorum; Nam præter alias, quædam sunt quæ non videntur posse excusari a superstitione et magia. Nam primo pinguntur duodecim cruces, et ante singulas accenduntur singulæ lampades; deinde pulsatur templum, et aperitur. Tum describitur in pavimento super cineres ad hoc sparsos, baculo pastorali alphabetum Græcum ab uno angulo ad alium; et rursus alphabetum Latinum ab alio angulo ad alium, ita ut inde crux fiat. Tum fit mixtura ex aqua, vino, sale, et cineribus, et inde aspergitur templum; ac demum templum et ara Chrismate inunguntur.

Tertio arguunt, quod putemus, templa esse loca sanctiora cæteris: quod etiam reprehendit Calvinus lib. III. Instit. cap. 20. § 30. Nos ergo juxta eorum reprehensiones, tres sententias subjiciemus.

Prima sit: « Merito templa Dei, cum ingenti lætitia et solemnitate dedicantur. » Probatur primo ex testamento veteri, ubi legimus celeberrimam dedicationem tabernaculi et altaris, Num VII. Item ter legimus factam templi dedicationem cum ingenti lætitia et celebritate. Primo a Salomone lib. II. Paralipomen. cap. VII. Secundo ab Esdra, lib. I. Esdræ cap. VI. Tertio a Machabæis, cum post profanationem iterum esset renovatum, et sanctificatum lib. I. Machab. cap. IV. ad quam solemnitatem, quæ annis singulis iterum agebatur, Christum etiam accessisse scribit Joannes cap. X.

Sed hoc argumentum adversarii putant esse potius contra nos, quia videmur Judaizare, cum id facimus quod illi faciebant, quantum ad ejusmodi cæremonias attinet. At revera pro nobis est argumentum, siquidem cæremoniæ propriæ Judæorum, et

quæ cessaverunt, nec servari possunt sine peccato, sunt illæ, quæ institutæ erant ad aliquid significandum futurum in Christo, vel in Ecclesia. Illæ enim si nunc servarentur, falsam haberent significationem, et proinde falsæ fidei protestationes essent. Ut quia agnus Paschalis significabat Christi passionem futuram, si quis nunc agnum eo ritu immolaret, profiteretur Christum nondum esse passum, quod est contra veram fidem. At cæremoniæ, quæ fundantur in ratione naturali, ut flectere genua, tundere pectus, et similes, non sunt propriæ Judæorum, etiamsi ab illis quoque adhiberentur; nec ad legem cæremonialem, sed ad moralem pertinere videntur.

Porro talem esse templorum dedicationem, patet primo, quia non legitur Deus instituisse hanc cæremoniam: sed Salomon, Esdras et Machabæi, natura duce, putaverunt convenire, ut de perfecto templo gratias Deo referrent, et cum publica lætitia auspicarentur usum templi.

Secundo, quia vere natura hoc docet, ut ad finem magnorum operum homines gaudeant, et Deo gratias agant; et similiter quando incipiunt re aliqua nova uti, Deum invocent, et cum lætitia opus aggrediantur. Hoc autem fit in dedicatione templi: Nam exultamus, et Deo gratias agimus, quod templi fabricam completam videamus, et rursum cum lætitia et faustis imprecationibus aggredimur usum ipsius templi.

Tertio, quia natura docet, celebrandos esse dies natales magnorum virorum; id enim etiam Ethnici faciebant: et apud nos celebratur singulis annis creatio Pontificis Maximi. Unde sunt sermones aliquot B. Leonis in anniversario suæ assumptionis. Cur non eodem modo celebrari poterit natalis templi, quæ est res publica, et magna, et toti Ecclesiæ utilissima?

Adde ultimo, quod Deus ipse exemplum dedicationis dedisse videtur, cum expleto opere suo, in signum lætitiæ diem septimum benedixit, et sanctificavit, et nihil operando festum diem egit.

Secundo probatur ex praxi Ecclesiæ et veterum traditione. Eusebius lib. IX. hist. cap. 10: « Festivitates, inquit, a nostris frequentissime gerebantur, cum omni lætitia et exultatione, per urbes, et loca singula Ecclesiarum dedicationibus celebratis. Congregabantur in unum Sacerdotes, nec pigebat etiam longe positos convenire, quia nullum longum videbatur spatium charitati. » Idem lib. IV. de vita Constantini, scribit, Constantinum ad consecrationem et dedicationem ædis, quam Hierosolymis Martyribus exstruxerat anno imperii sui 30. convocasse universam Synodum, quæ Tyri convenerat etc.

Athanasius in Apologia ad Constantium: « Illud, inquit, et a beatæ memoriæ Alexandro, aliisque Patribus actum est, qui populi conventus habuere, et absoluto opere agendis Deo gratiis dedicationem celebraverunt. Hujus ergo dedicationis te, Imperator, auctorem esse oportet. Locus enim ille exædificatus præsentiam tuæ pietatis requirit; hoc enim ei solum deest ad plenum ornatum. Hoc igitur ut adimpleas, ut vota tua Domino, cui hanc domum construxisti, reddas, omnium vota optant et suspirant etc. » Ibidem pro dedicatione Ecclesiæ adfert exemplum Esdræ ex Testamento veteri.

Basilius in Psal. CXIV. initio reddit causam, cur serius venerit ad Ecclesiam dedicandam, ubi populus a media nocte usque ad meridiem exspectaverat: « Si vero, inquit, oportet, etiam nos pro nobis ipsis rationem reddere moræ ac longioris nostræ absentiæ, causam adferimus, quod alteram huic æqualem Dei Ecclesiam non modico intervallo a vobis distantem, ministerio nostro curantes, tempus hoc diei consumpsimus. » Hunc locum, qui forte ambiguus posset videri, fatentur Magdeburgenses Centur. IV. cap. 6. col. 408. de templi dedicatione intelligendum.

Gregorius Nazianzen. orat. in novam Dominicam sic incipit: « De encæniis honorandis lex vetus est, eaque præclare constituta. » Chrysostomus quoque sermonem habuit in encæniis, tom. III. Sozomenus lib. IV. c. 13. scribit, Basilium Ancyranum ad templi dedicationem plurimos Episcopos invitasse.

Ambrosius lib. I. epist. 5. ad Felicem, dicit, se et ipsum Felicem ad Basilicæ dedicationem a Bassiano invitatum. Et in epist. ad Sororem, quæ habetur inter sermones, num. 92: « Cum, inquit, Basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romana Basilica dedices. Respondi, faciam, si Martyrum reliquias invenero etc. »

Gaudentius tractatu de dedicatione, dicit, convenisse multos Episcopos ad celebritatem dedicationis Ecclesiæ, quæ Brixiæ erecta fuerat in honorem reliquiarum Joannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, Lucæ, Gervasii,

Ex quibus sequitur, aliter dici Missam S. Petri, aliter basilicam S. Petri; nam Missa non offertur ullo modo S. Petro, nec primario, nec secundario: at basilica vere ædificatur S. Petro, si non primario, et saltem secundario.

Esse autem hoc discrimen inter templum, et basilicam, probari potest ex Patribus. Augustinus enim clarissime testatur, templi erectionem esse cultum latriæ soli Deo debitum lib. I. contra Maximinum, et lib. contra serm. Arianorum: et idem Augustinus conjungit templum cum altari et sacrificio lib. VIII. de Civitate Dei cap. ult. docens cui convenit unum eorum, et alia convenire, et contra; tamen in iisdem locis Augustinus fatetur, memorias recte Martyribus ædificari, et precipue locus notandus est lib. XXII. de Civit. Dei cap. 10. ubi sic fit: « Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. » Idem Augustinus nusquam dicit templa Martyrum: et tamen passim dicit basilicas Martyrum, quod etiam in aliis Latinis Patribus observare licet.

Porro Græci dicunt quidem templa Martyribus fabricari, vel dedicari, ut patet ex Basilio in Ps. CXIV. ubi vocat, ἱερὸν τοῦ μαρτύρου, et similiter loquuntur Nyssenus, et alii; tamen certum est eos intelligere materialiter, id est, domum illam, quæ dicitur templum, fabricari Martyribus, non tamen sub ratione templi ad sacrificia, sed basilicæ, ad ornandam memoriam ipsorum Sanctorum.

Quod autem ipsi etiam intelligant, sacras ædes exstrui Martyribus, et non solum Deo, in eorum memoriam, sicut sacrificium offertur Deo in eorum memoriam, probatur; nam ipsi simpliciter asserunt ædes exstrui Martyribus, et tamen nusquam dicunt sacrificium offerri Martyribus, imo hoc simpliciter negant, ut patet ex Theodoreto lib. VIII. ad Græcos: ergo aliter existimabant ædes, aliter sacrificium ad Martyres pertinere. Neque obstat ritus consecrationis; nam cum dicitur, templum sacrari ad honorem Dei, et nomen Martyris, agitur de consecratione templi, ut templum est.

CAPUT V.

De dedicatione et consecratione Ecclesiarum.

Magdeburgenses Cent. IV. cap. 6. col. 407. et sequentibus, tria in dedicationibus reprehendunt. Primo, quod templa a nobis cum ingenti lætitia, et celebritate dedicentur, quod ortum esse dicunt ex ζηλοτυπίᾳ Judaismi, et esse rursum introducere Judaismum in Ecclesiam.

Secundo, quod utamur tot cæremoniis in consecratione templorum; Nam præter alias, quædam sunt quæ non videntur posse excusari a superstitione et magia. Nam primo pinguntur duodecim cruces, et ante singulas accenduntur singulæ lampades; deinde pulsatur templum, et aperitur. Tum describitur in pavimento super cineres ad hoc sparsos, baculo pastorali alphabetum Græcum ab uno angulo ad alium; et rursus alphabetum Latinum ab alio angulo ad alium, ita ut inde crux fiat. Tum fit mixtura ex aqua, vino, sale, et cineribus, et inde aspergitur templum; ac demum templum et ara Chrismate inunguntur.

Tertio arguunt, quod putemus, templa esse loca sanctiora cæteris: quod etiam reprehendit Calvinus lib. III. Instit. cap. 20. § 30. Nos ergo juxta eorum reprehensiones, tres sententias subjiciemus.

Prima sit: « Merito templa Dei, cum ingenti lætitia et solemnitate dedicantur. » Probatur primo ex testamento veteri, ubi legimus celeberrimam dedicationem tabernaculi et altaris, Num VII. Item ter legimus factam templi dedicationem cum ingenti lætitia et celebritate. Primo a Salomone lib. II. Paralipomen. cap. VII. Secundo ab Esdra, lib. I. Esdræ cap. VI. Tertio a Machabæis, cum post profanationem iterum esset renovatum, et sanctificatum lib. I. Machab. cap. IV. ad quam solemnitatem, quæ annis singulis iterum agebatur, Christum etiam accessisse scribit Joannes cap. X.

Sed hoc argumentum adversarii putant esse potius contra nos, quia videmur Judaizare, cum id facimus quod illi faciebant, quantum ad ejusmodi cæremonias attinet. At revera pro nobis est argumentum, siquidem cæremoniæ propriæ Judæorum, et

quæ cessaverunt, nec servari possunt sine peccato, sunt illæ, quæ institutæ erant ad aliquid significandum futurum in Christo, vel in Ecclesia. Illæ enim si nunc servarentur, falsam haberent significationem, et proinde falsæ fidei protestationes essent. Ut quia agnus Paschalis significabat Christi passionem futuram, si quis nunc agnum eo ritu immolaret, profiteretur Christum nondum esse passum, quod est contra veram fidem. At cæremoniæ, quæ fundantur in ratione naturali, ut flectere genua, tundere pectus, et similes, non sunt propriæ Judæorum, etiamsi ab illis quoque adhiberentur; nec ad legem cæremonialem, sed ad moralem pertinere videntur.

Porro talem esse templorum dedicationem, patet primo, quia non legitur Deus instituisse hanc cæremoniam: sed Salomon, Esdras et Machabæi, natura duce, putaverunt convenire, ut de perfecto templo gratias Deo referrent, et cum publica lætitia auspicarentur usum templi.

Secundo, quia vere natura hoc docet, ut ad finem magnorum operum homines gaudeant, et Deo gratias agant; et similiter quando incipiunt re aliqua nova uti, Deum invocent, et cum lætitia opus aggrediantur. Hoc autem fit in dedicatione templi: Nam exultamus, et Deo gratias agimus, quod templi fabricam completam videamus, et rursum cum lætitia et faustis imprecationibus aggredimur usum ipsius templi.

Tertio, quia natura docet, celebrandos esse dies natales magnorum virorum; id enim etiam Ethnici faciebant: et apud nos celebratur singulis annis creatio Pontificis Maximi. Unde sunt sermones aliquot B. Leonis in anniversario suæ assumptionis. Cur non eodem modo celebrari poterit natalis templi, quæ est res publica, et magna, et toti Ecclesiæ utilissima?

Adde ultimo, quod Deus ipse exemplum dedicationis dedisse videtur, cum expleto opere suo, in signum lætitiæ diem septimum benedixit, et sanctificavit, et nihil operando festum diem egit.

Secundo probatur ex praxi Ecclesiæ et veterum traditione. Eusebius lib. IX. hist. cap. 10: « Festivitates, inquit, a nostris frequentissime gerebantur, cum omni lætitia et exultatione, per urbes, et loca singula Ecclesiarum dedicationibus celebratis. Congregabantur in unum Sacerdotes, nec pigebat etiam longe positos convenire, quia nullum longum videbatur spatium charitati. » Idem lib. IV. de vita Constantini, scribit, Constantinum ad consecrationem et dedicationem ædis, quam Hierosolymis Martyribus exstruxerat anno imperii sui 30. convocasse universam Synodum, quæ Tyri convenerat etc.

Athanasius in Apologia ad Constantium: « Illud, inquit, et a beatæ memoriæ Alexandro, aliisque Patribus actum est, qui populi conventus habuere, et absoluto opere agendis Deo gratiis dedicationem celebraverunt. Hujus ergo dedicationis te, Imperator, auctorem esse oportet. Locus enim ille exædificatus præsentiam tuæ pietatis requirit; hoc enim ei solum deest ad plenum ornatum. Hoc igitur ut adimpleas, ut vota tua Domino, cui hanc domum construxisti, reddas, omnium vota optant et suspirant etc. » Ibidem pro dedicatione Ecclesiæ adfert exemplum Esdræ ex Testamento veteri.

Basilius in Psal. CXIV. initio reddit causam, cur serius venerit ad Ecclesiam dedicandam, ubi populus a media nocte usque ad meridiem exspectaverat: « Si vero, inquit, oportet, etiam nos pro nobis ipsis rationem reddere moræ ac longioris nostræ absentiæ, causam adferimus, quod alteram huic æqualem Dei Ecclesiam non modico intervallo a vobis distantem, ministerio nostro curantes, tempus hoc diei consumpsimus. » Hunc locum, qui forte ambiguus posset videri, fatentur Magdeburgenses Centur. IV. cap. 6. col. 408. de templi dedicatione intelligendum.

Gregorius Nazianzen. orat. in novam Dominicam sic incipit: « De encæniis honorandis lex vetus est, eaque præclare constituta. » Chrysostomus quoque sermonem habuit in encæniis, tom. III. Sozomenus lib. IV. c. 13. scribit, Basilium Ancyranum ad templi dedicationem plurimos Episcopos invitasse.

Ambrosius lib. I. epist. 5. ad Felicem, dicit, se et ipsum Felicem ad Basilicæ dedicationem a Bassiano invitatum. Et in epist. ad Sororem, quæ habetur inter sermones, num. 92: « Cum, inquit, Basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romana Basilica dedices. Respondi, faciam, si Martyrum reliquias invenero etc. »

Gaudentius tractatu de dedicatione, dicit, convenisse multos Episcopos ad celebritatem dedicationis Ecclesiæ, quæ Brixiæ erecta fuerat in honorem reliquiarum Joannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, Lucæ, Gervasii,

Protasii, Celsi, et quadraginta Martyrum.

Augustinus quinque sermones ad populum habuit in celebritate dedicationis templi, qui sunt inter sermones de tempore 251, 252, 253, 254, 255, et 256.

Gelasius Papa epist. I. ad Episcopos Lucaniæ et Aprutii, cap. 6 :« Basilicas, inquit, noviter institutas, non petitis ex more præceptionibus dedicare non audeat. » Item cap. 27. alia quædam constituit in dedicatione Ecclesiarum servanda. Felix IV, qui etiam ante mille annos sedit, in epistola sua decretali prolixe de hac re disserit, ac inter alia sic ait : « Solemnitates vero dedicationum Ecclesiarum per singulos annos celebrandæ sunt etc. »

Prosper par. III. cap. 38. de promissionibus Dei, testatur se interfuisse cum apud Carthaginem dedicaretur insigne quoddam templum, quod olim Gentilium fuerat; in cujus frontispicio divinitus scriptum invenerunt magnis atque æneis litteris : *Aurelius Pontifex dedicavit.* Quod præsagium omnes mirabantur, cum viderent ab Aurelio Episcopo Carthaginiensi fieri, quod tanto antea prædictum fuerat.

Gregorius lib. III. Dialogorum, cap. 30. scribit, tempore suo dedicatam Basilicam non sine divinis miraculis, quibus indicaretur, Deo placuisse eam dedicationem. Bernardus sex sermones habuit de dedicatione templi. Rupertus in cap. XXVIII. Genes. probat, rectefieri festivas dedicationes. Hugo de S. Victore, lib. II. de Sacramentis, par. 5. cap. 2. et 3. Isidorus lib. I. de officiis, cap. 35. Rabanus lib. II. c. 45. de institutione Clericor. Amalarius in lib. de ordine Antiphonarii, B. Ivo in serm. de consecrat. templi, et Walfridus de rebus Ecclesiasticis, cap. 9. qui omnes de dedicatione Ecclesiæ tractant, tamquam de re antiquissima, cum tamen etiam ipsi antiqui sint auctores.

Secunda propositio : « Merito ab Ecclesia variis precibus et cæremoniis templa consecrantur. » Probatur Primo Scripturæ testimonio. Siquidem ex Scriptura habemus consecrationem templi, vel altaris, in statu naturæ, legis, et gratiæ. In statu naturæ, Jacob cap. XXVIII. Geneseos, erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eumque consecravit fundens oleum desuper, et inde eum locum appellavit Bethel, id est, domum Dei; et c. XXXV, monitus a Deo, ut faceret altare, rursus ibidem erexit lapidem, eumque inungendo consecravit, et libavit super eum libamina. Certe hoc non pertinet ad magiam, cum laudetur hoc factum ab omnibus, et constet placuisse Deo. Nec etiam pertinet ad cæremonias legis, quæ adhuc data non fuerat. Cur ergo non liceat nobis idem facere?

Deinde in statu Legis videmus Mosem consecrasse oleo sacro, aliisque cæremoniis tabernaculum, altare, et omnia ejus vasa. Exodi cap. XL. et Num. VII. quas etiam cæremonias certum est non fuisse magicas. Et licet cæremoniæ fuerint veteris legis, tamen quia non erant propriæ ejus, quippe quæ in oratione fundantur, nihil obstat, quominus a nobis etiam assumi possint.

In statu Evangelii non habemus tam expressa testimonia Scripturæ, interim tamen ex eo, quod Paulus in priori epistola ad Corinthios cap. XI, Corinthios arguit tamquam Ecclesiæ contemptores, quia in Ecclesia comedebant, satis innuitur, tunc etiam Ecclesiam aliquo modo sacratam fuisse. Cur enim Ecclesiam contemnere dicitur, qui in ea actionem alibi licitam exercet, nisi propter aliquam ejus loci consecrationem? Et confirmatur ex Dionysio Areopagita, qui tempore Apostolorum vixit; et lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 5. par. 1. aperte docet, altaria sacro oleo inungi, et consecrari ab Episcopo debere.

Secundo, probatur ex decretis Conciliorum antiquorum. Nam Concilium Carthaginiense V, can. 6. sic habet : « Simiter et de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur. » Item Agathense Concilium cap. 14 : « Altaria placuit non solum unctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. » Idem patet ex Concilio II Bracarensi can. 6. Item ex decretis Pontificum Gelasii et Felicis IV, supra citatorum, et Joannis I. in epist. ad Episcopos Italiæ, Alia decreta vide apud Gratianum de consecr. dist. I. ubi etiam adfertur canon Nicæni Concilii; et alius Concilii Bipponensis, quod plenarium totius Africæ fuisse testatur Augustinus lib. I. Retractat. c. 17. quamquam isti canones modo non exstant, nisi apud Gratianum.

Tertio, probatur ex Patribus citatis in priore conclusione; nam major pars eorum meminit etiam consecrationis, et cæremoniarum, quibus uti solemus in consecratione templi et altaris.

Quarto, probatur ratione desumpta ex fine illarum cæremoniarum. Finis enim præcipuus est ad significandum templum illud Deo et sacris actionibus dedicari, neque esse domum profanam, sed sacram. Nam etiamsi ista dedicatio essentialiter consistat in voluntate, et intentione dedicationis : tamen necesse est, ut hæc intentio et voluntas signis externis prodatur aliis hominibus. Quomodo etiam humani contractus consistunt in intentione et voluntate contrahentium : tamen ut innotescat voluntas, et ut firma et rata sint, non solum proferuntur verba, sed etiam multæ adhibentur cæremoniæ ut patet in nuptiis, in coronatione Regum, in militia etc.

Quoniam ergo templum dedicatur Christo, ideo ad hoc significandum pingitur signum ejus, id est, crux. Pinguntur autem cruces num. 12. ita inter se distantes, ut totum templum occupent; et ad singulas, lampades singulæ accenduntur, ad significandum, quod Apostoli 12 hoc vexillum Christi per totum orbem terrarum portaverunt, et sua prædicatione mundum illustrarunt.

Et quia templum non debet esse profana et communis domus, sed sacra; ideo ad hoc significandum inungitur. Oleum enim est communissimum et evidentissimum symbolum consecrationis. Quia enim est liquor nobilissimus, quippe qui omnibus supereminet, et maxime omnium penetrat, et sanat, ac roborat. Ac demum res illustres facit : ideo placuit omnibus Gentibus, et ipsi etiam Deo, illo uti ad consecrationem significandam.

Quia rursus templum destinatur divinis sacrificiis, et orationibus, aliisque sanctis et puris actionibus, non autem sordibus, et tenebris negotiorum sæcularium, ideo ad hanc munditiem et claritatem significandam aspergitur aqua, thus adoletur, cerei accenduntur.

Quia sacratur etiam templum ad concionandum, et docendam fidem, quæ est fundamentum totius justitiæ; ideo describitur alphabetum in pavimento. Describitur autem Græce et Latine, quia illis linguis prædicata est fides, et illis linguis utebatur tota fere Ecclesia eo tempore, quo hæ cæremoniæ sunt institutæ.

Et quia in templo non solum docentur homines, sed etiam moventur et inflammantur ad virtutem, et vitæ novitatem; idcirco sit illa mixtio aquæ, cineris, salis, et vini, ut infra dicemus.

Quia denique ex templo Diabolus ejicitur, neque ibi habitare sinitur, sed e contrario oratur Deus, advocantur Angeli, aliique Sancti, ut in eo loco habitare dignentur; ideo pulsatur ostium, et jubetur Diabolus recedere, et reliquiæ Sanctorum introducuntur.

Alius finis harum cæremoniarum est, ad significandum Christum, et Ecclesiam. Ecclesia enim materialis, Ecclesiam spiritualem designat : altare vero significat Christum; hinc igitur altare fit ex lapide, et inungitur, et summo loco ponitur, et sub ipso absconduntur reliquiæ : quia Christus dicitur petra, I Corinth. X. et unctus fuit Spiritu sancto, *præ consortibus suis*, Psal. XLIV: *Et caput est totius Ecclesiæ*, Coloss. I : *Et in ipso abscondita est vita et gloria Sanctorum.* Coloss. III (1). Unde etiam in cœlo vidit Joannes animas Sanctorum sub altari. Apocal. VI.

Porro cæremoniæ, quæ fiant in ipsa consecratione, totum progressum fidelium demonstrant. Nam primo loco pulsatur, et aperitur templum baculo pastorali ab Episcopo, quia prædicatores potestate a Christo accepta, corda infidelium pulsant, et ad fidem suscipiendam aperiunt.

Secundo, ingressus Episcopus eodem baculo describit in pavimento cinere conspersо alphabetum, quia prædicatores eadem potestate in gentibus a peccatis pœnitentiam inscribunt rudimenta fidei, eosque Catechumenos faciunt.

Tertio, aspergitur templum aqua, et cerei accenduntur, quia post Catechismum sequitur Baptismus, quod est Sacramentum illuminationis.

Quarto, in parietibus pinguntur et inunguntur cruces (nam etiamsi cruces ante initium consecrationis factæ sunt, tamen hoc tempore fieri debuissent; sed antea factæ sunt propter commoditatem, nimis enim diu exspectaretur, si in ipsa consecratione pingerentur) ad significandam confirmationem, quæ post Baptismum cruce et chrismate perficitur.

Quinto, fit mixtio quædam aquæ, cineris, salis, et vini, quia tota vita fidelium consumi debet in mortificandis vitiis, et vitæ novitate quærenda, et retinenda. Nam aqua significat hominem, qualis est ex se post peccatum; est enim frigidus et insipidus. Cinis

(1) Psal. XLIV, 8; Coloss. I, 18; III, 3 et 4.

significat pœnitentiam et mortificationem vitiorum. Sal saporem. Et vinum lætitiam et fervorem novæ vitæ.

Sexto, agitur dies festus cum lætitia, finita consecratione, quia post finem hujus vitæ fideles intrabunt in gaudium Domini, ubi perpetuo lætabuntur. Hæc et similia vide apud Augustinum et Bernardum in sermonibus de dedicatione; et apud Hugonem, Ivonem, et Rabanum supra citatos, qui sigillatim explicant rationes harum cæremoniarum.

Tertia propositio: « Templum consecratum, merito sanctum et venerabile, ac divina quadam virtute præditum existimari debet. » Probatur. Primo, ex relatione ad Deum; Templum est dedicatum Deo, ergo est res Dei, ergo sanctum est; nam omnis res Deo dicata, eo ipso est sancta, Levit. ult.: *Animal quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit.* Et infra: *Quidquid semel fuerit consecratum Domino, sanctum Sanctorum erit.* Matth. XXIII: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti, et cæci, quid enim majus est aurum, an templum, quod sanctificat aurum?* (1) Ubi Dominus vult templum lapideum nobilius esse ipso auro, quod videlicet auro communicet sanctitatem; nam licet lapides sint absolute inferiores auro, tamen ratione relationis ad Deum, lapides illi, qui templum efficiunt, sunt longe nobiliores et sanctiores auro. Unde Augustinus lib. IV. cont. Cresconium, cap. 10: « Deo, inquit, omnipotenti, parietes consecratos, Ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit retinendam. »

Secundo, probatur ex precibus et benedictione Episcopali; nam ut ait Apostolus, I Tim. IV: *Nihil abjiciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (2). Jam si cibi sanctificantur per verbum Dei et orationem, cur non etiam templa sanctificabuntur, quæ per sacras personas publicis precibus et benedictione consecrantur? Præterea sanctificante Salomone templum, Deus etiam sanctificavit, ut ipse dicit, III Regum IX: *Exaudivi, inquit, orationem tuam, et sanctificavi domum hanc, quam ædificasti* (3). At non minus efficaces sunt preces Ecclesiæ, quam Salomonis.

Tertio, probatur ex iis, quæ sunt in templo; nam locus rerum sanctarum, sanctus quoque sit necesse est, ut patet ex illo, Exod. III: *Locus, in quo stas, terra sancta est* (4).

Jam vero in templis sunt multæ res sanctæ. Primo, crux, et imagines Christi et Sanctorum. Secundo, reliquiæ Sanctorum. Tertio, præsentia corporis Domini in Eucharistia. Quarto, præsentia Angelorum; credibile enim est, aut semper, aut frequentissime in templis Angelos adesse. Quare Josephus lib. VII. de bello Judaico, cap. 12. scribit, in templo Salomonis paulo ante, quam everteretur, auditas voces: *Migremus hinc*, quas Angelorum fuisse, deserentium eum locum, communis opinio est. Et B. Chrysostomus homil. 1. super illa verba Isaiæ: *Vidi Dominum sedentem etc.* dicit, Angelorum multitudine vallari sacram mensam in Ecclesiis. Quinto denique, adest Deus ipse per singularem quamdam protectionem et virtutem, in cujus rei signum quando tabernaculum a Mose dedicatum est, Exod. ult. mox caligo, seu nubes quædam gloriæ Domini tabernaculum texit. Similiter fecit, cum templum a Salomone dedicatum est: *Nebula enim gloriæ, implevit domum Domini* (5). Idem etiam suo tempore accidisse Ecclesiæ consecratæ scribit Gregorius lib. III Dialogor. cap. 30: « In magna, inquit, serenitate aeris super altare Ecclesiæ nubes cœlitus descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque Ecclesiam tanto terrore ac suavitatis odore replevit, ut patentibus januis nullus illuc præsumeret intrare. » In lib. quoque II. Machab. cap. 3. legimus, dixisse Heliodorum: « In loco illo est vere Dei virtus quædam; nam ipse qui habitat in cœlis, visitator et adjutor est loci illius. »

Quarto, probatur ex absentia Dæmonis; nam sicut templa Gentilium polluta sunt, et immunda, quia sunt domicilia Dæmonum, ut patet ex Gregorio lib. III. Dialogor. cap. 7. ita e contrario, templa Dei sancta sunt, quia Dæmonibus carent. Idem enim Gregorius lib. III. cap. 30. Dialogor. scribit, post consecrationem templi, quod antea Arianorum fuerat, Diabolum inde egressum sensibiliter in specie suis, maximo strepitu excitato. Et sicut domus Principum asyla sunt, nec ibi lictores ulli manus injicere audent, ita etiam in templo Dei, Dæmones non sinuntur grassari eo modo, quo in aliis locis.

(1) Levit. XXVII, 9 et 28; Matth. XXIII, 16 et 17. — (2) Tim. IV, 4 et 5. — (3) III. Reg. IX, 3. — (4) Exod. III, 5. — (5) III. Reg. VIII, 10.

CAPUT VI.

De ornatu templorum.

Ornatus templorum partim in ipsa fabrica consistit, partim in imaginibus, crucibus, calicibus, vestibus, aliisque id genus ornamentis. Reprehendunt hunc ornatum, tam veteres Petrobrusiani, et Wiclefistæ, quam etiam Lutherani et Calvinistæ, locis initio notatis. Argumenta illorum hæc sunt.

Primum, ex Hierem. VII: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes, templum Domini, templum Domini* (1). In quem locum ita scribit Hieronymus: « Præcepit, inquit, et tunc populo Judæorum, et hodie nobis, qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, auratisque laquearibus, et vestitis parietibus marmorum crustis, et dicamus, templum Domini, templum Domini est. »

Secundum, ex Hieronymo in epist. ad Nepotianum: « Multi ædificant parietes, et columnas Ecclesiæ substruunt; marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur. » Et infra: « Neque mihi aliquis opponat dives in Judæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, et cætera, ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur a Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, et sanguis pecudum erat redemptio peccatorum; nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem ejus, et divitias lutum putabimus. » Et infra: « Aut aurum repudiemus cum cæteris superstitionibus Judæorum, aut si aurum placet, placeant et Judæi etc. »

Tertium, ex Ambrosio lib. II. de officiis, cap. 28: « Melius fuerat, inquit, ut vasa viventium servares, quam metallorum. His non potest responsum referri. Quid enim diceres? timui ne templo Dei ornatus deesset. Responderet, aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur; ornatus Sacramentorum redemptio captivorum est. »

Quartum, ex Acacio, de quo Socrates lib. VII, cap. 21. refert, qui cum accusaretur, quod sacra vasa vendidisset propter pauperes, respondit: « Deus noster neque discis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit. »

Quintum, ex Hilario in epist. contra Auxentium: « Male, inquit, parietum vos amor cœpit, male Ecclesiam Dei in tectis, ædificiisque veneramini. »

Sextum, ex Lactantio, qui lib. II, cap. 4. laudat Persium, quod scripserit, non debere aurea vasa templis inferri: « Egregie, inquit, sapienterque sensit. »

Septimum, ex Bernardo, in Apologia ad Gulielmum Abbatem prope finem: « O vanitas vanitatum, sed non vanior, quam insanior: fulget Ecclesia in parietibus, et in pauperibus eget: suos lapides induit auro, et suos filios nudos deserit. »

Octavum, ex Chrysostomo, qui homil. 51. et 81. in Matth. docet, melius esse dare eleemosynam, quam ornare templum, et refellit argumentum, quod pro nobis fieri solet.

His addunt rationes. Prima ratio est, quia Christus semper amavit et docuit paupertatem.

Secunda, quia otiosum et supervacaneum est aurum in templis; nam nec ipsi parietes sentiunt ornatum illum, nec eo indigent ad finem, ad quem exstructi sunt. Unde Persius:

Dicite Pontifices, in sancto quid facit aurum?

Tertia, quia non tantum non prodest, sed etiam obest splendor ille templorum; nam avocat mentem, et distrahit a spiritualibus cogitationibus.

Quarta, quia melius est templa viva ornare, quam mortua; numquam autem desunt pauperes, qui templa sunt viva, et qui egent non solum ornatu, sed etiam necessaria sustentatione.

Quinta, quia in judicio non damnabitur, qui templum non ornaverit auro et argento, sed qui in paupere Christum non aluerit. Hæc sunt igitur illorum argumenta, quæ etsi magnam vim habere videantur, nihil tamen adversus veritatem poterunt; nihil enim potentius veritate. Porro solutiones horum argumentorum in hoc eodem capite, post explicatam, et confirmatam sententiam Ecclesiæ adferentur.

Sit igitur prima propositio: « Opus bonum et pium ex genere suo est, ingentibus sump-

(1) Jerem. VII, 4.

tibus templa Dei ædificare aut ornare. » Probatur Primo, ex Testamento veteri; nam Deus voluit, tabernaculum ornatissimum esse, ita ut omnia fere instrumenta sanctuarii aurea essent, usque ad emunctoria Lampadum. Cortinas autem tabernaculi, et vestes Sacerdotis esse voluit pretiosissimas, ex serico, bysso, purpura, gemmis etc. et ne deessent artifices, donavit sapientiam et artem ad omnia illa facienda certis quibusdam viris. Vide Exod. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII et XXXIX. Deinde Num. VII. singuli Principes obtulerunt in ornatum tabernaculi immensa donaria auri et argenti. David paravit in sumptus templi, tantum auri, argenti, et lapidum pretiosorum, ut incredibile videatur. Lege I. Paralipom. cap. ult. et penult. et lib. II, cap. 3, 4 et 5. At certe rationes, quæ fiunt contra ornatum templorum nostrorum, si quid valerent, militarent etiam contra tabernaculum Mosis, et templum Salomonis. Nam tunc etiam non decerant plurimi pauperes : tunc etiam parietes non sentiebant ornatum suum : tunc etiam distrahere poterant mentes orantium; et tamen non propterea cessatum est a magnificentissima ædificatione templi, et tabernaculi.

Secundo, ex Testamento novo; nam in primis Marci XII, Christus laudavit viduam, quæ in gazophylacium templi misit duo minuta, id est, omnem victum suum. Si ergo vidua illa recte fecit, in donaria Dei expendens omnem victum suum; quomodo argui possunt, qui donant saltem partem bonorum suorum, ad ornandam Dei domum? Item c. XIII. dicentibus Apostolis : *Magister aspice, quales lapides, et quales structuræ?* (1) Dominus occasionem habuit optimam reprehendendi magnificentiam illam templi, vel saltem instruendi discipulos, dicendo, licuisse in Testamento veteri ornare templa, at in lege Evangelica non fore licitum. At Dominus nihil tale dixit. Item cap. XIV, cum Judas ægre ferret, quod Magdalena in unctionem capitis Domini tantos sumptus faceret, ac diceret : *Ut quid perditio ista unguenti facta est? poterat enim unguentum istud venundari plusquam trecentis denariis, et dari pauperibus*, Dominus respondit : *Bonum opus operata est in me* (2). At si licuit prætermissis pauperibus tanto sumptu inungere caput Domini, cur non liceat etiam magno sumptu ædificare domum ipsi Domino?

Tertio, probatur ex vaticinio Isaiæ; nam cap. LX. ubi fatentur præcipui expositores ad litteram agi de Ecclesia Christiana in terris existente, sic legimus : *Domum majestatis meæ glorificabo.* Et infra : *Me enim insulæ exspectant, ut adducam filios tuos de longe : aurum eorum, et argentum eorum nomini Domini Dei tui.* Et infra : *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et Reges eorum ministrabunt tibi.* Et infra : *Gloria Libani ad te veniet, abies, et buxus, et pinus, simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo* (3) Quæ prophetia ad litteram impleta est tempore Constantini, aliorumque Principum, qui Ecclesias magnificentissimas exstruxerunt, et ornarunt.

Quarto, probatur ex Patribus. Eusebius lib. IX. histor. cap. 10 : « Ex quo aderat, inquit, cunctis velut divino munere infusa lætitia, maxime videntibus ea loca, quæ paulo ante impiis tyrannorum machinis fuerant destructa, redivivæ constructione clariora, et celsiora consurgere, templaque excelsa pro humilibus conventiculis elevari. »

Cyrillus catechesi 14 : « Isti qui nunc sunt Reges, inquit, pietatis ergo argento inducentes et auro sanctam hanc Ecclesiam resurrectionis, in qua nunc sumus, exstruxerunt, et argenteis monumentis splendida meffecerunt. »

Athanasius in Apologia ad Constantium indicat, ab ipso Constantio exstructam Alexandriæ tam ingentem basilicam, ut ea sola capere posset populum, quem aliæ capere non poterant. Neque reprehendit, sed laudat hanc ejus magnificentiam.

Gregorius Nazianzenus orat. I. in Julianum, cum dixisset a Gallo et Juliano exstrui cœpisse maximis sumptibus basilicam sancto Martyri Mamæ, subjungit munus Galli Deo acceptissimum fuisse, ut quondam fuit sacrificium Abel.

Gregorius Nyssenus orat. in Theodorum, dicit, templum S. Theodori magnificentissimum, et ornatissimum picturis et sculpturis fuisse : et hoc ad gloriam sancti maxime pertinere, ubi aperte laudat usum erigendi talia templa.

Joannes Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum : « Servorum, inquit, crucifixi sepulchra regiis aulis sunt clariora,

(1) Marc. XIII, 1. — (2) Marc. XIV, 4 et 5. — (3) Isai. LX, 7, 9, 10 et 13.

non magnitudine et pulchritudine ædificiorum (nam et in hoc superant) sed quod multo majus est, convenientium studio. » Idem hom. 51. in Matth. : « Nec prohibeo, inquit, magnifica templa condere etc. »

Cyrillus initio libri de recta fide ad Reginas : « Valde sapienter, inquit, operam datis, ut quæ Christo probantur, et sentiatis, et faciatis : partim operibus, et irreprehensibili conspicua fide, et vestras, et Regum aulas virginitatis gloria decoratis : partim sumptuosissima Christo templa erigitis; concessum enim et hoc est cum aliis, ab ipso, vestris animabus. »

Theophylactus in c. XIV. Marc. : « Confundantur, inquit, hoc loco, qui pauperes Christo præferunt. » Et infra : « Audiant igitur quomodo Christus præferat sui curam pauperibus. Christi autem corpus proprie, quod in disco aureo, et sanguis, qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, et cogit, ut corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cujus partis sit. »

Jam ex Latinis. Optatus lib. VI. testatur, suo tempore habuisse Ecclesiam pretiosa vasa Sacramentorum, quæ Donatistæ diripientes conflarunt et vendiderunt.

Ambrosius lib. II. de officiis, c. 21 : « Et maxime Sacerdoti, inquit, hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat. »

Hieronymus in epist. ad Demetriadem, postquam dixerat : « Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis etc. » subjungit : « Non reprehendo, non admiror; sed tibi aliud propositum est etc. » Et in c. VIII Zachariæ, refert in gloriam Ecclesiæ, et laudem Principum, quod cum aliquot Imperatores Ethnici Ecclesias everterint, rursum alii basilicas exstruxerint, et exallaverint, summa fastigia, et laquearia, ac tecta auro decorarint, et parietes diversi marmoris crustis vestierint.

Augustinus in Psalm. CXIII : « Sed et nos, inquit, pleraque instrumenta et vasa ex auro et argento habemus, in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur. »

Prudentius in hymno de S. Laurentio inducit sic loquentem tyrannum :

> Hunc esse vestris orgiis
> Moremque et artem proditum est,
> Hanc disciplinam foederis,
> Libent ut auro antistites
> Argenteis scyphis ferunt
> Fumare sacrum sanguinem,
> Auroque nocturnis sacris
> Adstare fixos cereos.

Paulinus natali 3. S. Felicis :

> Aurea nunc niveis ornantur limina velis etc.

Prosper in lib. de promission. et prædiction. par. 3, cap. 38. dicit, templum amplissimum Deo vero consecratum suo tempore, cujus tanta erat magnitudo et excellentia, ut etiam plateam haberet, quæ ad ipsum ducebat, duorum millium passuum longitudinis totam pretioso pavimento, et columnis ac muris ornatam.

Quinto, probatur ex pietate eorum, qui Ecclesias ædificarunt; nam præcipui fuerunt quatuor, Constantinus, Justinianus, Carolus Magnus, et Carolus IV. De Constantini templis vide Damasum in vita Sylvestri, et Eusebium lib. III et IV. de vita Constantini. De templis a Justiniano erectis, vide Procopium in lib. de ædificiis Justiniani. De templis Caroli Magni, vide Abbatem Urspergensem in Chronico De templis Caroli IV, vide Joannem Cochlæum initio lib. I. historiæ Hussitarum. Constat autem Constantinum sanctum Imperatorem fuisse; nam in Calendario Græcorum ejus nomen inter Sanctorum nomina habetur : et ab Ambrosio in oratione de obitu Theodosii, ab Epiphanio hæresi 70. quæ est Audianorum, a Cyrillo, catechesi 14. et aliis Patribus passim sanctus et beatus appellatur.

Similiter Carolus Magnus tamquam sanctus colitur præcipue Parisiis, et Aquisgrani, et ab omnibus historicis mirifice laudatur. Justinianus, exceptu hæresi, in quam incidit in extrema ætate, laudatissimus Princeps fuit. Porro Carolum IV, optimum et religiosissimum fuisse, patet ex iis, quæ adfert Cochlæus loco notato. Multas item ædificarunt et ornarunt Basilicas sanctissimi Pontifices, Julius, Damasus, Leo, Symmachus, et alii, qui et ante mille annos floruerunt, et vere sancti scriptorum omnium consensu habiti sunt. Non est autem credibile, ita pios Principes, tum Ecclesiasticos, tum politicos, in ejusmodi opera conspirare potuisse, si ea Deo non placerent.

Probatur ultimo rationibus. Prima ratio ex magnitudine Dei; nam domus quo ma-

jori Principi ædificatur, eo debet esse major. Quis autem Deo major? Quare Salomon lib. II. Paralip. cap. II : *Domus, quam ædificare cupio*, inquit, *magna est : magnus est enim Deus noster super omnes Deos* (1).

Secunda ratio ex ipso genere operis; nam exstruere Deo splendidum templum, est ex genere suo actus duarum excellentium virtutum, religionis ac magnificentiæ; proinde bonus ex genere suo.

Tertia ratio, quia non solum est actus illarum virtutum, sed etiam est exercitium et signum aliarum. Nam qui magnificum templum erigit, magnificum testimonium edit fidei suæ, et charitatis erga Deum : necnon pietatis et gratitudinis, et quia pecuniæ summopere diligi solent, qui eas liberaliter ad honorem Dei expendit, indicat se vere diligere Deum super omnia.

Quarta ratio ab utilitate; Nam templum magnifice ornatum, multas habet utilitates. Primum enim attrahit homines facilius ad res pias, quæ in templis geruntur; nec enim obscura et sordida loca libenter frequentantur. Deinde conservat majestatem Sacramentorum, et reverentiam, quæ rebus divinis debetur; Nam quando videmus altare splendidum et ornatum, facile erigimus mentem, et cogitamus magnum esse Deum, cui talia exhibentur; et e contrario facile contemnitur, quod sine apparatu proponitur. Tertio juvatur pietas et devotio, maxime simplicium, quorum maximus est numerus.

Accedit etiam corporalis utilitas, quod magnifica templa diutius conservantur, et magno splendori sunt civitati. Multitudo quoque aureorum, atque argenteorum vasorum, sæpe fuit saluti toti Reipublicæ, dum in communi captivitate, fame, aut peste, Ecclesiæ thesaurus multis millibus miserorum opem tulit, ut quasi in id tempus divinitus datus, et servatus videretur.

Quinta ratio a contrario ; qui Ecclesias vastaverunt, aut diripuerunt, semper sacrilegi et perditi habiti sunt, sæpe etiam divinitus puniti, ut patet de Balthasare, Daniel V. de Heliodoro, II. Machabæorum III. de Antiocho, II Machabæor. IX. Scribit etiam S. Joannes Chrysostomus hom. 4. in Matth. quo tempore Julianus Apostata jussit diripi templorum ornamenta, et præcipue sacra vasa, mox quæstorem regium per medium diruptum exspirasse, et Juliani avunculum a vermibus corrosum interiisse. Scribunt quoque Cedrenus et Zonaras, Leonem filium Constantini Copronymi, cum abstulisset a templo insignem coronam, quam Mauritius Imperator donaverat ad ornatum templi, mox sensisse in capite suo ignitos carbunculos, inde concepta febre ardentissima periisse.

Secunda propositio : « Ædificare, vel ornare templa, licet sit opus pium et bonum, potest tamen ejusmodi opus ex defectu circumstantiarum facile vitiari. » Probatur; quatuor enim sunt circumstantiæ præcipuæ, ex quarum defectu malum erit ornare templa, nimirum tempus, locus, modus, et persona. Nam in primis quando quis tenetur juvare proximum, ac præsertim parentes, aut filios, et non potest simul providere proximo, et donare templo : tunc non recte facit, si neglectis parentibus, vel proximis ædificet templa. At enim Dominus Osee VI. *Misericordiam volo, non sacrificium.* (2) Et Marc. VII. reprehenduntur Pharisæi, qui docebant filios familias offerre templo donaria, cum detrimento parentum. Patet id etiam ex Paulo ad Roman. III. qui docet, non esse facienda mala, ut veniant bona. Denique ex praxi Sanctorum, qui tempore magnæ necessitatis pauperum, conflarunt calices, et vendiderunt, ut patet ex Ambros. lib. II. de officiis cap. 28. Si enim tempore necessitatis recte pastores detrahunt Ecclesiæ ornamenta, certe multo rectius non dantur Ecclesiæ, quæ essent auferenda, si data fuissent.

Neque obstat factum viduæ, quæ tribuit in Donaria Dei omnem victum suum; Nam non tribuit victum patris, aut filiorum, sed suum; et suum non multorum dierum, sed unius tantum; neque enim duobus minutis poterat diu sustentari.

Deinde quantum ad locum, certum est, non omnia loca æqualem ornatum requirere ; Nam in magnis urbibus, ad quas multi confluunt, splendida templa esse debent ; at in locis desertis, ubi soli Monachi versantur, non videtur convenire, ut tot sumptus fiant in ædificiis templorum. Et hoc est, quod B. Bernardus præcipue reprehendit in Apologia ad Gulielmum, quod videlicet Monachi Cluniacenses vellent habere oratoria sua tam magna, et tam ornata, ut æquarent, vel superarent splendorem Episcopalium Ecclesiarum : ubi etiam merito reprehendit, quod in

(1) II. Paralip. II, 5. — (2) Osee. VI, 6.

pavimento sculperent, vel pingerent Sanctorum imagines, et cogerentur, qui in eorum Ecclesiis spuere necesse haberent, in faciem Angelorum, vel aliorum Sanctorum humi depictorum spuere.

Quantum ad modum, peccatur, cum ornamenta templorum sunt vana, ac potius curiositati, quam religioni deservientia : qualia erant in oratoriis Cluniacensium, quæ B. Bernardus reprehendit in Apologia ad Gulielmum : « Quid facit, inquit, illa ridicula monstruositas? Quid ibi immundæ simiæ? quid feri leones ? quid monstruosi centauri? quid semihomines? quid maculosæ tigrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas sub uno capite multa corpora, et rursus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis : ibi bestia præfert equum, capram trahens retro dimidiam : hinc cornutum animal equum gestat posterius. Tam multa denique, tamque mira diversarum formarum ubique varietas apparet, ut magis legere liceat in marmoribus, quam in codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quam in lege Dei meditando. »

Quantum ad personam, peccatur, quando quis supra suum statum et conditionem vult ornare templa. Nam si qui paupertatem profitentur, et victum ab aliis emendicant, vellent ædificare templum marmoreum, et auro, ac gemmis ornare, etiamsi forte possent eleemosynis, hinc inde conquisitis, id facere, tamen non decere eorum professionem ; magnificentia enim non est Monachorum, sed Principum. Quare hinc etiam merito arguit S. Bernardus Cluniacenses in illa Apologia, quod cum Monachi essent, tamen simplibus, ac magnificentia Reges æquare vellent.

Superest, ut ad argumenta initio proposita respondeamus. Ad illud igitur, quod objiciebatur ex Hieremia : *Nolite considere in verbis mendaci dicentes : templum Domini, templum Domini*, (1) respondeo, a Propheta eo loco argui Judæos, qui confidentes in externo templo, putabant apud se esse Deum, et se diligi a Deo, nec esse ventura ea mala, quæ prædicebantur a Prophetis, quia templum Dei apud se habebant, etiamsi ipsi interim male vivendo essent templa Diaboli. Nihil autem efficit ista reprehensio adversum ædificationem, ornatumque templorum; Nam etsi reprehenditur nimia fiducia in externo templorum cultu, præsertim cum negligitur cultus animi, tamen non propterea non sunt ædificanda, atque exornanda templa ad honorem Dei et Sanctorum memoriam. Id ipsum respondendum est ad testimonium S. Hieronymi ; ipse enim reprehendit eos, qui non curantes fieri templa Dei bene vivendo, putant sibi omnia tuta esse, si templum externum ædificent, aut ornent.

Ad secundum, quod ex Hieronymi verbis sumptum est, ut commode respondeatur, quædam antea prænotanda sunt. Observa igitur primo, propositum Hieronymo esse, ut reprehendat eos, qui majorem curam habent templi materialis, quam spiritualis, id est, qui ædificia mirabiliter ornant, et tamen non curant an ad sacra ministeria eligantur idonei, vel non idonei. Sic enim incipit Hieronymus eam reprehensionem ornatus templorum : « Multi, inquit, ædificant parietes, et columnas Ecclesiæ substruunt ; marmora nitent ; auro splendent laquearia ; gemmis altare distinguitur ; et ministrorum Christi nulla electio est. » Hæc ille, quæ verissima sunt, et fuerunt semper.

Secundo nota, ornatum tabernaculi, et templi Judæorum aliquo modo typicum et cæremonialem fuisse ; tabernaculum enim, et templum cum omni sua supellectili figuræ fuerunt Ecclesiæ Christianæ, ut patet ex Jacobi concione Actor. XV. ubi de Ecclesia exponuntur verba Amos cap. IX : *Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta ejus reædificabo, et erigam illud.* Item ex Paulo I. Corinth. X : *Omnia contingebant illis in figura* (2). Denique idem patet ex illa accuratissima descriptione templi, quæ habetur Ezech. XL. et sequentib. et ex eo, quod dictum est Moysi, ut faceret omnia accurate ad exemplar, quod in monte viderat Exod. XXV. Quia ergo tabernaculum et templum figuræ erant, ideo necesse erat, ut essent talia qualia fuerunt, nec poterant aliquid minus vel magis habere, quia alioqui non recte repræsentassent. Ut etiam in Scriptura, si una littera mutetur, non amplius significat id, quod antea significabat.

Et quoniam figuræ Testamenti veteris jam sunt completæ, et lex cæremonialis abrogata est : ideo qui nunc existimaret esse necessarium tale templum, quale fuit Judæorum,

(1) Jerem. VII, 4. — (2) Amos. IX, 11 ; Act. XV, 16 ; I. Cor. X, 11.

superstitiosus esset, ut hoc tempore Judæi vere superstitiosi sunt, dum existimant non licere sacrificare nisi in templo tali, quale fecerat Salomon. Et in hoc sensu reprehendit Hieronymus templorum ornamenta ; Nam etiamsi modo nulli sunt inter Christianos, qui revera existiment templa necessario requirere illum ornatum, ut existimabant Judæi, tamen dum anteponunt curam fabricæ materialis ipsi electioni ministrorum, et ædificio spirituali, videntur factis aliquo modo affines superstitioni Judæorum. Quod etiam notavit B. Bernardus in Apologia ad Guilielmum Abbatem : « Mihi, inquit, quodammodo repræsentant antiquum Judæorum. »

Nota tertio, tabernaculi et templi Judæorum ornatum non solum cæremonialem et typicum fuisse, sed etiam moralem ; Nam etiamsi nullius rei figura fuissent, tamen ratio ipsa naturalis dictasset, domum Dei ornatam esse debere : et hoc modo recte trahimus ornatum tabernaculi, et templi Judæorum, in exemplum nostrorum templorum. Neque hoc unquam reprehendit Hieronymus, imo diserte dicit in epistola ad Demetriadem : « Non abnuo, non reprehendo. »

Ad tertium ex Ambrosio (quod Calvinus adfert in epistola præfixa institutioni) dico, in verbis Ambrosii multa esse contra adversarios, nihil contra nos. Nam primo Ambrosius dicit, aurea vasa Ecclesiæ non debere alienari, nisi in magna pauperum necessitate ; Ecclesia igitur eo tempore utebatur aureis vasis. Secundo dicit, si necesse sit alienare vasa Ecclesiæ, esse diligenter quærendum, an non sint aliqua nondum initiata, et si talia inveniantur, non esse ullo modo attingenda vasa initiata ; ergo tunc certo ritu vasa consecrabantur. Tertio dicit, si necesse sit vendere vasa initiata, non debere vendi integra, sed prius conflari, et deinde per partes vendi : Id quod fieri debere nos libenter admittimus, atqui hæc omnia pugnant adversus hæreticos hujus temporis, qui nec pretiosa, nec certo ritu consecrata, et sancta, vasa Sacramentorum esse volunt.

Quod ergo Ambrosius ait (aurum Sacramenta non quærunt) non significat, Sacramenta nullo modo aurum requirere, sed non requirere ex necessitate, quamvis requirant ex decentia, quando haberi potest, et quod subjungit (nec auro placent, quæ auro non emuntur) non significat, in auro displicent, vel nullo modo placent magis in auro, quam in alia materia ; sed non ideo principaliter placent, quia ministrantur in auro. Si enim in auro displicerent, vel non magis placerent, quam in alia materia, Ambrosius non servasset illa vasa usque ad eam necessitatem, sed numquam illis usus fuisset.

Ad quartum, de Acacio, dico, verba illius Episcopi habere eumdem sensum ; Nam cum Ecclesia illa abundaret ejusmodi vasis aureis (ut ibidem scribit Socrates) et occurrisset summa quædam necessitas redimendi captivos, ille sanctus Episcopus vendidit partem vasorum et redemit captivos ad quinque millia. Illa autem ejus verba (Deus noster non eget discis, neque calicibus, quia non comedit, neque bibit) significant, ista vasa nullam Deo utilitatem adferre, sed haberi in Ecclesia ad honorem Dei, et nostram utilitatem, et ideo quando occasio se offert, qua possint esse utiliora nobis, si vendantur, debent vendi, quia hoc etiam erit Deo gratius, et magis honorificum. Nam, ut Ambrosius ait, valde pulchrum, et honorificum Christo est, cum dici potest : hos pauperes Christus redemit ; vel etiam calix Christi non solum sanguine, quem continet, captivos redimit, sed etiam pretio valoris : calix enim redimit ab hoste quos sanguis redemit a peccato.

Ad quintum, ex Hilario, testimonium Hilarii non est ad propositum ; non enim agit ille de ornatu templi, sed eos reprehendit, qui in templo hæreticum Episcopum, id est, Auxentium audiebant, eo quod existimarent ibi tantum esse veram Ecclesiam, et verum Episcopum, ubi erat templum Deo sacrum : et non considerabant templa sæpe ab hæreticis occupari, et veros Catholicos vel in cryptis, vel in desertis sæpe versatos.

Ad sextum, ex Lactantio, Lactantius probare volebat, ineptæ a Gentilibus offerri munera idolis, id est, Diis non sentientibus : « Frustra, inquit, homines auro, ebore, gemmis, Deos excolunt et exornant, quasi vero ex his rebus ullam possint capere voluptatem. Quis usus est pretiosorum munerum nihil sentientibus ? » Hoc autem probat ex Persio, qui vere sapienter scribit, non debere aurea vasa templis inferri, quasi iis delectentur Dii lignei et marmorei, cum nihil sentiant ; sed potius oporteret Diis viventibus offerri, ut ipse dicit :

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.

Itaque non reprehenditur aurum templi, quando bonum usum habet, id est, excitandi ad pietatem ; sed solum reprehenditur, quando sic offertur Deo, quasi is corporeus sit, et rebus ejusmodi corporaliter delectetur.

Ad septimum, ex Bernardo, dico, Bernardum non reprehendere simpliciter ornatum templi, sed ornatum, quem templis suis Monachi Cluniacenses adhibebant. Nam ut ex Apologia illa colligitur, reprehendit S. Bernardus Primo, quod Monachi, professione pauperes, erigerent oratoria in immensam altitudinem, quod eorum professioni non conveniebat. Secundo, quod dum templa sua ita ornarent, faterentur se esse carnales et infirmos. Ornatus enim templorum illis Ecclesiis potissimum convenit, ad quas populus confluere solet, quia simplices homines egent ejusmodi rebus. Unde ibidem ait : « Et quidem alia causa est Episcoporum, alia Monachorum. Scimus namque quod illi, sapientibus et insipientibus debitores cum sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. » Tertio reprehendit, quod quæstus causa ornarent templa, nimirum ut plures confluerent ad offerendum. Quarto, quod cum injuria Sancteram humi sculperent imagines. Quinto, quod bona, quæ acceperant distribuenda pauperibus, insumerent in illa ornamenta, quando pauperes valde indigebant. Sexto, quod ornamenta vana adhiberent templis, quæ solam curiositatem pascere, non autem pietatem excitare valerent. Porro hæc omnia merito reprehenduntur.

Ad octavum ex Chrysostomo, dico, cum non negare, licitum esse templa magnifice exstruere, et ornare ; sed solum anteponere huic ornatui curam pauperum : cujus oppositum docet Theophylactus Chrysostomi discipulus in cap. XIV. Marc. sed possunt facile conciliari. Sciendum igitur, absolute melius esse honorare Deum in seipso, quam in pauperibus ; Nam charitas Dei semper anteponi debet charitati proximi. Verumtamen quia Deus nulla re indiget, et quæ illi offerimus, vult nobis utilia esse, non sibi : ideo tunc Deus magis honoratur, et tit illi res gratior, quando quod illi offerimus, est hominibus utilius. Hinc igitur quando alicubi templa satis bene se habent, pauperes autem notabiliter patiuntur egestatem : tunc melius est dare pauperibus eleemosynam, quam templo addere ornamenta ; et in hoc casu loquitur Chrysostomus. Videbat enim homines pronos admodum ad offerenda Ecclesiæ donaria, et negligentes in cura pauperum, in quo sensu etiam videtur dixisse Oseas cap. VI : *Misericordiam volo, non sacrificium* (1), id est, malo misericordiam, quam sacrificium.

At e contrario, si alicubi pauperes mediocriter tractentur, sed templa sint inculta, et deserta, et propterea decrescat pietas, et devotio : tunc melius est ornare templa, quia id est utilius etiam proximo, cujus pietas, et devotio juvatur illo ornatu : et in hoc casu loquitur Theophylactus. Quando autem esset æqualis indigentia et templorum, et pauperum, modo non sit extrema, videretur melius dare templo quam pauperi, quia pluris facienda est indigentia spiritualis, quam temporalis, et quia ornatus templi est bonum durabilius, et communius, quam sit eleemosyna data pauperibus : et quia magis immediate datur Deo.

Ad primam rationem dico tria. Primo, Christum fuisse pauperem, nec requisivisse propter se ullam pompam, vel delicias in hoc mundo : tamen non recusasse interdum sumptuosa obsequia, quibus videbat ali, et augeri piorum devotionem, ut patet de ingressu ejus in Hierusalem super asinum ; in quo libenter admisit, ut multi sternerent vestes suas in via, quæ pedibus jumenti illius conculcabantur, et forte etiam lacerabantur Matth. XXI. patet etiam de unguento pretiosissimo, quo caput suum, et pedes inungi passus est Matth. XXVI. et Joan. XII.

Secundo dico, quod Christus fuerit pauper, et stabulum, ac pannos, et viles cibos amaverit, ideo factum esse, quia ista congruebant tempori mortalitatis ejus. Venerat enim ut pateretur, et per labores, ac dolores, mundum redimeret : At nunc post mortem, et resurrectionem, cum gloriosus regnat in cœlo, convenit illi domus magnifica, et splendidissima.

Adde tertio, templa dicari Christo præcipue ratione divinitatis : qua ratione semper fuit dives Rex Regum, et Dominus dominantium. Itaque rectissime exstruuntur illa templa magnifica, qualia Deo conveniunt, licet ipse idem in forma servi, humilitatem et paupertatem verbo, et exemplo docuerit.

(1) Osee. VI, 6.

Ad secundam dico, non esse otiosa ornamenta, quia sunt signa reverentiæ, et pietatis nostræ erga Deum, et excitant in animis hominum devotionem. Unde interroganti Persio:

Dicite Pontifices, in Sancto quid facit aurum?

Respondendum est, multa bona facit, quæ jam enumeravimus.

Ad tertiam dico, ornamenta illa non fieri, ut distrahant, sed ut excitent devotionem. Quod si aliqui distrahuntur, est vitium illorum, qui abiuntur rebus bonis: nisi forte ornamenta sint omnino vana, et inepta, quæ et nos reprehendimus.

Ad quartam de pauperibus alendis, jam responsum est. Adde, quod si propter ordinarios pauperes non liceret exstruere, vel ornare templa, multo minus liceret ornare palatia, instruere convivia, habere apparatum ullum equorum, famulorum, currurum etc. quod si ista licita sunt ad tuendam dignitatem magnarum personarum, non obstante pauperum multitudine, cur non liceat etiam ad conservandam rerum sacrarum majestatem templa exornare, non obstante pauperum multitudine?

Ad quintam dico, Matth. XXV, numerari opera munera, ut inde colligamus quid de majoribus sentiendum sit; dicitur enim: *Ite in ignem æternum, quia esurivi, et non dedistis mihi manducare* (1): et non dicitur, Ite in ignem æternum, quia papistis aliena, sed hoc a majori deducitur ex illo. Ita etiam non dicitur, ite in ignem æternum, quia non ædificastis templum, sed deducitur hoc a majori. Si enim damnabitur qui non fecit eleemosynam, quando eam facere tenebatur: multo magis damnabitur qui non ædificavit, vel non reparavit, aut non ornavit templum, quando id facere tenebatur. Qui autem teneantur, et qui non, alia quæstio est, atque ad rem nostram nihil facit.

(1) Matth. XXV, 41 et 42.

CAPUT VII.

De benedictionibus aquæ, salis, cinerum, cerei etc.

Primi, qui ejusmodi benedictiones irridere cœperunt, Waldenses sunt, ut patet ex fragmento operis Reynerii, quod exstat in fine libri Claudii Coussord contra Waldenses. Exorti sunt Waldenses, eodem Reynerio teste anno Domini 1170. Post eos Flagellantes exorti sunt circa annum Domini 1350, teste Bernardo Lutzemburgensi in suo Catalogo, qui quod omnem pietatem constituerent in Baptismo sanguinis per flagellationem sponte effusi, simul asserebant finem jam accepisse Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, et cætera omnia, et cum eis omnes benedictiones aquæ, cinerum, salis etc. Unde etiam instrumentum, quo aspergimus aquam lustralem, vocabant clavam mortis; ipsas vero guttas aspersæ aquæ scintillas infernales dicebant. Post eos Wiclefistæ (teste Thoma Waldensi tom. III. tit. ult. cap. 68.) asserebant benedictiones aquæ, salis, vini, panis, olei, cereorum, et similium, esse veram practicam necromantiæ. Idem de hæreticis in Bohemia grassantibus scribit Æneas Sylvius lib. de orig. Bohemorum cap. 35.

Martinus Lutherus in libro de visione Danielis contra Ambrosium Catharinum, damnat etiam has omnes benedictiones. Magdeburgenses Centur. II. cap. 6. columa. 121. dicunt, aquæ consecrationem tribui a Catholicis Alexandro Papæ et Martyri tamquam inventori; sed rectius posse tribui alicui Gentilium Pontifici, cum Ethnicus sit ritus, aquæ lustralis aspersio.

Calvinus lib. IV. cap. 10. §. 20. Institutia dicit contra aquam benedictam. Primo, Catholicos pugnare secum, dum dicunt, aquæ benedictionem esse Apostolicam traditionem; et tamen referunt ejus institutionem in Alexandrum Papam auctorem, qui fuit VI a Petro. Secundo dicit, institutionem hanc esse receptiorem multo, quam ut Apostolis vel Alexandro tribui possit. Nam Augustinus epist. 119. cap. 18. dicit, Christianos omisisse cæremoniam lavandi pedes in die cœnæ Domini, ne videretur ea lotio ad Sacramentum Baptismi pertinere. Quare manifestum est, nullam eo tempore fuisse in Ecclesia lotionem religiosam, excepto Baptismo. Tertio dicit, aquæ lustralis institutionem nullo modo a spiritu Apostolico profluisse potuisse, quandoquidem nihil est aliud, quam quædam Baptismi profanatio, et quasi repetitio.

Brentius in sua Confessione cap. ult. reprehendit easdem cæremonias, quia non debent adumbrari mysteria fidei, ipso Evangelio jam toto orbe coruscante.

Denique Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Papistarum, loco 27. ponit inter errores, aquam lustralem valere ad delenda venialia, et ad fugandos Dæmones, et morbos: et probat primum ex illo I. Joan. II: *Sanguis Christi emundat nos ab omni delicto*; ergo etiam a venialí. Secundo probat quia nusquam scriptum est, ut aqua consecretur ad fugandos Dæmones. Item quia scriptum est Exod. XX: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Et Deuter. XVIII: *Non sit maleficus, nec incantator inter vos* (1). Est autem manifesta magia, præter Dei verbum uti creaturis ad fugandos Dæmones. Hæc illi.

His non obstantibus sit prima propositio: « Recte benedicuntur aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami, et similia. » Probatur primo ex Scripturis, quæ continent exemplum et documentum. Exemplum est Domini Matth. XIV. et Luc. IX. qui panes multiplicaturus aspexit in cœlum, et benedixit eos: et ea benedictione multiplicavit. Certe quod Dominus fecit, argui non potest. Documentum est Pauli, qui dicit I. Timoth. IV: *Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (2). In quem locum Chrysostomus et Theophylactus scribunt, Apostolum loqui ex hypothesi, id est, omnis quidem creatura bona et munda est, tamen etiamsi esset immunda, facile posses eam sanctificare adhibito signo crucis et oratione. Si ergo etiam res immundæ sanctificantur per crucis signum et orationem, quanto magis res alioqui bonæ fient meliores et sanctiores per signum crucis et orationem.

Secundo probatur ex traditione veterum. Ac primum de aqua, quod solet benedici ab ipso tempore Apostolorum, sunt innumerabilia testimonia. Clemens lib. VIII. Apostol. constitut. cap. 35. ponit ordinem consecrationis aquæ. Dionysius de Ecclesiastica hierarch. cap. de Baptismo, dicit, aquam sacris invocationibus consecrari. Alexander I. epist. 1. similiter præcipit aquam benedici. Cyrillus catechesi 3. dicit: « Sicut mundi cibi fiunt immundi invocatione Diaboli, ita aquam simplicem fieri sanctam invocatione Dei. » Cyprianus lib. I. epist. 12: « Oportet, inquit, mundari et sanctificari prius aquas a Sacerdote etc. » Ambrosius lib. IV. de Sacramentis cap. 5. docet, aquam debere consecrari, et lib. de his qui mysteriis initiantur cap. 3. dicit, aquam nisi crucis signo prius sacretur, nullum habere usum in Ecclesia. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. Apostolicam traditionem esse dicit, aquæ consecrationem. Epiphanius hæres. 30. et Theodoretus lib. V. cap. 21. historiæ, aquæ benedictæ meminerunt. Augustinus homil. 27. ex lib. L. homiliarum, et serm. 19. de Sanctis, et lib. VI. in Julianum cap. 8. dicit, aquam signo crucis in Ecclesia consecrari. Adde Concilium Nannetense canon 4. ubi jubetur Presbyter cum ægrotos visitat, primo aspergere aqua sancta ægrotum, et ipsum cubiculum.

Nec Calvini objectiones aliquid valeant. Ad primam dico, aquæ lustralis institutionem non tribui Alexandro, sed Apostolis, Alexandro autem tribui præceptum, ut hæc cæremonia frequentetur.

Ad secundam dico, Augustinum non damnare cæremoniam lavandorum pedum, sed solum recensere varias opiniones. Nec dicit Augustinus ullos fuisse quibus simpliciter displiceret cæremonia lotionis pedum: sed solum fuisse aliquos, quibus displiceret lavari pedes Catechumenis in die Cœnæ Domini, ne videretur illa lotio ad Baptismum necessaria. Unde ibidem dicit, multis placuisse differendam lotionem in octavum diem Paschæ; et Ambrosius lib. III. de Sacramentis cap. 1. defendit cæremoniam lotionis pedum.

Ad tertiam dico, per aquam benedictam non repeti Baptismum. Differt enim Baptismus ab aspersione aquæ sanctæ, forma, ministro, intentione, et effectu, ut patet. Quamquam non negarim, per aquam bene-

(1) I. Joan. I, 7; Exod. XX, 7; Deut. XVIII, 11. - (2) I. Tim. IV, 4 et 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dictam refricari memoriam Baptismi, et admoneri Christianos ut cogitent, se aliquando per aquam purgatos fuisse, et pactum cum Deo contra Diabolum iniisse.

De Benedictione olei habemus testimonia Clementis, Dionysii, et Basilii, ubi supra, et Augustini tract. 118. in Joan.

De Benedictione panis extra Eucharistiam, habemus testimonium Augustini lib. II. de peccat. merit. cap. 26. et Paulini in epist. ad Alipium et Romanianum, quæ sunt 35. et 36. inter epistolas Augustini.

De Benedictione Cerei Paschalis, habemus testimonium Strabonis cap. 30. et Concilii IV Toletani, canon 8. et Papæ Zozimi, ut ex Pontificali patet, id est, ex libro de Romanis Pontificibus, qui habetur in tomis Conciliorum. Scripsit etiam de cereo paschali carmen insigne Prudentius.

De Benedictione Palmarum et Cinerum, habemus testimonium B. Maximi, cujus exstant homiliæ inscriptæ in die cinerum, et in Dominica Palmarum.

Secunda propositio: « Recte ad effectus supernaturales efficiendos et significandos utimur aqua, oleo, aliisque rebus benedictione consecratis. »

Nota, benedici illa omnia, quæ diximus, in Ecclesia propter tres fines. Primo, ad significandos spirituales effectus. Nam cineris aspersio significat pœnitentiam; palmæ, victoriam; cerei Paschalis, gloriam resurrectionis. Neque obstat ratio Brentii de adumbratione; nam istæ significationes non sunt propriæ adumbrationes futurorum, sed repræsentationes externæ rerum præsentium invisibilium, et spiritualium, vel etiam rerum præteritarum, quæ utilissimæ sunt ad affectum excitandum. Alioqui etiam tollemus Baptismum, qui, secundum Apostolum in epist. ad Rom. c. VI. continet repræsentationem mortis, et resurrectionis Christi, et nostræ etiam per Christum. Unde etiam Augustinus epist. 119. dicit, Christianos diebus Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecosten, stando orare solitos, ad significandam ea cæremonia Christi resurrectionem.

Secundo, ad deletionem venialium peccatorum. De qua re vide S. Thomam III. part. qu. LXXXVII, art. 3. et Dominicum a Soto in IV. sent. dist. 15. q. 2. et Gratianum can. Aquam dist. 3. de consecrat. Neque argumentum Heshusii concludit: nam sanguis Christi emundat ab omni peccato, sed si aliquo modo nobis applicetur. Et quemadmodum applicatur per Baptismum et Pœnitentiæ Sacramentum, ad delenda omnia peccata: ita etiam applicatur per Sacramentalia et orationem Dominicam, ad delenda venialia in eo qui est in gratia.

Tertio, ad fugandos Dæmones, et curandos morbos, ut ex precibus patet, quibus consecrantur. Verum est tamen, quod non operantur infallibiliter, sicut operantur Sacramenta; et ratio est, tum quia vim habent ejusmodi res non ex pacto Dei expresso, quomodo Sacramenta, sed ex precibus Ecclesiæ, et devotione utentium; tum etiam, quia aliquando non expedit nobis ut liberemur vel a morbo, vel a Dæmonis vexatione.

Probatur nunc propositio, quoad istum tertium effectum, exemplis Scripturæ et Sanctorum. Nam Numer. V. aquæ, super quas maledictiones a Sacerdote pronuntiatæ fuerant, si ab adultera epotæ fuissent, mox ventrem ejus inflari, et femur putrescere faciebant; nec tamen ista necromantia dici poterat. Num. XIX. aqua cineribus mixta dicebatur aqua expiationis, eaque mundabantur Judæi non quidem a peccatis, sed a legalibus sordibus, ut Apostolus dicit Hebr. IX. Nec dicere possumus eam fuisse incantationem. Similiter IV Regem II. Elisæus ad sanandas aquas miraculo adhibuit salem. Et IV Regum V. ad curandam lepram Naaman Syri adhibuit aquam Jordanis. Marc. VI. ungebant Apostoli ægros oleo, et curabantur. Hæc exempla satis ostendunt, non esse necromantiam, adhibere aquam, vel oleum, ad affectus supernaturales, tamquam signa divinæ virtutis.

Secundo, probatur exemplis Patrum. Nam apud Epiphanium hæres. 30. Joseph aqua benedicta solvit incantationes. Similiter fecit Marcellus Apameensis apud Theodoretum lib. V. cap. 21. Item Macharius apud Palladium cap. 19. Porro Hilarion apud Hieronymum pane vel oleo benedicto plurimos curavit. Sicut etiam S. Bernardus, ut in vita ejus scribitur lib. III. cap. 5. Gregorius lib. I. Dialog. cap. 10. scribit, S. Fortunatum curasse quemdam, qui cadens ex equo, femur confregerat, solius aquæ benedictæ aspersione. Beda lib. V. hist. cap. 4. scribit, nobilissimam fœminam gravissime laborantem aqua benedicta mox ita convaluisse, ut ministraret mensæ, quemadmodum aliquando fecerat socrus Petri. Bernardus in vita Malachiæ scribit, a Malachia, per aquam benedictam, hominem fræneticum esse curatum.

Ad hæc et similia ita respondet Heshusius: « Mendacia, inquit, quæ finguntur de miraculis factis per aquam lustralem, retundenda sunt præcepto: Non dices falsum testimonium. Quod si contendant vera esse, nota est Christi admonitio, Pseudoprophetæ edent miracula et prodigia, ut inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi. » Sed facile est judicare, mendacia necne dici possint quæ testimonium habent ab Epiphanio, Theodoreto, Palladio, Hieronymo, Gregorio, Bernardo, et num sint Pseudoprophetæ sanctissimi illi viri, Josephus, Marcellus, Macarius, Hilarion, Fortunatus, Malachias, qui Christi nomine aut Diaboli artes dissolverunt, aut morbos gravissimos curaverunt. Videat potius Heshusius, ne sit ipse temerarius, et blasphemus, et in spiritum Domini peccatum admittat. Quid enim temerarium magis, quam tot sanctos Patres mendacii reprehendere, sine teste, sine ratione ulla? Quæ est autem blasphemia in Spiritum sanctum, si hæc non est, opera divina, Christi invocatione, a sanctissimis viris perfecta, inter signa mendacia Pseudoprophetarum referre?

Ad rationes autem Tilmanni facile est respondere. Ad illam: « Non est scriptum, ut aqua sanctificetur, ad pellendos Dæmones. » Respondeo, falsum est; Nam scriptum est, omnem creaturam posse sanctificari per verbum Dei, et orationem. Et rursus scriptum est: *Petite, et accipietis.* Ecclesia igitur Christum, et Paulum sequens, Verbo Dei, et oratione sanctificat aquam, et petit, ut valeat contra Dæmones, et morbos, et Deus miraculis testatur se audire ejusmodi preces. Præterea etiamsi scriptum non esset, quid tum? Ubinam scriptum erat ut aquæ sanarentur sale, et lepra curaretur aqua Jordanis? et tamen utrumque fecit Elisæus.

Ad secundam: *Non assumes nomen Dei tui in vanum; et non erit inter vos magus* (1), respondeo, assumere nomen Dei in vanum, proprie nihil esse aliud, quem pejerare, ut recte explicat Concilium Toletanum VIII, cap. 2. Malefici autem, et incantatores sunt, qui Diaboli potestate aliquid mirum operantur. At qui aquam benedicunt, nec pejerant, nec Diabolum invocant, sed solum religiose Deum precantur. Tota enim virtus aquæ lustralis nititur verbo Dei, et oratione, ut ex Apostolo demonstravimus.

(1) Deut. XVIII, 11.

CAPUT VIII.

De Peregrinationibus.

Disseruimus de templis, nunc de peregrinationibus ad templa, aliaque sacra loca, paucis disserendum est. Error fuit Claudii Taurinensis, apud Jonam lib. III. de culto imaginum, inanes esse peregrinationes ad loca Sanctorum. Eumdem secuti sunt Petrobrusiani, teste auctore vitæ S. Bernardi lib. III. cap. 5. Wiclefistæ autem, teste Thoma Waldensi tom. III. tit. 15. idololatriæ damnabant eos, qui ad loca sancta peregrinabantur.

Joannes Calvinus lib. IV. Institut. cap. 13. §. 7. peregrinationes votivas ad loca Sanctorum non solum inanes, sed etiam plenas manifesta impietate esse dicit. Non tamen aliter probat, quam communi suo axiomate, quod omnis voluntarius cultus Deo displiceat.

Magdeburgenses Centur. IV. cap. 6. col. 438. tempore Constantini cœpisse volunt abusum peregrinationum ad loca Sanctorum, sed non diu postea refutatum fuisse longa oratione a Gregorio Nysseno. Quam orationem totam recitant eadem Centur. IV. cap. 10. col. 936. et sequentibus.

Ex qua oratione sumuntur hæc argumenta. Primum Christus Matth. V. inter ea, quæ homines beatos facinut, non posuit peregrinationes. Secundum, multa sunt pericula spiritualia in itineribus, ac præsertim mulierum, ut notum est. Tertium, nihil invenire possumus Hierosolymis, quod in nostra regione non habeamus, nam Deus non magis est ibi, quam alibi, ut patet ex eo, quod homines regionis illius non sunt meliores cæteris, sed forte pejores. Porro res Dei, id est, templa, et altaria ubique inveniri possunt. Poterant addere Hieronymi epist. ad Paulinum de institutione Monachi, in qua multis argumentis probat, non expedire peregrinationem ad loca sancta suscipere;

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dictam refricari memoriam Baptismi, et admoneri Christianos ut cogitent, se aliquando per aquam purgatos fuisse, et pactum cum Deo contra Diabolum iniisse.

De Benedictione olei habemus testimonia Clementis, Dionysii, et Basilii, ubi supra, et Augustini tract. 118. in Joan.

De Benedictione panis extra Eucharistiam, habemus testimonium Augustini lib. II. de peccat. merit. cap. 26. et Paulini in epist. ad Alipium et Romanianum, quæ sunt 35. et 36. inter epistolas Augustini.

De Benedictione Cerei Paschalis, habemus testimonium Strabonis cap. 30. et Concilii IV Toletani, canon 8. et Papæ Zozimi, ut ex Pontificali patet, id est, ex libro de Romanis Pontificibus, qui habetur in tomis Conciliorum. Scripsit etiam de cereo paschali carmen insigne Prudentius.

De Benedictione Palmarum et Cinerum, habemus testimonium B. Maximi, cujus exstant homiliæ inscriptæ in die cinerum, et in Dominica Palmarum.

Secunda propositio: « Recte ad effectus supernaturales efficiendos et significandos utimur aqua, oleo, aliisque rebus benedictione consecratis. »

Nota, benedici illa omnia, quæ diximus, in Ecclesia propter tres fines. Primo, ad significandos spirituales effectus. Nam cineris aspersio significat pœnitentiam; palmæ, victoriam; cerei Paschalis, gloriam resurrectionis. Neque obstat ratio Brentii de adumbratione; nam istæ significationes non sunt propriæ adumbrationes futurorum, sed repræsentationes externæ rerum præsentium invisibilium, et spiritualium, vel etiam rerum præteritarum, quæ utilissimæ sunt ad affectum excitandum. Alioqui etiam tollemus Baptismum, qui, secundum Apostolum in epist. ad Rom. c. VI. continet repræsentationem mortis, et resurrectionis Christi, et nostræ etiam per Christum. Unde etiam Augustinus epist. 119. dicit, Christianos diebus Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecosten, stando orare solitos, ad significandam ea cæremonia Christi resurrectionem.

Secundo, ad deletionem venialium peccatorum. De qua re vide S. Thomam III. part. qu. LXXXVII, art. 3. et Dominicum a Soto in IV. sent. dist. 15. q. 2. et Gratianum can. Aquam dist. 3. de consecrat. Neque argumentum Heshusii concludit: nam sanguis Christi emundat ab omni peccato, sed si aliquo modo nobis applicetur. Et quemadmodum applicatur per Baptismum et Pœnitentiæ Sacramentum, ad delenda omnia peccata: ita etiam applicatur per Sacramentalia et orationem Dominicam, ad delenda venialia in eo qui est in gratia.

Tertio, ad fugandos Dæmones, et curandos morbos, ut ex precibus patet, quibus consecrantur. Verum est tamen, quod non operantur infallibiliter, sicut operantur Sacramenta; et ratio est, tum quia vim habent ejusmodi res non ex pacto Dei expresso, quomodo Sacramenta, sed ex precibus Ecclesiæ, et devotione utentium; tum etiam, quia aliquando non expedit nobis ut liberemur vel a morbo, vel a Dæmonis vexatione.

Probatur nunc propositio, quoad istum tertium effectum, exemplis Scripturæ et Sanctorum. Nam Numer. V. aquæ, super quas maledictiones a Sacerdote pronuntiatæ fuerant, si ab adultera epotæ fuissent, mox ventrem ejus inflari, et femur putrescere faciebant; nec tamen ista necromantia dici poterat. Num. XIX. aqua cineribus mixta dicebatur aqua expiationis, eaque mundabantur Judæi non quidem a peccatis, sed a legalibus sordibus, ut Apostolus dicit Hebr. IX. Nec dicere possumus eam fuisse incantationem. Similiter IV Regem II. Elisæus ad sanandas aquas miraculo adhibuit salem. Et IV Regum V. ad curandam lepram Naaman Syri adhibuit aquam Jordanis. Marc. VI. ungebant Apostoli ægros oleo, et curabantur. Hæc exempla satis ostendunt, non esse necromantiam, adhibere aquam, vel oleum, ad affectus supernaturales, tamquam signa divinæ virtutis.

Secundo, probatur exemplis Patrum. Nam apud Epiphanium hæres. 30. Joseph aqua benedicta solvit incantationes. Similiter fecit Marcellus Apameensis apud Theodoretum lib. V. cap. 21. Item Macharius apud Palladium cap. 19. Porro Hilarion apud Hieronymum pane vel oleo benedicto plurimos curavit. Sicut etiam S. Bernardus, ut in vita ejus scribitur lib. III. cap. 5. Gregorius lib. I. Dialog. cap. 10. scribit, S. Fortunatum curasse quemdam, qui cadens ex equo, femur confregerat, solius aquæ benedictæ aspersione. Beda lib. V. hist. cap. 4. scribit, nobilissimam fœminam gravissime laborantem aqua benedicta mox ita convaluisse, ut ministraret mensæ, quemadmodum aliquando fecerat socrus Petri. Bernardus in vita Malachiæ scribit, a Malachia, per aquam benedictam, hominem fræneticum esse curatum.

Ad hæc et similia ita respondet Heshusius: « Mendacia, inquit, quæ finguntur de miraculis factis per aquam lustralem, retundenda sunt præcepto: Non dices falsum testimonium. Quod si contendant vera esse, nota est Christi admonitio, Pseudoprophetæ edent miracula et prodigia, ut inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi. » Sed facile est judicare, mendacia necne dici possint quæ testimonium habent ab Epiphanio, Theodoreto, Palladio, Hieronymo, Gregorio, Bernardo, et num sint Pseudoprophetæ sanctissimi illi viri, Josephus, Marcellus, Macarius, Hilarion, Fortunatus, Malachias, qui Christi nomine aut Diaboli artes dissolverunt, aut morbos gravissimos curaverunt. Videat potius Heshusius, ne sit ipse temerarius, et blasphemus, et in spiritum Domini peccatum admittat. Quid enim temerarium magis, quam tot sanctos Patres mendacii reprehendere, sine teste, sine ratione ulla? Quæ est autem blasphemia in Spiritum sanctum, si hæc non est, opera divina, Christi invocatione, a sanctissimis viris perfecta, inter signa mendacia Pseudoprophetarum referre?

Ad rationes autem Tilmanni facile est respondere. Ad illam: « Non est scriptum, ut aqua sanctificetur, ad pellendos Dæmones. » Respondeo, falsum est; Nam scriptum est, omnem creaturam posse sanctificari per verbum Dei, et orationem. Et rursus scriptum est: *Petite, et accipietis.* Ecclesia igitur Christum, et Paulum sequens, Verbo Dei, et oratione sanctificat aquam, et petit, ut valeat contra Dæmones, et morbos, et Deus miraculis testatur se audire ejusmodi preces. Præterea etiamsi scriptum non esset, quid tum? Ubinam scriptum erat ut aquæ sanarentur sale, et lepra curaretur aqua Jordanis? et tamen utrumque fecit Elisæus.

Ad secundam: *Non assumes nomen Dei tui in vanum; et non erit inter vos magus* (1), respondeo, assumere nomen Dei in vanum, proprie nihil esse aliud, quem pejerare, ut recte explicat Concilium Toletanum VIII, cap. 2. Malefici autem, et incantatores sunt, qui Diaboli potestate aliquid mirum operantur. At qui aquam benedicunt, nec pejerant, nec Diabolum invocant, sed solum religiose Deum precantur. Tota enim virtus aquæ lustralis nititur verbo Dei, et oratione, ut ex Apostolo demonstravimus.

(1) Deut. XVIII, 11.

CAPUT VIII.

De Peregrinationibus.

Disseruimus de templis, nunc de peregrinationibus ad templa, aliaque sacra loca, paucis disserendum est. Error fuit Claudii Taurinensis, apud Jonam lib. III. de culto imaginum, inanes esse peregrinationes ad loca Sanctorum. Eumdem secuti sunt Petrobrusiani, teste auctore vitæ S. Bernardi lib. III. cap. 5. Wiclefistæ autem, teste Thoma Waldensi tom. III. tit. 15. idololatriæ damnabant eos, qui ad loca sancta peregrinabantur.

Joannes Calvinus lib. IV. Institut. cap. 13. §. 7. peregrinationes votivas ad loca Sanctorum non solum inanes, sed etiam plenas manifesta impietate esse dicit. Non tamen aliter probat, quam communi suo axiomate, quod omnis voluntarius cultus Deo displiceat.

Magdeburgenses Centur. IV. cap. 6. col. 438. tempore Constantini cœpisse volunt abusum peregrinationum ad loca Sanctorum, sed non diu postea refutatum fuisse longa oratione a Gregorio Nysseno. Quam orationem totam recitant eadem Centur. IV. cap. 10. col. 936. et sequentibus.

Ex qua oratione sumuntur hæc argumenta. Primum Christus Matth. V. inter ea, quæ homines beatos facinut, non posuit peregrinationes. Secundum, multa sunt pericula spiritualia in itineribus, ac præsertim mulierum, ut notum est. Tertium, nihil invenire possumus Hierosolymis, quod in nostra regione non habeamus, nam Deus non magis est ibi, quam alibi, ut patet ex eo, quod homines regionis illius non sunt meliores cæteris, sed forte pejores. Porro res Dei, id est, templa, et altaria ubique inveniri possunt. Poterant addere Hieronymi epist. ad Paulinum de institutione Monachi, in qua multis argumentis probat, non expedire peregrinationem ad loca sancta suscipere;

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et adducit exempla S. Antonii, et aliorum Monachorum, qui licet in vicinia Sanctorum locorum habitarent, tamen numquam ad illa venerunt.

Sed nihil horum nos movere debet. Sunt enim peregrinationes ad loca sancta piæ, et religiosæ, ut Concilium Tridentinum sess. XXV. rectissime docet. Id probatur primum Scripturæ testimonio. Deuter. XVI. Deus instituit ut omnes illi Israel ter in anno ad tabernaculum, vel templum Domini peregrinarentur. Quod præceptum studiose servabat Helcana, et Anna uxor ejus I Reg. I. necnon Christus ipse cum matre sua, et S. Josepho Lucæ II. Joann. XII. etiam Gentiles veniebant adorare in Hierusalem propria regione relicta. Actor. VIII. Eunuchus Æthiops ex longinqua regione veniebat adorare in Hierusalem. Actor. XX. Paulus ipse festinabat in itinere, ut in Hierusalem faceret Pentecosten; quem locum adducit Hieronymus, in epist. 17. ad Marcellam, ut ostendat bonum esse ad loca sancta peregrinari. Hæc igitur exempla ex Scripturis petita, quæ nullo modo reprehendi possunt, satis indicant, non esse inanem peregrinationem.

Secunda probatur ex Patribus. Eusebius lib. VI. cap. 9: « Alexander, inquit, Hierosolymam adorandi, et locorum Sanctorum videndi causa properavit. » Idem refert Hieronymus lib. de vir. illustr. in Alexandro. Porro iste Alexander floruit centum annis ante tempora Constantini, et Martyr fuit sanctissimus, quem etiam mirifice laudant Magdeburgenses Centuria III. cap. 10. in principio. Ex quo apparet mendacium esse Magdeburgensium, quod cœperint peregrinationes ad loca sancta tempore Constantini. S. Nicolaus quoque adolescens ante Constantini imperium voti causa peregrinatus est in Hierusalem, auctore Simeone Metaphraste. Idem Eusebius lib. III. de vita Constantini, et Ambrosius oratione de obitu Theodosii laudant Helenam, quod religionis causa Hierosolymam iverit.

Gaudentius Episcopus Brixiensis in serm. de dedicatione templi, scribit, se peregrinatum in Hierusalem, et in itinere, cum transiret per Cæsaream Cappadociæ, accepisse dono a duabus sanctis mulieribus, neptibus magni Basilii, reliquias XL Martyrum.

Joannes Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum, circa finem, comparans sepulchra Martyrum cum sepulcris Regum: « Itaque, inquit, quo regias quidem aulas videat, nullus unquam peregrinatus fuerit: multi vero Reges plerumque hujus spectaculi gratia peregrinati sunt; futuri namque judicii vestigia, et signa Sanctorum ædes exhibent, ubi dæmones flagellantur, corriguntur homines, et liberantur. »

Hieronymus epist. 17. ad Marcellam: « Longum est, inquit, nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat. » Item epist. 27. de obitu Paulæ: « Cujus, inquit, gentis homines ad loca sancta non veniunt? » In epist. 46. ad Rusticum qui voverat, peregrinari ad loca sancta Palæstinæ: « Redde, inquit, quod præsente Domino spopondisti, incerta est vita mortalium ne ante rapiaris, quam tuam impleas sponsionem. » Denique epist. 154. ad Desiderium, hortatur illum, ut veniat ad loca sancta, et inter alia dicit: « Certe adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est. »

Sulpitius lib. II. sacræ historiæ describens acta Helenæ dicit, illud esse mirandum Hierosolymis, quod in loco, unde Dominus cœlum ascendit, adhuc serventur pedum ejus vestigia, et cum ad eum locum undique fideles confluant, et rapiant aliquid calcati pulveris, damnum tamen arena non sentiat.

Paulinus epistol. 11. ad Severum: « Non aliter, inquit, affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant, atque contingant. » Et natali 3. S. Felicis scribit, turbas innumerabiles ex remotissimis locis peregrinari solitas ad corpus S. Felicis.

Prudentius in hymno de SS. Hemeterio et Chelidonio:

Extri necnon et orbis
Hue colonus advenit.
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix
Hic patronos esse mundi,
Quos precantes ambiant.

Augustinus epist. 137. ad clerum, et populum Hipponensem: « Elegit, inquit, aliquid medium, ut certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos. »

Cassianus lib. IV. de institutis renuntiantium c. 31. meminit Monachorum, qui orationis causa ad loca sancta pergebant: « Quidam, inquit, fratrum ad loca sancta de Ægypti partibus orationis causa convenerant. »

Socrates lib. VII. cap. penultimo scribit, Eudociam Theodosii junioris uxorem ex voto Hierosolymæ peregrinationem suscepisse. S. Alexium peregrinatum ad nobiliores Ecclesias mundi, scribit Simeon Metaphrastes in ejus vita.

Beda lib. V. hist. cap. 7. scribit Regem Ceedualam peregrinationem ad limina Apostolorum suscepisse, cupientem ibi Baptismum suscipere, et mox a Baptismo ex hac vita migrare. Quorum utrumque impetravit; nam in Sabbato S. a Papa Sergio baptizatus, in ipsa hebdomada Paschæ in albis positus, levi morbo correptus migravit ad Dominum. Item cap. 20. scribit Regem Cœnredum relicto regno peregrinationem ad Apostolorum limina suscepisse, et apud eadem limina in jejuniis et precibus usque ad vitæ finem permansisse.

Nicolaus I. in epist. ad Michaelem scribit, multa millia hominum ex omnibus terræ finibus confluere solita ad limina Apostolorum religionis causa.

Palladius in hist. Lausiaca cap. 113. scribit Philoromum, Presbyterum his voti causa peregrinatum Hierosolymam, et item ex voto peregrinatum Romam ad limina Apostolorum, et Alexandriam ad reliquias S. Marci. Idem cap. 118. scribit Melaniam Hierosolymæ occupatam in suscipiendis peregrinis ex toto orbe venientibus.

His adde Concilium Cabilonense sub Carolo Magno celebratum, quod can. 45. docet eorum devotionem omnibus probari debere, qui pœnitentiæ causa ad limina Apostolorum, vel alia sancta loca peregrinantur.

Probatur ultimo ratione, sumpta ex utilitate peregrinationum; nam tria bona adferunt. Primo cedunt in honorem Dei et Sanctorum non mediocrem. Est enim manifestum signum, Deum, et Sanctos a nobis magni fieri, cum laborem, et pericula itinerum sponte suscipimus, ut Sanctorum reliquias invisamus. Secundo, est opus pœnitentiæ, et satisfactionis, quia laboriosum, et pœnale. Tertio, auget devotionem; Nam præsentia loci Sancti vix dici potest, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam; et licet ubique sint aliqua sancta loca, tamen sæpe alibi sunt loca sanctiora, ad quæ utile est peregrinari, vel si non sint sanctiora, sunt tamen alia ab his, quæ in nostra patria inveniuntur, et ipsa novitas juvat ad excitandam devotionem, sæpe etiam peculiari amore ferimur erga Sancti alicujus memoriam, quæ procul absit a nobis, et eo accedere non parum juvat, licet habeamus domi memorias celebriores.

Ex his ad argumentum Calvini dico, cultum voluntarium dici eum, qui sine ratione suscipitur, ut si quis voveat se non iturum ad mensam, nisi bis laverit manus. At cultus qui exhibetur Deo per actus virtutum, non dicitur voluntarius, licet non sit præceptus, ut patet Num. XXX. ubi Dominus jubet impleri vota rerum non præceptarum.

Ad Magdeburgenses dico duo. Primo, forte non esse Nysseni illam orationem; nam nec habetur in operibus ejus, nec scitur quis illam verterit in sermonem Latinum, et forte etiam Græce non invenitur.

Secundo dico, in ea oratione non reprehendi absolute peregrinationem in Hierusalem, sed reprehendi ejusmodi peregrinationem in certis personis, id est, Monachis, et sanctimonialibus; Nam de talibus solum eo loco agitur. Quamvis autem peregrinatio sit bona, tamen non omnibus convenit, quidam enim sunt quibus non convenit peregrinari, quales sunt mulieres, nisi magnum, et tutum habeant comitatum; item Monachi, qui in claustris in silentio, precibus, ac jejuniis exercentur, illorum enim majus bonum impediretur minore bono peregrinationis. Et hoc modo Jonas lib. III. respondet ad calumnias Claudii contra Abbatem Theodemirum: dixerat enim Claudius Abbati laudanti peregrinationes ad urbem: « Quare tu Monachos tuos retines in monasterio, et non mittis omnes Romam? » Respondet Jonas pro Abbate, « quia peregrinatio est bona, sed non convenit Monachis; sicut et nuptiæ bonæ sunt, sed non conveniunt professoribus continentiæ. » Sic etiam Hieronymus, qui tam multa dixit in laudem peregrinationum, tamen Paulinum Monachum dehortatur a peregrinatione, quia proposito ejus magis conveniebat quies, et stabilitas monasterii. Ubi etiam recte monuit idem Hieronymus, S. Antonium, quia Monachus

erat, numquam peregrinatum ad loca sancta. Hilarionem autem quia in Palæstina degebat, semel tantum loca sancta invisisse, ne videretur contemnere religionem eorum locorum, quæ in vicinia erant. Sic ergo et Gregorius Nyssenus facit : nam alioqui quomodo credibile est Nyssenum voluisse reprehendere, quod sciebat factum a S. Alexandro Martyre, suæ regionis homine, et quod non ignorabat laudari ab omnibus Doctoribus suæ ætatis.

Sed diluamus objectiones. Ad primam rationem dico, ea probari solum, peregrinationem non esse opus necessarium ad perfectionem, vel ad salutem. Et ad hoc solum probandum adfertur a Gregorio; nam Monachi illi putabant se non posse esse perfectos, nisi viderent loca sancta, quod certe falsum erat.

Ad secundam dico, illa pericula recte probare, peregrinationem non esse omnibus accommodatam, sed solum viris maturis, et quibus parum aut nihil periculi immineat. Gregorius igitur recte argumentatur, quia de sanctimonialibus agit, cum dicit propter pericula debere omitti ejusmodi peregrinationes; nulli enim hominum generi magis cavenda sunt pericula tentationum, quam sanctimonialibus, quibus et sexus, et professio cautionem maximam dicit.

Ad tertiam dico, nihil esse Hierosolymis quod non possit alibi inveniri, si agamus de rebus essentialibus, et necessariis ad religionem; Deus est ubique, Sacramenta, templa, altaria ubique etiam inveniri possunt : et hoc sufficiebat Gregorio, ut suaderet Monachis, et virginibus, ne solliciti essent pro itinere Hierosolymitano : tamen interim negari non potest, quin aliquid sit Hierosolymis, quo devotio juvari possit, quod alibi non invenitur, nimirum sepulcrum Domini, et loca illa sancta, quæ toties Dominus calcavit, et in quibus tot mirabilia operatus est. Sed hæc non tanti facienda sunt, ut propterea oporteat deserere majora bona.

(1) Isai. XIX, 21.

CAPUT IX.

De votis quæ nuncupantur Sanctis.

Erasmus in Colloquio, quod inscribitur Naufragium, miro modo irridet vota, quæ Sanctis nuncupantur. De hæreticis autem omnibus nulla esse potest dubitatio, quin nos pro idololatris habeant ob ea vota quæ passim Sanctis nuncupamus; et ratio esse potest, quia votum est actus religionis soli Deo debitus, qualis est etiam juramentum, et sacrificium, ut patet ex divinis litteris, ubi perpetuo vota dicuntur fieri Deo, Numer. XXX. Deuter. XXIII. in Psalmis passim, et præcipue Isaiæ XIX, ubi legimus : *Colent eum in hostiis, et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent* (1).

Verumtamen, posse aliquo modo Sanctis vota nuncupari, certissimum est. Et probatur testimoniis antiquorum Patrum. Eusebius lib. XIII præparatione Evangelica cap. 7. loquens de Martyribus, nomine omnium Christianorum : « Nos, inquit, veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, votaque illis facimus tamquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur. » Theodoretus lib. VIII. ad Græcos, ubi dixerat varia a Martyribus peti, subdit : « Pie, inquit, fideliterque precatos, ea maxime consequi quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei persolvunt; nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii manuum simulacra suspendunt ex argento, aurove confecta etc. » Palladius in hist. Lausiaca cap. 113. scribit, sanctum Philoromum ex voto Apostolis nuncupato venisse Romam ad limina Apostolorum, et deinde Alexandriam ad S. Marcum.

Prudentius in hymno de SS. Hemeterio et Chelidonio :

Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant observantes
Voce, votis, munere.

Paulinus natali 1. de S. Felice :

Hunc licuit celebrare diem, pio reddere coram
Vota etc.

Et natali 2.

Coram vota tibi, coram mea corda dicavit.

Et natali 4.

Annua vota mihi remeant, simul annua linguæ
Debita etc.

Gregorius Turonicus lib. II. hist. Francorum c. 37. meminit voti, quod nomine Clodovei Regis S. Martino fecerunt ministri ejus : « Domino, inquit, gratias agentes, et vota beato Confessori promittentes læti nuntiaverunt Regi etc. »

Accedat adversariorum testimonium : nam Faustus apud Augustinum lib. XX. contra Faustum c. 3 : « Idola, inquit, vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis. » Ex quo Fausti testimonio discimus, usitatissimum in primitiva Ecclesia fuisse, ut Martyribus vota fierent.

Ad argumentum autem, quod nos ipsi proposuimus, respondet B. Thomas in 2. 2. quæst. LXXXVIII. art. 3. vota quæ fiunt Sanctis, vel Prælatis, includere duas promissiones : unam quæ fit Sanctis, et illam non esse formaliter votum, sed materiam voti : alteram quæ fit Deo, et illam esse formaliter votum : ut cum quis dicit : Voveo B. Mariæ me ad ejus domum peregrinaturum; promittit Virgini hanc peregrinationem, sed hæc promissio non est votum : et simul promittit Deo, se impleturum promissionem Virgini factam, et hæc secunda promissio vere est votum. At ista recte se habent in votis, quæ includunt promissionem homini mortali factam; nam qui vovet obedientiam prælato revera votum non prælato, sed Deo facit, licet ipsi prælato obedientiam promittat, non enim illo voto prælatum, sed Deum colere et honorare intendit : similiter qui vovet perpetuo ministrare in Xenodochio, Deo facit votum, non Xenodochio, tametsi in utilitatem et commodum Xenodochii faciat. At qui vovet jejunium vel peregrinationem Sanctis, ipsos Sanctos religiose honorare intendit. Et præterea Cajetanus in eum articulum B. Thom. probat ex ipsa professione Fratrum prædicatorum, vota vere fieri Sanctis : Nam dum profitentur, dicunt : « Voveo Deo, et B. Mariæ, et omnibus Sanctis, me prælato tali vel tali obediturum, » ubi ex duabus promissionibus una dirigitur ad prælatum, et illa est materia voti; altera quæ est formaliter votum, ad Deum, et Sanctos simul. Cajetanus igitur affert aliam solutionem, ac dicit, vota fieri Sanctis, non ut sunt creaturæ quædam rationis participes, sed ut in eis Deus habitat per gloriam, ita ut vota, quæ fieri dicuntur Sanctis, fiant Deo in Sanctis : quomodo maledicta in Sanctos dicuntur blasphemiæ, quia Deus in Sanctis maledicitur.

Sed objiciet fortassis aliquis. Aut vota, quæ fiunt Deo in Sanctis, terminantur ad solum Deum, quomodo sacrificium soli Deo offertur, licet in memoriam, et honorem Sanctorum : aut terminantur etiam ad ipsos Sanctos, ita ut revera ipsis vota fiant, quomodo eleemosyna, quæ datur Christo in paupere, vere datur ipsi pauperi : si primum accipiatur, ergo non vere fiunt vota Sanctis. Si secundum, ergo idololatræ videmur.

Respondeo, secundo modo fieri vota Sanctis, nec tamen nos esse idololatras; nam non eadem ratione fit votum Sanctis, et Deo; et solum votum quod fit Deo, est cultus latriæ. Animadvertendum est enim, inter omnes convenire vere et proprie Sanctis aliquid promitti; sicut vere et proprie aliquid promittitur Deo : id enim et B. Thomas concedit, et per se patet; nam si licet Sanctis ædificare sepulchra, et basilicas, ornare eorum reliquias, accendere coram eis cereos, ut supra ostensum est, cur non liceat eis ista promittere?

Rursum, inter omnes Catholicos convenit aliter promitti munus Deo, aliter Sanctis; Nam Deo promittitur in signum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum, et in recognitionem beneficii ab ipso, tamquam a primo auctore accepti, et proinde illa promissio est cultus latriæ; at Sanctis promittitur aliquid in signum gratitudinis erga mediatores, et intercessores, per quos a Deo beneficia accepimus; et proinde illa promissio non est cultus latriæ, sed duliæ.

Solum videtur dubium esse, an ista promissio facta Sanctis possit dici votum, id est, an votum sit nomen generale, quod dicatur analogice de promissione facta Deo et Sanctis, quomodo nomen orationis, et nomen cultus se habent : an vero sit nomen speciale, quod solum dicatur de promissione Deo facta, sicut sacrificium non dicitur nisi de munere, quod offertur Deo. Etsi autem controversia vocaboli, cum de re constat, nos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

torquere non debet; existimo tamen secundum usum Ecclesiæ nomen voti esse generale; nam nullus dicere auderet, sacrifico Deo, et B. Mariæ; vel etiam absolute, sacrifico B. Mariæ; et tamen dicimus, voveo Deo, et B. Mariæ; et etiam simpliciter, voveo B. Mariæ.

Præterea nomen voti ita est conjunctum cum nomine orationis, ut Græce dicatur votum εὐχὴ, oratio vero προσευχὴ, ut notat Gregorius Nyssenus or. 1. in orationem Dominicam; Latine autem sæpissime accipitur votum pro oratione. Et ratio est, quia ut ibidem docet Nyssenus, vota ordinantur ad orationem; solemus enim cum impetrare aliquid volumus, prius votis conciliare eum, a quo volumus petere, deinde petere id, quod volumus. Unde est illud VI Æneidos: « Æ-nea cessas in voti, precesque? » Sicut ergo orationis nomen non solum dicitur de illa petitione, qua a Deo postulamus beneficia, quæque est actus latriæ; sed etiam de illa, qua postulamus a Sanctis, ut nostram orationem juvent, quam fundimus ad Deum: ita etiam voti nomen non solum convenit promissioni, quæ fit Deo, quæque est actus latriæ, sed promissioni, quæ fit Sanctis, et quæ non est actus latriæ. Neque his repugnat, quod in Scripturis nomen voti semper accipiatur pro promissione facta Deo; nam cum scriberentur Scripturæ sanctæ, nondum coeperat usus vovendi Sanctis.

Sed objicies; si promissio facta Sanctis mortuis potest dici votum; cur non etiam promissio facta Sanctis adhuc viventibus nobiscum?

Respondeo primo, quia promissio facta Sanctis cum Christo regnantibus, est similior promissioni quæ fit Deo, quam sit promissio homini mortali. Nam quemadmodum id, quod promittimus Deo, non est illi utile, sed nobis, et solum fit in signum honoris, et gratitudinis; ita etiam quod promittimus Sanctis in cœlo regnantibus, non est illis utile, sed nobis; neque enim illi nostris rebus indigent, cum sint beati, et solum ista illis promittimus et offerimus in signum memoriæ, honoris et gratitudinis. At quæ hominibus hic viventibus promittimus, illis utilia sunt, vel certe esse possunt, cum ipsi multis rebus egeant.

Secundo, quia votum non convenit Sanctis nisi quatenus sunt Dii per participationem: at Sanctos, cum Christo regnantes certo scimus esse tales; de viventibus nobiscum non scimus certo, sed suspicamur tantum.

Tertio, quia Sancti in cœlo jam sunt re ipsa beati, et gloriosi, et filii Dei, ac Dii quidam per participationem, quia sunt confirmati in illo statu, neque excidere possunt. At Sancti, qui vivunt nobiscum, modo sunt Sancti, modo non sunt, et magis in spe, quam in re sunt beati, et gloriosi. Recte igitur quæ mortalibus promittuntur, non dicuntur vota; dicuntur autem, si beatis hominibus in cœlo degentibus promittantur.

CAPUT X.

An sint festi dies a Christianis celebrandi.

Postrema restat quæstio de festis. Disseremus autem primo de festis in genere. Secundo, de die Dominica. Tertio, de Paschate. Quarto, de cæteris festis Domini. Quinto de festis Sanctorum.

Quod igitur ad primum attinet, de celebratione festorum in universum, tres sunt errores. Primus veterum Ebionitarum, qui existimabant debere Christianos servare dies festos novi et veteris Testamenti, id est, Sabbatum; et Dominicam, ut Eusebius refert lib. III. hist. cap. 27. Eumdem errorem tempore B. Gregorii quidam renovare voluerunt, ut patet ex lib. XI. epist. 3. Idem hoc tempore servant Christiani, qui in Æthiopia degunt, qui in eodem honore habent Sabbatum, et Dominicam. Argumentum eorum est, quia Exod. XXXI de Sabbato dicitur: *Pactum est sempiternum, signumque perpetuum* (1).

Alter error est Petrobrusianorum, ut patet ex lib. III. cap. 5. vitæ B. Bernardi: et Waldensium, ut docet Guido in sua Summa; et Wicletistarum, ut refert Thomas Waldensis tomo III. tit. 16. cap. 140. qui omnia festa tollebant, tamquam si festi dies ad cæremonias Judæorum solum pertinerent.

Argumenta eorum erant tria loca B. Pauli. Primus Rom. XIV: *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem* (2), id

(1) Exod. XXXI. 16 et 17. — (2) Rom. XIV, 5.

est, alius putat unum diem esse sanctum, alium profanum; alius vero omnes dies putat esse æquales: et licet Paulus toleret in Romanis errorem illum de discretione dierum, quia nondum erant instructi plene; tamen clare indicare videtur esse errorem. Secundus est Gal. IV: *Dies observatis, et menses, et annos: timeo vos, ne frustra laboraverim in vobis.* Tertius locus est Coloss. II: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi* (1). Ad hæc addunt ex Patribus rationem; nam Sabbatum, quod mandatum fuerat Judæis carnaliter observandum, nimirum, ut abstinerent ab operibus servilibus, nobis mandatum est spiritualiter, ut scilicet vacemus a peccatis, quæ sunt opera vere servilia; quæ sententia est sanctorum Patrum; Ambrosii in cap. XIII. Lucæ; Hieronymi in cap. IV. ad Gal. Augustini epist. 119. et Gregorii lib. XI. epist. 3.

Tertius error est Lutheranorum, et Calvinistarum, qui admittunt dies festos, sed ita admittunt, ac si non admitterent. Summa doctrinæ eorum in his capitibus consistit. Primum docent, festos dies celebrare esse jure divino et naturali præceptum. Probant ex decalogo; nam licet præceptum de Sabbato sit aliquo modo cæremoniale, est tamen aliquo modo etiam naturale, alioqui in decalogo positum non fuisset. Præterea, quia natura ipsa docet, oportere nos aliquando feriari ab operibus corporalibus, tum ut vacemus Deo, et conveniamus in Ecclesia ad verbum Dei audiendum: tum etiam ut aliquam remissionem concedamus famulis, et operariis nostris; et in hoc primo non dissentimus.

Secundo docent, quia jus divinum non determinavit certos dies, quibus Christiani feriari debeant, debere eos determinari ab Ecclesia, id est, a pastoribus, consentiente populo: et in hoc etiam non multum dissentimus; solum enim displicet, quod putant necessarium populi consensum. Christus enim potestatem gubernandæ Ecclesiæ non tribuit Apostolis cum ea conditione, si populus consentiret, sed simpliciter. Verum de hac re alibi diximus.

Tertio docent, dies determinatos ad feriandum non debere haberi cæteris Sanctiores quasi mysterii aliquid, vel piam significationem continerent: sed solum haberi tamquam determinatos, disciplinæ, et ordinis, ac politiæ causa, ita ut cum hac determinatione simul consistat æqualitas dierum: et in hoc nos accusant, quasi habeamus discrimen dierum more Judaico; et probant assertionem suam ex locis Pauli supra citatis. Paulus enim reprehendit discrimen dierum: at certe non reprehendit discrimen necessarium ad ordinem, et politiam, ergo discrimen religiosum, et cæremoniale, quale erat Judæorum, quale esse videtur (ut ipsi dicunt) Christianorum, qui ob similes significationes dies mysticos habent et colunt.

Quarto docent, determinationem dierum non obligare Christianos in conscientia, nisi ratione scandali, vel contemptus: et in hoc etiam arguunt Catholicos, quod obligent fideles humanis præceptis. Porro sententiam suam Centuriatores probant, quia festorum observatio in primitiva Ecclesia habebatur res indifferens, et media, ut revera est, ergo non potuit imponi postea sub necessitate; nam Paulus, et alii, modo colebant Sabbatum, modo Dominicam indifferenter: nam Actor. XIII, Paulus in Sabbato concionatur. Joannes autem Apocal. I. mentionem facit Dominicæ.

Præterea quia Paulus, Galat. IV. resistit Pseudoapostolis volentibus introducere obligationem festorum. Deinde Heshusius idem probat: quia cum plura sint festa Christianorum, quam Judæorum, si eorum observatio ad peccatum obliget, erit intolerabilius jugum Christianorum, quam fuerit Judæorum; de quo tamen Petrus ait Act. XV: *Nec nos, nec Patres nostri portare potuimus* (1). Addit Calvinus testimonium Socratis lib. V. cap. 21. qui dies festos liberos esse voluisset, ac reprehendit impositam necessitatem.

Quinto docent: non licere dies festos consecrare Sanctis vel Eucharistiæ, et multo minus conceptioni B. Mariæ: sed de hoc infra suo loco. Hanc esse mentem hæreticorum, patet ex Magdeburgensibus Cent. I. lib. II. cap. 6. col. 503. ex Tilmanno Heshusio lib. de 600 erroribus Pontificiorum titul. 26. ex Philippo in locis, in expositione Decalogi; et ex Calvino lib. II Institutionum cap. 8. §. 28. et sequentibus; sed notanda sunt etiam singulorum singula mendacia, sive ineptiæ.

Magdeburgenses Centur. I. lib. II. cap. 6. col. 504. dicunt, tempore Aniceti cœpissa in

(1) Act. XV, 10.

Romana Ecclesia laborare mysterium iniquitatis, et se prodere semina Antichristi, quia nimirum Anicetus volebat Pascha non celebrari alio die quam Dominico. At hoc ipsum statuerunt eo tempore fere omnium Ecclesiarum Concilia; et postea Nicænum I. et idem servant etiam Lutherani. Quid igitur garriunt contra Romanam sedem?

Tilmannus dicit, apud Pontificios pari honore cum celeberrimis festis totius Ecclesiæ coli dies sanctorum Innocentium, S. Gregorii, S. Annæ, et S. Catharinæ. At mendacium est. Hæc enim festa in plurimis locis non servantur ex præcepto. Ibidem Heshusius probat, festum Corporis Domini esse rejiciendum, quia scriptum est: *Non adorabis Deos alienos.* Ubi aperte significat, Christum sibi esse Deum alienum; nam festum Corporis Domini proprie ipsi Christo dicatum est, ob beneficium instituti sanctissimi Sacramenti.

Philippus dicit, opera præcipua hujus præcepti de sanctificatione Sabbati, esse alere, ac honore afficere pios doctores: et peccata in hoc præceptum, esse, contemnere pios doctores, et nolle conferre ad eos alendos, et defendendos. Ita nimirum utiliter servantur festa pro ministris.

Calvinus dicit, cultum Sabbati apud Christianos in eo consistere, ut otiemur ab operibus nostris, et Deum in nobis operari sinamus, id est, intelligamus nos carere libero arbitrio ad bonum, et quidquid agimus, esse peccatum. At certe, qui ita sabbatizant, non intrabunt in requiem Domini, sed in ignem detrudentur æternum. Igitur adversus hos errores aliquot sententias proponemus.

Prima sententia: « Nullo modo licet Christianis Sabbatum Judæorum, aut alias ferias Testamenti veteris observare. » Hæc est contra primum errorem: et probatur Primo ex tribus locis Pauli supra citatis Roman. XIV, Galat. IV, et præcipue Coloss. II. adeo enim aperte Paulus reprehendit observatores Sabbati, ut Ebionitæ propterea Paulum non reciperent, sed apostatam esse dicerent, teste Epiphanio hær. 30. et Irenæo, lib. I. c. 26. ex quo refellitur etiam commentum Magdeburgensium, qui dicunt, Paulum indifferenter coluisse Sabbatum, vel Dominicam.

Secundo probatur ex Concilio Laodiceno cap. 29. ubi anathema dicitur iis, qui Sabbatum colunt, atque in eo vacant ab operibus.

Tertio probatur ex Gregorio epist. 3. lib. XI. ubi ex professo hunc errorem refellit, ac dicit, Antichristum renovaturum Sabbati culturam.

Quarto ratione, quia Sabbatum erat præcipua cæremonia Judaica, et præcipua figura Testamenti veteris, ut patet Coloss. II: *Aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbræ futurorum, corpus autem Christi* (1). Igitur ubi Christus venit, Sabbatum necessario finem habuit.

Ad Argumentum autem factum ex illis verbis Exod. XXXI, pactum est sempiternum, respondet Augustinus in quæstionibus in Exodum quæst. 46. 124. et 139. ac Primo dicit, Sabbatum, et sacerdotium, aliosque ritus Judæorum dici pacta, et signa æterna, quia res æternas significabant. Sicut cum dicimus: Deus est æternus, non significamus illas duas syllabas De, us, esse æternas, sed id, quod significant, esse æternum.

Secundo respondet, Sabbatum, et alias quasdam cæremonias dici æternas, quia non fuerant imperatæ Judæis usque ad aliquod tempus definitum; ut cum dicebatur, qui tetigerit mortuum, erit immundus usque ad vesperam: sed imperatæ fuerant servandæ quousque Deus vellet, et proinde in æternum ex parte ipsorum, qui non poterant eas omittere pro arbitrio suo. Quod autem sacerdotium Aaronicum, et cæteræ cæremoniæ non essent revera duraturæ in æternum, sed essent mutandæ a Deo, probat Augustinus ex Psalm. CIX: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech* (2). Cum enim de sacerdotio Christi dicitur, *non pœnitebit eum*, indicatur pœnituisse Deum sacerdotii Aaronici, id est, mutare illud constituisse. Nec enim in Deo est pœnitentia, nisi metaphorice, quia videlicet mutat res aliquas, ut ii faciant, quos earum rerum pœnitet. Possumus addere.

Tertio cæremonias Judaicas dici æternas, non simpliciter, sed donec duraret status illius Reipublicæ. Id quod explicat Dominus, cum addit, vobis autem in generationibus vestris, aut filiis Israel, ut Exod. XII: *Celebrabitis hunc diem solemnem in generationibus vestris cultu sempiterno* (3). Similia habentur de sacerdotio Exod. XXVIII, et de Sabbato Exod. XXXI.

(1) Coloss. II, 16 et 17. — (2) Psal. CIX, 4. — (3) Exod. XII, 14.

Secunda propositio. « Festa Christianorum non solum ratione ordinis, et politiæ, sed etiam ratione mysterii celebrantur, suntque dies festi vere aliis sanctiores, sacratiores, et pars quædam divini cultus. » Hæc est contra secundum et tertium errorem; nam tertius fere coincidit cum secundo. Probatur Primo ex die Dominico; nam diem Dominicum omnes celebramus tam nos, quam hæretici: at certum est diem illum celebrari in memoriam resurrectionis Domini, ut Augustinus dicit epist. 119. et fatetur etiam Calvinus lib. II. cap. 8. Instit. ergo non solum ratione ordinis festa celebrantur, sed etiam ratione mysticæ significationis.

Respondet Calvinus huic objectioni, quam dicit fieri solere a suis etiam, qui crebro mussitant, Dominicæ diei observationem ad discrimen dierum, ab Apostolo prohibitum, pertinere. Dicit autem duo: Primo diem Dominicum non servari nisi propter ordinem Ecclesiæ; electum autem fuisse hunc diem, quia tali die Christus resurrexit. Cum enim Christi resurrectione finitæ sint omnes Judaicæ cæremoniæ, hoc die admonemur, non esse amplius inhærendum umbris, et figuris.

At hæc solutio nihil valet; nam, si hunc diem colimus, ut admoneamur finitas esse umbras Judaicas, ergo colimus propter significationem. Nec enim dies aliter monet, quam significando, et repræsentando, ergo non est sublata, sed mutata significatio, et discretio dierum. Præterea dies Dominicus, ut Augustinus docet lib. XXII. de Civit. Dei cap. 30. non solum est memoria resurrectionis, sed etiam vitam beatam præfigurat. Igitur Secundo respondet, se non subjicere Ecclesiam servituti hujus diei, neque improbaturum, si Ecclesiæ alium diem sibi eligant. At hæc solutio aperte demonstrat, Calvinum agnoscere etiam apud suos coli festa ob significationem, et cupere quidem abrogare diem Dominicum, sed non audere, quia nimis alte radicata, et stabilita sit hæc veritas.

Secundo probatur, quia alioqui tollendi essent solemnes dies natalis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini, et Pentecostes, quos de Apostolica traditione descendere, in tota Ecclesia servari docet Augustinus epist. 118. et 119. et quos etiam adversarii colunt. Nam certum est, hos dies non servari ratione ordinis, et politiæ, sed ratione significationis; nam in primis si solum ratione ordinis servarentur, temere constituti fuissent. Quis enim est iste ordo, ut inter diem Passionis et Resurrectionis non sit nisi unus dies medius; inter Resurrectionis, et Ascensionis sint quadraginta? inter Ascensionis, et Pentecostes sint decem, inter Pentecostem, et Natale sint plusquam sex menses? Deinde si solum ratione ordinis celebrantur festa, cur sequimur lunam in festis mobilibus inveniendis? item cur habent ista nomina, Pascha, Ascensio etc. si nihil sacrum significant? Denique Patres diserte docent, festa ista celebrari ad significanda mysteria redemptionis, et ea externo ritu repræsentanda. Vide Augustinum epistola 119. et in Psal. CX. ubi prolixe disputat de mysteriis Paschæ, et aliorum festorum.

Tertio idem probatur ex eo, quod dies festi a Patribus dicuntur sancti, sacri, mystici, et religiose colendi quæ cum cæteris diebus non sunt communia. Ambrosius serm. 62: « Dominica nobis venerabilis est, atque solemnis. » Augustinus præfatione in epist. Joannis: « Quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum etc. » Idem lib. XXII. de Civit. Dei cap. 30: « Dies Dominicus Christi resurrectione sacratus est. » Lib. XX. contra Faustum cap. 21: « Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat. » Et serm. 251: « Dominicum diem Apostoli religiosa solemnitate habendum sanxerunt. » Et Leo I. serm. 4. de Quadragesima: « Ingressuri, inquit, dies mysticos etc. »

Quarto, si solum ratione ordinis distinguerentur dies festi ab aliis, omnes dies festi essent æquales, nec unus alio major: una enim esset ratio celebritatis omnium. At non ita est; nam Ignatius vocat diem Dominicam, diem regalem, et eminentissimum omnium dierum, epistola ad Magnesianos. Leo serm. 12. de quadragesima vocat diem Paschæ festum festorum omnium maximum. Nazianzenus orat. 2. de Pascha, dicit Pascha esse festorum, et celebritatem celebritatem, tanto cæteris omnibus majorem, quanto sol sideribus omnibus excellit: et oratione de obitu patris sui, dicit, Paschæ diem esse regem dierum. Chrysostomus homilia de S. Philogonio, diem natalem Christi festum maximum, et festorum metropolim vocat.

Quinto, ratione ducta ex Scriptura. Observatio festorum, quæ præcipitur Exod. XX. ad cultum Dei pertinet; nam est præceptum Dei, et præceptum primæ tabulæ. Sed illud præceptum est aliquo modo naturale, et ad nos pertinet, ut adversarii concedunt; ergo etiam nos habere debemus aliquos dies, quorum observatio ad cultum Dei pertineat. Non habemus autem alia festa, quam dies Dominicos: Paschæ, Pentecosten, et similia; ergo horum observatio est cultus Dei, sanctus et religiosus. Licet enim determinatio hujus aut illius diei sit facta ab hominibus tamen ipsa substantia festi imperata est a Deo in prima tabula.

Ultimo probatur hac ratione; Christus nascens consecravit locum, id est, præsepe, moriens consecravit crucem, resurgens consecravit tumulum, unde exivit, cur non etiam consecravit tempus, id est, dies illos, quibus natus, vel passus, vel redditus fuit nobis devicta morte? Cur præ cæteris locis sanctus ille vocatur, ubi Dominus resurrexit? et præ cæteris non erit sancta dies illa, in qua resurrexit? Præterea si templa et altaria dicuntur domus Dei, et loca sancta, quia Deo sacrata sunt, nimirum ut in eis colatur Deus, cur non etiam sancti, et sacri erunt dies, qui cultui divino sacrati sunt? Neque argumenta concludunt in contrarium.

Ad Primum ex Roman. XIV: *Alius judicat diem inter diem, alius omnem diem* (1). Tres sunt expositiones. Prima Theodoreti, et Theophylacti, et forte etiam Chrysostomi, ut sensus sit: *Alius judicat diem inter diem:* id est, aliquo die abstinet a carne suilla, et aliis cibis in lege prohibitis, alius omni die ab illis abstinet, vel nullo die abstinet. Sed non placet hæc expositio; nam cibi secundum legem immundi numquam edi poterant, et ideo non est verisimile aliquos fuisse Judaizantium, qui ab illis modo abstinerent, modo non abstinerent. Nec tamen hæc expositio juvat adversarios.

Secunda expositio est Origenis, Ambrosii, Œcumenii, Primasii, et Anselmi in hunc locum, qui hunc esse volunt sensum: Alius judicat diem inter diem, alius omnem diem, id est, aliqui jejunant certis diebus, ut feria II, IV et VI, vel Sabbato, alii jejunant omni die, et utrique recte agunt. Hæc est vera, et litteralis, et nobis maxime favet.

Tertia est B. Hieronymi lib. II in Jovinianum, quod Paulus loquatur de festis Judæorum, et sensus sit: Alius discernit inter diem festum et profanum secundum legem, id est, feriatur die Sabbati et in Kalendis, alius omnem diem ducit profanum, quod attinet ad legem Judæorum. Hæc sententia non videtur mihi litteralis, tum quia omnes veteres, qui ex professo hunc locum exponunt, de jejunio exposuerunt, non de festis: tum etiam quia Apostolus de cibis disputationem instituerat, tum denique quia postquam dixerat: *Alius judicat omnem diem*, subjungit: *Unusquisque in suo sensu abundet*. Quod certe non videtur fuisse dicturus, si de festis Judæorum ageret, quæ observare jam coeperat malum esse. Tamen si propter B. Hieronymum admittatur, dico Apostolum non loqui de festis Christianorum, sed Judæorum tantum; nam ipse etiam Paulus judicabat diem inter diem, quod attinet ad festa Christiana, cum celebrabat Pentecosten, ut dicitur Act. XX, et consequenter etiam celebrabat Paschæ; nam ut Epiphanius deducit hæresi 75, sine Paschate nulla est Pentecoste.

At instat Calvinus; nam Paulus videtur eodem modo damnare discrimen dierum, quo discrimen ciborum: sed discrimen ciborum in lege Christiana nullum est, quale erat apud Judæos, id est, propter significationem, igitur nec discrimen dierum esse debet propter significationem. Respondeo, a Paulo similiter reprobari discrimen ciborum, et dierum ex lege Judaica inductum: sed tamen in Ecclesia non esse eumdem rationem ciborum et festorum; nam ciborum delectus non est ab Ecclesia inductus propter significationem; dies autem festi instituti sunt ob significationem, non quidem talem, qualis erat Judæorum, sed aliam et diversam.

Ad Secundum locum ex epistola ad Gal. duæ sunt responsiones. Prima Ambrosii in Galat. IV et Augustini Enchirid. c. 79. et in epistol. 119. cap. 7. qui dicunt Apostolum non loqui de observatione festorum, sed de observatione vana, et superstitiosa Gentilium, qui dicebant, eras non proficiscar, quia talis est positio siderum; hoc anno non plantabo vineam, quia bissextus est.

Secunda est omnium Græcorum, et Hieronymi, atque Augustini in hunc locum, qui dicunt, Paulum agere de festis Judæorum.

(1) Rom. XIV. 5.

Quod etiam respondetur ad tertium locum ex epistola ad Coloss.

Sed contra; nam licet Apostolus proprie Judaizantes arguat, tamen simul etiam illos videtur arguere, qui eodem modo tempora et dies observant: atqui nos idem facimus. Non enim sustulimus observationem certorum dierum, sed mutavimus. Præterea Hieronymus in hunc locum scribens, adfert duas solutiones, quæ ambæ videntur contra nos. Primo sic ait: « Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa, qua convenimus, sed quo quacumque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia major oriatur. » Secundo dicit, Christianis omnes dies esse æquales, sed propter sæculares oportuisse constituere aliquos dies, quibus convenirent ad Ecclesiam.

Ad Primum respondeo dupliciter. Primo cum Augustino contra Adimantum cap. 16. ubi sic ait: « Illi, inquit, ea serviliter observabant, non intelligentes ad quarum rerum significationes, et prænuntiationes pertinerent: hoc in eis culpat Apostolus, et in omnibus qui serviunt creaturæ potius quam creatori. Nam nos quoque et Dominicum diem, et Pascha solemniter celebramus, et quaslibet alias Christiani dierum festivitates; sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus. » Exemplum de eo, qui adfert librum doctori, vel citharam magistro, cum ipse tamen nec legere, nec citharam pulsare sciat.

Secundo respondeo, magnum est discrimen inter nostra festa, et Judæorum; nam in primis illa post Christum habent falsam significationem; nostra habent veram. Deinde illorum finis primarius erat significare futura, ut dicitur Coloss. II. nostrorum autem finis primarius est agnoscere Dei beneficia, propter quæ festa singula instituta sunt. Denique summa præcepti in illis erat, non operari corporaliter: in nostris autem potissima præcepti pars est, interesse divino sacrificio; vacare autem ab opere corporali, nobis præcipitur solum, ne distrahamur a Dei laudibus. Itaque nostra festa succedunt Judaïcis, non sicut in eadem hæreditate filius patri, sed sicut lux umbræ, et dies nocti, et exemplar figuræ, et illa dici poterant carnalia, nostra autem spiritualia.

Ad Prima verba Hieronymi dico, eum in prima solutione sua duas causas reddere festorum Christianorum. Unam, ut honoremus Christi resurrectionem, et alia mysteria, et ex hac parte non potest negari quin sit dies celebrior Paschatis, quam alii dies. Alteram ut habeamus certum diem ratione ordinis; et quantum ad istam causam non est una dies altera celebrior.

Ad Secunda verba ejusdem dico, eum in secunda solutione sua, cum dicit, Christianis esse dies omnes æquales, non intelligere simpliciter et quoad omnia, sed solum quoad essentialia festi, et hoc remota Ecclesiæ lege: Nam, ut ipse ibi dicit, potest Christianus quotidie habere Pascha, et Pentecosten, et diem Dominicum: si nimirum quotidie audiat sacrum, communicet corpori Domini, recogitet divina mysteria, et omissis operibus servilibus totus Deo vacet. Imo talis deberet esse vita clericorum et religiosorum, propter quos omnes dies dicuntur feriæ. Hoc autem Judæi habere non possunt, non enim eis licet quotidie immolare agnum Paschalem, vel erigere tabernacula, et similia. Cum hac tamen æqualitate consistit, quod apud Christianos sit inæqualitas dierum, tum ex præcepto Ecclesiæ determinantis dies, tum ex significatione, et repræsentatione mysteriorum: dies enim Dominicus repræsentat resurrectionem, quod non faciunt alii dies.

Ad rationem illam ex Patribus dico, Patres illos agere de ipso Sabbato proprie dicto, non ut Sabbatum alioquin accipitur pro omni die festo, sed ut accipitur proprie pro die septimo. Dicunt enim Patres, ipsum Sabbatum mandatum Judæis carnaliter, nobis autem spiritualiter; sed non sequitur, si non debemus celebrare Sabbatum ad litteram externo ritu, non debere etiam nos celebrare Dominicam, et alia festa Christiana. Imo S. Augustinus in eadem epistola 119. ubi dicit, nobis mandatum Sabbatum spiritualiter, ibidem dicit nos agere debere diem Dominicam celebrem externo ritu.

Tertia propositio: « Observatio certorum dierum festorum recte præcipitur in Ecclesia lege obligante conscientiam, etiam citra contemptum, et scandalum. » Hæc est contra hæreticos hujus temporis. Sed antequam probetur, notandum est primo, lege festorum duo quædam præcipi; Primo, ut omnes intersint Missæ sacrificio; Secundo, ut vacent ab opere servili. Horum utrumque requiri ad festi observationem adversarii fatentur,

uam licet ipsi damnent Missam, quatenus sacrificium est, tamen fatentur die festo oportere convenire ad Ecclesiam, et interesse mysterio sacræ cœnæ : et quando etiam hoc negarent, facile probari posset ex Justino in fine II. Apologiæ, ex Palladio cap. 69. historiæ Lausiacæ, ex Hieronymo in vita Paulæ, et ex aliis antiquis auctoribus.

Pari ratione fatentur, festum diem requirere vacationem ab opere corporali, et si ib negarent, probari posset ex Hieronymo in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis, ubi dicit, Monachos sui temporis exerceri solitos in operibus manuum omnibus diebus, exceptis Dominicis, et similibus festis. Augustinus quoque serm. 251. et Gregorius lib. XI. epist. 3. dicunt, festis diebus vacandum ab opere corporali.

Secundo nota, opus servile posse tribus modis accipi; quædam enim sunt opera, quibus homo servit cupiditatibus suis, nimirum peccata, et hæc non dicuntur proprie opera servilia, sed metaphorice tantum : non enim sunt propria servorum, sed communia omnibus, et maxime divitibus, et nobilibus, qui aliis dominantur : neque prohibentur hæc speciali præcepto, sed omnibus præceptis simul. Alia sunt opera, quibus homo servit Deo, ut immolatio sacrificii, oblatio thuris, et similia, et hæc ita servilia sunt, ut sint etiam regalia; nam servire Deo regnare est, et hæc non modo non prohibentur, sed etiam præcipiuntur maxime die festo. Alia sunt, quibus homo homini servit, qualia sunt quæ per se spectant ad eos, quos proprie vocamus servos, qualia sunt omnia mechanica artificia, agricolarum labores, et similia, et hæc proprie servilia dicuntur, et prohibita in festis intelliguntur.

Tertio, nota quod licet sola ista opera per se prohibeantur in festis, tamen justis de causis quædam spiritualia, et liberalia interdicuntur etiam; et quædam corporalia ac servilia permittuntur. Liberalia, quæ prohibentur in festis, sunt quatuor, mercatum facere, agere causas, jus dicere, et juramentum solemne in judicio præstare, nisi ob causam pacis, vel aliam necessitatem. Ita enim habetur capit. Omnes dies, capit. Conquestus, de feriis.

Corporalia, quæ permittuntur, sunt etiam quatuor. Primo ea, quæ ad opera religionis vel spiritualia per se ordinantur. Hoc modo licet in festis campanas pulsare, et olim licebat mactare oves et boves ad sacrificia, Matth. XII : *Sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt* (1). Sic etiam licet scribere in ordine ad intellectum, ut ad parandam lectionem, vel conciouem, non tamen licet transcribere, sine necessitate, libros lucri gratia. Secundo, opera illa permittuntur, quæ vel propriæ, vel aliorum saluti necessaria sunt, ut est labor pharmacopolarum, chirurgorum, coquorum etc. quomodo etiam Judæis licebat in Sabbato educere jumenta de fovea, si forte cecidissent, et ducere ad fontem ad bibendum, Matth. XII. Tertio, opera concessa a Prælatis. Quarto, opera quæ ex consuetudine facta sunt licita. Numquam enim Ecclesia tam severe præcepit vacare ab opere, quam lex Judaica; et ratio est, quia vacatio apud Judæos erat figura futurorum, figuræ autem debent esse exactæ, alioqui non bene significant; nostra autem vacatio etiamsi interdum significat aliquid futurum, tamen non est hic ejus præcipuus finis, sed non impedire opera spiritualia.

Probatur nunc propositio : Primo, omnibus argumentis, quibus alias probavimus, Ecclesiæ præcepta obligare in conscientia.

Secundo, jure divino præcipitur, ut aliqui dies festi observentur, et tamen nulli sunt certi dies a jure divino determinati, ergo debuit esse in Ecclesia potestas determinandi certos dies, et obligandi ad eorum observationem : quia alioqui non servaretur jus divinum. Si enim determinatio Ecclesiæ non obligat, poterunt fideles non servare diem Dominicum, nec Pascha, nec alia festa indicta, et proinde nulla. Nec enim ulla alia festa sunt, quæ servari possint. Festa enim debent esse communia toti Ecclesiæ : nulla autem esse possunt communia, nisi quæ indicuntur a publica potestate.

Tertio, Mardochæus et cæteri Judæi cum Regina Esther instituerunt festum, quod Deus non præceperat, et obligaverunt, ad illud servandum, Esther IX : *Nulli liceat hos duos dies absque solemnitate transigere* etc. (2). Ergo idem licebit Ecclesiæ. Nam tota causa, cur credant hæretici non licere Ecclesiæ obligare fideles ad istam festorum observationem, est, quia Deus hæc festa in particulari non præcepit, at nec præceperat festum illud Sortium, quod Mardochæus instituit.

(1) Matth. XII. 5. — (2) Esther. IX. 27.

Quarto, antiqua Ecclesia festa cum imperio indicebat, nec fuit unquam ullus præter hæreticos, qui ejusmodi præcepta reprehenderit. Concilium Agathense ante mille annos cap. 47 : « Missas inquit, die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. » Concilium Laodicenum ante 1200 annos cap. 29 : « Non oportet, inquit, Christianos Judaizare, et in Sabbato vacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidem diei. » Concilium Aurelianense III, etiam ante annos mille can. 27. præcepit, ut puniantur, qui diebus festis operantur, et simul tamen damnat eos, qui Judaico more ita vacant, ut non putent licere parare in die Dominico quæ necessaria sunt ad victum. Similiter Concilium VI generale can. 8. die Dominica jubet audiri sacrum, et nulla opera corporalia fieri præter ea, quæ ad victum necessaria sunt, et alia similiter necessaria. Nec est iste canon ex Trullanis canonibus. Antisiodorense ante annos 900, cap. 16 : « Non licet, inquit, die Dominico, boves jungere, vel alia opera exercere. » Similia habentur in Concilio II Matisconensi cap. 1. Concilium Moguntinum ante annos 700, canon. 36 et 37. enumerat festa præcipua totius anni, et jubet omnino ab opere in eis diebus vacare. Vide plura decreta Conciliorum et Pontificum, extra de feriis. Neque argumenta in contrarium concludunt; nam ad primum Magdeburgensium dico, festorum dierum cultum ex se indifferentem esse, sed posita lege esse necessarium. Ad exemplum Pauli, nego illum aliquando coluisse diem Sabbati. Concionabatur enim die Sabbati, quia tunc inveniebat Judæos congregatos, non quia ipse coleret Sabbatum. Porro in epist. ad Galatas non arguit Pseudoapostolos quod obligarent ad festa, sed quod obligarent ad festa Judaica.

Ad illud Heshusii, quod si festorum leges obligent, erit jugum Christianorum intolerabilius jugo Judæorum, cum nos plura festa habeamus, quam illi habuerint. Respondeo Primo cum B. Augustino lib. contra Adimantum cap. 16. servare festa Judaice esse jugum, non autem more Christiano : quia illi non intelligebant finem vacationis, nos intelligimus.

Secundo dico, festa Judæorum vere fuisse gravia, quia cogebantur singulis Sabbatis non accendere ignem, non coquere cibos, non iter facere, nisi ad modicum spatium. Item oportebat eos ter in anno ad quædam festa ire in Hierusalem, etiamsi longissime abessent : item in Paschate cogebantur per dies septem comedere azima insipida, qui Deuteron. XVI. ideo vocatur panis afflictionis, et lactucas agrestes plenas amaritudine, et alia multa, quæ festa onerosa reddebant. At nostra festa nihil laboris habent : quis enim labor audire sacrum, et vacare a quibusdam operibus?

Adde ultimo, quod cum Petrus Actor. XV. legem Judaicam, intolerabile jugum vocavit, non hoc propter festa, sed propter alias innumeras, et minutissimas cæremonias dixit, quas non tantum observare, sed etiam memoria retinere fere impossibile erat. Ad testimonium Socratis dico, Socratem hæreticum fuisse Novatianum, neque ejus testimonium in dogmatibus ullius esse momenti.

Quarta propositio : « Non tenemur diebus festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum contritionis, vel dilectionis Dei. » Hæc est B. Thomæ in 2. 2. quæst. CXXII. art. 4. et contra Scotum in dist. 27. et 37. qui dicit, homines teneri die festo ad actum dilectionis Dei internum : et contra Abulensem, ac Lyranum in cap. XX. Exodi : qui dicunt, hoc præcepto specialiter prohiberi opera servilia, id est, peccata, et proinde omne peccatum factum in die festo esse duplex.

Probatur Primo, quia jus divinum præcipiebat solum abstinere ab opere servili. Si dicas, opus servile est peccatum. Contra, quia præcepta debent intelligi proprie, non metaphorice, peccata autem non sunt opera servilia, nisi metaphorice. Secundo, Ecclesia determinavit tempus, et modum observandi jus divinum de observatione præceptorum : at Ecclesia nusquam præcipit actus illos internos. Tertio, id habet communis sensus fidelium. Nulli enim sunt, qui putent se novum peccatum commisisse, si die Dominico non habuerint contritionem. Quarto, actus ille internus est finis hujus præcepti, non autem finis, sed media proprie imperantur. Quinto, cultus internus præceptus jam erat in primo mandato; nam hic est ordo primæ tabulæ; in primo præcepto mandatur cultus cordis, in secundo cultus oris, in tertio cultus operis. Sexto, præceptum de colendo Sabbato est præceptum religionis; at contritio est actus pœnitentiæ, non religionis. Septimo,

quia alioqui esset valde noxium tot festa multiplicare; esset enim tendere laqueos animabus.

At objiciunt; Primo, fornicari, vel occidere hominem in loco sacro est homicidium, et sacrilegium, ergo similiter occidere, vel fornicari in die festo.

Respondeo, circumstantiam loci, et temporis semper aggravare peccatum, sed non semper ita aggravare, ut censeatur novum peccatum. Tunc enim solum fit novum peccatum, quando circumstantia loci, vel temporis est essentialis, et intrinseca peccato, id est, quando violatur ipsum tempus, aut locus sacer, verbi gratia, qui fornicatur, aut homicidium facit in templo, committit sacrilegium, quia per ea peccata tollitur sanctitas loci. Violatur enim templum per effusionem seminis, aut sanguinis voluntariam ex lege Ecclesiastica: At qui in templo mentitur etiam perniciose, aut blasphemat, non committit proprie sacrilegium, quia mendacium, et blasphemia non tollunt templi sanctitatem. Idem dico de tempore sacro. Non enim violatur tempus sacrum per quæcumque peccata, sed solum per ea, quæ opponuntur ipsi tempori sacro, qualia sunt, non audire sacrum, et operari corporaliter, quæ sunt specialiter prohibita.

Secundo objiciunt testimonia Augustini, qui dicit, præcepto Sabbati prohiberi opera servilia, id est, peccata. Sic enim loquitur Augustinus tract. 3. in Joannem, et in Psal. XXXII. concione 1. Respondeo, eum loqui de præcepto Sabbati, ut est generale præceptum, spiritualiter significatum per Sabbatum Judæorum.

Tertio objiciunt Augustinum, qui lib. de decem chordis cap. 3. dicit: « Melius faceret Judæus in agro aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret: et melius feminæ Judæorum domi lanam facerent, quam tota die in Neomeniis suis impudice saltarent. »

Respondeo, Augustinum non velle dicere absolute esse melius, seu minus malum, die festo operari aliquid utile, licet prohibitum tali die, quam aliud peccatum facere. Potest enim fieri, ut aliquando sit melius, aliquando pejus; Nam minus malum est die Dominico operari in agro, quam blasphemare Deum: sed e contrario, majus malum est, operari in agro die Dominico, quam mentiri officiose. Et tamen Augustinus videtur velle, minus malum esse die festo operari aliquid ex genere suo utile, quam peccatum aliquod committere. Augustinus ergo vult dicere, magis pugnare quælibet peccata cum fine sanctificationis Sabbati, quam opera ex se utilia, quæ tamen prohibentur in Sabbato; nam finis est quies mentis in Deo, cui quieti magis repugnat quodlibet peccatum, quam distractio operis corporalis, et ideo magna est cæcitas Judæorum, quia abstinuntur otio Sabbati ad multa peccata committenda, ut Augustinus dicit.

Objicies, si peccata magis repugnant fini hujus legis, quam opera servilia, ergo omnia peccata prohibentur hoc præcepto magis, quam opera servilia; nam hoc præceptum positum est ad removenda impedimenta cultus divini interni. Respondeo, omnia peccata prohibita esse, et magis quam opera servilia; nam peccata in nullo casu permittuntur: opera autem servilia etiam in festo sæpe permittuntur. Non tamen omnia peccata prohibentur hoc præcepto speciali de Sabbato, quia non erat necesse; nam jam antea prohibita erant. Opera autem servilia prohibentur hac speciali lege, quia antea prohibita non erant.

CAPUT XI.

De Dominica die.

De Dominica die tria dicenda sunt. Primo, de ejus antiquitate. Secundo, de ratione institutionis. Tertio, de ritibus antiquis in die Dominica servatis.

Quantum ad Primum, sine dubio festum Dominicæ est antiquissimum omnium Christianorum festum; nam Ecclesia Christiana proprie cœpit in die Pentecostes. Tunc enim impletis omnibus mysteriis redemptionis, promulgatum fuit publice Evangelium. Post hunc autem diem cœperunt omitti festa Judæorum; et eis substitui festa Christiana; primus autem dies festus occurrens sine dubio fuit Dominicus; nam festum Natalis Domini, et Paschæ, quæ etiam antiquissima sunt, non nisi post aliquot menses occurrerunt. Attestantur autem huic antiquitati primo Scripturæ; nam Actor. XX. dicitur, una Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem: et I. Corinth. XVI. per

unam Sabbati unusquisque apud se reponat etc.

Magdeburgenses Centuria I. lib. II. cap. 6. col. 503. et Calvinus in catena Augustini Marlorati dicunt, hæc loca intelligi de die Sabbati, et eum diem a Paulo servatum. Quod etiam probant Magdeburgenses ex Actor. XIII. ubi Paulus die Sabbati disputat in Synagoga. At falluntur manifeste, nam in primis locum illum Actor. XX. Chrysostomus, et Beda exponunt de Dominica die: locum autem I. Cor. XVI. exponunt de die Dominica omnes interpretes Græci et Latini, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus etc. nec solum Catholici, sed etiam Petrus Martyr in eum locum. Adde etiam (cui hæretici multum tribuunt) commentarium Erasmi tam Act. XX, quam I. Cor. XVI, Præterea Marci XVI, dicitur Christus, resurrexisse una Sabbatorum, at constat resurrexisse die Dominica.

Præterea constat Paulum multis Hebraismis abundare: est autem Hebraismus frequentissimus dicere unum pro primo: ut Genes. I: *Factum est vespere, et mane dies unus* (1), id est, primus, nam postea sequitur, *dies secundus etc.* Denique Paulus arguit Colossenses, et Galatas severissime, quod Sabbatum, et festa Judæorum servarent. Quomodo ergo credibile est eum servasse Sabbatum Judæorum? Quod autem Actor. XIII. die Sabbati prædicavit in Synagoga, non id fecit, ut coleret Sabbatum, sed quia non poterat habere alio loco, nec alio tempore Judæos congregatos.

Habemus præterea Apocal. I: *Ego Joannes fui in spiritu in Dominica Die* (2). Quem locum de nostra Dominica die exponunt fere omnes, ut Œcumenius, Anselmus, Primasius, et alii, et ipsi etiam Magdeburgenses, Cent. I. lib. II. cap. 6.

Ad hæc, habemus testimonia Patrum antiquissimorum, Clementis can. 65. Apostolorum, Ignatii epistola ad Magnesianos, Justini Apologia 2. Tertulliani de corona militis, et Apologetici cap. 16. Clementis Alexandrini lib. VII. Strom. Origenis hom. 7. in Exod. Athanasii hom. in illud: Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Ambrosii ep. 83. Hieronymi in cap. IV. ad Galat. August. lib. contra Adimantum cap. 16. Gregorii lib. XI. epist. 3. Leonis epist. 81 ad Dioscorum, Hilarii præfatione in Psalm. Quare nullo modo dubitare licet, quin festum Dominicæ diei sit vetustissimum.

Quantum ad Secundum, ratio institutionis fuit, ut succederet Sabbato. Nam jus divinum requirebat, ut unus dies hebdomadæ dicaretur cultui divino: non autem conveniebat, ut servaretur Sabbatum. Itaque Sabbatum ab Apostolis in diem Dominicum versum est.

Ut autem intelligatur, quam recte id factum sit, notandum est, Sabbatum fuisse festum antiquissimum et præstantissimum apud Judæos, et ideo solius Sabbati mentionem factam in Decalogo. Erat autem Sabbatum festum excellentissimum, quia cum omnia festa celebrentur, vel in memoriam beneficii præteriti, vel ad significandum aliquid futurum, Sabbatum in utroque excellebat. Nam quantum ad præteritum, colebatur in memoriam primi, et communissimi beneficii, id est, creationis mundi. Nam, ut scribit Philo in lib. de opificio mundi, quemadmodum Reges coli jubent diem natalem filiorum suorum, ita Deus coli voluit diem natalem operis sui, id est, mundi. Quod etiam utilissimum erat ad errorem Philosophorum excludendum, qui dicturi erant, mundum non habuisse principium. Quantum autem ad futurum, Sabbatum figura erat trium beneficiorum Dei, ad quæ omnia alia revocantur.

Primo, figura erat in sensu allegorico quietis Christi sepulchro. Ut enim Deus Sabbato quievit ab opere creationis, ita Christus quievit Sabbato ab opere redemptionis, ut Apostolus observavit Hebr. IV.

Secundo, figura erat in sensu tropologico quietis mentis humanæ ab operibus servilibus peccatorum. Judæi enim, dum Sabbato otiabantur, significabant venturum esse tempus gratiæ, quo liberati homines per Christum a servitute peccati, quiete et otio spirituali fruerentur, ut exponit Augustinus tract. 30. in Joannem, et alibi.

Tertio, figura erat in sensu anagogico quietis sanctarum animarum, quam post mortem in sinu Abrahæ exspectabant, ut Augustinus docet epist. 119. et deducitur ex Apostolo Hebr. IV. Jam vero propter has ipsas causas, quibus Sabbatum fuit olim institutum, decuit, ut post Christi adventum mutaretur in Dominicam. Nam quantum ad memoriam præteritorum, dies Dominica

(1) Gen. I. 5. — (2) Apoc. I. 10.

quia alioqui esset valde noxium tot festa multiplicare; esset enim tendere laqueos animabus.

At objiciunt; Primo, fornicari, vel occidere hominem in loco sacro est homicidium, et sacrilegium, ergo similiter occidere, vel fornicari in die festo.

Respondeo, circumstantiam loci, et temporis semper aggravare peccatum, sed non semper ita aggravare, ut censeatur novum peccatum. Tunc enim solum fit novum peccatum, quando circumstantia loci, vel temporis est essentialis, et intrinseca peccato, id est, quando violatur ipsum tempus, aut locus sacer, verbi gratia, qui fornicatur, aut homicidium facit in templo, committit sacrilegium, quia per ea peccata tollitur sanctitas loci. Violatur enim templum per effusionem seminis, aut sanguinis voluntariam ex lege Ecclesiastica: At qui in templo mentitur etiam perniciose, aut blasphemat, non committit proprie sacrilegium, quia mendacium, et blasphemia non tollunt templi sanctitatem. Idem dico de tempore sacro. Non enim violatur tempus sacrum per quæcumque peccata, sed solum per ea, quæ opponuntur ipsi tempori sacro, qualia sunt, non audire sacrum, et operari corporaliter, quæ sunt specialiter prohibita.

Secundo objiciunt testimonia Augustini, qui dicit, præcepto Sabbati prohiberi opera servilia, id est, peccata. Sic enim loquitur Augustinus tract. 3. in Joannem, et in Psal. XXXII. concione 1. Respondeo, eum loqui de præcepto Sabbati, ut est generale præceptum, spiritualiter significatum per Sabbatum Judæorum.

Tertio objiciunt Augustinum, qui lib. de decem chordis cap. 3. dicit: « Melius faceret Judæus in agro aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret: et melius feminæ Judæorum domi lanam facerent, quam tota die in Neomeniis suis impudice saltarent. »

Respondeo, Augustinum non velle dicere absolute esse melius, seu minus malum, die festo operari aliquid utile, licet prohibitum tali die, quam aliud peccatum facere. Potest enim fieri, ut aliquando sit melius, aliquando pejus; Nam minus malum est die Dominico operari in agro, quam blasphemare Deum: sed e contrario, majus malum est, operari in agro die Dominico, quam mentiri officiose. Et tamen Augustinus videtur velle, minus malum esse die festo operari aliquid ex genere suo utile, quam peccatum aliquod committere. Augustinus ergo vult dicere, magis pugnare quælibet peccata cum fine sanctificationis Sabbati, quam opera ex se utilia, quæ tamen prohibentur in Sabbato; nam finis est quies mentis in Deo, cui quieti magis repugnat quodlibet peccatum, quam distractio operis corporalis, et ideo magna est cæcitas Judæorum, quia abstinuntur otio Sabbati ad multa peccata committenda, ut Augustinus dicit.

Objicies, si peccata magis repugnant fini hujus legis, quam opera servilia, ergo omnia peccata prohibentur hoc præcepto magis, quam opera servilia; nam hoc præceptum positum est ad removenda impedimenta cultus divini interni. Respondeo, omnia peccata prohibita esse, et magis quam opera servilia; nam peccata in nullo casu permittuntur: opera autem servilia etiam in festo sæpe permittuntur. Non tamen omnia peccata prohibentur hoc præcepto speciali de Sabbato, quia non erat necesse; nam jam antea prohibita erant. Opera autem servilia prohibentur hac speciali lege, quia antea prohibita non erant.

CAPUT XI.

De Dominica die.

De Dominica die tria dicenda sunt. Primo, de ejus antiquitate. Secundo, de ratione institutionis. Tertio, de ritibus antiquis in die Dominica servatis.

Quantum ad Primum, sine dubio festum Dominicæ est antiquissimum omnium Christianorum festum; nam Ecclesia Christiana proprie cœpit in die Pentecostes. Tunc enim impletis omnibus mysteriis redemptionis, promulgatum fuit publice Evangelium. Post hunc autem diem cœperunt omitti festa Judæorum; et eis substitui festa Christiana; primus autem dies festus occurrens sine dubio fuit Dominicus; nam festum Natalis Domini, et Paschæ, quæ etiam antiquissima sunt, non nisi post aliquot menses occurrerunt. Attestantur autem huic antiquitati primo Scripturæ; nam Actor. XX. dicitur, una Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem: et I. Corinth. XVI. per

unam Sabbati unusquisque apud se reponat etc.

Magdeburgenses Centuria I. lib. II. cap. 6. col. 503. et Calvinus in catena Augustini Marlorati dicunt, hæc loca intelligi de die Sabbati, et eum diem a Paulo servatum. Quod etiam probant Magdeburgenses ex Actor. XIII. ubi Paulus die Sabbati disputat in Synagoga. At falluntur manifeste, nam in primis locum illum Actor. XX. Chrysostomus, et Beda exponunt de Dominica die: locum autem I. Cor. XVI. exponunt de die Dominica omnes interpretes Græci et Latini, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus etc. nec solum Catholici, sed etiam Petrus Martyr in eum locum. Adde etiam (cui hæretici multum tribuunt) commentarium Erasmi tam Act. XX, quam I. Cor. XVI, Præterea Marci XVI, dicitur Christus, resurrexisse una Sabbatorum, at constat resurrexisse die Dominica.

Præterea constat Paulum multis Hebraismis abundare: est autem Hebraismus frequentissimus dicere unum pro primo: ut Genes. I: *Factum est vespere, et mane dies unus* (1), id est, primus, nam postea sequitur, *dies secundus etc.* Denique Paulus arguit Colossenses, et Galatas severissime, quod Sabbatum, et festa Judæorum servarent. Quomodo ergo credibile est eum servasse Sabbatum Judæorum? Quod autem Actor. XIII. die Sabbati prædicavit in Synagoga, non id fecit, ut coleret Sabbatum, sed quia non poterat habere alio loco, nec alio tempore Judæos congregatos.

Habemus præterea Apocal. I: *Ego Joannes fui in spiritu in Dominica Die* (2). Quem locum de nostra Dominica die exponunt fere omnes, ut Œcumenius, Anselmus, Primasius, et alii, et ipsi etiam Magdeburgenses, Cent. I. lib. II. cap. 6.

Ad hæc, habemus testimonia Patrum antiquissimorum, Clementis can. 65. Apostolorum, Ignatii epistola ad Magnesianos, Justini Apologia 2. Tertulliani de corona militis, et Apologetici cap. 16. Clementis Alexandrini lib. VII. Strom. Origenis hom. 7. in Exod. Athanasii hom. in illud: Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Ambrosii ep. 83. Hieronymi in cap. IV. ad Galat. August. lib. contra Adimantum cap. 16. Gregorii lib. XI. epist. 3. Leonis epist. 81 ad Dioscorum, Hilarii præfatione in Psalm. Quare nullo modo dubitare licet, quin festum Dominicæ diei sit vetustissimum.

Quantum ad Secundum, ratio institutionis fuit, ut succederet Sabbato. Nam jus divinum requirebat, ut unus dies hebdomadæ dicaretur cultui divino: non autem conveniebat, ut servaretur Sabbatum. Itaque Sabbatum ab Apostolis in diem Dominicum versum est.

Ut autem intelligatur, quam recte id factum sit, notandum est, Sabbatum fuisse festum antiquissimum et præstantissimum apud Judæos, et ideo solius Sabbati mentionem factam in Decalogo. Erat autem Sabbatum festum excellentissimum, quia cum omnia festa celebrentur, vel in memoriam beneficii præteriti, vel ad significandum aliquid futurum, Sabbatum in utroque excellebat. Nam quantum ad præteritum, colebatur in memoriam primi, et communissimi beneficii, id est, creationis mundi. Nam, ut scribit Philo in lib. de opificio mundi, quemadmodum Reges coli jubent diem natalem filiorum suorum, ita Deus coli voluit diem natalem operis sui, id est, mundi. Quod etiam utilissimum erat ad errorem Philosophorum excludendum, qui dicturi erant, mundum non habuisse principium. Quantum autem ad futurum, Sabbatum figura erat trium beneficiorum Dei, ad quæ omnia alia revocantur.

Primo, figura erat in sensu allegorico quietis Christi sepulchro. Ut enim Deus Sabbato quievit ab opere creationis, ita Christus quievit Sabbato ab opere redemptionis, ut Apostolus observavit Hebr. IV.

Secundo, figura erat in sensu tropologico quietis mentis humanæ ab operibus servilibus peccatorum. Judæi enim, dum Sabbato otiabantur, significabant venturum esse tempus gratiæ, quo liberati homines per Christum a servitute peccati, quiete et otio spirituali fruerentur, ut exponit Augustinus tract. 30. in Joannem, et alibi.

Tertio, figura erat in sensu anagogico quietis sanctarum animarum, quam post mortem in sinu Abrahæ exspectabant, ut Augustinus docet epist. 119. et deducitur ex Apostolo Hebr. IV. Jam vero propter has ipsas causas, quibus Sabbatum fuit olim institutum, decuit, ut post Christi adventum mutaretur in Dominicam. Nam quantum ad memoriam præteritorum, dies Dominica

(1) Gen. I. 5. — (2) Apoc. I. 10.

longe excellit Sabbato; nam refert nobis memoriam Natalis Christi, et Resurrectionis ejusdem, et Adventus Spiritus Sancti, quo die quodammodo nata est Ecclesia. Nam Christus die Dominica natus est, ut patet, quia illo anno currebat littera Dominicalis B, ut omnes Mathematici docent, et potest ostendi retrocedendo in Cyclo litterarum dominicalium. Constat autem, litteram B haberi die 25 Decembris, quo die Christus natus est. Quod autem idem Christus resurrexerit die Dominica, ex Evangeliis constat. Quod denique adventus Spiritus Sancti fuerit die Dominica, patet, quia fuit in die Pentecostes, id est, quinquagesimo die a Paschate, qui necessario est dies Dominicus. Itaque dies Dominica repræsentat nobis natalem diem Christi, et Ecclesiæ, et Christi non simplicem, sed duplicem. Et præterea dies Dominica repræsentat etiam memoriam creationis mundi, non minus quam Sabbatum. Nam die Dominico cœpit mundus fieri, imo eo die sunt factæ omnes partes mundi principales, cœlum, terra, Angeli, lux etc. Unde Justinus Apologia II. et Leo ep. 81. ad Dioscorum, dicunt, diem Dominicam coli tam ob memoriam mundi creationis, quam ob resurrectionem Christi.

Quantum autem ad futurorum significationem, Sabbatum plane cessare debuit, quia omnia, quæ per Sabbatum significabantur futura, jam sunt completa; nam Christus jam in sepulchro jacuit, et quies animorum in Deo jam agitur. Porro quies spirituum defunctorum in sinu Abraham jam est mutata in gloriam et beatitudinem; et nunc non amplius exspectamus simplicem illam quietem, sed quietem gloriosam; gloria autem melius significatur per diem Dominicum, quam per Sabbatum. Et ideireo B. Augustinus epist. 119. dicit, Sabbatum recte datum Hebræis, qui post mortem ibant ad solam quietem; Christianis autem datam esse diem Dominicam, quia jam revelata est gloria resurrectionis in Christo, et quod præcessit in capite, etiam corpus totum exspectat.

Quantum ad Tertium, ritus in Dominica erat quadruplex. Primo, conveniebant in Ecclesiam ad lectionem, concionem, sacrificium, communionem etc. ut ex Justino patet Apologia 2. extrema. Secundo, vacabant ab operibus servilibus, ut patet ex Hieronymo epist. ad Eustochium de virginitate, et Gregorio lib. XI. epist. 3. Tertio, non jejunabant, ut patet ex Tertulliano de corona militis, et aliis, qui passim hoc docent. Quarto, non flectebant genua, sed stantes precabantur. De quo exstat canon 20. Nicæni Concilii. Idem etiam longe antea Tertullianus docuit libro de corona militis: « Die Dominico, inquit, jejunare, nefas ducimus, et de geniculis adorare. » Item Hilarius præfatione in Psalmos, Ambrosius serm. 62. Augustinus epist. 119. cap. 15. et Alexander III, c. Quoniam, extra de feriis idem docent. Ex quo intelligimus, nondum esse quingentos annos, ex quo ritus hic cessavit. Nam tres priores adhuc in universa Ecclesia observantur.

CAPUT XII.

De Pascha.

Duo dicenda sunt. Primo, quid sit Pascha. Secundo, de erroribus circa Pascha. Quantum ad Primum, aliqui Patrum existimarunt, nomen Paschæ deductum esse a verbo πάσχειν, id est, pati, quia passionis Domini memoria in Paschate celebratur, juxta illud Apostoli: « Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; » ita Ambrosius in lib. de mysterio Paschæ cap. 1. Unde etiam Tertullianus lib. contra Judæos, dicit, Pascha Domini significare passionem Christi: quorum sententiam refert, et merito refellit Augustinus epist. 119. nam Pascha nomen est Hebræum, non Græcum. Hebraice autem dicitur פסח quod Græci verterunt πάσχα, Chaldæus נבחא. Hieronymus legit Phase, nimirum secundum alia puncta: sed eadem semper est vox. Dicitur autem Pascha a verbo, פסח, quod est transilire. Unde primario non significat immolationem agni, ut auctor commentar. in cap. XIV. Marci apud Hieronymum docet: nec transitum populi per mare rubrum ad terram promissionis, ut docet Nazianzenus oratione 2. de Pascha, et Augustinus tract. 55. in Joannem. Nec etiam significat transitum Angeli per Ægyptum, ut videntur sonare illa verba: *Est enim Phase, id est, transitus Domini.* Exod. XII. sed significat transcensionem Angeli, et quasi saltum super domos Judæorum, ut patet ex ratione, quæ redditur Exod. XII. nam ubi dixerat Moses: *Est enim Phase,* subjungit

rationem: *Transibo enim per terram Ægypti nocte illa, et percutiam primogenita Ægyptiorum. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus vestris, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga* (1). Ubi primum, transibo, est ויפסחתי secundum est ופסחתי et ab hoc dicitur Pascha. Similis ratio ter in eodem capite redditur: ubi semper פסח significat transilire, seu transcendere, non simpliciter transire. Unde Josephus lib. II. antiquitat. cap. 13. dicit, Pascha significare transcensionem. Idem docet Hieronymus in cap. XXVI Matth. et Theodoretus quæst. 24. in Exod.

Verumtamen hoc ipsum nomen traducitur etiam ad alia tria significanda. Itaque Primo, significat, ut diximus, transilitionem Angeli. Secundo, ipsum, agnum Paschalem, qui per immolationem transibat de vita ad mortem. Unde dicitur Luc. XXII: *Necesse erat occidi Pascha* (2). Tertio, transitum populi, qui illa ipsa nocte liberatus a tyrannide Pharaonis transivit per mare rubrum, ut iret in terram promissionis, et hanc significationem agnoscunt Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Pascha, et August. tract. 55. in Joannem. Quarto, ipsum festum diem: nam Luc. XXII. dicitur: *Appropinquabat dies festus azimorum, qui dicitur Pascha* (3).

Porro hæc ipsa quatuor sunt etiam apud Christianos suo modo, id est, ut exemplaria illorum typorum. Nam Angelus transiliens, et occidens primogenita Ægypti, et salvans filios Israel, est Christus magni consilii Angelus, qui, dum transiret de morte ad vitam, salvavit omnes, qui ejus sanguine aspergendi erant, relictis cæteris in manu vastatoris. Agnus Paschalis idem Christus est, pro nobis immolatus. Christum enim repræsentarunt Agnus et Angelus, quia Christus occidi et occidere debuit; Agnus autem occidi poterat, sed non occidere. Angelus occidere, sed non occidi. Transitus per mare rubrum, significat transitum populorum per aquas Baptismi; et ideo in Paschate ordinarie olim baptizabantur Catechumeni. Denique, festus dies illorum nostrum festum diem figurabat.

Quantum ad Secundum; Primus, error fuit Aerii, qui Paschā simpliciter negabat esse celebrandum, quod hoc Judaismum saperet. Refert hunc errorem, et refellit Epiphanius hæresi 75, non enim agimus Pascha Judæorum, sed quod illo significabatur.

Secundus fuit Blasti cujusdam, qui, teste Tertulliano lib. de Præscrip. docuit, Pascha necessario debere celebrari ipso die, quo a Judæis celebratur, id est, 14 Luna, sive esset Dominica, sive non. In quo errore fuerunt eodem tempore multi Episcopi Asiæ minoris; ut patet ex lib. V. histor. Eusebii c. 24. et 25. ubi refertur epistola Policratis Episcopi Ephesini ad Victorem Papam, qua ille auctor asserit, omnes suos prædecessores usque ad S. Joannem Evangelistam semper celebrasse Pascha die decima quarta. Nec defuerunt postea multi alii, quibus hic error placeret, quos Epiphanius hær. 50. Quartodecimanos vocari affirmat, quin etiam longo post tempore Audiani, seu Vadiani in eumdem errorem inciderunt, eodem Epiphanio teste hær. 70.

Hic error illo ipso tempore refutatus est a Conciliis fere omnium Ecclesiarum, et a Romano Pontifice, qui omnes communi consensu statuerunt, Pascha celebrandum esse Dominica proxima Lunæ quartæ decimæ post æquinoctium vernum, ut Eusebius idem refert. Deinde Concilium Nicænum, cum adhuc error ille alicubi duraret, idem statuit, ut testantur Epiphanius hæres. 50. et 70. qui dicit, in Concilio eodem ab Eusebio Cæsariensi compositum aureum numerum, qui ostendit Novilunia. De qua re exstat epistola ipsius Concilii Nicæni apud Theodoretum lib. I cap. 9. histor. et ejusdem rei meminit Athanasius in epistola de Synodo Ariminensi, et Seleuciensi; Ambrosius epistol. 83. et Theophylus lib. I. Paschali; item Imperatoris Constantini epistola ad omnes Ecclesias, apud Eusebium lib. III. de vita Constantini; ubi Constantinus tribus rationibus probat, debere Pascha celebrari die Dominico. Primo, ne concurramus cum Judæis Christi interfectoribus.

Secundo, quia par est, ut in tota Ecclesia sit una ratio Pascha celebrandi, et par est etiam, ut pauciores pluribus cedant. Porro ab antiquis temporibus Romana urbs, Italia, Africa, Gallia, Hispania, Britannia, Ægyptus, Lybia, Græcia, Pontus, Cilicia, et magna pars Asiæ celebrant Pascha die Dominico, soli autem pauci Orientales contra totum Meridiem, Occidentem, Aquilonem, et magnam Orientis partem cum Judæis Pascha celebrant.

(1) Exod. XII, 11. — (2) Luc. XXII, 7. — (3) Luc. XXII, 1.

Tertio, quia absurdum est, uno anno bis Pascha facere, et alio anno numquam. Atqui hoc accidebat illis, qui Pascha quartadecima die agebant; nam illi non observabant æquinoctium, sed solum menses 12 Lunares, et celebrabant Pascha 14 Luna mensis primi, non curantes, si illa decimaquarta esset ante æquinoctium, vel post. Itaque interdum accidebat, ut uno anno celebrarent Pascha post æquinoctium, et anno sequenti ante æquinoctium, et proinde bis in uno anno.

Adde etiam, quod isti falso fundamento nitebantur. Nam putabant, se sequi legem Judæorum, et revera sequebantur delirium Judæorum sui temporis. Nam Lex Judaica Exod. XII, præcipit Pascha fieri post æquinoctium vernum; jubet enim fieri Luna decimaquarta primi mensis; porro mensis primus is erat, cujus decimaquarta dies incidebat in æquinoctium vernum, aut illud proxime sequebatur. Unde etiam Josephus lib. III. antiquit. cap. 13. dicit, Pascha fieri Sole in Ariete existente, et opposito ipsi Lunæ. Judæi autem posteriores (ut Epiphanius dicit hær. 70.) non amplius observabant æquinoctium, et eos tamen tamquam duces cæcos sequebantur errantes illi Christiani, qui cum Judæis Pascha faciebant.

Ad auctoritatem autem S. Joannis Evangelistæ, quam pro se adferebant illi Quartodecimani, respondet Beda lib. III. hist. cap. 25. Joannem celebrasse Pascha 14 die, ut se accommodaret in illis initiis Judæis ad fidem conversis, sicut etiam propter eamdem causam Paulus circumcidit Timotheum: tamen Apostolum Petrum Romæ instituisse, ut Pascha die Dominico fieret: et hoc magis esse sequendum.

Tertius error fuit quorumdam Cappadocum, qui, teste Epiphanio hær. 50. semper Pascha celebrabant die 23 Martii, sicut Natalem Domini semper celebramus die 25 Decembris: quia putabant, Christum eo die passum fuisse, et ipso die passionis Pascha agendum credebant. Similis fuit error Gallorum in principio Ecclesiæ, qui, teste Theophylo Cæsariensi apud Bedam lib. de ratione temporum cap. 43. semper Pascha celebrabant 25 Martii, quod putarent, eo die Christum resurrexisse. Idem error summopere placet Luthero in lib. de Conciliis part. 2. Ubi vellet eodem die celebrari ista festa, et non observari cursum Lunæ, ne videremur judaizare.

Cæterum iste error refellitur Primo, ex consensu totius Ecclesiæ, quæ semper die Dominico Pascha celebrandum statuit. Secundo, quia secundum quosdam nititur falso fundamento, Christus enim ut illi docent, non potuit resurgere 25 Martii, nec etiam pati; nam passus est die Veneris, et resurrexit die Dominico, secundum Evangelia omnia. Constat etiam, Christum passum et resurrexisse anno ætatis suæ 33, vel 34, secundum alios. Porro anno Christi 33 die 25. Martii, non fuit feria 6. nec dies Dominica, sed feria 4. Anno autem Christi 34. die 25. Martii, fuit feria 5. ut ex littera Dominicali patet. Nam anno Christi 33. currebat littera D; anno 34. littera C; die autem 25 Martii, semper est G.

Ultimo, refellitur a B. August. in epist. 119. ubi ostendit, hoc interesse inter diem Natalis et diem Resurrectionis; quod ille celebratur solum ob memoriam, et ideo semper ipsa die 25 Decembris: at iste celebratur ob memoriam et Sacramentum, et ideo variatur. Vide ibidem pulcherrimam explicationem mysteriorum Paschæ.

Quartus error fuit Britonum et Scotorum apud Bedam lib. III. hist. cap. 25. et lib. V. cap. 22. qui contra communem totius Ecclesiæ usum Pascha celebrabant prima Dominica post Lunam 13 Martii, ita ut aliquando ipsa 14 Luna Pascha celebrarent, in quo neque Judæis, neque Christianis consentiebant. Nam Judæis primus dies solemnis erat Luna 15, sed incipiebant festum a vespera præcedente, id est, Luna 14 ad vesperam; istis autem primus dies solemnis erat decimusquartus, et cum etiam ipsi inciperent a primis vesperis, necessario incipiebant Luna 13. sed hic error non eget alia refutatione; nam fundabatur in sola imperitia; existimabant enim, ita sanctum Joannem celebrare solitum.

Quintus error est Novatianorum, qui, teste Socrate lib. V. hist. c. 20. decretum ediderunt, quod appellarunt αὐτεξούσιον, quia in eo statuerunt, liberum unicuique esse debere, agere Pascha quando velit. Quem errorem satis constat placuisse etiam Magdeburgensibus ex Cent. I. lib. II. cap. 6. col. 504. et Cent. II. cap. 6. col. 119. ubi dicunt, nec Apostolos, nec Apostolicos viros ullam legem dedisse Ecclesiæ de celebratione Paschæ, sed reliquisse Christianis integram libertatem. Et ibidem arguunt Romanos Pontifices, quod propter rem indifferentem excommunicaverint Asianos.

Iste autem error refellitur. Primo, ex canon. 8. Apostolorum, ubi jubentur deponi Episcopi, vel Presbyteri, qui Pascha egerint ante æquinoctium cum Judæis.

Secundo, probatur, quia eos, qui pertinaces fuerunt in opinione Asianorum, id est, quod necessario Pascha deberet agi Luna 14 cum Judæis, veteres Patres semper habuerunt pro hæreticis, ut patet ex Tertulliano de præscrip. Epiphan. hæres. 50. August. hæres. 29. et Theodoreto lib. III. de hæreticis fabulis, et Damascen. lib. de hæres. Et ne putemus eos esse hæreticos alia de causa, imposuerunt illis nomen Tessarescedecatitas, id est, Quartodecimanos. Non ergo sine causa Romani Pont. excommunicarunt Asianos.

Tertio, si esse deberet res libera, et indifferens celebratio Paschæ, numquam fuissent sancti Patres multum solliciti de hac re: at semper maxime solliciti fuerunt; nam in ipso initio hujus controversiæ, ubique celebrata sunt provincialia Concilia pro hac re, ut apparet ex lib. V. hist. Eusebii cap. 23. et 25. quod est signum magnæ sollicitudinis. Adde, quod in illis Conciliis non rem adiaphoram esse voluerunt: nam lib. V. cap. 23. sic ait Eusebius: « Unum, inquit, omnes Ecclesiasticum dogma confirmant, ne liceat aliquando nisi in die Dominica, qua Dominus resurrexit, Dominicum Paschæ celebrare mysterium. » Et c. 25. dicit, hunc fuisse finem decreti Concilii Cesariensis de Paschate illo ipso tempore habiti: « Epistolæ autem nostræ exemplaria per omnes Ecclesias transmittantur, ut ne rei efficiamur animarum, quæ diversis erroribus immerguntur. »

Quarto, Concilium Nicænum post quæstionem de fide contra Arium nihil putavit magis dignum diligenti discussione et determinatione, quam de die Paschæ, ut patet ex epistola Constantini apud Eusebium lib. III. de vita Constantini. Imo Athanasius in epistola de Synodis Arimini et Seleuciæ, non procul ab initio, dicit, Concilium Nicænum propter duas causas convenisse; primo, propter controversiam de Pascha; secundo, propter hæresim Arii, Epiphanius etiam hæres. 70. dicit: Constantinum duo maxima bona contulisse in Ecclesiam; unum, quod congregari curavit Synodum Nicænam; alterum, quod in ipsa Synodo curaverit determinari quæstionem de Paschate. Quod autem Nicænum Concilium plane præceperit celebrari Pascha die Dominico, et non solum cohortationem adhibuerit, ut Socrates dicere videtur, patet ex Athan. quiin epist. de Concil. Arimini et Seleuciæ, sic ait: « In negotio de Paschate non abhorruerunt ab ista appendice, visum est, ut omnes obtemperarent. »

Quinto, probatur ex Concilio Antiocheno cap. I. ubi excommunicantur, qui legem Nicænam de Paschatis die non servant.

Sexto, idem probatur ex magna sollicitudine, quam semper habuerunt Patres, ne erraretur in celebrando Paschate. Nam tempore B. Ambrosii, cum nata esset difficultas quædam, et ignoraretur, quæ esset dies Paschæ secundum Nicænum Concilium, undique mittebantur litteræ Episcoporum ultro citroque: Unde etiam exstat prolixa epist. 83 Ambrosii de hac re.

Deinde tempore Innocentii I, cum orta esset similis difficultas, scripsit Innocentius epistolam, quæ est 14. ad Aurelium Episcopum Carthaginis, ut ipse quoque concta Synodo, quæstionem illam discuteret, et ad se scriberet Concilii sententiam, ut ipse postea diem Paschatis de more omnibus præscriberet.

Rursum tempore Leonis, cum similis orta esset difficultas, scripsit inde S. Leo ad Imperatorem Martianum, ad Eudoxiam Augustam, ad Episcopos Galliæ et Hispaniæ, et alios. Vide epist. 63, 64, 65 et 95.

Præterea idem arguit generalis providentia Ecclesiæ; nam ut scribit Leo epist. 64. ad Martianum, delegata fuerat Episcopo Alexandrino cura semper supputandi et indagandi diem Paschatis, quem ille Apostolicæ sedi Romanæ indicabat; ac deinde Apostolica sedes universæ Ecclesiæ diem illum præscribebat; cujus moris meminit etiam Concilium Arelatense I. cap. I. et Innocentius I. epist. 11. ad Aurelium.

Ultimo, probatur arguit generalis providentia Ecclesiæ; nam ut scribit Leo epist. 64. ad Martianum, delegata fuerat Episcopo Alexandrino cura semper supputandi et indagandi diem Paschatis, quem ille Apostolicæ sedi Romanæ indicabat; ac deinde Apostolica sedes universæ Ecclesiæ diem illum præscribebat; cujus moris meminit etiam Concilium Arelatense I. cap. I. et Innocentius I. epist. 11. ad Aurelium.

Ultimo, probatur arguit divino testimonio, quod refert Paschasinus Episcopus Lilibetanus in epistola ad Leonem, et est 63. inter epistolas sancti Leonis. Scribit autem ille, tempore Zozimi Papæ ortam quæstionem de Paschate, quod Occidentales dicerent, Pascha celebrandum illo anno 25 die Martii. Orientales autem 22 Aprilis. Porro in quadam Ecclesia Siciliæ solebat singulis annis sacer fons divino miraculo per se repleri ipsa nocte Paschatis, qua Catechumeni bap-

tizandi erant. Illo autem anno, cum ex præscripto Zozimi Pascha ageretur 25 Martii, fons inanis et aridus mansit : deinde 22 Aprilis fons repletus est ; atque ex eo intellectum est, errasse occidentales in celebratione Paschæ. Quale miraculum contigisse etiam anno Domini 573, scribit Sigebertus in Chronico. Siquidem annotavit eo anno fontem baptismalem in Hispania divinitus impletum fuisse in Sabbato veri Paschatis, quod tunc Galli recte servabant, Hispani autem male. At certe si res esset omnino indifferens, numquam Deus tali miraculo commissum errorem demonstrasset.

Magdeburgenses Cent. V. cap. 6. col. 692. dicunt, fabulas, et nugas esse, quæ iste Paschasinus scribit. At constat, hunc Paschasinum fuisse Episcopum celeberrimum, quippe qui nomine S. Leonis præsedit Concilio Chalcedonensi 630 Episcoporum. Constat etiam eum scribere rem sibi notissimam, nimirum quæ acciderat suo tempore, et in loco sibi vicino. Constat denique rem illam scriptam gravissimo Pontifici S. Leoni, cui certe fabulam et nugas pro divino miraculo numquam venditasset magnus ille Episcopus.

Ultimus error est, in quem a multis jam annis sæpe incidimus, scientes quidem, et advertentes, sed tamen inviti. Sciendum enim est, Concilium Nicænum tres regulas constituisse ad inveniendum Paschæ diem. Una fuit, ut semper Pascha ageretur post diem 21 Martii, quia illo die erat æquinoctium veris, et Pascha post æquinoctium agi debet. Altera fuit, ut post 20 Martii exspectaretur Luna 14, et post eam diem quæreretur Pascha. Pascha enim agi debet in tertia hebdomade Lunæ, id est, a Luna 14 exclusive, usque ad 22 exclusive. Et ad inveniendam Lunam, composuerunt Cyclum aurei numeri. Ubicumque enim in Calendario invenitur aureus numerus illius anni, ibi est Novilunium. Tertia regula fuit, ut post Lunam 14 occurrentem, post vigesimum diem Martii, exspectaretur dies Dominicus, et ille esset Pascha.

Istæ regulæ illo tempore et sequentibus annis multis optimæ fuerant. Vere enim tunc erat æquinoctium 21 Martii, et vere aureus numerus tunc indicabat diem Novilunii. At a multis jam sæculis experientia docet, æquinoctium non esse fixum, vigesimaprima Martii, sed semper anticipare : nunc enim est decimo Martii. Similiter experientia docet, aureum numerum antiquum non indicare amplius Novilunia fideliter. Nunc enim Novilunium invenitur quatuor diebus ante ipsum aureum numerum. Ex quo intelligimus, tempore Concilii Nicæni non fuisse exacte deprehensum motum nec Solis, nec Lunæ : Ecclesia autem semper antiquas illas regulas servat, et inde sæpissime cogitur errare, etiamsi nolit. Sicut anno superiore, id est, 1579 celebratum est Pascha 19 die Aprilis, cum debuisset celebrari 15 Martii.

CAPUT XIII.

De Pentecoste.

Magdeburgenses Cent. II. cap. 6. col. 119. non solum dicunt, Apostolos nullam legem de festis instituisse, sed etiam addunt, primis illis sæculis Ecclesiæ nihil expresse legi de ullo festo, præterquam de Paschate. At hoc esse falsissimum, docet nos antiquitas Pentecostes. Nam in primis meminit ejus festi Paulus in priore epist. ad Corint. XVI : *Manebo*, inquit, *Ephesi usque ad Pentecosten*. Et Act. XX de Paulo inquit Lucas : *Festinabat, ut, si quo modo posset, Pentecosten ageret Hierosolymis* (1). Et quamvis non sit omnino certum, an loquantur hæ Scripturæ de Pentecoste Judæorum, an Christianorum : tamen Epiphanius hæres. 73. exponit de Pentecoste Christianorum.

Præterea meminerunt hujus festi, antiquissimi auctores ; Clemens lib. V. constit. cap. 21. Irenæus apud Justinum quæst. 115. Tertullianus lib. de Corona militis ; Origenes lib. VIII. contra Celsum ; Hilarius præfatione in Psalm. Theophilus lib. I. Paschali ; Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani, et in cap. IV. ad Gal. Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Maximus, Leo, et alii, qui sermones de hoc festo scriptos reliquerunt. Denique Augustinus epist. 118. dicit, festa Passionis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, et alia, quæ in tota Ecclesia celebrantur, sine dubitatione vel a generalibus

(1) I. Cor. XVI. 8 ; Act. XX, 16.

Conciliis, vel ab Apostolis instituta : constat autem, non esse instituta in generalibus Conciliis ; nam eorum mentio invenitur in Clemente, Justino, Tertulliano et Origene, qui præcesserunt omnia generalia Concilia.

Est autem gravis difficultas, an recte celebretur festum Pentecostes die quinquagesimo a die Resurrectionis. Nam certum est, celebrari hoc festum propter adventum Spiritus sancti, ut Hieronymus dicit in cap. IV. ad Galat. et alii Patres supra citati. Videtur autem Spiritus sanctus advenisse die 49, vel etiam ante 49, a die Resurrectionis Domini, et proinde non die Dominico, sed die Sabbati, aut Veneris, aut Jovis. Nam ut habemus Actor II : Spiritus sanctus venit, *dum complerentur dies Pentecostes*, id est, ipso die Pentecostes Judæorum. Non enim ibi Lucas potest intelligi de alia Pentecoste, quam Judæorum. Pentecoste autem Judæorum aut erat festum datæ Legis in monte Sina, ut dicit Augustinus epist. 119. cap. 16. aut erat festum Hebdomadarum, ut vult Hieronymus in cap. IV. ad Galat. aut fortasse utrumque simul : at neutrum in diem Dominicam incidisse videtur anno passionis Christi nam festum datæ Legis celebrabatur die tertio tertii mensis, ut habetur Exod. XIX. ex quo deducit Augustinus dies 50 numerari ab ipso Paschate Judæorum, id est, a die 14 primi mensis inclusive ; fuit autem dies Paschæ Judæorum, anno passionis Christi, die Jovis : ergo Pentecostes complebatur etiam die Jovis, nimirum triduo ante nostram Dominicam Pentecostes.

Porro festum Hebdomadarum, quod magis proprie dicitur Pentecostes, numerari incipiebat a secundo die azymorum, ut colligitur ex libro Levitic. cap. 23. ubi præcipitur, ut altera die Sabbati offerant manipulos primitiarum, et inde numerent septem hebdomadas, qui sunt dies 49 et sequenti die, id est quinquagesimo, festum diem agant. Porro hoc loco nomine Sabbati intelligitur primus dies azymorum, qui solemnis erat, et generali nomine Sabbatum dicebatur, ut exponunt Lyranus, Abulensis, Cajetanus in hunc locum, et Josephus lib. III. antiquit. cap. 13.

Cum ergo primus dies azymorum tempore passionis Christi fuerit die Veneris, si ab illo die exclusive numeremus dies quinquaginta, inveniemus, Pentecosten completam fuisse die Sabbati, non die Dominica. Neque potest aliquis effugere difficultatem, si dicat, Spiritum quidem sanctum non advenisse die Dominico, qui est quinquagesimus a Dominica Resurrectionis, tamen Ecclesiam voluisse die Dominico celebrare memoriam hujus adventus. Nam Clemens lib. V. cap. 21. constitut. Theophylus lib. I. Paschalis. Augustinus epist. 119. Leo in serm. de Pentecoste, et alii omnes, docent, revera die decimo ab Ascensione, et quinquagesimo a Resurrectione venisse Spiritum sanctum. Hoc ergo effugio prætermisso, respondeo, festum Hebdomadarum, et festum datæ Legis veteris, fuisse unum et idem ; et celebrari solitum tum in memoriam datæ Legis veteris, ac figuram dandæ Legis novæ per adventum Spiritus sancti, tum etiam in gratiarum actionem pro collectis frugibus ; et hoc unum festum anno passionis Christi incidisse in diem Dominicum, qui fuit quinquagesimus a Resurrectione Domini.

Ut autem ista omnia explicentur, considerandæ sunt duo illa loca, Exod. XIX. et Levit. XXIII. Quantum ad Primum locum, sciendum, non posse evidenter colligi ex Scriptura, quo die data sit Lex vetus. Nam Scriptura dicit, venisse Mosem cum populo in desertum Sinai mense tertio egressionis ab Ægypto, ac deinde tertia die datam Legem ; sed non explicat quo die mensis tertii venerit in desertum Sinai ; et proinde non certo scimus, unde numerentur tres illi dies, de quibus dicitur : *Estote parati in diem tertium*.

Invenio autem quatuor sententias. Prima est, B. Augustini epist. 119. cap. 16. et quæst. 70. in Exod. ubi dicit, venisse populum in desertum Sinai prima die mensis tertii, et tertia ejusdem datam esse Legem, et illam diem esse quinquagesimam a die primi Paschatis. Sed contra sunt argumenta.

Primum, quia si ita numeremus, non coincidet festum datæ Legis cum festo Hebdomadarum, quod proprie dicitur festum Pentecostes : nam festum Pentecostes est dies quinquagesimus a secundo die azymorum, non a festo Paschatis, et tamen debent coincidere, vel nullum erit festum datæ Legis, quod est absurdum, et contra ipsum Augustinum, qui ipsum festum datæ Legis, vult esse festum Pentecostes.

Secundum, quia revera non tollitur nostra prima difficultas ; nam si Lex data est die quinquagesimo a Paschate Judæorum, et illa die est festum Pentecostes, et Spiritus

sanctus venit in die Pentecostes, certe sequitur, Spiritum sanctum non venisse die Dominico, sed die Jovis.

Tertium, quia B. Augustinus non videtur recte numerare: ipse enim accipit ex primo mense dies septemdecim, ex secundo mense dies triginta, ex tertio mense dies tres, et sic efficit dies quinquaginta. At non potuit accipere ex primo mense dies septemdecim, et ex secundo dies triginta. Nam menses lunares, quales erant Judæorum, non omnes constant ex triginta diebus, sed unus ex triginta, alius ex viginti novem; ergo debuit accipere Augustinus ex primo mense dies septemdecim, ex secundo dies viginti novem; vel ex primo dies sexdecim, ex secundo dies triginta, et sic non efficit quinquaginta, sed quadraginta novem. Adde etiam, quod Moses non dicit, mense tertio Paschatis, sed mense tertio egressionis de Ægypto: egressio autem non fuit decimoquarto die, sed decimoquinto, ut habetur Num. XXXIII.

Quartum, quia si tertia die mensis tertii data est Lex, oportebit, prima die mensis multo plura esse facta, quam patiatur tempus unius diei: nam in primis dicuntur filii Israel mense tertio pervenisse in desertum Sinai; ex quo apparet, aliquam partem diei illius primæ consumptam in itinere: Non enim credibile est, eos pervenisse summo mane, cum non consueverint noctu iter facere. Deinde, ubi pervenerunt, fixerunt tabernacula sua, in quo plurimum temporis consumebatur, cum essent in illa multitudine supra mille millia hominum. Deinde post fixa tabernacula, ascendit Moses in montem Sina, qui altissimus erat, et cum Deo locutus, descendit, et convocavit omnes majores natu, et concionem habuit ad illos, et per illos ad omnem populum. Deinde rursum in montem secundo ascendit, et iterum descendit, et cum populo locutus jussit, ut omnes lavarent vestimenta sua: *Cumque lavissent vestimenta sua*, inquit Scriptura, *dixit eis Moses: Estote parati in diem tertium* (1). Quis porro credat, una, atque eadem die tabernacula erecta, et Mosem bis ascendisse ad montem, bis descendisse, bis populo concionatum? Quod si id credibile non est, certe sententia illa S. Augustini ægre defendi potest.

Alia expositio est Ruperti et Abulensis in cap. XIX. Exod. qui dicunt, Legem quidem datam die tertio tertii mensis, sed cum diem non esse quinquagesimum, ut Augustinus dicebat, sed quadragesimum nonum a Paschate, et ideo festum Pentecostes non celebrari propter Legem datam, sed propter fœdus ictum inter Deum et populum, quod factum est die quarta tertii mensis, ut dicitur Exod. XXIV.

Hæc expositio minus placet, quam prior; nam in primis valent contra hanc sententiam argumenta jam facta, excepto tertio; et præterea peribit figura pulcherrima nostræ Pentecostes, quam tamen Augustinus, Leo, et alii agnoscunt, nimirum quod Pentecoste Judæorum fuerit festum datæ Legis veteris, et nostra Pentecoste sit festum datæ Legis novæ.

Tertia sententia est Cajetani, qui dicit, Mosem venisse in desertum Sinai prima die mensis tertii, sed illa verba: *Estote parati in diem tertium*, dicta esse die quarto mensis, et proinde Legem datam die sexta ejusdem mensis, qui fuit quinquagesimus a secundo die azymorum inclusive, et hoc modo coincidit hoc festum cum festo Hebdomadarum, et omnia cohærent.

Quarta sententia est Rabbi Salomonis, et Lyrani, qui dicunt Mosem, venisse in desertum Sinai die tertia mensis tertii, ac deinde die quarta dixisse: *Estote parati in diem tertium*, et tandem die sexta datam Legem. Quæ sententia coincidit cum sententia Cajetani quoad diem datæ Legis, de quo erat præcipua quæstio. Videtur autem hæc sententia magis conformis litteræ; nam sic habet textus: *Mense tertio egressionis filiorum Israel de Ægypto, in die hac venerunt in solitudinem Sinai* (2); ubi illud: *In die hac*, videtur referri ad numerum antea nominatum, nimirum ad tertium, ut sit sensus: Mense tertio, et die ipsa, id est, ejusdem numeri, hoc est, tertia. Quamquam potest etiam satis commode illud, *In die hac*, referri ad initium mensis, ut sensus sit: In mense tertio, in die hac, id est, in ipso initio mensis. Maneat igitur, ut sexta die mensis tertii data sit Lex, sive populus in desertum Sinai venerit die prima, sive tertia.

Quantum ad secundum locum ex Levit. XXIII. duæ sunt expositiones. Prima est Isichii et Ruperti in eum locum, qui volunt, per alteram diem Sabbati, intelligi primam Sabbati, id est, Dominicam, quæ immediate sequitur post Sabbatum, et sensum Legis esse, ut dies Pentecostes numerentur a prima Dominica, quæ occurrit post festum Paschæ, quæ sententia si vera sit, nobis maxime favet. Nam eo modo semper Judæorum Pentecoste veniret in Dominica die, et quia anno passionis Christi prima Dominica post Pascha Judæorum fuit Dominica resurrectionis, inde eo anno necessario dies Pentecostes complebantur die quinquagesimo a die resurrectionis Domini.

(1) Exod. XIX. 14 et 15. — (2) Exod. XIX. 1; Num. XXXIII. 15.

Altera sententia est Lyrani, Cajetani, Abulensis, Rabbinorum omnium, et ipsius Josephi lib. III. antiquitatum cap. 13. qui intelligunt per alteram diem Sabbati primam diem post festum azymorum. Et sane movet me multum auctoritas Josephi, quippe qui noverat praxim ejus Legis, cum ipse quoque esset Sacerdos, et vixisset in Hierusalem, cum adhuc Lex illa servaretur. Sed hac sententia, tamquam vera, admissa, sequitur, dies Pentecostes anno Passionis Christi numerari cœpisse in Sabbato; Sabbatum enim eo anno proxime occurrebat post festum azymorum. Ex quo sequitur, ut dies Pentecostes complerentur etiam in Sabbato.

Quomodo igitur nos Pentecosten in Dominica celebramus? Respondet Rupertus, ubi supra, etiam hac sententia admissa, non potuisse Pentecosten incipere, aut compleri in Sabbato, quia Judæi habebant quamdam consuetudinem, ut numquam celebrarent duo festa duobus diebus continuis, et ideo si quando occurreret primus dies azymorum feria 6. solitos Judæos illum diem festum tranferre in sequentem; et die Sabbati, celebrare tam festum Sabbati, quam festum azymorum. Atque ita anno passionis Domini diem primum azymorum celebratum a Judæis non feria 6. sed Sabbato, et proinde dies Pentecostes cœpisse numerari die sequenti, qui fuit Dominicus.

Sed quia hæc sententia passim refelli solet, neque vacat nunc eam discutere: dicam quod sentio; et licet auctorem meæ sententiæ non habeam, spero tamen eam non facile improbandam, cum certa ratione niti mihi videatur.

Respondeo igitur, ordinarie quidem cœpisse numerari dies Pentecostes a secunda die azymorum, sed tamen secunda illa dies esset Sabbatum, tunc cœpisse numerari a tertia die azymorum: neque ullus hoc arguere potest; Nam causa, cui illi dies 50 non inciperent a die primo azymorum, sed a secundo, est, quia oportebat illo die multa opera servilia facere, quæ die festo erant prohibita, nimirum oportebat metere manipulum frumenti, et exsiccare, et adferre ad Sacerdotem. At ista omnia magis prohibita erant die Sabbati, quam die primo azymorum: ergo non licebat in secunda die azymorum, quando ea die erat Sabbatum, incipere dies illos quinquaginta. Et hanc esse puto causam, cur Scriptura dixerit, *Altera die Sabbati*; et non, altera die Paschæ, vel azymorum, quia nimirum voluit generatim includere festa, quæ immediate occurrerent post Pascha, sive esset unum, sive plura. Itaque illud: *Altera die Sabbati*, significat prima die profana post festum Paschæ. Et quia ut plurimum post Pascha non occurrebat festum, nisi primo die azymorum, ideo non male Josephus loquens de eo, quod ut plurimum accidebat, scripsit incipere Pentecosten Luna decimasexta, quamquam anno Christi passionis cœperit Luna decimaseptima, quia videlicet Sabbatum fuit Luna decimasexta. Quod si Dies Pentecostes eo anno numerari cœperunt Luna decimaseptima, qui dies erat Dominicus, sequitur, ut complerentur dies Pentecostes etiam die Dominico. Atque hoc est quod quærebatur.

CAPUT XIV.

De Septuagesima et sequentibus Dominicis.

Diximus de Septuagesima, quæ celebratur post Pascha; nunc de ea breviter disserendum, quæ celebratur ante Pascha. Septuagesimæ, Sexagesimæ, et Quinquagesimæ non invenio mentionem ante tempora B. Gregorii, sed in Antiphonario et Sacramentario Gregorii annotantur expresse officia harum Dominicarum, et earumdem meminerunt multi auctores Gregorio posteriores; nimirum Beda in libello de officiis divinis; Alcuinus in lib. ejusdem argumenti; Amalarius lib. I. c. I. de officiis Ecclesiasticis; Rabanus lib. II. c. 34. de institut. Clericor. Ivo in serm. de Septuagesima; Rupertus lib. IV. c. I. de divinis officiis; et B. Bernardus in serm. de Septuages. Ratio autem horum nominum non est eadem apud omnes; Beda et Alcuinus dicunt, quosdam addidisse unam hebdo-

madam ad jejunium Quadragesimæ, et illam consequenter vocasse Quinquagesimam; alios addidisse adhuc aliam, quia nolebant die Jovis jejunare, et tamen numerum dierum integrum servari volebant. Itaque addidisse unam hebdomadam ante Quinquagesimam, et eam hebdomadam consequenter vocasse Sexagesimam; alios denique, qui non jejunabant die Jovis, nec die Sabbati, addidisse adhuc aliam, et illam vocasse Septuagesimam.

Sed improbabilis est hæc sententia. Nam non est verisimile propter abusum paucorum, qui non jejunabant die Jovis et die Sabbati, Ecclesiam instituisse tam solemnes Dominicas. Et præterea non invenimus mentionem harum Dominicarum, nisi post tempora Gregorii, quando jam non erat ille abusus.

Alii volunt Septuagesimam dici a numero dierum, quia sunt dies 70, ab ea Dominica usque ad Sabbatum in Albis : Sexagesimam dici, quia sunt dies sexaginta ab ea Dominica usque ad feriam post Pascha : Quinquagesimam dici, quia tot sunt dies inde usque ad Pascha. Inepta opinio; nam sic omnis Dominica poterit vocari Septuagesima, si numeremus 70 dies, et non curemus ubi terminentur. Adde, quod per septuaginta dies volunt isti auctores significari captivitatem spiritualem sub Diaboli potestate, cujus typus fuerat captivitas Babylonica 70 annorum. At absurdissimum est, inter dies captivitatis includere diem resurrectionis Domini, qui est dies perfectæ libertatis.

Alii prudentiores dicunt, denominari a Paschate has omnes Dominicas, sed per Synecdochen : nam a Septuagesima usque ad Pascha sunt fere 70 dies, id est, 64. A Sexagesima usque ad Pascha circiter 60 dies, id est, 57. A Quinquagesima usque ad Pascha sunt 50 dies. Sed videtur defecere ista opinio in nomine Septuagesimæ; nam sexaginta quatuor dies magis dici deberent sexaginta, quam septuaginta.

Est ergo sententia Ruperti, quam puto verissimam, ista nomina non esse desumpta a numero dierum, sed a numero Dominicarum; voluit enim Ecclesia, ante Dominicam passionis præmittere septem celebres Dominicas, quibus revocaret nobis in memoriam, spiritualem nostram captivitatem, sicut per Dominicam passionis, et sequentem commemoratur redemptio a captivitate.

Itaque prima Dominica ex septem dicitur Septuagesima quia est prima ex septem Secunda dicitur Sexagesima, quia est prima ex sex. Tertia dicitur Quinquagesima, quia est prima ex quinque sequentibus. Quarta dicitur prima Quadragesimæ eadem ratione. Quinta dicitur secunda Quadragesimæ. Sexta dicitur tertia Quadragesimæ. Septima dicitur quarta Quadragesimæ. Deinceps autem non dicitur quinta Quadragesimæ, sed Dominica passionis. Et hinc etiam est, quod in Dominica Septuagesimæ, quia commemoratur captivitas, legitur in officio, ex initio Geneseos, peccatum primi hominis, et omittuntur omnia cantica læta, et ad Missam incipimus : *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me.* In Dominica autem passionis incipimus : *Vexilla Regis prodeunt etc.*

De Dominicis Quadragesimæ et Passionis frequentissima mentio est apud omnes Patres; sed de ea nos disseremus in controversiis de jejunio. Interim vide Epiphanium in compendiaria doctrina, quæ habetur ad finem librorum adversus hæreses, Theophylum in epistolis Paschalibus, Cassianum collat. XXI. et Augustinum epist. 118.

CAPUT XV.

De reliquis festis Domini.

Natalis Domini meminit Clemens lib. V. cap. 13. Chrysostomus orat. in S. Philogonium, Ambrosius lib. III. de Virginibus, initio; Item Basilius, Nazianzenus, Maximus, Augustinus, Leo et alii, quorum extant sermones de Natali Domini.

Circumcisionis festum videtur esse satis recens. Nam non solum veteres Patres non meminerunt ejus festi, verum etiam Isidorus, Micrologus, Amalarius, Rabanus, Walfridus Strabo, qui describunt officia omnium festorum, meminerunt quidem officii diei octavæ Natalis Domini, sed non sub nomine Circumcisionis. B. Bernardus tamen, et ante eum B. Ivo Carnotensis, sermones habent de ipso festo Circumcisionis.

Epiphaniæ meminit Chrysostomus orat. de S. Philogonio, Nazianzenus orat. in sancta lumina, Maximus, Augustinus, Leo, et alii recentiores. Observat autem Cassianus collat. X. c. 2. apud Ægyptum una et

eadem die celebrari Natalis, et Epiphaniæ diem, cum in Occidentis Ecclesiis sint festa diversa.

Dominicæ in Albis meminit Clemens lib. V. c. 20. Nazianzenus orat. in novam Dominicam, et Augustinus serm. I. de octava Paschatis; qui etiam lib. XXII. de civit. Dei, cap. 8. meminit trium dierum Paschatis.

Ascensionis festum antiquissimum est, et ab Apostolis institutum, ut docet Clemens lib. V. cap 20. Apostolic. constitut. et B. Augustinus epist. 118. In eodem festo exstant sermones Nysseni, Leonis, et aliorum.

Festum Trinitatis recens est; Nam c. Quoniam, de feriis, Alexander III dicit, suo tempore fuisse quidem in usu apud quasdam Ecclesias, non tamen Romæ. Micrologus etiam lib. de observationib. Ecclesiasticis, cap. 60. reprehendit eos, qui hoc festum celebrant; et ne quis objiceret, videri hoc festum antiquum, quandoquidem præfatio de Trinitate est una ex novem, quas Pelagius II, tamquam antiquissimas servari præcepit, monet Micrologus, eam præfationem in Dominicis omnibus cantari solitam : neque esse propriam festi Trinitatis. Postea tamen etiam Romæ merito receptum est, et quidem in die octava Pentecostes, ut Deo specialiter agantur gratiæ pro mysterio Trinitatis, orbi terrarum Apostolorum ministerio declarato.

Festum Corporis Domini constat ab Urbano IV institutum, post annum Domini 1200, quod festum omnes Lutherani et Calvinistæ oderunt, sed immerito; Nam etiamsi non esset vere Christus in Eucharistia (ut Calvinistæ dicunt), vel non deberet adorari (ut dicunt Lutherani,) tamen adhuc justum esset, habere certum diem, quo recoleremus memoriam institutionis ejus Sacramenti, quod etiam Lutherani et Calvinistæ maximum Sacramentorum esse concedunt.

Festum denique Transfigurationis Domini antiquum esse videtur. Exstant enim de eo sermones S. Leonis, necnon Cyrilli Alexandrini, et Andreæ Cretensis apud Surium.

CAPUT XVI.

De festis Sanctorum.

Festa Sanctorum adversarii non parum oderunt. Primo, quod idololatriam sapere videantur, nam Sabbata sanctificare, est præceptum primæ tabulæ, et proinde ad cultum Dei pertinet.

Secundo, quia aliqua falso fundamento nitantur, ut Conceptionis B. Mariæ festum, quod festum beatus Bernardus nominatim reprehendit in epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, ubi dicit, errorem et superstitionem sapere hoc festum, quia eo vel peccatum honoratur, sine quo conceptio ista non fuit, vel falsa inducitur sanctitas. Et præterea apud nos etiam non est certum, an B. Virgo sine peccato originali concepta fuerit; Ecclesia enim utramque opinionem permittit : ergo saltem dubium est, an recte hoc festum celebremus.

Tertio, quod plurima sint nova, ac præsertim festa B. Virgini dicata : nec enim ante Justiniani tempora exstabant.

Quarto, quod multa ab Imperatoribus sæculi instituta sint. Nam festum Purificationis instituit Justinianus, ut scribunt Paulus Diaconus lib. XVI. rerum Romanarum, et Nicephorus lib. XVII. cap. 28. Festum Assumptionis instituit Mauritius, qui Justiniano posterior fuit, ut idem Nicephorus ibidem refert.

Quinto, quia eousque prolapsus est abusus festorum, ut etiam Imperatoribus non sanctis festi dies instituti sint, ut de Justiniano refert Nicephorus lib. XVII. c. 31. Hæ sunt objectiones Tilmanni Hoshusii, lib. de erroribus Pontificiorum tit. 26. et Magdeburgens. Cent. VI, cap. 6. col. 342. 343. et 344.

Verumtamen pium et bonum esse colere festos dies Sanctorum, facile demonstrabimus auctoritate primum, deinde ratione. Auctoritas est totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ omni tempore id servavit. Ac ut solum inspiciamus quinque prima sæcula, primo sæculo, id est, Apostolorum tempore, habemus Clementem lib. VIII. constitut. cap. 39. ubi jubet servari festa Apostolorum et Martyrum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Secundo sæculo, habemus testimonium Ecclesiæ Smyrnensis, cujus epistolam refert Eusebius lib. IV. hist. cap. 15. in ea epist. habentur hæc verba : « Quo in loco etiam nunc, præsiante Domino, solemnes agimus celebresque conventus, maxime quidem in die passionis ejus; sed et cum eorum memoriam, qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur. »

Tertio sæculo, Origines hom. 3. in diversos Evangelii locos, dicit, festum Innocentium puerorum recte in Ecclesia celebrari, propterea quod fuerunt illi Martyrum primitiæ. Item Tertullianus lib. de corona militis dicit, unum ex antiquis traditionibus esse, annuas oblationes facere pro natalitiis. Et clarius, B. Cyprianus lib. III. epist. 6 : « Dies, inquit, eorum quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. » Et lib. IV. epist. 3 : « Sacrificia, inquit, pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus. »

Quarto sæculo, Basilius oratione in Gordium Martyrem; Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem; Nazianzenus orat. 1. in Julianum, paulo ante medium; Ambrosius serm. 66. 77. et 78. Hieronymus in cap. IV. ad Galat. et epist. 19. ad Eustochium; Prudentius in hymno de Sanctis Petro et Paulo, festorum dierum in Sanctorum memoriam et honorem institutorum apertissime meminerunt.

Quinto sæculo, Chrysostomus hom. 66. ad populum; Theodoretus lib. VIII. de Martyribus; Augustinus in Psal. 63 et 88. et alibi; Paulinus natali 2 et 3 S. Felicis. His accedunt Leo, Gregorius, Beda, et alii omnes posteriores, quorum libri testimoniis plenissimi sunt.

Probatur hoc etiam ex antiquis Conciliis diversarum Ecclesiarum. Concilium Laodicenum in Oriente celebratum ante annos 1200, can. 51. vetat, in Quadragesima celebrari festa Sanctorum; ex quo sequitur, extra Quadragesimam fuisse in ea provincia celebrata. Concilium Carthaginense III, ante annos 1100, can. 47 : « Liceat, inquit, legi passiones Martyrum, cum anniversarii, dies eorum celebrantur. » Concilium Toletanum in Hispania III, can. 23. jubet, ut in diebus festis Sanctorum populi non dent operam turpibus saltationibus. Concilium Lugdunense in Gallia, ut habemus can. Pronuntiandum, de consecr. dist. 3. enumerat inter festa Ecclesiæ festum sanctorum Apostolorum, Assumptionem et Nativitatem B. Mariæ, festum S. Sylvestri, S. Martini, et aliorum. Idem ex Germania habemus in Concilio Moguntinensi cap. 36.

Ultimo probatur ratione, quæ fundatur in divinis litteris. Festi dies recte instituuntur ad recolenda divina beneficia, ut patet de festo Sabbati et festo Sortium apud Judæos, et de festis Domini apud Christianos. Unde Augustinus lib. X. de Civ. Dei cap. 4 : « Beneficiorum, inquit, Dei, solemnitatibus, festis, et diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio. » Sed non est parvum Dei beneficium beata consummatio alicujus Sancti, et præcipue per martyrium; inde enim datur toti Ecclesiæ militanti exemplum fortitudinis, et unus novus patronus apud Deum. Datur etiam toti Ecclesiæ triumphanti novum gaudium de accessione unius civis : denique tunc agitur novus et perfectus triumphus de Diabolo.

Confirmatur : Nam omnes causæ, propter quas homines etiam profani celebrant festos dies, concurrunt in obitu Sanctorum. Homines enim festa celebrant ob diem natalem Principum : item ob assumptionem alicujus ad summam aliquam dignitatem : denique ob partam victoriam. At cum Sancti moriuntur, tunc vere nascuntur, et nascuntur Principes cœlestes, unde ab Ecclesia eorum obitus natalitia dicuntur. Item tunc assumuntur ad summam dignitatem, quæ hominibus conferri queat, id est, ad æternam beatitudinem : denique tunc perfectam victoriam referunt de Diabolo, et triumphum agunt.

Neque rationes adversariorum aliquid efficiant. Ad primam de idololatria dico primo, festa Sanctorum Deo dicari, sed in Sanctorum memoriam, quemadmodum templa sacrantur Deo in memoriam Sanctorum. Secundo dico, honorem dierum festorum immediate, et terminative pertinere etiam ad Sanctos, quemadmodum diximus de basilicis, de votis, et de ipsa invocatione : sed talem honorem dicimus esse cultum duliæ, non latriæ, et proinde religionis quidem cultum, sed religionis, non ut est nomen specialis virtutis, quæ hominem erga Dei cultum bene disponit, sed ut est nomen generale.

Ad secundum de festo Conceptionis, quod falso fundamento niti videtur, dico primo, in majori parte Ecclesiæ pie credi B. Virginem sine peccato originali conceptam, quod etiam ex adversariis fatentur Lutherus et Erasmus; ille in sermone de festo Conceptionis; iste in Apologia ad Albertum Pium Carpensem.

Dico secundo, fundamentum hujus festi præcipuum non esse Conceptionem immaculatam, sed simpliciter Conceptionem matris Dei futuræ. Qualiscumque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quod conceptio fuit matris Dei, singulare gaudium affert mundo ejus memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis, præsertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.

Dices, hoc modo etiam Joannis Baptistæ conceptio celebrari posset. Respondeo, posset sane, ut Græci faciunt. Nam in Kalendario Græcorum die 23 Septembris annotatur festum conceptionis Joannis Baptistæ : sed Ecclesiæ Latinæ non est visum tot festa multiplicare. Et præterea magnum est discrimen inter matrem Dei, et præcursorem ejusdem, et inter utriusque conceptionem. Nam quia major pars Ecclesiæ pie credit immaculatam conceptionem, inde habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc festum, quam occasionem non habuit ad instituendum festum de conceptione Joannis Baptistæ.

Porro B. Bernardi sententia nobis favet, ille enim reprehendit Canonicos Lugdunenses, quod sine exemplo vel præcepto Romanæ Ecclesiæ novum festum instituissent. Si ergo nunc B. Bernardus videret ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ festum celebrari, etiam ipse libentissime celebraret.

Ad orationem autem Bernardi dico, nos nec peccatum honorare, nec inducere falsam sanctitatem, etiamsi Virgo in peccato concepta esset, sed honorare officium matris Dei, ad quod ab ipsa conceptione designata fuit. Nam idem Bernardus ibidem dicit, merito celebrari nativitatem Joannis Baptistæ, quia sancta fuit, et tamen ibidem dicit, se non audere asserere sanctificationem Joannis in utero delevisse originale peccatum, licet hoc pium sit credere. Si ergo ita adversus Bernardum argumentaret : Colis festum nativitatis Joannis, quem non audes asserere natum sine peccato, ergo vel honoras peccatum, vel inducis incertam sanctitatem. Responderet Bernardus, nec peccatum se honorare, nec inducere incertam sanctitatem, sed honorare officium præcursoris, ad quod sanctificatus fuit adhuc in utero matris existens : Idem ergo respondeo illi de conceptione B. Mariæ.

Quod si ipse quæreret, unde habeamus B. Mariam ab ipsa conceptione sanctificatam, saltem ad hoc, ut esset mater Dei designata, responderem, inde nos hoc didicisse, unde ipse dicit, B. Mariam ab ipsa nativitate sanctam fuisse. Asserit enim ibidem, ex eo, quod Ecclesia jam tunc celebrabat B. Virginis ortum, se nihil dubitare, quin ortus ille sanctus fuerit; et nos ergo ex eo quod Ecclesia celebrat festum Conceptionis, nihil dubitamus, Conceptionem illam sanctam aliquo modo fuisse, ac saltem ratione officii, ad quod assumebatur.

Ad tertium dico duo; Primo, non esse absurdum, quod aliqua festa sint recentia, quandoquidem etiam sæpe sunt recentia Dei beneficia, propter quæ festa instituuntur; vel saltem occasio festorum instituendorum potest esse recens. Unde etiam tempore Judæorum vario tempore varia sunt festa instituta, præter ea, quæ Deus ipse per Mosen instituerat, ut patet de festo Sortium propter liberationem tempore Esther; et de alio festo ob victoriam Judith, et de festis dedicationum tempore Salomonis, et postea tempore Esdræ, et ultimo tempore Machabæorum, quod festum, licet recentissimum, Christus ipse honoravit, Joan. X.

Dico secundo, festa Sanctorum antiquissima esse, ut jam ostendimus. Fatemur tamen prius cœpisse celebrari festa Martyrum, quam Confessorum; et nonnulla etiam festa B. Mariæ recentia esse. Nam festum Conceptionis tempore beati Bernardi cœpit, sed non fuit publice receptum a tota Ecclesia, nisi post decretum Sixti IV. Pontificis, quod habetur in Extravaganti; Cum præexcelsa, de reliquiis, et veneratione Sanctorum. Similiter festum Visitationis in Ecclesia Latina novum est. Fuit enim institutum ab Urbano Papa VI. atque a Bonifacio IX. primum confirmatum. Deinde etiam a Concilio Basileensi sess. 43. quamquam utrumque festum jam antea erat in Calendario Græcorum.

Festum Nativitatis B. Mariæ longe antiquius est. Meminit enim ejus Petrus Damianus, qui tres sermones de eo festo scripsit,

et ante eum B. Gregorius, qui in Antiphonario, et Sacramentario annotavit officium, 8. die Septembris pro Natali B. Mariæ.

Festum Annuntiationis adhuc est antiquius. Exstat enim oratio S. Athanasii de sancta Deipara, ubi expresse meminit hujus festi.

Festum Purificationis est etiam antiquissimum. Siquidem hujus celebritatis exstant orationes Amphilochii, Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, et Andreæ Cretensis apud Aloysium Lipomanum, et Laurentium Surium.

Denique festum Assumptionis est etiam antiquissimum. Nam ejus meminit Gregorius in Antiphonario, et Sacramentario, et ante Gregorium Andreas Cretensis in oratione de hoc festo, quæ exstat apud Lipomanum, et Surium. Atque ante Andreæ tempora exstat inter opera B. Hieronymi insignis sermo de festo Assumptionis, qui quidem vel ipsi Hieronymo, vel ejus æquali Sophronio tribuitur.

Ad objectionem ergo ex Nicephoro, et Paulo Diacono, dico, eorum verba non posse intelligi de prima institutione horum festorum, nisi illi apertissime mentiantur. Quomodo enim instituit Justinianus festum Purificationis, et Mauritius festum Assumptionis, si utrumque festum erat institutum tempore Hieronymi, et Chrysostomi, qui ducentis annis Justiniano antiquiores fuerunt? Præterea iidem auctores ibidem dicunt, a Justino Imperatore institutum festum Nativitatis Domini. At constat ex Ambrosio, Augustino, Leone, et aliis, qui Justinum præcesserunt, festum Nativitatis longe esse antiquius. Solum ergo Imperatores illi addiderunt aliquid ad celebritatem, et fortasse præceperunt civilibus legibus, ne ullus operaretur in illis solemnitatibus, cum tamen etiam antea legibus Ecclesiæ dies illi festi sancti essent.

Ad quartum, patet responsio. Non enim Imperatores festa instituerunt, sed instituta jam festa ab Ecclesia, legibus etiam suis adjuverunt, et ornarunt.

Ad quintum respondeo, Nicephorum non dicere, institutum fuisse festum diem Justiniano, sed solum quotannis Episcopum quemdam Constantinopolitanum solitum celebrare ejus memoriam. Id quod non cogimur intelligere de aliquo festo die, sed solum de laudatione Justiniani, quam ille Episcopus admiscebat concioni suæ, propterea quod Justinianus multa pia opera, et Ecclesiæ utilissima fecisset. Addo præterea, quidquid illud fuerit, sive festus dies, sive simplex laudatio, fuisse unius privati Episcopi factum, quod non immerito reprehendi posset, præsertim cum ejus successores mox omiserint ejusmodi celebritatem.

CAPUT XVII.

De Vigiliis.

In profestis magnorum dierum consueverat Ecclesia vigilare et jejunare. Ac in primis Vigilia Paschæ, quæ nocte præcedente Dominicum Resurrectionis agebatur, semper celeberrima fuit; ut patet ex Clemente lib. V. constitut. cap. 19. ex Tertulliano lib. II. ad uxorem; ex Eusebio lib. VI. histor. cap. 7. et ex aliis permultis.

De Vigiliis autem in Sanctorum honorem meminit Basilius in Psal. CXIV. Hieronymus in lib. adversus Vigilantium, Burchardus lib. XIII, decretorum, cap. 16. Bernardus serm. de Vigilia S. Andreæ, et de Vigilia sanctorum Petri et Pauli, et Innocentius Pontifex III. cap. 1. et 2. de observatione jejuniorum. Cæterum quoniam paulatim occasione nocturnarum Vigiliarum, abusus quidam irrepere cœperant, vel potius flagitia, non raro committi : placuit Ecclesiæ nocturnos conventus, et Vigilias proprie dictas intermittere, ac solum in iisdem diebus celebrare jejunia.

OCTAVA CONTROVERSIA GENERALIS

DE SACRAMENTIS

IN GENERE

DUOBUS LIBRIS EXPLICATA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et ante eum B. Gregorius, qui in Antiphonario, et Sacramentario annotavit officium, 8. die Septembris pro Natali B. Mariæ.

Festum Annuntiationis adhuc est antiquius. Exstat enim oratio S. Athanasii de sancta Deipara, ubi expresse meminit hujus festi.

Festum Purificationis est etiam antiquissimum. Siquidem hujus celebritatis exstant orationes Amphilochii, Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, et Andreæ Cretensis apud Aloysium Lipomanum, et Laurentium Surium.

Denique festum Assumptionis est etiam antiquissimum. Nam ejus meminit Gregorius in Antiphonario, et Sacramentario, et ante Gregorium Andreas Cretensis in oratione de hoc festo, quæ exstat apud Lipomanum, et Surium. Atque ante Andreæ tempora exstat inter opera B. Hieronymi insignis sermo de festo Assumptionis, qui quidem vel ipsi Hieronymo, vel ejus æquali Sophronio tribuitur.

Ad objectionem ergo ex Nicephoro, et Paulo Diacono, dico, eorum verba non posse intelligi de prima institutione horum festorum, nisi illi apertissime mentiantur. Quomodo enim instituit Justinianus festum Purificationis, et Mauritius festum Assumptionis, si utrumque festum erat institutum tempore Hieronymi, et Chrysostomi, qui ducentis annis Justiniano antiquiores fuerunt? Præterea iidem auctores ibidem dicunt, a Justino Imperatore institutum festum Nativitatis Domini. At constat ex Ambrosio, Augustino, Leone, et aliis, qui Justinum præcesserunt, festum Nativitatis longe esse antiquius. Solum ergo Imperatores illi addiderunt aliquid ad celebritatem, et fortasse præceperunt civilibus legibus, ne ullus operaretur in illis solemnitatibus, cum tamen etiam antea legibus Ecclesiæ dies illi festi sancti essent.

Ad quartum, patet responsio. Non enim Imperatores festa instituerunt, sed instituta jam festa ab Ecclesia, legibus etiam suis adjuverunt, et ornarunt.

Ad quintum respondeo, Nicephorum non dicere, institutum fuisse festum diem Justiniano, sed solum quotannis Episcopum quemdam Constantinopolitanum solitum celebrare ejus memoriam. Id quod non cogimur intelligere de aliquo festo die, sed solum de laudatione Justiniani, quam ille Episcopus admiscebat concioni suæ, propterea quod Justinianus multa pia opera, et Ecclesiæ utilissima fecisset. Addo præterea, quidquid illud fuerit, sive festus dies, sive simplex laudatio, fuisse unius privati Episcopi factum, quod non immerito reprehendi posset, præsertim cum ejus successores mox omiserint ejusmodi celebritatem.

CAPUT XVII.

De Vigiliis.

In profestis magnorum dierum consueverat Ecclesia vigilare et jejunare. Ac in primis Vigilia Paschæ, quæ nocte præcedente Dominicum Resurrectionis agebatur, semper celeberrima fuit; ut patet ex Clemente lib. V. constitut. cap. 19. ex Tertulliano lib. II. ad uxorem; ex Eusebio lib. VI. histor. cap. 7. et ex aliis permultis.

De Vigiliis autem in Sanctorum honorem meminit Basilius in Psal. CXIV. Hieronymus in lib. adversus Vigilantium, Burchardus lib. XIII, decretorum, cap. 16. Bernardus serm. de Vigilia S. Andreæ, et de Vigilia sanctorum Petri et Pauli, et Innocentius Pontifex III. cap. 1. et 2. de observatione jejuniorum. Cæterum quoniam paulatim occasione nocturnarum Vigiliarum, abusus quidam irrepere cœperant, vel potius flagitia, non raro committi : placuit Ecclesiæ nocturnos conventus, et Vigilias proprie dictas intermittere, ac solum in iisdem diebus celebrare jejunia.

OCTAVA CONTROVERSIA GENERALIS

DE SACRAMENTIS

IN GENERE

DUOBUS LIBRIS EXPLICATA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PRÆFATIO

IN SCHOLIS HABITA

Hæreticos homines, ut est apud Isaiam prophetam cap. XIX. spiritu vertiginis agitari, et tamquam Babylonicæ turris ædificatores, sic inter se linguis, et moribus esse divisos, ut alius alium non agnoscat, nulla re magis, quam disputatione Sacramentaria comprobatur. Etenim cum de Sacramentis agitur, sive nomen, sive natura, sive numerus, sive efficacitas, sive quid aliud in controversiam adducatur, non modo inter se acerbissimis contentionibus altercantur, sed etiam ita inepte, atque absurde plerumque disputant, ut de stultitiæ palma contendere, vel de gloria imperitiæ dimicare velle videantur. Et quoniam præfationem a nobis solito pleniorem, ac jucundiorem novi hujus Gymnasii amplitudo, nova studiorum auspicia, novi auditorum concursus, ipsæ propemodum sedes, ac parietes postulare videntur, non mediocriter lætor, hoc se mihi hodierna die ad disputandum argumentum obtulisse. Disserendum est enim de hæreticorum hujus temporis vanitate, et levitate, idque in re Sacramentaria, id est, summis, gravissimisque nostræ fidei controversiis. Quæ sane disputatio nec jucunditate vacua esse poterit, cum spectaculum furiosorum inter se, et cum sanis concertantium exhibeat, nec sua etiam utilitate privabitur, cum hoc exemplo luculenter ostendat, in quas errorum tenebras incidant, quæque ad præcipitia absurdissimarum hæreseon ruant, qui semel a præclarissima munitissimaque Catholicæ veritatis arce recesserint.

Principio igitur cum Sacramenti vocabulum in quæstionem apud Hæreticos nostros venisset, et Martinus Lutherus in Babylone sua eam vocem haud multum sibi probari significasset, continuo discipuli ejus, qui Lutherum, non ut hominem quemdam vulgarem, sed ut novum Prophetam de cœlo lapsum, suspiciebant, ejusque non sententias tantum, sed etiam nutus tamquam oracula observabant, Sacramenti nomen aperte improbare, ac repudiare cœperunt. Itaque Andreas Carolstadius in lib. de Imaginibus et Sacramentis, Sacramenti nomen palam oppugnavit. Philippus Melanchton in locis primum editis, capite de signis : « Quæ, inquit, alii Sacramenta nos signa appellamus, quod si signi nomen displicet, Σφραγῖδας appelles » ; Zwinglius in lib. de vera et falsa religione : « Vocem istam, inquit, Sacramenti, magnopere cuperem Germanis numquam fuisse receptam. » Calvinus, ut cæteris gravior et sapientior videatur, etsi nomen hoc parum probet lib. IV. Institut. cap. 14. non tamen existimat operæ pretium, de nomine litigare. Non diu post exorta inter Lutherum, et Sacramentarios gravissima simultate, cum animad-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verteret Lutherus Sacramenti nomen vehementer Sacramentariis improbari; probare ipse cœpit, acerrimeque tueri, ac propugnare, ut ex eo libro cognosci potest, quem contra Andream Carolstadium scripsit : quem quidem Andream, aureum aliquando amicum suum, in Absalonem et Judam postea conversum misere deplorat.

Lutherum opinione mutata, Sacramenti vocabulum defendentem, secutus est ejus Achates, Philippus Melanchthon, qui in locis posterius editis, Sacramenti nomine passim utitur; Secuti etiam cæteri, qui proprie Lutherani dici, atque a Sacramentariis distingui volunt, Brentius, Tilmannus, Kemnitius, et alii.

Sed audite, si placet, quibus argumentis Sacramenti nomen vel oppugnet Carolstadius, vel defendat Lutherus : « Non placet, inquit ille, vox ista; neque enim Deus in sacris litteris usquam imperavit, ut ejusmodi voce uteremur; nec licet in rebus divinis usurpare nomina, quæ Deus non jusserit usurpari. » Contra, Lutherus : « Imo vero, inquit, placet vox ista; nec enim Deus in sacris litteris usquam prohibuit, ne ejusmodi voce uteremur : et quis tandem es, Carolstadi, ut te ponas loco Dei, et nobis prohibeas, quod ille non prohibuit? » Uter ineptior, Auditores? Nam si non licet in rebus divinis his vocibus uti, quas Deus in sacris litteris non instituit, indicet nobis Carolstadius, ubinam legerit in Scripturis Trinitatem, essentiam, personas, ὁμοούσιον, aliaque id genus, quæ trita sunt, et pervulgata, non magis apud Catholicos, quam apud ipsos hæreticos Sacramentarios? et si non licet Baptismum et Eucharistiam vocare Sacramenta, quod Deus non jusserit ita vocari, cur ipsi Baptismum et Eucharistiam signa, symbola, tesseras, σφραγῖδας appellant? Neque enim locum indicare poterunt in Evangelio, vel in Apostolo, ubi ejusmodi vocibus, vel Baptismus, vel Eucharistia nominetur. Sed nec Lutheri ratiocinatio multo plus habet ponderis, aut soliditatis. Etenim si prohibere non licet ea vocabula, quæ Deus in sacris litteris non prohibuit; non igitur prohibeantur Ariani Filium Dei dicere ὑπερούσιον Patri : sinantur Macedoniani Spiritum sanctum vocare creaturam : liceat Michaeli Serveto Verbum æternum definire, idealem rationem Christum hominem repræsentantem : liberum sit Valentino Gentili Deum Patrem essentiatorem, Deum Filium essentiatum nominare; concedatur denique, ut alia prætermittam, novis Samosatenis, ut vocent imagines Trinitatis, Cerberos tricipites, et tricorporeos Geriones : siquidem nihil horum in sacris litteris Deus prohibuisse legitur.

Quanto gravius, maturius, sapientius Ecclesia Catholica nomen Sacramenti retinet, quod eam vocem aptissime quadrare intelligat in Baptismum, et Eucharistiam, aliaque ejusdem generis sacra mysteria; quodque eadem voce usos esse videat Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, et quotquot jam inde ab initio Christiani nominis, de sacris nostræ fidei rebus Latine scripserunt? Sed de nomine satis multa. Ad Sacramenti naturam, atque vim accedamus.

Scriptores Catholici tanta consensione docent, ac semper docuerunt, novæ legis Sacramenta instrumenta quædam esse nostræ justificationis, ut id etiam adversariorum nostrorum testimonio comprobetur. Sic enim Calvinus loquitur lib. IV. Institut. cap. 14. §. 14 : « Magno consensu sophisticæ scholæ tradiderunt, Sacramenta novæ legis justificare, et conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia dici non potest quam sit exitialis et pestilens, eoque magis, quod multis ante sæculis magna Ecclesiæ jactura, in bona orbis parte obtinuit. » Hæc ille : qui, ut videtis, licet pro suo more Catholicos, sophistas, et Ecclesiæ fidem, pestem, ac perniciem vocet : tamen negare non potuit magnum esse inter Catholicos omnes consensum, ac sententiam nostram multis jam sæculis in bona orbis terrarum parte viguisse : cum de ipsis contra rectissime, verissimeque dicamus, nihil apud eos antiquum, nihil certum, nihil fere ab omnibus communi consensione receptum, sed omnia nova, incerta omnia, eaque brevissimis, atque angustissimis finibus circumscripta. Nam etsi permulti, ac pene innumerabiles hoc tempore longe, lateque grassantur Hæretici, tamen in tot minutissimas sectas sunt ipsi divisi, atque dissecti, ut nullum ferme sit eorum dogma, quod admodum late pateat, quodque non aliqua certa regione definiatur. Sane Martinus Kemnitius in secunda parte Examinis Tridentini Concilii de Sacramenti natura, et potestate disputans, summam inter suos, id est, Lutheri posteros, ac discipulos, discordiam esse ingenue confitetur. Et vero nimium impudens fuisset, si quod est solis luce clarius, inficiari voluisset. Numerantur enim apud Adversarios, ipso etiam consentiente Kemnitio, ut minimum sex diversæ, atque absurdissimæ, et inter se pugnantes opiniones, dum aliud somniat Lutherus, aliud sibi fingit Carolstadius, aliud delirant Anabaptistæ, aliud Zwinglius, aliud Calvinus, aliud alii comminiscuntur. Inspiciamus paulisper, ac leviter discutiamus ineptias singulorum.

Princeps Lutherus, cum in Babylone, tum in assertione Articulorum, nihil aliud Sacramentum esse voluit, nisi divinum testimonium ad excitandam, vel nutriendam fidem, institutum, quod instar miraculi confirmet, et instar sigilli obsignet promissionem gratiæ. Quocirca Sacramenta fere conferre solet cum vellere Gedeonis, cum signo quod Isaias obtulit Regi Achaz, cum aliis ejusmodi miraculis, atque prodigiis, quibus ad faciendam fidem Prophetæ, et Apostoli utebantur.

Sed hæc sententia tam est absurda, ut nihil fere cogitari possit absurdius. Nam signa, atque prodigia ad confirmandam prædicationem merito adhibentur, cum sint ex se nota, et illustria, neque à prædicatione ulla ratione dependeant : contra autem Sacramenta nullam ex se vim habent, ac ne Sacramenta quidem esse intelliguntur, nisi testimonio verbi confirmentur. Itaque qui a prædicatore divini verbi vel morbos repente curari, vel Dæmones verbo pelli, vel cæcos illuminari, vel ab inferis mortuos revocari conspiciunt, ipsa miraculi vi tamquam fulgore quodam ita percelluntur, ac prosternuntur, ut vel inviti verbis tanti viri fidem habere cogantur. Qui vero aquis hominem ablui, quod in Baptismo facimus, vident, nihil mirantur, neque facile credunt in ea lotione aliquid sublimius latere, nisi verbo Dei ante crediderint. Quod si non ante Sacramenta suspicere incipimus, quam verbo Dei fidem habeamus : quo pacto, quæso, fieri potest, ut Sacramentis divina eloquia confirmentur? An non ridiculus esset, qui Ethnico diceret : Ut credas vera esse quæ dico, amphoram istam aquæ super caput tuum effundam? Egregia sane probatio : nisi enim ex Dei verbo disceremus lotionem illam, et illam unctionem ad purgandos animos valere, quis id crederet? quis non rideret? Neque enim id habet aquæ natura, ut morbos animi curet, et cordis maculas eluat; sed quidquid in hoc

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

genere potest, ex institutione divina potest, divinam autem institutionem divina eloquia patefaciunt.

Porro comparatio illa, qua verbum diplomati, Sacramentum sigillo ab adversariis passim confertur, tam est inepta, ut nihil ineptius fingi queat : multoque rectius verbum Dei, sigillum Sacramenti, quam Sacramentum, verbi Dei sigillum dici possit. Nam ut sigillum, etiam sine diplomate vim suam habet, atque agnoscitur, et honoratur : diploma sine sigillo non agnoscitur esse diploma, nec vim ullam habet : sic etiam verbum Dei sine testimonio Sacramenti, suam, eamque summam habet auctoritatem ; Sacramentum vero sine verbi testimonio, nullam. Non igitur Sacramentum, ut illi volunt, sigillum verbi, sed verbum, sigillum Sacramenti nominari debuisset.

Deinde si Sacramentum, ut Lutherani volunt, nihil est aliud, nisi excitandæ, vel alendæ fidei instrumentum, quorsum infantes, amentes, dormientes interdum in Ecclesia baptizantur ? Num ea vis est in Sacramentis, ut iis etiam qui usum rationis non habent, fidem persuadeant ? An potius recte docent Anabaptistæ solis adultis, sanis, ac vigilantibus Sacramenta prodesse ? « Minime vero, inquiunt Lutherani, quin potius graviter errant Anabaptistæ, homines fanatici ac furiosi, dum infantes baptizari prohibent. Nam etsi parvuli alio tempore judicio rationis carent, tamen dum baptizantur, sic in earum mentibus operatur Deus, ut et verbum Dei audiant, et Deum etiam agnoscant, ac diligant ; quemadmodum olim S. Joannes in utero matris, Christi præsentiam sensit, et præ gaudio exultavit. » En vobis quo se miseri præcipitant : nec est omnino locus alius, quo se recipiant : urgent enim vehementer Anabaptistæ, et sic undique Lutheranos clausos tenent, ut vel capi debeant, vel in hujus novi erroris foveam sponte cadere. Sed neque ita effugiunt : nam in ista ipsa fovea armato dilemmate obruuntur, atque conficiuntur Lutherani. Vidistis, opinor, aliquando, infantes dum baptizantur, quam refugiant, ejulent, obluctentur Quæro igitur, vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt. Si non intelligunt, nec credunt : si non credunt, perperam baptizantur ; et vicerunt Anabaptistæ. Si intelligunt, sacrilegi sunt, qui sic pervicaciter Sacramenta recusant, nec tam purgantur, quam maculantur. Non igitur baptizentur ; et vicerunt Anabaptistæ. Quid ? quod has ineptias jam olim in epist. ad Dardanum risit Augustinus, et ad exemplum S. Joannis, qui singulari miraculo in utero exultavit, argute respondit : aliquando etiam asinam Balaam sapienter esse locutam, nec tamen ob id admonitos esse homines in deliberationibus suis asinina expectare consilia.

Sed Lutherum dimittam, si unum ab eo quæsiero, in quonam Evangelio, vel Apostolo, vel Propheta legerit, Sacramenta novæ legis esse testimonia, vel sigilla verbi Dei ? Nos quidem passim legimus Joannis III ; Actor. XXII ; I ad Corinth. VI ; ad Ephes. I ; ad Titum III ; I Petri III. Baptismo renasci, abluì, purgari, sanctificari, renovari, salvari fideles : obsignari promissiones nusquam legimus, nisi forte in Evangelio secundum Lutherum. Neque potest Lutherus hoc argumentum contemnere, cum in lib. adversus Joannem Cochlæum scriptum reliquerit, in rebus sacris vehementissimum, et robustissimum locum esse, argumentum ducere ab auctoritate negative. Vel igitur locum indicet in verbo Dei, ubi Sacramenta novæ legis, testimonia nominentur ; vel certe argumento vehementissimo, et robustissimo sententiam suam nos refutare fateatur.

Venio nunc ad Zwinglium. Is in lib. de vera et falsa religione, ubi Lutheri sententiam, aliasque nonnullas satis acriter oppugnavit, aperit mentem suam, ac docet, Sacramenta nihil esse aliud, nisi quamdam oppignerationem, ac veluti jusjurandum quo se homines Christo, et ejus Ecclesiæ fideles foro publice profitentur : ex quo illud sequitur, in Sacramentorum celebratione nihil Christum agere, et non modo non purgare peccata, neque homines renovare, ut volunt Catholici, sed ne attestari quidem nostræ justificationi, ut docent Lutherani. Quæ sententia tantum abest, ut ullo Scripturæ testimonio confirmari queat, ut cum universis Scripturis apertissime pugnet. Nam si Baptismus mea tantum est oppignoratio, non autem Christi actio, quid est quod ait Joannes : *Hic est qui baptizat?* quid est illud, quod ait Apostolus : *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ?* et si Baptismus non purgat peccata, sed testimonium solum præbet futuræ fidelitatis, cur Paulo Ananias dixit : *Baptizare, et ablue peccata tua ?* Cur ipse Paulus Baptismum definivit lavacrum regenerationis? et quid sibi vult illud, quod jam citavimus : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ?* Denique ut alia multa præteream, res est in Ecclesia explorata, ac certa, et ipsis etiam fœminis, ac pueris nota, Sacramenta Christiana ex Christi passione, ac meritis vim habere : atque in ejus rei signum sanguinem, et aquam ex Christi latere profluxisse. « Tunc, inquit S. Leo epist. 4. cap. 6. regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus profluxerunt sanguis redemptionis, et aqua Baptismatis. » Quod idem Ambrosius in Lucam, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in Joannem, annotarunt. Atque hinc Apostolus Paulus duo illa conjunxit : *Tradidit semetipsum pro ea ;* et, *Mundans eam lavacro aquæ :* quia videlicet nihil esset aqua, nisi aqua, nisi vim quamdam mirificam ex illius sanguine traheret, qui tradidit semetipsum in mortem, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam. Hinc denique et Joannes clamat : *Hic est qui venit per aquam, et sanguinem :* et rursum repetit : *Non in aqua solum* ; nimirum, ut quondam Joannes Baptista : *Sed in aqua et sanguine* : id est, in aqua admixta sanguini, atque ob eum sanguinem ad omnia eluenda peccata efficacissima. Sed si vera est nova Theologia Zwinglii, errat Joannes, fallitur Paulus, hallucinantur Patres universi, inanis est confessio populorum, ac gentium, Christus ipse frustra latus suum aperiri, et sanguinem et aquam inde manare voluit. Quid enim opus fuit Christi passione, ac morte ad Sacramenta instituenda, si nihil sacrum, nihil divinum habent, nihil possunt, nihil efficiunt, nec sunt aliud nisi testimonia, vel pignora quædam humana?

Jam vero Joannes Calvinus mira calliditate, cum Lutherum simul ac Zwinglium amplecti velle videatur, ab utroque dissentit, atque utroque rejecto, suum ac proprium dogma constituit. His enim verbis affirmat in IV. lib. Institut. cap. 14. §. 1. veram, propriam, simplicem definitionem Sacramenti contineri : « Sacramentum, externum est symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, et nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, et Angelis, quam apud homines testamur. Quis non juraret, Calvini sententiam ex Lutheri, Zwingliique sententia esse conflatam ? Quod enim Calvinus ait, Sacramento promissionem benevolentiæ a Domino obsignari ad sustinendam fidei imbecillitatem, ex Luthero

sumptum videri potest : quod vero addit, eodem nos Sacramento testari nostram erga Dominum pietatem, ad Zwinglii sententiam pertinet. Sed non tanta erat vel in Calvino modestia, vel in Luthero, et Zwinglio auctoritas, ut horum ille discipulus aut esse, aut haberi se pateretur. Itaque licet Zwinglio Calvinus concedat, Sacramenta esse quamdam veluti professionem nostræ erga Deum fidelitatis : in eo tamen ab eo dissentit, quod negat hunc esse vel solum, vel primarium Sacramentorum usum, et ea de causa, nomine Zwinglii prætermisso, ejus sententiam loco notato palam oppugnat, omniaque ipsius argumenta sigillatim diluit. Inter Lutherum autem, et Calvinum hoc interest, quod cum uterque Sacramenta faciat testimonia, vel sigilla divinæ promissionis, eam promissionem esse vult Lutherus justificationis præsentis, Calvinus electionis æternæ.

Quamobrem in Antidoto Concilii, sessione sexta, capite quinto, infantes baptizari dicit, non ut in adoptionem filiorum à Deo recipiantur, sed ut obsignetur promissio vitæ, quæ ad eos per gratiam prædestinationis jam ante pertinebat. Et sessione septima, canone septimo ad eum finem Sacramenta referenda esse affirmat, ut certos nos reddant perpetuæ adoptionis, et gratiæ, ad quam videlicet ante mundi constitutionem prædestinati sumus.

Sed hæc sententia multis nominibus falsa, absurda, perniciosa, impia est. Nam et cum Scripturis aperte pugnat, et multis regnum cœlorum claudit, et Sacramentum falsum, ministros sacrilegos, Deum mendacem, et quasi perjurum facit. Si falsum non est, Sacramenta solum ad præteritum, id est, ad gratiam electionis referri; cur Ananias in præsenti dicit : *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua?* Cur Baptismum Paulus vocat lavacrum regenerationis. Cur eumdem Baptismum Petrus accipi dicit in remissionem peccatorum? Et quæ tandem est ista temeritas, vel furor potius, et amentia, provocare Catholicos ad Scripturas, et tamen quid Scripturæ omnes clament nolle audire, id vero obstinate asserere, ac tueri, quod nusquam in divinis litteris ostendi queat?

Absurdam vero sententiam esse, per Sacramenta obsignari conscientiis promissiones, fieri potest ex parvulorum Baptismo planissimum. Siquidem rite, atque utiliter parvulos baptizari, Calvinus contra Anabaptistas multis in locis docet, cum tamen parvuli ut usu rationis, ita etiam conscientia carent; quod ne ipse quidem Calvinus negare ausus fuit in IV lib. Institut. cap. 16. Et vero si promissio diploma quoddam est, Sacramentum sigillum, et conscientia cera, vel charta, ut Calvinus significat; egregium sane miraculum Calvinistæ faciunt, cum parvulos baptizant : nam et diploma scribunt sine charta, et sigillum imprimunt sine cera.

Esse autem eamdem sententiam multis ac potissimum parvulis perniciosam, dubitari certe non potest. Nam cum Sacramenta Calvinus, filiis præsertim hominum fidelium, quos justos ac sanctos nasci docet, ad accipiendam Christi gratiam minime necessaria esse, multis persuaserit, id consecutum est, ut non pauci eadem Sacramenta contempserint, atque in dies magis contemnant, atque interim multorum animæ parvulorum, quæ sanctæ a Calvino esse finguntur, non expiatæ salutaribus aquis, in æternis sordibus perseverent.

Sed illud gravissimum, quod ista Calvini sententia Sacramentum, ut dixi, falsum, ministrum sacrilegum, Deum mendacem facit. Etenim si Sacramentum divinum

est jusjurandum, atque sigillum, quo electionis æternæ promissio obsignatur, quoties contingit (contingit autem frequentissime) ut reprobi baptizentur, toties item contingit, ut Sacramentalia verba sint falsa, et ore ministri mentiatur Deus. Fingite animis adesse jam hoc loco Philippum Diaconum, qui Magum Simonem baptizet : certe cum Philippus aquam aspergit, ac dicit : Ego te baptizo; eodem ipso momento, si Calvino credimus, et Deus dicit : Ego Deus æternus testor, ac juro, et sigillo meo divino confirmo, te Simonem a me jam inde ab æternitate electum, et ad regnum cœlorum irrevocabiliter prædestinatum. Atqui falsum hoc testimonium, falsum jusjurandum, fallax sigillum fuisse, nemo est qui nesciat, cum Simon ille impius, Hæresiarcha, et Magus tandem perierit. Neque vero satis sibi cavet Calvinus, cum ait : Deum, quod ad se attinet, verum sigillum, ac testimonium offerre. Nam non offert solum, sed etiam reipsa præbet, cum reipsa homines baptizantur, neque enim Sacramentum oblatio, sed justificatio est divinæ benevolentiæ, ut idem ipse docet Calvinus in Catechismo breviore. Itaque tum offert testimonium, tum offert Sacramentum : cum autem Sacramentum præbet, ac dicit : Ego te baptizo, non offert, sed præbet testimonium, et quidem falsum, et fallax, cum reprobi baptizantur.

Tres adhuc supersunt excutiendæ opiniones; sed eas, quia magna pars horæ præteriisse videtur, breviter leviterque attingam. Igitur Andreas Carolstadius, ut ipse quoque dux novi agminis haberi posset, novum dogma excogitavit : nimirum asseruit, nihil esse aliud Sacramenta Christiana, quam symbola quædam, ac tesseras, quibus internoscuntur Christiani a Judæis, Mahumetanis, Paganis : quales erant olim apud Romanos togæ, pallia apud Philosophos, et nunc apud Christianos vestimenta varia Monachorum. Neque multum ab hac sententia discrepat, quod Anabaptistæ de Sacramentis disputant. Siquidem Sacramenta esse volunt allegorias, ut ipsi loquuntur, operum bonorum : non enim alia de causa homines baptizari, et corpus Domini sumere, nisi ut admoneantur ea cæremonia, sibi crucem et mortem pro Christo, si res tulerit, forti animo esse tolerandam.

Sed non est quod multum laboremus in his sententiis refellendis, cum eas Lutherus, Philippus, Zwinglius, Calvinus, Kemnitius, atque alii ex Adversariis ita confutarint et exploserint, ut pene etiam extinxerint, ac sepelierint. Et sane si non est alia Sacramentorum utilitas, nisi ut Ecclesiam ab aliis hominum cœtibus dividant, vel operum bonorum fideles admoneant, adeo parum valent, ut pene supervacanea dici possint. Habemus enim alia symbola multo quam Sacramenta sint, illustriora, et efficaciora. Quid? an non confessio fidei melior tessera est, quam Baptismus, cum confessio veræ fidei Catholicorum propria sit, Baptismum autem communem cum hæreticis habeamus? An non etiam longe efficacius movent ad opera bona exhortationes, et exempla, quam cæremoniæ illæ Sacramentales? Et quid opus erat, ut Sacramenta ex Christi latere perfosso manarent, si nihil majus effectura erant, quam allegoriæ quædam, vel quam Romanorum togæ, vel pallia Philosophorum?

Unus restat Swencfeldius, qui ut uno verbo contentiones omnes dirimeret, et nova dogmata cudendo Hæresiarcha jure salutari posset, omnia simul Christiana Sacramenta repudiavit : quippe homo supra modum spiritualis, atque Angelicus,

solo spiritu vivendum putat. Nec mirum si Sacramenta ei corporalia sordeant, qui Scripturarum etiam divinarum litteras, et verba contemnit. Illud magis admiror, cur non tacita mentis cogitatione contentus, verbis et litteris corporalibus dogmata sua explicanda putaverit : non enim decet virum tam spiritualem, pulmoni ac palato, linguæ, ac dentibus, sapientiæ suæ arcana committere. Hue videlicet, auditores, Satan spectabat, hue tendebat longoillo ambitu hæresum variarum, ut fontes illos salutares, thesauros illos charismatum divinorum, pharmaca illa cœlestia Christisanguine comparata omnino Christianis eriperet. Sed si non plane isti spirituales homines hominem exuissent, intelligerent profecto, nihil magis appositum a divina providentia institui potuisse, quam ut homines, qui spiritu et corpore constant, per corporalia signa ad dona spiritalia pervenirent : « Si tu, inquit S. Joannes Chrysostomus hom. 83. in Matth. incorporeus esses, nuda tibi Deus, et incorporea dona tradidisset : sed quoniam corpori adjunctum spiritum habes, in rebus corporalibus spiritualia tibi traduntur. » Quid ? quod ipsa etiam Sacramenta non omnino corporalia, sed magna ex parte spiritualia sunt ? Corporale est elementum, corporale etiam verbum ; sed mirifica illa virtus et potestas, qua fit, ut aqua corpus tangat, et cor abluat, ut sanctus loquitur Augustinus, plane spiritualis est. Itaque Dominus Nicodemo, non ex aqua solum, sed ex aqua et spiritu renascendum esse pronuntiavit, nimirum, ut Gregorius Nazianzenus in oratione de Baptismate annotavit, ideo ex aqua et spiritu, quia medicamentum partim corporale, partim spirituale, aptissime convenit in eos ægrotos, quorum natura corpore, et spiritu continetur.

Diximus, auditores, de nomine, diximus etiam de natura, et efficacitate Sacramenti. Quod si jam de numero Sacramentorum, hæreticorum sententias enumerare vellem ; hinc etiam facile demonstrarem, quanta eorum vanitas, et stultitia sit, cum unus Lutherus modo unum, modo duo, modo tria, modo etiam septem Sacramenta numeraverit. Si vero etiam ritus, ac cæremonias eorum explicare aggrederer, tum vero maxime, quamvis in re seria, rideretis : Tot enim ferme apud eos exstant formæ Sacramentorum administrandorum, ut numerari vix queant, et quod summis Pontificibus tribui posse negant, ut ritum aliquem in Ecclesia statuant, id sibi apud eos quivis homuncio passim assumit. Quod si postremo quid de Sacramentis singulis hæretici sentiant, explicandum susciperem, nullum unquam exitum reperirem. Quamobrem unum tantum e tam multis seligemus, eoque breviter pertractato, prætermissis cæteris, finem disserendi faciemus.

Laborant totis viribus cum Lutherani, tum Calvinistæ, ut veram Christi carnem in Sacramento nobis communicari doceant ; et tamen Ecclesiæ Catholicæ sententiam de conversione panis in carnem pervicacibus animis rejiciunt. Itaque Calvinus adeo implicatam, obscuram, mirabilem, incredibilem rationem excogitavit, qua Christi vera caro per nescio quas fistulas, et canales ad nos de cœlo derivari, et quasi distillari possit ; ut ego sane etiamsi Judæus, vel Paganus essem, multo facilius capere, et credere me posse confiderem conversionem panis in carnem, quam docet Ecclesia, quam Calvinisticum illud, sine auctoritate, et sine ratione fabricatum figmentum.

Lutherani autem aliud monstrum longe etiam tetrius Ecclesiæ pepererunt. Nam

ut facile eis esset veram Christi carnem in Sacramento habere præsentem, eamdem carnem ab ipsa sua Conceptione ubique fuisse, ac semper, omniaque omnino loca, eo modo quo Deus facit, replere docuerunt. Quod portentum, (neque enim dogma, vel sententia, vel opinio, vel simplex etiam hæresis nominari debet,) Scripturis repugnat, adversatur Patribus, evertit Symbolum, Christi naturas cum Eutychete confundit ; et ipsum denique quod mirandum videtur, Sacramentum destruit, pro quo astruendo fabricatum est. Nam si Christi corpus ab ipsa sua Conceptione semper ubique fuit, mentitur certe qui illud alicubi aliquando non fuisse affirmat : ergo mentitur Angelus, cum apud Marcum ait : *Surrexit non est hic :* quomodo enim hic non est, qui ubique est ? Dominus ipse mentitur, cum ait : *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi :* quomodo enim Domine, ibi non eras, qui ubique eras ? Porro S. Augustinus, ut de cæteris taceam, in epist. ad Dardanum ex proposito hoc tractans, copiose docet, esse Christum, ut ipse loquitur, per id quod Deus est, ubique ; per id quod homo est, non ubique.

Jam vero Symbolum fidei monstruosa ista Ubiquitas, (hoc enim barbaro vocabulo barbarus error nominari meruit) ita corrumpit, atque depravat, ut Christi Conceptionem, Ortum, Passionem, Obitum, Sepulturam, Descensionem ad inferos, Reversionem ab inferis, Ascensionem in cœlum, Reversionem a cœlo, non vera et propria, sed metaphorica, ac pene phantastica cum Marcione, et Manichæo nobis efficiat. Id enim habet de Christi conceptione Symbolum rectæ fidei, in solius Beatissimæ Virginis utero Christi corpus novem illis mensibus fuisse : Atqui idem illud corpus in uteris omnium fœminarum, imo etiam et virorum fuit, si ubique semper fuit. De Ortu vero id Symbolum docet, Christi corpus nono exacto mense vere, et proprie ex utero prodiisse ; et eo modo vere, et proprie natum esse. At si vera somniant Ubiquistæ, ante nonum mensem, erat extra uterum, et post nonum mensem adhuc erat in utero ; neque inde unquam vere prodiit, aut prodire potest, cum id, quod vere ubique est, nulla ratione vere moveri queat. Quemadmodum igitur Deus cum apparet alicubi, non eo venisse proprie, sed metaphorice dicitur, quia ubique cum sit, non venit ubi non erat, sed apparet ubi non videbatur : sic etiam Christi ortus, non verus, ac proprius, sed apparens, ac metaphoricus dicendus erit ; cum non venerit illa caro ubi non erat, nec locum deseruerit, ubi erat, sed cerni tantum cœperit, ubi antea minime cernebatur. Quod idem de Passione, de Morte, de Sepultura, de cæteris fidei capitibus intelligi debet, Qui enim semper ubique fuit, non vere, et proprie, sed metaphorice solum transiit de Cœnaculo ad hortum, de horto ad Concilium Judæorum, de Concilio ad Prætorium, de Prætorio ad Calvarium, de Calvario ad Crucem, de Cruce ad Sepulchrum, de Sepulchro ad Montem, de Monte ad Cœlum. Nec potuit vere in morte corpus ab anima separari : et cum utrumque ubique fuerit, id efficitur, quod est absurdissimum, ut fuerit Christo mortuo, corpus cum anima in inferno, et anima cum corpore in sepulchro.

Quid jam de ipsa humana Christi natura, deque illo summo, atque Angelis adorando incarnationis mysterio dicam ? Nam si humana Christi natura non modo ubique est, sed (ut adversarii docent) illam ipsam habet divinam immensitatem, quam Deus habet, ut infinita spatia replere queat, erit ipsa vere, et absolute immensa, et infinita : et cum mole corporea non sit infinita, quippe quæ tota ubique est, erit

sine dubio infinita virtute ; virtus autem infinita naturam sequitur infinitam : igitur Christi caro natura est infinita. Quare vel duæ jam erunt infinitæ naturæ, quod fieri nequit, vel quod solum restat, humana in divinam transeunte natura, et naturarum confusio, et totius mysterii labefactatio consequetur. En nobis quam facile hæresis hæresim parit, et eo tandem errando venitur, ut ipsa prima fidei fundamenta radicitus evertantur.

Quid, quod portentosa ista Ubiquitas, Sacramentum ipsum, ut dicebam, tollit, pro quo asserendo fabricata est? Nam si in ipsa privata domo in pane, in vino, in pomis, in piscibus, in oleribus, in omni ciborum genere, in ipso aere quem attrahimus, Christi carnem vere sumimus, quid necesse est in Ecclesiam convenire? quid panem frangere, et vinum miscere? quid verba illa sacra pronuntiare? Quid habet sacra cœna præ vulgari prandio? Quid panis Eucharistiæ præ pane pistoris? quid altare præ mensa?

Atque ut magis adhuc Lutheranorum sapientiam admiremini, novum hoc monstrum intra paucos annos, in una eademque Provincia, iisdem auctoribus Lutheranis prodiit, periit, revixit; siquidem ab ipso Luthero, ut ex multis ejus testimoniis Brentius probat, excogitat in eodem regnante Luthero feliciter in Saxonia floruit. Luthero deinde mortuo, ac rerum potiente Melanchthone, paulatim languescere ac deficere cœpit; donec tandem in ipsa Saxonia in Dresdensi Lutheranorum Concilio, quod ante annos tredecim habitum est, publico decreto damnatum, explosum, exterminatum est : sed his proximis annis Melanchthonico everso imperio, atque imperante in Saxonia Schmidelino, rursus ab inferis revocata, et in suam sedem restituta magno cum honore Ubiquitas est. Ista videlicet est constantia fidei Lutheranæ, ut nunc sacrosancta fidei dogmata esse debeant, quæ ante annos tredecim pestilentissimæ hæreses erant.

Sed finis sit; nolo enim in ejusmodi nugis percensendis orationem ponere longiorem. Quæ tamen, si ut vere sunt, sic ab omnibus hominibus haberentur pro nugis, labore nos atque negotio magno levarent. Sed quoniam tanta est Satanæ versutia, tanta hæreticorum fallacia, tanta populorum ad res novas propensio, ut permultis jam, non inquam hominibus, sed populis, Provinciis, Regnis, cum summa Ecclesiæ Catholicæ jactura, et honoris Dei, Christique meritorum obscuratione persuasæ sint; idcirco nobis totis viribus enitendum est, ut in hæc ipsa studia, ita diligenter incumbamus, ut aliquando hæreticorum fraudes detegere, Christi gloriam amplificare, Ecclesiam propagare, damna resarcire, Satanam confundere Christo duce, et adjutore valeamus.

CONTROVERSIARUM

DE SACRAMENTIS IN GENERE

LIBER PRIMUS

QUI EST DE NATURA, ET CAUSIS SACRAMENTI.

De Sacramentis bipartita Disputatio est. Primum enim generatim de omnibus. Deinde seorsim de singulis explicandum erit. Ac generalis quidem Disputatio duo habebit quasi prolegomena. Unum de erroribus circa Sacramenta. Alterum de mendaciis, et calumniis recentium hæreticorum. Deinde sex continebit principales controversias. Unam de nomine, et significatione Sacramenti. Alteram de natura, et definitione. Tertiam de causis tum intrinsecis, tum extrinsecis. Quartam de effectibus, id est, gratia, et charactere. Quintam de numero. Sextam de cæremoniis.

Scripserunt de hoc argumento plurimi, sed præcipui inter hæreticos mihi videntur Lutherus in lib. de captivit. Babylonica, et in assertione articulorum; Philippus in locis, et in Apologia Confessionis Augustanæ; Joannes Calvinus lib. IV Institut. cap. 14. et seq. Martinus Kemnitius Tom. II Examinis Concil. Trid.

Ex nostris præter Scholasticos in IV Sententiarum Thomas Waldensis Tom. II. toto; Gulielmus Parisiensis in lib. de Sacramentis; Joannes Eckius in homiliis de Sacramentis; Joannes Roffensis in refutatione articulorum Lutheri; Hosius Cardinalis in Confessione Polonica; Ruardus Tapper in explicatione articulorum Lovaniensium; Jodocus Tiletanus in refutatione examinis Kemnitii; Gulielmus Alanus in lib. de Sacramentis in genere; Gulielmus Lindanus in Panoplia lib. IV; Petrus Soto, de Institut. Sacerdotum.

CAPUT I.

De erroribus.

Antiqui errores de Sacramentis ad quatuor capita revocari possunt. Primum enim quidam omnia Sacramenta de medio tollere conati sunt. Ii fuerunt quos Epiphanius, hæresi 40, Archonticos, Theodoretus lib. I. de hæreticorum fabulis, cum Archonticos, tum etiam Ascodritos, seu Ascodrupitas appellat. Isti enim auctore quodam Petro Anachoreta Syro, Baptismum et Eucharistiam execrabantur, Epiphanio teste, necnon (ut addit Theodoretus) omnia alia signa sensibilia, et corporalia, ac solum in cognitione ejus quod est, veram redemptionem constituebant.

Huc etiam pertinet error Fraticellorum, seu Beguinorum, qui Sacramenta Ecclesiastica despiciebant, ut testatur Joannes Papa XXII, in Extravaganti, sancta Romana, de religiosis domibus.

Huc denique pertinent Pauliciani, qui teste Euthymio in II. part. Panopliæ, tit. 21. tollebant de medio omnem Sacramentorum materiam; aquam, vinum, panem, oleum, et solum verbis quibusdam loco Sacramentorum utebantur : ut, exempli gratia, Baptismum esse dicebant illa verba : « Ego sum aqua viva. »

Secunda hæresis est eorum, qui Sacramenta omnia non quidem execrabantur, nec

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sine dubio infinita virtute ; virtus autem infinita naturam sequitur infinitam : igitur Christi caro natura est infinita. Quare vel duæ jam erunt infinitæ naturæ, quod fieri nequit, vel quod solum restat, humana in divinam transeunte natura, et naturarum confusio, et totius mysterii labefactatio consequetur. En nobis quam facile hæresis hæresim parit, et eo tandem errando venitur, ut ipsa prima fidei fundamenta radicitus evertantur.

Quid, quod portentosa ista Ubiquitas, Sacramentum ipsum, ut dicebam, tollit, pro quo asserendo fabricata est? Nam si in ipsa privata domo in pane, in vino, in pomis, in piscibus, in oleribus, in omni ciborum genere, in ipso aere quem attrahimus, Christi carnem vere sumimus, quid necesse est in Ecclesiam convenire? quid panem frangere, et vinum miscere? quid verba illa sacra pronuntiare? Quid habet sacra cœna præ vulgari prandio? Quid panis Eucharistiæ præ pane pistoris? quid altare præ mensa?

Atque ut magis adhuc Lutheranorum sapientiam admiremini, novum hoc monstrum intra paucos annos, in una eademque Provincia, iisdem auctoribus Lutheranis prodiit, periit, revixit; siquidem ab ipso Luthero, ut ex multis ejus testimoniis Brentius probat, excogitat in eodem regnante Luthero feliciter in Saxonia floruit. Luthero deinde mortuo, ac rerum potiente Melanchthone, paulatim languescere ac deficere cœpit; donec tandem in ipsa Saxonia in Dresdensi Lutheranorum Concilio, quod ante annos tredecim habitum est, publico decreto damnatum, explosum, exterminatum est : sed his proximis annis Melanchthonico everso imperio, atque imperante in Saxonia Schmidelino, rursus ab inferis revocata, et in suam sedem restituta magno cum honore Ubiquitas est. Ista videlicet est constantia fidei Lutheranæ, ut nunc sacrosancta fidei dogmata esse debeant, quæ ante annos tredecim pestilentissimæ hæreses erant.

Sed finis sit; nolo enim in ejusmodi nugis percensendis orationem ponere longiorem. Quæ tamen, si ut vere sunt, sic ab omnibus hominibus haberentur pro nugis, labore nos atque negotio magno levarent. Sed quoniam tanta est Satanæ versutia, tanta hæreticorum fallacia, tanta populorum ad res novas propensio, ut permultis jam, non inquam hominibus, sed populis, Provinciis, Regnis, cum summa Ecclesiæ Catholicæ jactura, et honoris Dei, Christique meritorum obscuratione persuasæ sint; idcirco nobis totis viribus enitendum est, ut in hæc ipsa studia, ita diligenter incumbamus, ut aliquando hæreticorum fraudes detegere, Christi gloriam amplificare, Ecclesiam propagare, damna resarcire, Satanam confundere Christo duce, et adjutore valeamus.

CONTROVERSIARUM

DE SACRAMENTIS IN GENERE

LIBER PRIMUS

QUI EST DE NATURA, ET CAUSIS SACRAMENTI.

De Sacramentis bipartita Disputatio est. Primum enim generatim de omnibus. Deinde seorsim de singulis explicandum erit. Ac generalis quidem Disputatio duo habebit quasi prolegomena. Unum de erroribus circa Sacramenta. Alterum de mendaciis, et calumniis recentium hæreticorum. Deinde sex continebit principales controversias. Unam de nomine, et significatione Sacramenti. Alteram de natura, et definitione. Tertiam de causis tum intrinsecis, tum extrinsecis. Quartam de effectibus, id est, gratia, et charactere. Quintam de numero. Sextam de cæremoniis.

Scripserunt de hoc argumento plurimi, sed præcipui inter hæreticos mihi videntur Lutherus in lib. de captivit. Babylonica, et in assertione articulorum; Philippus in locis, et in Apologia Confessionis Augustanæ; Joannes Calvinus lib. IV Institut. cap. 14. et seq. Martinus Kemnitius Tom. II Examinis Concil. Trid.

Ex nostris præter Scholasticos in IV Sententiarum Thomas Waldensis Tom. II. toto; Gulielmus Parisiensis in lib. de Sacramentis; Joannes Eckius in homiliis de Sacramentis; Joannes Roffensis in refutatione articulorum Lutheri; Hosius Cardinalis in Confessione Polonica; Ruardus Tapper in explicatione articulorum Lovaniensium; Jodocus Tiletanus in refutatione examinis Kemnitii; Gulielmus Alanus in lib. de Sacramentis in genere; Gulielmus Lindanus in Panoplia lib. IV; Petrus Soto, de Institut. Sacerdotum.

CAPUT I.

De erroribus.

Antiqui errores de Sacramentis ad quatuor capita revocari possunt. Primum enim quidam omnia Sacramenta de medio tollere conati sunt. Ii fuerunt quos Epiphanius, hæresi 40, Archonticos, Theodoretus lib. I. de hæreticorum fabulis, cum Archonticos, tum etiam Ascodritos, seu Ascodrupitas appellat. Isti enim auctore quodam Petro Anachoreta Syro, Baptismum et Eucharistiam execrabantur, Epiphanio teste, necnon (ut addit Theodoretus) omnia alia signa sensibilia, et corporalia, ac solum in cognitione ejus quod est, veram redemptionem constituebant.

Huc etiam pertinet error Fraticellorum, seu Beguinorum, qui Sacramenta Ecclesiastica despiciebant, ut testatur Joannes Papa XXII, in Extravaganti, sancta Romana, de religiosis domibus.

Huc denique pertinent Pauliciani, qui teste Euthymio in II. part. Panopliæ, tit. 21. tollebant de medio omnem Sacramentorum materiam; aquam, vinum, panem, oleum, et solum verbis quibusdam loco Sacramentorum utebantur : ut, exempli gratia, Baptismum esse dicebant illa verba : « Ego sum aqua viva. »

Secunda hæresis est eorum, qui Sacramenta omnia non quidem execrabantur, nec

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tollebant, sed virtute et efficientia spoliabant. Hi Messaliani, qui et Euchitæ ab oratione dicti sunt. Scribunt de hac hæresi Epiphanius hæresi 80. Augustinus hæresi 57. et Theodoretus lib. IV. de hæreticis fabulis, sed fusius et ex libris ipsorum decerptis erroribus, Joan. Damascenus in lib. de hæresibus, ubi testatur, dogma Messalianorum esse, peccata non purgari divinis Sacramentis, sed solis precibus; quæ ab ipsis recte funduntur, itaque sine Baptismo, sine Eucharistia, sine Sacerdotum absolutione profitebantur, se statim suis precibus homines posse justificare: tametsi etiam Sacramenta illa admitterent.

Eamdem fere hæresim tribuit Guido in sua Summa Armenis, et quibusdam recentioribus Catharis; si quidem eos negare dicit, Sacramenta novæ legis gratiam conferre.

Tertia hæresis eorum fuit, qui aliqua Sacramenta de medio tollebant. Multi enim Baptismum rejecerunt, ut ii, quorum hæresim Gnanam appellat Tertullianus initio libri de Baptismo: item Manichæi, teste Augustino hæresi 46. et Seleuciani apud eumdem Augustinum hæresii 59. et alii, de quibus postea.

Rursus quidam rejecerant Sacramentum Confirmationis, ut Novatiani, Theodoreto teste, lib. III. de fabulis hæreticorum.

Alii Sacramentum Eucharistiæ nullum esse dixerunt. Scribit enim Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobrusianos, unum ex erroribus Petrobrusianorum fuisse, corpus Christi ex pane semel tantum factum esse, ea videlicet nocte, qua Dominus traditus est: deinceps autem nec factum esse, nec fieri posse. Scribit etiam Euthymius in Panoplia par. II., tit. 23. unum ex erroribus Bogomilum fuisse, Eucharistiam nihil esse aliud, quam Pater noster.

Alii Sacramentum Pœnitentiæ sustulerunt, ut Novatiani, teste Epiphanio hæresi 59. et Augustino hæresi 38. Alii Sacramentum Ordinis nihil omnino esse dixerunt, ut quidam Taudemi sectatores, ut refert is, qui Sigeberti Chronicum supplevit, ad annum Christi 1124.

Alii Extremam unctionem detestati sunt; ut Albigenses, teste S. Antonio 3. par. tit. XI, cap. 7, §. 5. Summæ Theologicæ; et postea Flagellantes, teste Bernardo Lutzemburgensi in Catalogo hæreticorum.

Alii denique Matrimonium sustulerunt, ut Encratitæ, teste Augustino hæres. 33. Manichæi, eodem Augustino teste hæres. 46. et alii permulti.

Quarta hæresis eorum fuit, qui certa Sacramenta non quidem tollebant, tamen non recte intelligebant, vel administrabant. In iis erant Marcosii a Marco quodam, vetustissimi hæretici, qui Baptismum conferendum esse dicebant, non in nomine Trinitatis, sed in nomine ignoti Patris, in veritate matre omnium; in Jesu, qui descendit in unitate, et redemptione, et potestatum communione: ita refert Theodoretus lib. I. de fabulis hæreticorum. Item Marcionitæ, qui secundo, et tertio homines baptizabant; ut Epiphanius refert hæresi 42.

Sic etiam permulti circa Eucharistiam errarunt, volentes quidem Sacramentum esse, sed non continere verum Domini corpus; ut quidam olim ipso fere tempore Apostolorum, ut referunt Ignatius in epistola ad Smyrnæenses, et Theodoretus in tertio Dialogo, circa medium; ac deinde Berengarius, teste Lanfranco in lib. adversus Berengarium: postea Joannes Wicleffus, teste Concilio Constantiensi sess. VIII.

Quidam circa Pœnitentiam errabant, etiamsi eam non tollerent, ut Audiani, qui confessiones audiebant, et a peccatis absolvebant, sed pœnitentiam non injungebant, ut Theodoretus refert lib. IV. de fabulis hæreticorum.

Quidam errabant circa Ordines, quos etiam feminis conferebant, ut Pepuritæ, teste Epiphanio hæresi 49.

Hæc generatim de erroribus veterum dicta sint. Similia nostro hoc sæculo vidimus. Nam in primis non defuerunt, qui omnia Sacramenta sensibilia, et corporalia contemnerent, qui certe novi Archontici nominari possent: id etiam de Swenckfeldianis testantur Fridericus Staphilus in lib. de concordia discipulorum Lutheri, et David Chytræus præfatione Commentariorum in Apocalypsim.

Lutherani cæteri, et Calvinistæ omnes, etsi Sacramenta non tollunt omnia, omnia tamen virtute, et efficacia spoliant, ut olim faciebant Messaliani: ut enim illi orationi, ita isti fidei omnia tribuunt, Sacramentis autem plane nihil, nisi ut sint nuda signa, eaque non omnino necessaria. Sic enim scribit Lutherus in assert. primi articuli: « Hæretica, sed usitata sententia est, Sacramenta novæ legis dare gratiam iis, qui non ponunt obicem. Scriptura enim dicit: Justus ex fide sua vivet, non dicit, ex Sacramentis vivet. » Hæc ille. Neque ab hac sententia ullus, quod sciam, ex hæreticis hujus temporis dissentit.

Rursus non defuerunt hoc tempore, qui tollant e medio aliqua Sacramenta, licet non omnia. Nam Swenckfeldianis exceptis, cæteri omnes duo Sacramenta recipiunt, Baptismum, et Eucharistiam; duo rejiciunt, Confirmationem, et Extremam unctionem: Matrimonium recipiunt quidem, sed non pro Sacramento: de Pœnitentia, et Ordinatione inter se contendunt, ut postea explicabimus.

Denique non defuerunt etiam, qui certa Sacramenta reciperent, sed erroribus admixtis. Nam Anabaptistæ Sacramentum Baptismi recipiunt, sed pro adultis, non pro infantibus. Zwingliani recipiunt Sacramentum Eucharistiæ, sed corpus Dominicum esse negant. Lutherus Sacramentum Absolutionis non negat, sed nec integram confessionem, nec ullam satisfactionem requirit, aut admittit; nec verum ministrum Sacramenti hujus agnoscit, ut patet ex assertione articulorum, quinti, sexti, septimi, octavi, noni, decimi. Denique ordinationem ministrorum omnes admittunt, sed nec agnoscunt verum ministrum, nec verum ritum hujus Sacramenti.

Ita videmus omnes quatuor hæreticorum classes, quæ variis temporibus per 1500 annos Ecclesiam Catholicam vexaverunt, omnes simul hoc nostro sæculo contra eamdem Ecclesiam conspirasse. Sed quo duce de veteribus illis Catholica triumphavit: quandoquidem idem ille dux, nec vires amittere potest, et Ecclesiæ suæ semper se adfuturum certa testificatione promisit.

CAPUT II.

De mendaciis, et calumniis adversariorum.

Necessario prorsus annotanda sunt mendacia præcipuorum hostium Ecclesiæ, quod hoc multum valeat ad auctoritatem detrahendam, ipso teste Luthero, qui ita scripsit quondam in lib. contra Emserum: « Si semel deprehenderer, ita mentitus, falsus, et crasse stolidus, jam tota mea doctrina, et honor, et fides, et fidelitas finem pœnitus haberent: unusquisque me pro nequam, et infami nebulone, ut æquum est, habiturus esset »: tum etiam, quod hoc ipsum vitium Catholicis tribuere impudentissimo mendacio Lutherus non erubuerit: Sic enim scribit in libro adversus Cochlæum: « Sed ego plane hoc tribuo divinis Consiliis, ut Papæ, et Papistæ fere nullos habeant patronos, nisi, qui vel insigni inscitia, vel mendaciis impudentibus semper suam auctoritatem traducant, ne quis amplius per abominationem Romanam decipiatur. » Et infra: « Plorandam certe sortem Papæ, quod sui nonnisi mendaciis protecti in arenam descendunt. » Hæc ille. Quæ verba in ipsum Lutherum aptissime conveniunt; ut enim Joannes Cochlæus testatur in actis Lutheri Anni 23. nullus fere Catholicorum in Lutherum scripsit, quin eum multorum mendaciorum coarguerit; e quibus unus Dietembergius e duobus Lutheri libellis supra octingenta collegit mendacia. Denique nulla re magis nocent illi Ecclesiæ, quam cum suis mendaciis persuadent populis, nos aliter sentire, et docere, quam revera sentiamus et doceamus. Proinde res utilissima est, eorum mendacia detegere. Nos igitur solum de Sacramentis mendacia quædam crassiora breviter annotabimus.

Igitur Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. 4. quod est de Eucharistia, Primo mentitur, cum ait: « Non moror Concilium Constantiense, cujus auctoritas si valet, cur non valet et Basileensis, quod contra statuit, Bohemis licere utramque speciem sumere? Quod iste adulator ignorans adducit pro suo somnio » Hæc ibi. Et sane quod Constantiense, et Basileense Concilium inter se pugnent, quantum ad Communionem sub una specie, mendacium impudentissimum est. Idem enim omnino statuunt Concilium Constantiense, sess. XIII. et Basileense, sess. XXX. nimirum laicos non teneri divino jure ad utramque speciem sumendam, proinde servandam esse Ecclesiæ legem, vel consuetudinem; quibus decretis non repugnat, quod Basileense Concilium concesserit Bohemis utrïusque specici usum, modo fatentur id sibi concedi ab Ecclesia, non autem ad hoc teneri divino jure.

Secundo mentitur ibidem, cum ter, aut quater repetit, S. Thomam auctorem esse illius sententiæ, quam omnes Catholici te-

nent, quod in Sacramento altaris, non sit substantia panis et vini, sed accidentia solum : quod est crassissimum mendacium. Nam Innocentius III, in Lateranensi Concilio, c. 1. (ut omittam testimonia antiquiora) hoc ipsum definivit anno 1215, quo tempore Thomas nondum erat natus.

Tertio mentitur ibidem, cap. 2. quod est de Baptismo, cum ait loquens de Scholasticis : « Asserunt impii homines, non debere hominem esse certum de remissione peccatorum, seu gratia Sacramentorum ; qua impietate orbem totum dementant. » Hoc mendacium est ipso Luthero teste. Nam paulo infra idem ipse verissime sic dicit : « Omnes tamen admittunt Sacramenta esse signa efficacia gratiæ. » Non igitur jubemus homines dubitare de gratia Sacramenti, cum dicamus esse signa efficacia gratiæ. Jubemus quidem dubitare de propria dispositione, et proinde de consecutione gratiæ ; sed hoc non est dubitare de gratia Sacramentorum. Non enim efficacia Sacramenti pendet ex mea dispositione, sed ex divina institutione : quomodo qui oculos claudit, non potest videre Solem, et tamen non propterea dubitat de efficacia Solis ad illuminandum. Neque hoc Lutherani negare possunt ; nam Lutherus in libro contra rebaptizantes, quem edidit Anno 1528, sic ait : « Baptismus non est fundandus supra fidem baptizantis, vel baptizati, quia uterque incertus est de fide, aut saltem in periculo, et tentatione consistit. » Et in sermone de Baptismo, habito Anno 35 : « Ut Baptismus, inquit, certus sit nobis ; ideo non fundat eum Deus supra fidem nostram, cum illa possit incerta, et falsa esse ; sed supra verbum, et institutionem suam. » Hæc ille. Non ergo dissentimus a Lutheranis (ut Lutherus mentitur) quod nos dubitemus de gratia Sacramenti, illi non dubitent ; sed quod nos dubitemus de consecutione gratiæ, ob nostram indispositionem, illi autem non dubitent, mira temeritate, cum fateantur sine fide Sacramenta non prodesse, et simul admittant facile hominem decipi, cum putet se credere, et tamen revera non credat.

Quarto mentitur ibidem, cum sic ait : « Esto contemptor Magistri Sententiarum cum omnibus suis scribentibus, qui tantum de materia, et forma Sacramentorum scribunt, dum optime scribunt, id est, mortuam, et occidentem litteram Sacramentorum tractant : cæterum spiritum, vitam, et usum, id est, promissionis divinæ veritatem, et nostram fidem prorsus intacta relinquunt. » Mendacium est apertissimum ; nam de fide suscipientis Sacramenta, et recto usu multa disputat Magister, lib. IV, distin. 4 et 9. et Scholastici ibidem. Verius de Magistro scripsit Franciscus Stancarus in lib. de Trinitate, et Mediatore : « Ego, inquit, judico unum Petrum Lombardum pluris esse, quam centum Lutheros, ducentos Melanchthones, trecentos Bullingeros, quadringentos Petros Martyres, et quingentos Calvinos : qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ, præsertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, et Sacramentis. »

Quinto mentitur, cum ibidem sic loquitur : « Et hinc impulsi sunt tantum tribuere Sacramentis novæ legis, ut ea statuerent, prodesse etiam iis, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem, aut gratiam, sed sufficere, non posuisse obicem, hoc est, actuale propositum denuo peccandi. » Et infra : « Prodesse dicunt ea etiam impiis et incredulis, modo non ponant obicem, quasi ipsa incredulitas non sit omnium obstinatissimus, et hostilissimus obex gratiæ. » Hæc ille. Quam sententiam sæpe repetunt tum ipse, tum etiam filii, et sectatores ejus ; nec solum veri Lutherani, sed etiam Calvinus iisdem verbis utitur in Antidoto sess. VII, can. 5 et 6. Ubi tria nobis tribuunt. Unum quod dicamus, Sacramenta prodesse iis, qui sunt in peccato mortali : quod quidem verissimum est, modo peccatores pœnitentiam agere velint ; nam Baptismus, et Absolutio ad hoc sunt instituta, ut peccata remittant. Et certe mirum est, hoc nobis tamquam errorem tribui a Lutheranis, cum ipsi velint omnia Sacramenta habere promissionem reconciliationis, ac remissionis peccatorum : de qua re infra dicemus. Si vero loquantur de peccatoribus impœnitentibus, est merum mendacium, quod Catholici dicant, Sacramenta prodesse peccatoribus : omnes enim Catholici requirunt pœnitentiam, tamquam dispositionem ad gratiam recipiendam.

Deinde nobis tribuunt, quod dicamus non requiri gratiam ad hoc, ut nobis prosint Sacramenta : quod quidem mendacium est manifestum. Nam si per gratiam intelligant favorem Dei, ut ipsi ordinarie intelligunt, omnes Catholici dicunt, justificationem a peccatis dari in Sacramentis ex gratia Dei, et merito Christi, non ob merita accedentis. Si vero per gratiam intelligant inhærentem qualitatem, qua formaliter justificamur ; Fatemur hanc non requiri ante perceptionem aliquorum Sacramentorum, ut Baptismi, et Pœnitentiæ, quod etiam ipsi fateri coguntur, qui volunt Sacramenta habere promissionem remissionis peccatorum : tamen hanc ipsam dicimus infundi in ipsa perceptione Sacramenti ; proinde mera calumnia, et mendacium est, quod Catholici non requirant gratiam, ut Sacramenta prosint.

Tertio nobis tribuunt, quod dicamus non requiri fidem, et quod incredulitatem non habeamus pro obice impediente Sacramentum : in quo etiam apertissime mentiuntur. Nam vel loquuntur de substantia Sacramenti, vel de fructu Sacramenti : si de substantia, nec nos, nec ipsi, requirimus fidem. Nam omnes Catholici docent cum S. Augustino lib. IV. de Baptismo, cap. 12. verum esse Baptismum, quem sine vera fide hæretici recipiunt. Et idem docet Lutherus in homiliis de Baptismo, et in lib. contra rebaptizantes ; necnon etiam Calvinus lib. IV Instit. cap. 14, §. 16. Si vero loquuntur de fructu Sacramenti, falsum est Catholicos non habere pro obice incredulitatem : omnes enim Catholici requirunt necessario in adultis actualem fidem, et sine ea dicunt neminem justificari. Vide Magistrum lib. IV, dist. 4. et S. Thomam III. par. qu. LXVIII, art. 8. Item Jus Canonicum, quod Lutherus combussit, de consecrat. dist. 4. per multos canones.

Occasio hujus fraudis fuit, quod Catholici non requirant in Sacramentis fidem illam specialem, quam adversarii solum esse putant veram fidem justificantem. Sed (ut omittam quod ista non est vera fides, sed opinio temeraria) si ideo vere nobis tribui posset, quod non requiramus fidem in Sacramentis, quia non requirimus fidem illam specialem ; nos etiam illis tribuere possemus, quod non requirant fidem in Sacramentis, quia non requirunt eam fidem, quam nos solam docemus esse veram fidem.

Cæterum si candide agendum sit, distinguendæ sunt quæstiones. Aliud enim est quærere, an in Sacramentis requiratur vera fides, aliud autem, quænam sit vera fides. Et quidem in priore quæstione convenimus, in posteriore dissidemus.

Porro de infantibus non potest esse quæstio, tum quia ipsi nec ponunt, nec possunt ponere obicem incredulitatis : incredulitas enim non est non credere, sed nolle credere : tum etiam quia infantes sicut peccaverunt aliena voluntate, et sunt aversi a Deo habitualiter, ita satis est, si credant aliena voluntate, et convertantur habitualiter per infusionem fidei, spei, et charitatis. Unde Philippus in locis anni 41. c. de usu Sacramentorum dicit, de adultis solum esse intelligendum, quod oporteat eos actu credere.

Sexto mentitur in assertione primi articuli, ubi Scotum facit auctorem illius sententiæ, quod Sacramenta conferant gratiam non ponenti obicem : quam sententiam ipse hæreticam vocat. Sed mentitur apertissime. Nam Innocentius III idem docuerat, cap. Majores, de Baptismo, et ejus effectu ; longo tempore antequam Scotus nasceretur : necnon S. Augustinus in epist. 23. ad Bonifacium, ubi posteaquam dixerat, parvulis prodesse Baptismum etiamsi actu non credant ; ita loquitur : « Hoc qui non credit, et fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etiamsi habeat fidei Sacramentum : et longe melior est ille parvulus, qui etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non tamen ei obicem contrariæ cogitationis opponit ; unde Sacramentum ejus fideliter percipit. »

Septimo mentitur ibidem, cum ait, Scotistas non requirere in usu Sacramenti fidem, nec bonum propositum, seu bonum motum cordis. Quod mendacium refellit Roffensis ex ipsis verbis Scoti, qui in IV, dist. 4. quæ. 2. disertis verbis docet, requiri fidem et contritionem, seu attritionem. Vide etiam q. 3. in principio, et in responsione ad ultimum ; item. dist. 17, quæst. 1.

Octavo mentitur in homil. ult. de Baptismo, ubi sic ait : « Huc impietatis ventum est, ut sali et aquæ contra verbum, et mandatum sacratæ, tantumdem virtutis et energiæ tribuerint, quantum venerabili Baptismi Sacramento. » Hic sunt duo mendacia. Unum, quod nos contra Dei mandatum, et verbum consecremus salem et aquam ; nullum enim verbum, seu mandatum exstat, quo id prohibeatur. Quid, quod ipse idem Lutherus lib. de captivit. Babylon. cap. de extrema unctione, contrarium docet ? Sic enim ait : « Igitur, inquit, hoc Unctionis extremæ nostrum Sacramentum non damno, sed hoc esse, quod ab Apostolo Jacobo præscribitur, constanter nego, cum nec forma, nec usus, nec virtus, nec finis ejus cum nostro consentiat. Numerabimus tamen ipsum inter ea Sacramenta, quæ nos constituimus, ut sunt salis et aquæ consecratio, et aspersio : ne-

que enim negare possumus, creaturam quamlibet per verbum Dei, et orationem sanctificari, quod Apostolus Paulus nos docet. » Hæc ille.

Alterum mendacium est, quod eamdem vim tribuamus aquæ benedictæ, et Baptismo: id enim nullus unquam Catholicorum docuit: alioqui non septem Sacramenta, sed multo plura faceremus. Hæc pauca ex Luthero sufficiant.

CAPUT III.

Mendacia Philippi.

Primo in ipsa Confessione art. 13. damnat Scholasticos, quod non docerent requiri fidem in usu Sacramentorum, Sed fusius, et clarius exposuit mentem suam in Apologia ejusdem articuli, ubi sic ait: « Hic damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent, quod Sacramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis. Hæc simpliciter Judaica opinio est, sentire, quod per cæremoniam justificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fide; et tamen hæc impia, et superstitiosa opinio, magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio. » Hæc ille.

Hoc mendacium est longe impudentius mendaciis Lutheri. Nam Lutherus non accusabat omnes, sed Scotistas tantum, Philippus autem totum populum Scolasticorum damnat: imo etiam totum regnum Pontificium. Esse autem mendacium apertissimum, tam est manifestum, ut probatione non egeat. Nam, ut supra diximus, omnes Scholastici cum Magistro lib. IV, distinct. 4. requirunt actualem fidem, quæ sine motu cordis esse non potest: et ipse idem Philippus in Apologia articuli de Pœnitentia, dicit, Catholicos requirere contritionem vel attritionem. Et quid est contritio, vel attritio, nisi motus cordis.

Secundo in ipsa etiam Confessione Augustana in articulo de Missa: « Falso, inquiunt, accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, et summa reverentia celebratur. »

Hoc esse mendacium, probare possumus ex articulis Smalchaldicis, qui non minoris sunt auctoritatis apud Lutheranos, quam ipsa Confessio: unde etiam simul cum ipsa Confessione ponuntur in libro Concordiæ. In illis igitur articulis sic legimus: « Cæterum Draconis cauda ista (Missam intelligo) peperit multiplices abominationes, et idololatrias. » Et paulo ante: « Abroganda merito Missa est. » Hæc illi. Si igitur Missa, ut cauda Draconis abroganda est, cur eam non abrogarunt? Aut, si abrogarunt, cur queruntur accusari se, quod Missam abolevérint? Dicent fortasse se Missam Papisticam abolevisse, Christianam autem retinere; nimirum Sacramenti distributionem, et perceptionem: hoc enim Philippus vocat Missam in Apologia. At non accusantur a nobis Lutherani, quod istam Missam, id est, Communionem aboleverint, sed veram Missam, id est, oblationem, et totum Canonem sustulerint. Itaque si per Missam intelligunt, Communionem, mendacium est, quod accusentur: sin autem intelligunt oblationem, mendacium est, quod falso accusentur.

Tertio mentitur in eodem articulo: « Veteres, inquit, ante Gregorium non faciunt mentionem privatæ Missæ. » Idem repetit in Apologia ejusdem articuli.

Sed si per Missam privatam intelligat Missam, quæ dicatur nomine privato, aut quæ uni tantum prosit, mentitur ejusmodi Missam cœpisse post Gregorii ætatem. Nulla enim est, nec fuit unquam Missa privata ad istum modum: omnis enim Missa publica est, cum celebretur a Sacerdote, ut est publicus minister, et pro communi, et publica utilitate totius Ecclesiæ. Si vero per Missam privatam intelligat Missam, quæ ab uno Sacerdote dicatur sine distributione Eucharistiæ populo facta, mentitur ejusmodi Missas non fuisse ante Gregorii tempora. Nam Augustinus lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. meminit Missæ privatæ: scribit enim unum ex suis presbyteris sacrificium corporis Domini obtulisse in domo rustica cujusdam nobilis viri, quæ vexabatur infestatione malignorum spirituum, et continuo eam domum liberatam fuisse: « Perrexit, inquit, unus obtulit ibi sacrificium corporis Christi, oravs quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessavit. » Hæc ille. Hic certe Augustinus, qui ducentis annis Gregorium præcessit, meminit Missæ dictæ ab uno, in loco privato, sine distributione Sacramenti populo facta; et quæ Deo gratissima fuerit, ut eventus probavit.

Quarto mentitur in eadem Confessione Augustana, in artic. de Confessione, ubi sic ait: « Antea immodice extollebantur satisfactiones, fidei vero, et meriti Christi, ac justitiæ fidei, nulla fiebat mentio. » Atque ita quidem loquitur in Confessione, in Apologia autem art. 11. ita rem exaggerat: « Nunc, inquit, de hac fide consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba in tanta mole Constitutionum, Glossarum, Summarum, Confessionalium; nusquam ibi Christus legitur. » Et infra in Apolog. art. 13: « Exstant, inquit, immensi libri, imo bibliothecæ totæ, nullam syllabam de Christo, de fide in Christum etc. »

Hæc tamen magna sunt mendacia, ut mirum sit, si ea tota Germania capere possit. Nullus enim est liber Catholicus, in quo de Sacramento ullo agatur, quin in eo sæpe fides, et Christus nominentur. Certe S. Thomas, qui minime obscurus est auctor. III. par. quæst. LXII. art. 5. dicit et probat, Sacramenta omnia vim habere ex meritis Christi, et ejusdem Christi merita per fidem nobis appliciari.

CAPUT IV.

Mendacia Calvini.

Venio nunc ad Calvinum, qui lib. IV Institut. cap. 14, §. 14. sic ait: « Magno consensu Sophisticæ scholæ tradiderunt, Sacramenta novæ legis justificare, et conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia dici non potest, quam sit exitialis, et pestilens, eoque magis, quod multis ante sæculis magna Ecclesiæ jactura in bona orbis parte obtinuit. Plane certe diabolica est; nam dum justitiam citra fidem pollicetur, animas in exitium præcipites agit. » Hoc est mendacium primum, quod citra fidem polliceamur justitiam in Sacramentis: quod supra refutatum est. Interim observanda sunt, quæ Calvinus confitetur vera, nimirum magnum consensum esse inter Catholicos, item multis sæculis doctrinam nostram viguisse, denique in bona orbis parte receptam, cum de ipsis omnia sint contraria: nimirum nullus est inter eos consensus; doctrina recens, et hoc sæculo nata; et vix unam, aut alteram provinciam occupavit: etsi enim multi sunt hoc tempore hæretici, nulla tamen una hæresis admodum late patet.

Secundum mendacium est in eodem cap. §. 17: « Interim, inquit, illud tollitur figmentum, quo justificationis causa, virtusque Spiritus sancti elementis, ceu vasculis, ac plaustris includitur. » Hoc vere figmentum est, quod nobis Calvinus affingit. Non enim Catholici dicunt, causam justificationis in Sacramentis, ut in vasis includi, sed ipsa Sacramenta causas instrumentales justificationis faciunt. Sed nec virtutem Spiritus sancti, id est, vim illam, quam Deus tribuit Sacramentis ad justificandum, ullus Catholicus docet contineri in Sacramentis, sicut in vasis; virtus enim illa est id, per quod Sacramentum operatur. Sed forte Calvinus ex eo mentiendi ansam accepit, quod interdum Catholici gratiam in Sacramentis, ut in vasis contineri dicunt. Gratia enim effectus est Sacramenti, proinde in Sacramento continetur, ut quilibet alius effectus in sua causa: omne autem quod continet, saltem metaphorice, vas dici potest. Adde quod potest etiam vas accipi pro instrumento: qua significatione eleganter David Psalm. VII. vocat sagittas, vasa mortis; et Ezech. cap. IX. vocat arma, vasa interitus, quia sagitta, cæteraque arma causæ instrumentales sunt mortis. Neque id negare potest Calvinus, cum in Antidoto Concilii Tridentini sess. VII. can. 4. et 5. affirmat Sacramenta esse causas gratiæ conferendæ instrumentales.

Tertium mendacium est in eodem cap. §. 26. ubi sic ait: « Quidquid de opere operato nugati sunt Sophistæ, non modo falsum est, sed pugnat cum Sacramentorum natura, quæ instituit Deus, ut fideles vacui bonorum omnium, et inopes, nihil præter mendicitatem eo adferant. Unde sequitur, ea recipiendo nihil istos agere, unde laudem mereantur, vel in hac actione, quæ eorum respectu mere passiva est, nullum illis posse opus adscribi. » Hoc mendacio testatur ignorantiam, vel malitiam suam Calvinus: non enim opus operatum vocant Theologi opus aliquod meritorium ejus, qui Sacramentum suscipit, vel ministrat, ut Calvinus dicit; id enim opus operantis appellamus. Quid autem sit opus operatum, infra suo loco dicemus. Illud hoc loco notasse sufficiat, opus operatum non pendere a bonitate ministri, meritum autem pendere.

Quartum est mendacium, cap. 17. §. 43.

ubi dicit in Sacramento Eucharistiæ primum, qui azymo pane uti cœpit, fuisse Alexandrum Romanum Pontificem : « Primus, inquit, azymo pane delectatus est : qua id ratione, non video, nisi ut plebis oculos in novo spectaculo in admirationem traheret, magis quam ut animos proba religione institueret. » Hoc vero mendacium cum Evangelio aperte pugnat. Scribunt enim Matth. capite XXVI, Marc. XIV et Lucas XXII. Dominum cœnam fecisse primo die azymorum, proinde non Alexander Papa, sed Christus primus fuit, qui azymo pane in Sacramento usus est.

Quintum est cap. 19. §. 12, ubi sic ait : « Veteres dum proprie loquuntur, nusquam plura duobus Sacramentis recensent. » Refellit hoc mendacium S. Cyprianus (ut nunc cæteros omittam) qui lib. II. epist. 1. non solum Baptismum et Eucharistiam, sed etiam Confirmationem vult esse proprie Sacramentum. Nam de Confirmatione sic loquitur : « Tunc plene sanctificari, et esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur. » Et S. Augustinus lib. II. contra litteras Petiliani, cap. 104 : « Sacramentum Chrismatis, inquit, in genere visibilium signorum, sacro sanctum est, sicut ipse Baptismus. »

Sextum est ibidem, ubi Calvinus addit de ipsa Confirmatione : « De manuum impositione loquuntur veteres, sed ad Sacramentum vocant? Augustinus aperte affirmat, nihil aliud esse, quam orationem. » Refellunt hoc idem auctores verbis citatis.

Septimum est in eodem cap. 19. §. 34, ubi sic ait : « Matrimonium, ut a Deo institutum, fatentur omnes, ita pro Sacramento datum, nemo usque ad Gregorii tempora viderat. » Atqui S. Augustinus, qui 200 fere annis S. Gregorio vetustior fuit, lib. de bono conjugali, cap. 18. sic ait : « In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri. » Et lib. I. de nuptiis, et concupiscentia, cap. 10. ter Matrimonium Sacramentis annumerat : ut etiam alibi passim.

Octavum est in Antidoto Concilii, sess. VII, can. 13. ubi sic ait : « Conqueruntur, vel saltem gemunt, omnes pii, pluris in Baptismo fieri Chrisma, cereum, salis saporem, sputum denique, quam aquæ lavacrum, quo tota constat Baptismi perfectio. » Idem repetit in lib. de formula ministrandi Sacramenta. Hic Calvinus Lutherum mentiendo superare studuit. Ille enim (ut supra notavimus in ultimo mendacio) solum dicebat, nos æquare has cæremonias Baptismo ; iste autem dicit, nos anteponere. Sed uterque mentitur. Nam Catholici adeo non anteponunt, vel æquant ista Baptismo, ut dicant esse præparationes ad Baptismum ; item accidentales cæremonias, si conferantur cum ipsa ablutione, in qua consistit substantia Baptismi. Denique fatentur omnes Catholici, simplicem Baptismum sine cereo, sine sale, sine oleo, aliisque rebus sufficere ad justificationem : res autem illas omnes non sufficere. Vide Magistrum, et Doctores cæteros in IV. dist. 6.

(1) Rom. VIII. 8.

CAPUT V.

Mendacia Kemnitii.

Martinus Kemnitius multa repetit ex mendaciis Lutheri, et Calvini ; multa etiam addit propria. Sed quia longum esset omnia referre, solum pauca quædam annotabo ex principio 2. par. Exam. ubi agit de Sacramentis in genere.

Primo igitur in Examine edito anno 1566, in octavo, pag. 14. sic mentitur : « Quomodo per Matrimonium, quod Siricius Pontifex definit, esse secundum carnem vivere, quod Deo placere non possit ; quomodo, inquam, justitia fidei per Matrimonium, vel incipit, vel augetur, vel reparatur juxta ipsorum Sacramenti descriptionem in decreto positam. » Desumptum est hoc mendacium ex epist. I. Sirici, cap. 7. ubi sanctus ille Pontifex probare volens, debere Sacerdotes continere se etiam ab uxore, assumit pro argumento illa verba Rom. VIII : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt* (1). Hinc igitur deducit Kemnitius, Matrimonium, auctore Siricio, nihil esse aliud, quam vitam secundum carnem, quæ Deo placere non potest.

Sed debuit Kemnitius advertere, Siricium non loqui de conjugio justo, et legitimo, sed de conjugio Sacerdotum, quod illegitimum est, et solo nomine conjugium, re autem ipsa

sacrilega impudicitia. Nam in eadem epist. cap. 4. jam ante dixerat, legitimas nuptias in Ecclesia per sacerdotem benedici : et certe non voluit dicere benedici in Ecclesia vitam secundum carnem, quæ Deo placere non potest. Itaque legitimi conjuges possunt ita vivere, ut placeant Deo, et dicantur non esse in carne, sed in spiritu, si uxore sua legitima legitime utantur : at Sacerdotes, quibus nuptiæ interdictæ sunt, non possunt uxores ducere, aut illis uti, quin Deo displiceant, et secundum carnem vivant : et hoc est, quod verissime scripsit Siricius.

Secundo mentitur pag. 39, ubi loquens de Ordinis et Matrimonii Sacramentis, sic ait : « Et si Richardus disputat etiam per istos ritus conferri gratiam gratum facientem : reliqui tamen agnoscunt hoc subsistere non posse. » Hoc mendacium impudentissimum est, cum omnes fere Theologi idem dicant, quod Richardus dicit. Sufficiet hoc loco testimonium S. Thomæ, qui III. par. qu. LXV. art. 1. docet, et probat, septem esse novæ legis Sacramenta ; et in responsione ad ultimum sic ait : « In quolibet Sacramento novæ legis gratia infunditur. »

Tertio mentitur pag. 40. ubi quærens de aqua benedicta, rosa benedicta, ense benedicto, et similibus rebus, cur non sint sacramenta, sic ait : « Aliquid quidem respondent Scholastici, alius aliud, sed tamen nec seipsos expediunt, nec lectoribus satisfaciunt, nisi quod Gabrielis ingenuitas probatur, qui dicit aquam benedictam non esse Sacramentum, quia desit divina institutio. »

Duo sunt hic mendacia. Unum quod Scholastici multum laborent, ut ostendant, cur aqua, et rosa, et similia, cum in Ecclesia benedicuntur, non sint Sacramenta. At Scholastici adeo leviter hoc expediunt, ut nulli ne attingant quidem, ut per se notum, alii obiter tantum explicent. Nihil enim horum est signum efficax gratiæ justificantis, quod est præcipuum in omnibus Sacramentis.

Alterum est mendacium, Gabrielem ingenue confiteri, nihil deesse aquæ benedictæ, quominus sit Sacramentum, nisi divinam institutionem. Est, inquam, hoc verissimum mendacium, quia Gabriel in IV. dist. I. quæst. I. art. 1. ubi de hac re agit, dicit quidem, aquam benedictam non esse a Deo institutum, sed ab Ecclesia, et ideo non esse Sacramentum, sed non dicit, nihil aliud ei deesse, nisi divinam institutionem, imo aperte indicat, alia etiam multa ei deesse. Nam non disputat eo loco proprie de aqua benedicta, sed explicat definitionem Sacramenti : et quia dixerat, ad Sacramenta requiri divinam institutionem, inde deducit a Sacramenti definitione excludi aquam benedictam, lotionem balnei, et omnia signa naturalia. Quocirca sicut non licet colligere ex hac ejus disputatione nihil deesse ad lotionem balnei, quominus sit Sacramentum, nisi divinam institutionem, ita non licet colligere, nihil deesse ad aquam benedictam, nisi divinam institutionem, quominus sit Sacramentum.

Quarto mentitur pag. 94. et 95, ubi tot sunt fere mendacia, quot verba : « Quidam, inquit, ut Alensis, Thomas, Durandus etc. senserunt ipsis externis Sacramentorum elementis per verbum conferri quamdam virtutem supernaturalem. » At non videtur legisse hos auctores : Siquidem Durandus contrarium docet, et S. Thomam oppugnat in IV. dist. 1. quæst. 4.

Quinto mentitur ibidem, cum ait : « Addunt autem, ut ostendant, nec se, nec alios, quod dicunt, intelligere, esse ens incompletum (vim inditam Sacramentis) quod per se non sit in aliquo ex decem prædicamentis. » Sed Kemnitium non intelligere quid Scholastici dicant, facile credi potest. Illos autem ipsos non intelligere motionem, hanc enim plerique vocant vim Sacramentis inditam, esse ens incompletum, quod per se in nullo prædicamento sit ; mendacium est manifestum. Non enim ullus est vel mediocriter peritus Physicæ, aut etiam solius Logicæ, quin sciat motum esse ens incompletum, et ad nullum prædicamentum per se pertinere.

Sexto mentitur ibidem, cum ait : Cyprianum existimasse, Baptismum esse inutilem, qui conferebatur ab hæreticis et malis ministris. Nam Cyprianus ubique distinguit malos ministros Catholicos ab hæreticis et malos quidem affirmat utiliter baptizare, hæreticos autem inutiliter. Male igitur Kemnitius conjungit ex sententia Cypriani, quos Cyprianus ipse disjungit. Vide Augustinum explicantem Cypriani sententiam, lib. IV de Baptismo, cap. 10. et lib. VI, cap. 12. et ipsum Cyprianum in epistolis ad Jubajanum, ad Pompejum, ad Stephanum, et ad Quirinum.

Septimo mentitur pag. 95. cum sic ait : « Illa vero opinio, quod in ipsis Sacramentorum elementis gratia essentialiter contineatur, sicut medicina in pixide, ita ut vir-

tus Sacramentorum sit vel essentia, vel qualitas hærens in corporalibus Sacramentorum elementis, etiam inter Scolasticos scriptores, non fuit omnibus probata, ut Bonaventuræ, Richardo etc. » Hic satis prodit suam imperitiam Kemnitius, et simul audaciam, cum ea reprehendit, quæ non intelligit. Nam in primis confundit gratiam cum virtute Sacramentorum, cum tamen sint res diversissimæ. Gratia enim est effectus Sacramenti, virtus autem id, per quod Sacramentum operatur. Quocirca gratiam contineri in Sacramentis nullus Catholicus negat, virtutem autem illam physicam non omnes admittunt. Deinde gratiam essentialiter, id est, ipsam essentiam gratiæ hærere in Sacramentis, ut medicinam in pixide, nullus etiam Catholicorum dicit : Fatemur enim omnes, gratiam hærere in anima, non in Sacramentis. Ponunt tamen, ut supra diximus, eam in Sacramento, ut in vase, metaphorice accipiendo nomen vasis, quomodo dicuntur tela vasa mortis, quia in eis mors continetur, ut effectus in causa.

Octavo mentitur ibidem, cum ait : « Fuerunt etiam, qui virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo Sacramenta vel celebrantur, vel suscipiuntur, constituerunt : ita ut Sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate et merito operis, quod exercet vel is, qui celebrat, vel qui suscipit. » Hoc etiam mendacium testis est imperitiæ Kemnitianæ, quamquam non est ejus proprium, sed a Calvino illud accepit. Vide supra in tertio Calvini mendacio. Plurima sunt alia in Kemnitio, hæc enim solum ex initio libri decerpta sunt.

CAPUT VI.

Mendacia Tilemanni Heshusii.

Tilemannus Heshusius, qui se Episcopum Sambiensem vocat, librum scripsit de sexcentis erroribus Pontificiorum ; qui liber non habet vel unam micam salis : colligit enim errores tam inconsiderate, ut vel sint mera mendacia, vel contradictorii eorum sint hæreses apud omnes Lutheranos.

Ac ut solum, causa exempli, discutiamus locum 15, qui est de Sacramentis, tertius error, quem notat, est desumptus ex Catechismo Romano in hæc verba : « Virtutem, quæ ex passione Christi manat, hoc est, gratiam, quam ille nobis in ara crucis meruit, per Sacramenta, quasi per alvum quamdam in nos ipsos derivare oportet. » Hæc ille. Ubi primum corrupit verba Catechismi Romani ; siquidem ex alveo, quæ vox est in Catechismo, iste fecit alvum, ut sordidam et ridiculam faceret Catechismi sententiam. Deinde sententia Catechismi non potest damnari, quin damnentur etiam omnes Lutherani. Sume enim sententiam contradicentem, quæ sine dubio hæc erit : Christus in cruce non meruit nobis gratiam, vel si meruit, ea tamen non derivatur ad nos per Sacramenta, quasi per alveum. At certe hanc sententiam Lutherani omnes damnant, quippe qui volunt gratiam ex Christi passione nobis per verba et Sacramenta offerri et applicari. Neque refert quod ipsi non nominant alveum : nam nominant instrumentalem causam, quod est longe amplius, quam alveus. Vide Kemnitium in 2. par. Examinis, pag. 97. et Calvinum in Antidoto Concilii, sess. VII, can. 4.

Quintus error apud Tilemannum est, quod Sacramenta veteris legis non impresserint characterem, qui est signum spirituale. Sume igitur contradicentem, nimirum, Sacramenta veteris legis imprimebant characterem spiritualem ; et quære si vel ab uno ex Lutheranis approbetur. Lutherani enim non anteponunt usquam, licet fere æquent, Sacramenta legis veteris Sacramentis novæ legis ; et tamen summo consensu negant, Sacramenta novæ legis imprimere characterem. Id quod negat etiam ipse Heshusius ibidem in 4 errore.

Nonus error est, quod non requiratur bonus motus interior in suscipiente Sacramentum. Hunc errorem tribuit Heshusius Gabrieli lib. IV. sent. dist. 1. quæst. 3. Sed verba Gabrielis, quæ ipse citat, detegunt fraudem. Nam Gabriel non dicit non requiri motum interiorem, cum aperte requirat fidem et pœnitentiam cum omnibus aliis Doctoribus, sed dicit cum Scoto, non requiri motum interiorem, qui sit meritorius gratiæ de congruo, vel de condigno. Scotus enim, et Gabriel, et multi alii docent, motus quosdam interiores esse meritorios de congruo justificationis, sed addunt, quod si aliquando isti motus non sint tam perfecti, ut mereantur de congruo, tamen sufficere cum Sacramento ad justificationem.

Decimus error est, quod Sacramenta veteris legis non contulerint gratiam, neque ex opere operato, neque ex opere operantis, seu per modum meriti, etiam si in fide et charitate fierent. Hæc ille. Sed accipe contradicentem propositionem, et dic : Sacramenta legis veteris contulerunt gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis, seu per modum meriti. Atqui hæc tota est hæretica omnibus Lutheranis. Nam omnes execrantur, quod dicimus de opere operato ; et multo magis, quod dicimus de opere operantis. Sacramenta enim gratiam conferre ex opere operantis, est gratiam conferre ex dignitate et merito operis ; ipsi autem nullum agnoscunt opus dignum aut meritorium, sed omnia esse volunt peccata mortalia, atque in primis idem Heshusius in eodem lib. tit. de justificatione, de lege, de operibus.

Decimustertius error est ex Concilio Tridentino desumptus, sess. VII. can. 13 : « Docent, inquit, sine externis Papisticis ritibus nec veritatem, nec dignitatem, nec efficaciam Sacramentorum consistere. » Hæc ille. At hæc impudentissima impostura est. Concilium enim nihil ejusmodi docet. Hæc enim sunt verba Concilii, quæ ibidem ponit Heshusius, ut nimirum non solum sit, sed etiam habeatur impostor : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni administratione Sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. »

CONTROVERSIA PRIMA

DE NOMINE SACRAMENTI.

CAPUT VII.

Sitne utendum nomine Sacramenti.

De nomine Sacramenti duæ sunt controversiæ hæreticorum, tum ipsorum inter se, tum nobiscum. Una, sitne hoc nomen usurpandum. Altera, quid proprie significet hæc vox Sacramentum.

Quod attinet ad priorem, Martinus Lutherus initio novæ suæ prædicationis visus est ab hoc nomine non parum abhorrere. Nam in libro de captivit. Babylon. quem edidit anno 20. cap. de Matrimonio : « Non habet, inquit, universa Scriptura sancta hoc nomen Sacramentum, in ea significatione, qua noster usus, sed in contraria. Ubique enim significat non signum rei sacræ, sed rem sacram, secretam, et absconditam. » Deinde in libro de abroganda Missa, quem edidit anno 21 : « Pia, inquit, et fidelis conscientia merito et digne pavere debet, ne hoc sacrificium appellet, aut credat, quod certissima est apud Deum, et in Scripturis non dici sacrificium ; et hoc solum appellet sacrificium, quod constat a Deo vocari sacrificium. Quæ enim furentior est temeritas, quam sic os in cælum ponere, ut hoc sacrificium et cultum Dei dicas, quod ille non dicit sacrificium et cultum Dei? » Hæc ille. Cum igitur Lutherus affirmet, vocem Sacramentum non esse in Scriptura in eo sensu, quo Ecclesia utitur Sacramentis, et simul affirmet, furentem esse temeritatem uti nominibus in rebus Dei significandis, quibus Deus ipse in Scriptura non utatur : certe colligitur non ei placuisse, ut hoc nomine uteremur.

Quocirca Melanchthon Lutherum secutus in locis communibus editis anno 21 et 22. caput, in quo agit de Sacramentis, inscribit de signis ; et in medio ejus capitis : « Quæ alii, inquit, Sacramenta, nos signa appellamus. » Quin etiam tanta erat cupido istorum hominum omnia novandi, ut mallet Græca voce, et Latinis prorsus inaudita dici σφραγῖδας, id est, sigilla, quam Sacramenta.

Andreas item Carolstadius in lib. de imaginibus et Sacramentis, eumdem Lutherum secutus, ex professo agit contra nomen Sacramenti.

Porro Zwinglius Pater Sacramentariorum in lib. de vera et falsa religione, edita anno 25. dicit quidem se nolle tumultuari ob hoc nomen, aperte tamen reprehendit. Sic enim habet in cap. de Sacramentis : « Vocem istam, Sacramentum, magnopere cuperem Germanis nunquam fuisse receptam. »

Sic etiam Calvinus lib. IV. Institut. cap. 14. §. 13. dicit se nolle contendere de nomine Sacramenti, et tamen non obscure reprehendit, dum ita loquitur : « Abunde liquet Veteres, qui Sacramentorum nomen signis indiderunt, minime respexisse, quis fuisset verbi hujus usus Latinis Scriptori-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus : sed novam hanc significationem pro suo commodo affinxisse, qua simpliciter sacra signa designarent. » Hæc ille.

Cæterum Lutherus cum vidisset Carolstadium et Zwinglium, cum quibus inimicitias gerebat, abhorrere a voce Sacramenti, mutavit cito sententiam, et nomen Sacramenti approbare cœpit. Sic enim scribit in lib. contra cœlestes Prophetas par. 2 : « Dicit, inquit, Carolstadius, Christum et Apostolos non appellasse cœnam Sacramentum, velle se habere nomen ex Bibliis : Deum imponere suis creaturis nomina, nos qui homines sumus, non debere indere nomina rebus divinis. » Et infra : « Age animicida, tu et spiritus peccati, fatemur quidem Deum non dixisse Sacramentum, nec præcepisse ut Sacramentum diceretur : sed hic nobis contra, ubi prohibuit Sacramentum dici? Quis ergo tibi dedit potestatem prohibendi quod Deus non prohibet? An non est verus animicida, qui se ponit loco Dei super nos, et aufert nostram libertatem? » Ac deinde asserit et probat, licere uti hoc nomine, imo et oportere uti. Quæ omnia non magis contra Carolstadium pugnant et Zwinglium, quam contra ipsum Lutherum, a quo illi didicerant, ut ostendimus.

Luthero autem sententiam mutante, mutarunt etiam cæteri Lutherani. Nam et in confessione Augustana recipiunt nomen Sacramenti : et Philippus in locis anno 36. inscribit caput de Sacramentis, quod antea inscripserat de signis. Brentius quoque in Confessione Wirtembergensi cap. de Sacramentis, idem nomen retinet. Ac demum Kemnitius in 2. par. Examinis non procul ab initio, vocabulum hoc ἄγραφον, id est, non scriptum in divinis litteris esse dicit, et tamen retinendum et conservandum. Solum ergo controversia restat cum Sacramentariis, et cum priore sententia Lutheri.

Sed facile probare possumus, nomen hoc esse usurpandum et conservandum. Primo, quia reperitur in Scripturis. Sunt autem duo notanda antequam hanc rationem explicemus. Primo quidem Scripturas sacras non Latine, sed vel Hebraice, vel Græce, a Prophetis et Apostolis scriptas fuisse : proinde non esse demonstrandam ex Scripturis vocem Latinam, Sacramentum, sed Græcam, quæ illi respondet, nimirum μυστήριον. Idem enim omnino est Latinis Sacramentum, quod Græcis Mysterium. Neque in hoc ulla dissensio est : fatentur enim adversarii idem esse Sacramentum et Mysterium, et ideo utrumque vocabulum dicunt esse ἄγραφον in nostra significatione.

Secundo, aliter ex Scripturis probari posse nomen Sacramenti apud Catholicos, aliter apud hæreticos. Nam apud Catholicos, qui fatentur Matrimonium esse Sacramentum proprie dictum, probamus nomen Sacramenti esse in Scripturis, non solum in genere, sed etiam in specie, id est, ut significat res illas septem, quas proprie Sacramenta vocamus. Ait enim Apostolus ad Eph. V : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum, sive (ut habetur Græce) Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (1). Ubi Apostolus Concilio Trident. teste, sess. XXIV, Sacramentum proprie dictum vocat Matrimonium, seu conjunctionem viri et feminæ; est enim ea conjunctio signum rei sacræ, et arcanæ, id est, conjunctionis Christi cum Ecclesia. Neque obstat, quod Paulus videatur loqui de conjugio Adami et Evæ, quod quidem Sacramentum novæ legis non fuit. Nam Paulus etsi allegat verba Adami, tamen ea accommodat ad conjugia sui temporis : omni enim conjugio convenit quod Adam dixit : *Erunt duo in carne una*. Unde non ait Paulus, Sacramentum hoc magnum fuit, sed Sacramentum hoc magnum est, nimirum posteaquam a Christo addita est illi promissio gratiæ.

Apud hæreticos autem, qui Matrimonium non admittunt esse Sacramentum proprie dictum, non possumus probare ex Scripturis nomen Sacramenti; ut est nomen specificum, et proprium nostrorum Sacramentorum. Nusquam enim in Scriptura Baptismus, aut Eucharistia, aut Pœnitentia, aut Ordo, aut etiam Confirmatio, aut Unctio, Mysterium vel Sacramentum appellatur. Possumus tamen ex Scripturis ostendere nomen Sacramenti, ut est nomen genericum et commune ad nostra septem Sacramenta, et alias res quasdam; nimirum ut significat signum rei sacræ, vel arcanæ : quod quidem satis est, ut possimus hoc nomine uti etiam testimonio Scripturarum. Nomen enim genericum vere convenit rei, licet non soli illi conveniat.

(1) Eph. V, 31 et 32.

Id igitur nomen in Scripturis haberi contra Lutherum demonstramus ex Daniele cap. II. ubi sæpissime vocatur Mysterium, vel Sacramentum statua Nabuchodonosor, quia erat signum rei latentis, id est, successionis quatuor regnorum, et regni Christi post illa exorituri. Ex quo colligimus, vocabulum רָז Hebraicum et רְזָא Chaldaicum, non solum significare rem secretam, ut Isai. XXIV : *Secretum meum mihi* (1). Sed etiam signum rei secretæ, ut hoc loco Danielis; quamquam etiam hoc loco non negaverim, aliquando significare rem secretam. Nam interdum Scriptura vocat Mysterium ipsum somnium oblitum, et profunde absconditum, et secretum : interdum ipsam statuæ illius, quæ per somnium apparuerat, significationem.

Item probamus ex illo Apocalyp. XVII : *Et in fronte ejus nomen scriptum Mysterium*. Et infra : *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris* (2). Hinc enim habemus mulierem illam forma meretricia, quam Joannes vidit, fuisse quoddam Sacramentum, id est, signum rei latentis, nimirum Romani Imperii, vel Antichristi, ut alibi exposuimus. Non enim res ipsa latens, sed mulier, quæ videbatur, appellatur Mysterium, et Sacramentum, ob significationem, quam continebat, ut patet ex nomine scripto in fronte.

Idem probatur ex illo II. Thessal. II : *Nam Mysterium jam operatur iniquitatis* (3). Vocat enim Apostolus Mysterium iniquitatis, persecutiones Ecclesiæ primitivæ ab Imperatoribus, et hæreticis excitatas, quia significabant persecutiones excitandas in novissimis diebus ab Antichristo. Ita enim exponunt eum locum Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, et alii fere omnes.

Denique idem probatur efficacissime ex illo ad Ephesios V : *Sacramentum hoc magnum est*. Tametsi enim Erasmus, et Calvinus Mysterium a Paulo dici contendunt, non conjunctionem viri et fœminæ, sed Christi, et Ecclesiæ, eo quod addat Apostolus : *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia*, tamen apertissime falluntur. Quod enim Paulus Sacramenti nomen non tribuat Christo, et Ecclesiæ, sed conjunctioni viri, et fœminæ, patet tum ex relativo pronomine, *hoc*. Refert enim id, quod dictum fuerat, nimirum : *Erunt duo in carne una* (4) : tum etiam quia periret tota ratio Apostoli. Vult enim probare, debere viros diligere suas uxores : id vero probat, quia illud : *Erunt duo in carne una*, est magnum Sacramentum in Christo, et in Ecclesia. Quod si totum hoc Mysterium est in conjunctione Christi, et Ecclesiæ, et ad conjugium nihil pertinet, quid, quæso, Paulus probat? Vide commentarium Hieronymi, Chrysostomi, Œcumenii, et aliorum Patrum in hunc locum. Conjunctio igitur sensibilis, et externa viri et fœminæ, Sacramentum est, id est, signum rei sacræ spiritualis, et latentis, id est, conjunctionis Christi, et Ecclesiæ. Quocirca Kemnitius his testimoniis persuasus, fatetur nomen Sacramenti ut genericum est, scriptum esse, licet ut specificum, non sit scriptum.

Falsum igitur est, quod Lutherus dicebat, Sacramentum in universa Scriptura significare rem sacram secretam; nusquam autem signum rei sacræ, secretæ. Nec minus falsum est, quod ibidem addidit, Catholicos ubicumque in Scriptura invenerunt nomen Sacramenti, ex eo fecisse signum : non enim ubique dicimus, Sacramenti nomine significari signum, sed solum quibusdam in locis, alibi autem significare rem secretam, ut Tob. XII : *Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Et Ephes. I : *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ* (5). Et I. Timoth. III. vocat incarnationem, magnum pietatis Sacramentum. Neque id ignorarunt Scholastici, quin potius omnes cum Magistro indicant has acceptiones varias Sacramenti secundum Scripturas. Vide in IV. dist. 1. et S. Thom. III. p. q. LX. art. 1.

Quod si Sacramentum dicatur a sacrando, et initiando, quod placet Zwinglio : ut postea dicemus, habetur in Scriptura Testamenti veteris vox Hebræa, nostræ Latinæ voci respondens, nimirum מִלּוּאִים seu מִלּוּאֹת, id est, ritus consecrationis, Exod. XXVIII, Levit. VIII. et alibi.

Secunda ratio sumitur ex Patribus. Antiquissimi enim Patres hoc nomine usi sunt ad significandum Baptismum, Eucharistiam, et alia id genus sacra Symbola. Tertullianus vetustissimus Latinorum, lib. de præscrip. cap. 16 : « Ipsas quoque, inquit, res Sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis diabolus æmulatur : tingit et ipse quosdam, signat in frontibus milites suos etc. » Vide

(1) Isai. XXIV, 16. — (2) Apoc. XVII, 5 et 7. — (3) II. Thessal. II, 7 — (4) Eph. V, 31 et 32. — (5) Tob. XII, 7; Eph. I, 9.

etiam lib. I. in Marcion. ante medium. S. Cyprianus lib. II. epist. 1. de Baptismo et Confirmatione dicit : « Si Sacramento utroque nascantur. » Lib. II. epist. 3. ad Cæcilium : « Quo et ipso, inquit, Sacramento (Eucharistiæ) populus noster ostenditur adunatus. » Et lib IV. epist. 7. ad Magnum: « Neque enim sic in Sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et sæculari, sordes cutis, et corporis abluuntur. » Eadem utuntur voce Lactantius lib. IV. cap. 17. Hilarius in illud Psal. CXXI. *Et abundantia diligentibus te* (1). Hieronymus in cap. LXIV. Ezech. et in cap. I. Malach. Augustinus in epist. 118. et lib. II. doct. Christ. cap. 3. et demum omnes posteriores.

Ex quibus Patrum sententiis colligimus, nomen hoc esse antiquissimum, et proinde retinendum, etiam si in Scripturis non haberetur : quomodo retinemus multa alia nomina, quæ non sunt in Scripturis, ut Trinitatem, consubstantialem, personam etc. Periculosissima enim est vocum novarum libertas in Ecclesia, cum paulatim ex novis vocibus, novæ etiam res oriantur cum unicuique licet in rebus divinis nomina fingere. Unde et B. Paulus prohibet profanas vocum novitates I Timoth. VI. et S. Augustinus lib. X. Civit. cap. 23 : « Liberis, inquit, vocibus loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt : Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impium gignat opinionem. »

Rursus colligimus, tum ex Scripturis, tum ex Patribus citatis, Kemnitium falsa, et pugnantia de hoc nomine loqui. Nam pag. 28. sic ait : « Augustinus primus ferme cœpit vocabulum Sacramenti in hac quidem materia extendere, et latius usurpare, quam antiquitas fecerat. In epistola enim quinta ad Marcellinum de signis loquens inquit : « Quæ cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur. Ut igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicujus divinæ, vel sacræ signum sit. » Hæc ille. At falsum esse primum Augustinum fuisse, qui extenderit hoc nomen ad alia sacra signa, quam ad Baptismum, et Eucharistiam, patet ex omnibus Scripturis citatis, et ex Tertulliano, Cypriano, ac Lactantio locis notatis : et præterea patet ex ipso Kemnitio, qui paulo ante, id est, pagina 22, sic ait : « Conjunctio viri et uxoris in conjugio, est Sacramentum conjunctionis Christi, et Ecclesiæ ad Ephes. V. » Et infra : « Omnes figuras, et allegorias significantes aliquid Patres vocant Sacramenta. Tertullianus lib. V. contra Marcionem vocat Sacramenta figurarum, et allegorias Sacramentorum, ubi de duobus Abrahæ filiis loquitur. Adversus Judæos vocat Sacramentum ligni, disputans de securi Elisæi, et de ligno Adæ. » Hæc ille. Qui viderit quam bene cohæreat, Augustinum auctorem illius rei facere, quæ apud Tertullianum, aliosque vetustos Patres, et apud ipsum Apostolum Paulum inveniatur.

Adde postremo, quod omnes linguæ vulgares in Latina Ecclesia hoc nomen retinuerunt, ut Italica, Gallica, Hispanica, Germanica, et aliæ ; quod est argumentum semper fuisse hoc nomen Sacramentum, in Ecclesia, venerabile. Sed de hac prima Quæstione satis.

(1) Psal. CXXI, 6.

CAPUT VIII.

De etymologia, et notione Mysterii et Sacramenti.

Quia certum est prius in Ecclesia fuisse voces Hebraicas et Græcas, quam Latinam, Sacramentum, et Latinos nihil aliud voluisse exprimere per Sacramentum, nisi quod Hebræi, et Græci exprimebant per sua vocabula ; Primum de Hebraica ; Deinde de Græca; Postremo de Latina voce dicendum erit.

Hebræi tres habent voces, quibus Sacramenta sua significare solent. Primum enim omnes cæremonias, inter quas numerantur Sacramenta, vocant חקים vel חקת, ut patet Exod. XII. XXVIII. et alibi. Sed hoc nomen non tam ipsam cæremoniam, quam legem cæremonialem significat ; nam חקק statuere significat, et מחוקק legislatorem. Unde in testamento novo semper cæremoniæ Judæorum dicuntur leges, ut Matth. XI : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, id est, Figuræ illæ cæremoniarum, et vaticinia Prophetarum usque ad Joannem. Et Galat. V. *Contestor omni circumcidenti se, quod debitor est*

universæ legis faciendæ (1). Id est, qui admittit circumcisionem, debet eodem jure admittere omnes cæremonias.

Aliud vocabulum est מלואים מלא et מלואה quod consecrationem, seu initiationem significat, et habetur Exod. XXVIII. et Levit. VIII. ubi agitur de consecratione Sacerdotis. Deducitur autem hæc vox a verbo מלא quod significat implere, et perficere ; quia qui Sacramentum suscipit, perficitur, ut sit idoneus ad sacram functionem peragendam.

Tertia vox est רז et דוא quæ magis in usu est Chaldæis, quam Hebræis. Unde Hebræi nondum invenerunt veram ejus radicem ; sed, ut supra diximus, satis aperte colligitur ex cap. II. Danielis, ea voce significari tum rem ipsam secretam, tum etiam signum rei secretæ.

Porro etymologiam Mysterii explicans Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad Gentes, cujus etiam meminit Eusebius in II. de præparat. Evangelica cap. 3. dicit μυστήριον dici a μύσος, quod scelus, et execrationem significat. Reprehendit Dominicus a Soto hanc etymologiam in IV. dist. I. q. 1. art. 1. quod μῖσος per iota significet scelus, et odium μυστήριον autem scribatur per upsilon. Sed non erat opus, ut homo Latinus cum auctoribus gravissimis, atque Græcis, de Græcæ vocis etymologia contenderet. Nam etsi μῖσος odium, μύσος tamen scelus proprie significat : Porro Clemens a μύσου deduxit μυστήριον, non a μῖσου; licet posteriorem hanc vocem habeant aliqui Latini codices Eusebii, ex errore librariorum. Præterea Clemens non voluit eo loco propriam, ac germanam etymologiam Mysterii explicare, sed de industria posuit quamdam minus propriam, sed valde aptam ad irridenda sacra Gentilium, quod tum agebat. Itaque cum vellet sacra illa ridere, ac detestari, dixit vel appellari μυστήρια ἀπὸ τοῦ μύσους, quod scelesta, et execranda essent, vel dicta esse μυστήρια, quasi μυθήρια, id est, fabulosa.

Alii deducunt μυστήριον a verbo μύω, quod est claudo, et στόμα, quod est os : quasi Mysteria silentio honoranda sint : vel a μύστου, et τηρεῖν, id est abscondere, et servare, quod sint occulte servandæ res sacræ.

Posset etiam non inepte deduci a μυέω μύσω, quod est initio, seu sacris imbuo, unde est μύστης, id est, sacrorum antistes, qui alios initiat.

Sunt autem tres hujus vocis significationes. Prima ac præcipua est, ut Mysterium dicatur ea cæremonia, qua homines sacris initiantur. Quocirca a M. T. lib. II. de legibus dicuntur etiam initia : et S. Ambrosius librum scripsit, de iis, qui Mysteriis initiantur. Et hæc significatio respondet etymologiæ, quam posuimus a verbo μύω, et huic voci in hac significatione respondet vox Hebræa לטואה, id est, consecratio. Quia vero Mysteria Gentilium noctu celebrabantur, et secreta esse oportebat, inde nata est.

Secunda significatio, qua Mysterium dicitur id omne, quod arcanum, et secretum est. Hinc est illud Apostoli, I Corinth. XIII : *Si noverim Mysteria omnia.* Matth. XIII: *Vobis datum est nosse Mysteria regni Dei* (2) : Et respondet verbum Hebræum רז in priore significatione, vel etiam סוד quo frequentius utuntur, id est, secretum.

Tertia significatio ex secunda nata est, qua videlicet Mysterium dicitur omne signum externum rei arcanæ, et latentis : qua significatione omnes figuræ Testamenti veteris dicuntur Mysteria, nec non parabolæ et similitudines quæ habentur vel in Evangelio, vel in Apocalysi, ut testimonia supra allata ostendunt. Et huic respondet vox illa רז in posteriore significatione.

Jam vero Sacramenti etymologia notissima est ; dicitur enim a sacro : sed significationes multæ sunt. Prima est, ut Sacramentum dicatur pignus a litigantibus in loco sacro positum. Ut enim scribit Varro lib. IV. de lingua Latina prope finem, mos erat apud Romanos, ut cum duo litigabant, tum qui affirmabat, tum qui negabat, deponeret quingenta æris in loco sacro apud Pontificem : finita vero lite, qui vicerat, depositum suum reciperet, qui vinceretur, perderet, ejusque depositum ærario cederet in pœnam injustæ litigationis. Illa ergo deposita Sacramenta dicebantur, quod in loco sacro servarentur. Hæc significatio præter cæteras placuit Zwinglio, in lib. de vera et falsa religione cap. de Sacramentis : « Sacramentum, inquit, nihil aliud est quam initiatio, et oppignoratio. Sicut enim qui litigaturi erant, certum pecuniæ pondus deponebant ; sic qui Sacramentis initiantur, sese obstringunt, et oppignerant. »

Secunda acceptio est, ut Sacramentum idem sit, quod juramentum, quod quidem

(1) Matth. XI, 13; Galat. V, 3. — (2) I. Cor. XIII, 2; Matth. XIII, 11.

etiam lib. I. in Marcion. ante medium. S. Cyprianus lib. II. epist. 1. de Baptismo et Confirmatione dicit : « Si Sacramento utroque nascantur. » Lib. II. epist. 3. ad Cæcilium : « Quo et ipso, inquit, Sacramento (Eucharistiæ) populus noster ostenditur adunatus. » Et lib IV. epist. 7. ad Magnum: « Neque enim sic in Sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et sæculari, sordes cutis, et corporis abluuntur. » Eadem utuntur voce Lactantius lib. IV. cap. 17. Hilarius in illud Psal. CXXI. *Et abundantia diligentibus te* (1). Hieronymus in cap. LXIV. Ezech. et in cap. I. Malach. Augustinus in epist. 118. et lib. II. doct. Christ. cap. 3. et demum omnes posteriores.

Ex quibus Patrum sententiis colligimus, nomen hoc esse antiquissimum, et proinde retinendum, etiam si in Scripturis non haberetur : quomodo retinemus multa alia nomina, quæ non sunt in Scripturis, ut Trinitatem, consubstantialem, personam etc. Periculosissima enim est vocum novarum libertas in Ecclesia, cum paulatim ex novis vocibus, novæ etiam res oriantur cum unicuique licet in rebus divinis nomina fingere. Unde et B. Paulus prohibet profanas vocum novitates I Timoth. VI. et S. Augustinus lib. X. Civit. cap. 23 : « Liberis, inquit, vocibus loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt : Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impium gignat opinionem. »

Rursus colligimus, tum ex Scripturis, tum ex Patribus citatis, Kemnitium falsa, et pugnantia de hoc nomine loqui. Nam pag. 28. sic ait : « Augustinus primus ferme cœpit vocabulum Sacramenti in hac quidem materia extendere, et latius usurpare, quam antiquitas fecerat. In epistola enim quinta ad Marcellinum de signis loquens inquit : « Quæ cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur. Ut igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicujus divinæ, vel sacræ signum sit. » Hæc ille. At falsum esse primum Augustinum fuisse, qui extenderit hoc nomen ad alia sacra signa, quam ad Baptismum, et Eucharistiam, patet ex omnibus Scripturis citatis, et ex Tertulliano, Cypriano, ac Lactantio locis notatis : et præterea patet ex ipso Kemnitio, qui paulo ante, id est, pagina 22, sic ait : « Conjunctio viri et uxoris in conjugio, est Sacramentum conjunctionis Christi, et Ecclesiæ ad Ephes. V. » Et infra : « Omnes figuras, et allegorias significantes aliquid Patres vocant Sacramenta. Tertullianus lib. V. contra Marcionem vocat Sacramenta figurarum, et allegorias Sacramentorum, ubi de duobus Abrahæ filiis loquitur. Adversus Judæos vocat Sacramentum ligni, disputans de securi Elisæi, et de ligno Adæ. » Hæc ille. Qui viderit quam bene cohæreat, Augustinum auctorem illius rei facere, quæ apud Tertullianum, aliosque vetustos Patres, et apud ipsum Apostolum Paulum inveniatur.

Adde postremo, quod omnes linguæ vulgares in Latina Ecclesia hoc nomen retinuerunt, ut Italica, Gallica, Hispanica, Germanica, et aliæ ; quod est argumentum semper fuisse hoc nomen Sacramentum, in Ecclesia, venerabile. Sed de hac prima Quæstione satis.

(1) Psal. CXXI, 6.

CAPUT VIII.

De etymologia, et notione Mysterii et Sacramenti.

Quia certum est prius in Ecclesia fuisse voces Hebraicas et Græcas, quam Latinam, Sacramentum, et Latinos nihil aliud voluisse exprimere per Sacramentum, nisi quod Hebræi, et Græci exprimebant per sua vocabula ; Primum de Hebraica ; Deinde de Græca; Postremo de Latina voce dicendum erit.

Hebræi tres habent voces, quibus Sacramenta sua significare solent. Primum enim omnes cæremonias, inter quas numerantur Sacramenta, vocant חקים vel חקת, ut patet Exod. XII. XXVIII. et alibi. Sed hoc nomen non tam ipsam cæremoniam, quam legem cæremonialem significat ; nam חקק statuere significat, et מחוקק legislatorem. Unde in testamento novo semper cæremoniæ Judæorum dicuntur leges, ut Matth. XI : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, id est, Figuræ illæ cæremoniarum, et vaticinia Prophetarum usque ad Joannem. Et Galat. V. *Contestor omni circumcidenti se, quod debitor est*

universæ legis faciendæ (1). Id est, qui admittit circumcisionem, debet eodem jure admittere omnes cæremonias.

Aliud vocabulum est מלואים מלא et מלואה quod consecrationem, seu initiationem significat, et habetur Exod. XXVIII. et Levit. VIII. ubi agitur de consecratione Sacerdotis. Deducitur autem hæc vox a verbo מלא quod significat implere, et perficere ; quia qui Sacramentum suscipit, perficitur, ut sit idoneus ad sacram functionem peragendam.

Tertia vox est רז et דוא quæ magis in usu est Chaldæis, quam Hebræis. Unde Hebræi nondum invenerunt veram ejus radicem ; sed, ut supra diximus, satis aperte colligitur ex cap. II. Danielis, ea voce significari tum rem ipsam secretam, tum etiam signum rei secretæ.

Porro etymologiam Mysterii explicans Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad Gentes, cujus etiam meminit Eusebius in II. de præparat. Evangelica cap. 3. dicit μυστήριον dici a μύσος, quod scelus, et execrationem significat. Reprehendit Dominicus a Soto hanc etymologiam in IV. dist. I. q. 1. art. 1. quod μῖσος per iota significet scelus, et odium μυστήριον autem scribatur per upsilon. Sed non erat opus, ut homo Latinus cum auctoribus gravissimis, atque Græcis, de Græcæ vocis etymologia contenderet. Nam etsi μῖσος odium, μύσος tamen scelus proprie significat : Porro Clemens a μύσου deduxit μυστήριον, non a μῖσου; licet posteriorem hanc vocem habeant aliqui Latini codices Eusebii, ex errore librariorum. Præterea Clemens non voluit eo loco propriam, ac germanam etymologiam Mysterii explicare, sed de industria posuit quamdam minus propriam, sed valde aptam ad irridenda sacra Gentilium, quod tum agebat. Itaque cum vellet sacra illa ridere, ac detestari, dixit vel appellari μυστήρια ἀπὸ τοῦ μύσους, quod scelesta, et execranda essent, vel dicta esse μυστήρια, quasi μυθήρια, id est, fabulosa.

Alii deducunt μυστήριον a verbo μύω, quod est claudo, et στόμα, quod est os : quasi Mysteria silentio honoranda sint : vel a μύστου, et τηρεῖν, id est abscondere, et servare, quod sint occulte servandæ res sacræ.

Posset etiam non inepte deduci a μυέω μύσω, quod est initio, seu sacris imbuo, unde est μύστης, id est, sacrorum antistes, qui alios initiat.

Sunt autem tres hujus vocis significationes. Prima ac præcipua est, ut Mysterium dicatur ea cæremonia, qua homines sacris initiantur. Quocirca a M. T. lib. II. de legibus dicuntur etiam initia : et S. Ambrosius librum scripsit, de iis, qui Mysteriis initiantur. Et hæc significatio respondet etymologiæ, quam posuimus a verbo μύω, et huic voci in hac significatione respondet vox Hebræa לטואה, id est, consecratio. Quia vero Mysteria Gentilium noctu celebrabantur, et secreta esse oportebat, inde nata est.

Secunda significatio, qua Mysterium dicitur id omne, quod arcanum, et secretum est. Hinc est illud Apostoli, I Corinth. XIII : *Si noverim Mysteria omnia.* Matth. XIII: *Vobis datum est nosse Mysteria regni Dei* (2) : Et respondet verbum Hebræum רז in priore significatione, vel etiam סוד quo frequentius utuntur, id est, secretum.

Tertia significatio ex secunda nata est, qua videlicet Mysterium dicitur omne signum externum rei arcanæ, et latentis : qua significatione omnes figuræ Testamenti veteris dicuntur Mysteria, nec non parabolæ et similitudines quæ habentur vel in Evangelio, vel in Apocalysi, ut testimonia supra allata ostendunt. Et huic respondet vox illa רז in posteriore significatione.

Jam vero Sacramenti etymologia notissima est ; dicitur enim a sacro : sed significationes multæ sunt. Prima est, ut Sacramentum dicatur pignus a litigantibus in loco sacro positum. Ut enim scribit Varro lib. IV. de lingua Latina prope finem, mos erat apud Romanos, ut cum duo litigabant, tum qui affirmabat, tum qui negabat, deponeret quingenta æris in loco sacro apud Pontificem : finita vero lite, qui vicerat, depositum suum reciperet, qui vinceretur, perderet, ejusque depositum ærario cederet in pœnam injustæ litigationis. Illa ergo deposita Sacramenta dicebantur, quod in loco sacro servarentur. Hæc significatio præter cæteras placuit Zwinglio, in lib. de vera et falsa religione cap. de Sacramentis : « Sacramentum, inquit, nihil aliud est quam initiatio, et oppignoratio. Sicut enim qui litigaturi erant, certum pecuniæ pondus deponebant ; sic qui Sacramentis initiantur, sese obstringunt, et oppignerant. »

Secunda acceptio est, ut Sacramentum idem sit, quod juramentum, quod quidem

(1) Matth. XI, 13; Galat. V, 3. — (2) I. Cor. XIII, 2; Matth. XIII, 11.

nisi per rem aliquam sacram fieri non potest, cum Deum ipsum testem citet omnis, qui jurat. Est autem hæc acceptio frequentissima in jure civili, et Canonico, et in auctoribus tum Gentilibus, tum etiam Christianis. Hæc acceptio Calvino placuit lib. IV. Instit. cap. 14. §. 13. Sic tamen, ut Sacramentum non tam sit juramentum, quo se homo obstringit Deo, quam quo se Deus obstringit homini. Unde Nicolas Selnecerus in 2. par Pædagogiæ cap. de Sacramentis, dicit μυστήριον, dici a μύω, quod est claudo, quia Sacramenta quasi Dei sigilla claudant, et obstringant divinas promissiones.

Tertia significatio est, ut Sacramentum idem sit, quod Mysterium; et proinde significet tria illa, quæ Mysterii voce significari diximus; nimirum, rem secretam, et signum rei secretæ, et rem sacrantem, et initiantem.

Quæ omnes acceptiones conveniunt nostris Sacramentis, sed maxime propria est ea, quam ultimo loco nominavimus. Nam illa Prima Varronis et Zwingii non est aliena a nostris Sacramentis. Vere enim per Sacramenta nos obstringimus, et oppigneramus Deo, tamen hæc acceptio nec invenitur in Scripturis, nec est ita propria, ut solis Sacramentis nostris conveniat. Multa enim sunt alia præter Sacramenta, quibus nos oppigneramus Deo, ut omnia vota.

Secunda acceptio Calvini, quadrat etiam in nostra Sacramenta. Nam in Sacramentis, ut nos Deo obstringimus ad obsequium, ita se nobis ille quodammodo obstringit ad protectionem. Sed neque hæc habetur in Scripturis, neque est propria nostrorum Sacramentorum, cum etiam sine Sacramentis per simplicem promissionem se Deus obstringere soleat.

Tertia et quarta acceptio, qua Sacramentum dicitur quæcumque res sacra, arcana, vel signum rei sacræ et secretæ, habentur in Scripturis, ut supra ostendimus, et Sacramentis nostris conveniunt. Nam omnia nostra Sacramenta, et sacra sunt, cum Dei sint; et arcana sunt, cum solis fidelibus nota sint, nec debeant aliis facile prodi, ut docet Dionysius de Eccles. hierar. cap. I. et Cyrillus lib. VII. in Julianum, extremo, et alii Patres passim, et denique rem sacram, et occultam significent, nimirum gratiam. Sed neque hæ acceptiones sunt propriæ nostris Sacramentis, cum plurima sint alia signa sacra, arcana, et quæ res sacras, et arcanas significent, ut omnes fere figuræ Testamenti veteris.

Quinta igitur acceptio, qua Sacramentum significat cæremoniam initiantem, et consecrantem hominem Deo, sive (quod fere est idem) signum rei sacræ, non cujuscumque, sed rei sacræ sacrantis, et initiantis hominem, propriissima est. Nam in primis solis Sacramentis convenit, ut postea fusius ostendemus.

Deinde respondet apertissime etymologiæ Mysterii, et Sacramenti. Nam Mysterium deduximus à μύω, quod est initio; et Sacramentum rectissime deducitur a sacrando. Unde S. Augustinus lib. XV. Civit. cap. 26: « Inde, inquit, Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur » : ubi dicit, initiari Sacramentis novæ legis. Et epist. 23. dicit, Sacramenta novæ legis consecrare homines Deo. Et Tertullianus lib. de præscriptionibus, ostendere volens quemadmodum diabolus Deum imitari studeat: « Tingit, inquit, et ipse quosdam, utique credentes, et fideles suos; expiationem delictorum de lavacro repromittit, et sic etiam initiat Mithra. » Hæc ille; ubi Baptismi Sacramentum initiationem appellat. Et S. Ambrosius librum, in quo de Sacramentis Baptismi et Eucharistiæ tractat, inscribit, Deiis, qui initiantur Mysteriis. Item Magister in IV. dist. I. et cum eo Doctores plurimi dicunt, Sacramentum dici a sacrando. S. Thomas in 1. 2. quæst CII. art. 5: « Sacramenta, inquit, proprie dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. »

Denique Sacramenta veteris legis numquam vocantur in Scriptura Testamenti veteris secreta, vel signa rei sacratæ, id est, סוד vel רז sed semper appellabantur consecrationes, et initiationes, id est, מלאום vel cæremoniæ, id est, חקום.

CONTROVERSIA II.

DE DEFINITIONE SACRAMENTI.

CAPUT IX.

Quid requiratur ad Sacramentum novæ legis constituendum.

Diximus de nomine, nunc de re ipsa dicendum erit. Tres autem erunt partes disputationis de natura Sacramenti. Primo enim exponendum erit, quid requiratur ex communi sententia omnium Catholicorum ad Sacramentum novæ legis constituendum. Deinde disserendum erit de ipsa formali, et artificiosa definitione Sacramenti. Postremo examinandæ, et refellendæ variæ hæreticorum sententiæ, et depravationes circa naturam, et definitionem Sacramenti.

Quod igitur ad primum attinet, Catholici Doctores, etsi dissentiantin rebus quibusdam Philosophicis, et minutis, ut, An Sacramentum sit unum per se; An sit ens rationis etc. tamen in re Theologica mirifice conveniunt; cum hæretici contra inter se mirifice dissentiant; ut mox videbimus.

Igitur quæ ad Sacramentum novæ legis constituendum necessario requiruntur, hæc sunt. Primum ut sit signum, dicitur autem signum, ut S. Augustinus definit lib. II. cap. I. doct. Christ. « Res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire. » Quocirca debet signum esse res aliqua cognoscibilis, debet item ducere in cognitionem alterius. Et quia hoc secundum, ducere videlicet in cognitionem alterius, in signo est potissimum, ut idem Augustinus docet lib. I. cap. I. doct. Christ. ideo oportet signum, quatenus signum est, imperfectius esse re illa, quam significat, et magis illam, quam seipsum repræsentare. Quare non dicitur homo signum suæ imaginis, licet ex cognitione hominis sæpe cognoscantur imagines: sed contra imago dicitur signum hominis. Jam vero quod Sacramentum signum quoddam sit, patet tum ex Scriptura, cum Genes. XVII. circumcisio dicitur signum fœderis, Roman. VI. Baptismus dicitur signum sepulturæ, et resurrectionis, I. Corinth. XI. Eucharistia dicitur signum passionis, et mortis Christi, Ephes. V. Matrimonium dicitur signum conjunctionis Christi, et Ecclesiæ: tum ex Patribus; Nam Dionysius cap. I. Eccles. hierarch. et alii Patres Græci, Sacramenta vocant σύμβολα, id est, signa, et S. Augustinus, nunc vocat signacula, ut de catechizandis rudibus cap. 26. nunc verba visibilia, ut lib. XIX. contra Faustum cap. 16.

Secundum est, ut hoc signum sensibile sit: Sunt enim signa quædam etiam invisibilia, ut character animæ impressus. Sed Sacramenta visibilia, seu sensibilia signa esse debere, certissimum est. Solus ferme est Gulielmus Okam, qui in IV. dist. I. fatetur quidem Sacramenta esse signa sensibilia, sed non putat id esse de essentia, quia posset Deus instituere Sacramentum in re spirituali, ut si statueret, ut oratio mentalis, aut meditatio passionis Christi conferret gratiam ex opere operato. At fallitur Okam, quia illa oratio, vel meditatio haberet quidem effectum Sacramenti, sed Sacramentum non esset. Sacramentum enim intrinsece, et essentialiter est cæremonia religionis; cæremonia autem est actus externus. Unde sancti Patres passim docent, Sacramenta esse vestigia quædam, et manuductiones ad spiritualia, et invisibilia; ut patet ex Dionysio, et Augustino locis notatis, necnon ex Chrysostomo hom. 83. in Matth.

Tertium est, ut hoc signum sit voluntarium, sive datum, non naturale. Quædam enim signa sunt naturalia, quæ non pendent ex nova institutione, sed ex natura sua significant, ut est fumus signum incendii, et odor signum rei odoratæ præsentis, et aurora signum vicini solis: alia signa sunt ex arbitrio instituentis, ut nomina, et verba omnia, vexilla militum, et omnia insignia familiarum. Porro Sacramenta signa esse posteriori generis, docet Augustinus lib. II. Doctrinæ Christianæ, cap. 3. et lib. III. cap. 9. neque ullus contradicit. Res enim ipsa per se clamat.

Quartum est, ut hoc signum habeat cum re, quam significat, analogiam, et similitudinem aliquam. Tria enim inveniuntur signorum genera. Quædam enim tantam habent cum re significata similitudinem; ut sine ulla institutione naturaliter significent; quomodo imago Christi, signum est Christi, et vestigium in arena impressum, signum est pedis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quædam alia nullam habent cum re significata similitudinem, et ideo tota pendent ab institutione : hoc modo verba sunt signa rerum, et sonus campanæ signum senatus habendi.

Quædam denique medio modo se habent. Nam habent quidem aliquam analogiam cum re, sed tam indeterminatam, et confusam, ut magis apta sint ad significandum, quam actu significent, nisi determinentur ab aliquo : quomodo imago hominis non facta ad alicujus particularis hominis similitudinem, neminem in particulari significat, et tamen quemlibet significare potest, si determinetur adscripto nomine alicujus, aut addito vestimento, aut alio signo particularis hominis.

Hujus tertii generis sunt omnia Sacramenta. Nam nec per se significant actu, nisi determinentur, et tamen apta sunt significare, si determinentur. Id patet discurrendo per singula. Nam ablutio externa internæ ablutionis similitudinem gerit ; proinde aptissima est ad eam significandam, si ad id adhibeatur. Idem de Unctione, alimento corporis Dominici, aliisque Sacramentis dici potest.

Solum est Sacramentum Pœnitentiæ, quod cum in solis verbis consistat essentialiter, non videtur habere naturalem analogiam cum re significata ; sed habet tamen. Non enim illa verba, *Ego te absolvo*, Sacramentum sunt, quatenus significant ex humana institutione, id est, quatenus verba sunt ; sed quatenus sunt veluti res quædam a Deo institutæ ad significandam, et efficiendam justificationem a peccatis. Habet autem analogiam exterior absolutio, quæ ore pronuntiatur, cum interna justificatione, quæ a Deo efficitur. Itaque absolutio significata per verba, Sacramentum est, non ut per verba significatur, sed ut significat ipsam absolutionem internam.

Unde S. Augustinus in epist. 23. ad Bonifacium : « Si Sacramenta, inquit, quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. » Et Græci Patres, passim Sacramenta vocant ἀντίτυπα, quod vocabulum significat rem ita similem alteri, ut cum illa quasi certare videatur de forma : ut si depicta imago ita probe, et quasi ad vivum rem exprimat, ut non imago, sed res ipsa videatur. Sic enim accipit hanc vocem Nazianzenus in 2. oratione de Pascha, ubi noctem Paschalem ob infinitam ardentium cereorum multitudinem, quibus illuminabatur, vocat antitypam firmamenti cœlestis, ubi infinita stellarum lumina conspiciuntur. Sic etiam ante Gregorium S. Petrus in epistola priore, cap. III. vocat Baptisma nostrum antitypum respectu arcæ Noe, ubi noster interpres recte vertit, similis formæ. Cum ergo Patres Sacramenta vocant ἀντίτυπα earum rerum, quarum Sacramenta sunt ; nihil aliud sibi volunt, quam habere Sacramenta maximam similitudinem cum his rebus, quarum sunt Sacramenta.

Quintum est, ut hoc signum repræsentet rem aliquam sacram, non profanam. Sunt enim Sacramenta cæremoniæ religionis : unde etiam illa violare, omnium consensu, sacrilegium est. Id quod etiam patet ex nomine : nam Sacramentum a sacro dicitur. Denique S. Augustinus in epist. ad Marcellinum dicit, signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta nominari.

Porro res illa sacra, quam Sacramenta novæ legis significant, triplex est : gratia justificans, quæ ut præsens demonstratur : passio Christi, quæ est causa gratiæ, et ut præterita commemoratur : et vita æterna, quæ est effectus gratiæ, et ut futura præfiguratur. Ita docet S. Thomas 3. par. quæst. LX. art. 3. et omnes alii Doctores. Ac de Baptismo quidem, et Eucharistia res notissima est. Nam Rom. VI. quod Baptismus sit memoria passionis, ostendit Paulus cum ait : *Quicumque Baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* Et infra de gratia justificationis : *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* Et : *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Denique de vita æterna ibidem : *Si complantati sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (1).

Pari ratione de Eucharistia, Luc XXII : *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, in memoriam passionis : nam ut exponit Paulus I. ad Corinth. XI : *Quotiescumque manducamus panem hunc, mortem Domini annuntiamus.* Item de gratia, Joan. VI : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* De gloria : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (2). Unde Ecclesia canit : « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur : Recolitur memoria passionis ejus : Mens impletur gratia : Et futuræ gloriæ nobis pignus datur. »

(1) Rom. VI, 3, 7, 4 et 5. — (2) Luc. XXII, 19; I. Cor. XI, 26; Joan. VI, 58 et 59.

De aliis Sacramentis non est ita notum : tamen certum est, saltem implicite, illa omnia significare quia cum omnia significent gratiam, consequenter etiam significant principium, et finem ejusdem gratiæ.

Est autem hoc loco notandum, id quod præcipue et essentialiter significatur per Sacramentum novæ legis, esse solam gratiam justificantem. Nam ut infra dicemus, Sacramenta novæ legis efficiunt quod significant, at non efficiunt passionem Christi, nec vitam beatam, sed solam justificationem : passionem enim præsupponunt, et vitam beatam promittunt ; justificationem autem proprie adferunt.

Præterea Sacramenta, ut mox dicemus, sunt instituta ad sanctificandum. At quo proprie, et formaliter sanctificeamur, gratia est ; passio Christi, et vita beata extrinseca sunt.

Denique id proprie Sacramenta significant, quod per verba exprimitur : verbis autem Sacramentorum justificatio sola plerumque exprimitur. Id enim significat, Ego te abluo, Ego te confirmo, Ego te absolvo etc. Neque obstat, quod verba Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum*, non videantur sonare sanctificationem, sed ipsum Domini corpus. Nam illud significant, ut cibum animarum, et spiritualem mentis refectionem, quæ per internam gratiam fit.

Atque ex hoc capite multa sacra signa excluduntur a ratione Sacramenti, ut res creatæ omnes, quæ signa sunt potentiæ, et sapientiæ Dei ; nam : *Cœli enarrant gloriam Dei*, Psal. XVIII (1). Item omnes sacræ imagines Christi, et Sanctorum ; sacræ litteræ, signum crucis, et alia id genus, quæ sunt quidem signa sacra, et rerum sacrarum ; sed non significant proprie gratiam sanctificantem animas.

Sextum est, ut hoc signum non solum significet sanctificationem, sed etiam ita significet, ut quæ tunc fiat, dum Sacramentum adhibetur. Omnes enim Theologi conveniunt, quod Sacramenta novæ legis significent sanctificationem, quæ tunc fiat : id enim verba ipsa ostendunt, Ego te absolvo, Ego te abluo, etc. et hinc multa signa sacra sanctificationem significantia excluduntur a ratione Sacramenti. Nam exempli causa, Manna quod pluebat Israelitis, significabat spiritualem refectionem et dulcedinem, quam præbet Eucharistia : tamen Sacramentum non erat, sed figura Sacramenti, qui significabat eam refectionem, ut futuram, non ut quæ tunc daretur. Sic etiam columba, quæ super Christum apparuit in Baptismo, signum erat sanctitatis, et innocentiæ Christi, sed non quæ tum primum inciperet, vel cresceret : jam enim ab incarnatione plenus fuerat gratia.

Septimum est, in quo etiam omnes conveniunt, ut Sacramenta novæ legis, non solum significent sanctificationem, quæ tunc fiat ; sed etiam, quæ fiat vi ipsius Sacramenti, ita ut Sacramentum sit causa instrumentalis sanctificationis ; id quod postea probandum erit contra hæreticos. Hinc autem excluduntur a ratione Sacramenti linguæ illæ ignæ, quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes : significabant enim charitatem ardentissimam, quæ tum Apostolis infundebatur una cum sapientia, et eloquentia plane divina, sed Sacramentum non erant, quia non vi earum linguarum infundebatur illis charitas. Quæstio solum remanet, an dari gratiam ex vi Sacramenti, sit proprium Sacramentis novæ legis, an vero conveniat Sacramentis in genere. Sed de hoc postea agendum erit : nunc satis est convenire omnes Doctores, quod Sacramenta novæ legis id habeant.

Est autem hic notandum, quod cum dicimus de ratione Sacramenti esse ut sanctificationem significet, et efficiat ; id intelligitur non de actu, sed de naturali aptitudine. Potest enim fieri, ut dum infans baptizatur, nemo sit qui cogitet, quid Sacramentum significet ; quocirca nihil tunc actu significabit, tamen ex se aptum erit ad significandum. Potest etiam fieri ut Sacramenti effectus impediatur. Nam cum quis accedit ad Baptismum, vel alia Sacramenta cum animo perseverandi in peccato, is certe non sanctificatur actu : tamen Sacramentum vere significare, imo etiam efficere sanctificationem dici potest, quia ex se id significat, et efficit : per accidens autem est ex indispositione suscipientis, ut non sequatur effectus.

Octavum, ac postremum, quod ad ratio-

(1) Psal. XVIII, 2.

nem Sacramenti pertinet, est, ut sit cæremonia religionis stata, ac solemnis, quæ hominem Deo consecret. Ita docet S. Thomas in 1. 2. quæst. CII. art. 5. et facile probari potest. Nam ut S. August. docet lib. XIX. contra Faustum, cap. 11. lib. IV. de Baptismo contra Donatistas, cap. 22. Sine Sacramentis religio esse non potest, proinde tamdiu durare debent Sacramenta, quamdiu religio durat. Quocirca Exod. XII. et alibi dicuntur Sacramenta ejus temporis ritu perpetuo servanda, id est, numquam finem habitura, nisi in adventu Christi, quando vetus ipsum Testamentum finem habiturum erat. Sic etiam I Cor. XI. de Eucharistiæ Sacramento Paulus dicit : *Quotescumque manducabitis panem hunc, aut calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat* (1). Id est, durabit hic ritus, quo mortem Domini commemoramus, donec mundus ipse finiatur, et Dominus ad judicandus veniat. Non igitur Sacramenta sunt aliqua signa ad breve tempus ostensa, sed solæ cæremoniæ durabiles, solemnes, ac statæ.

Atque hinc intelligimus, cur Sacramentum non fuerit illud Christi verbum ad peccatricem : *Remittuntur tibi peccata tua* (2), Luc. VII. et illa insufflatio in Apostolos Joan. XX. Nam ista Christus semel fecit, non autem inde cæremoniam in Ecclesia frequentandam instituit, et forte non adhibuit illa verba et illam insufflationem, tamquam instrumenta ad sanctificationem, sed solum expressit per nuda signa, quod volebat : forte etiam adhibuit ea, ut instrumenta, ut alias lutum ad illuminandum cæcum, et manus impositionem ad curandos ægrotos : sed (ut dixi) adhibuit tunc, quia ita ei placuit, qui potest qualibet re uti ad quidlibet faciendum, non tamen inde cæremoniam instituit, proinde nec Sacramentum. Hæc sunt igitur, quæ ad rationem Sacramenti novæ legis pertinent.

CAPUT X.

Possitne Sacramentum proprie definiri.

His ita constitutis agendum est de ipsa formali, et artificiosa definitione Sacramenti : ac tria breviter tractanda sunt. Primo ; An Sacramentum proprie definiri possit. Secundo ; Quæ sit propria definitio Sacramenti. Tertio ; An ea conveniat tantum Sacramentis nostris, an omni Sacramento in genere.

Igitur prima quæstio est ; An Sacramentum vere, et proprie definiri, an solum crasso quodam modo describi possit. Ratio difficultatis est, quia Sacramentum vel est aggregatum quoddam per accidens, cum constet ex rebus et verbis ; vel est ens rationis, si consideretur formaliter ; ut signum ex arbitraria institutione significans. Non possunt autem proprie definiri, nisi entia realia, et quæ sunt unum per se.

Tres sunt Doctorum sententiæ. Quidam existimant, Sacramentum proprie definiri non posse ob causas jam dictas. Ita Okam, Major, Richardus in IV. dist. 1. Alii volunt, Sacramentum esse quidem ens rationis, tamen unum per se : proinde definiri posse saltem imperfecte. Ita Scotus dist. 1. quæst. 2. et Sotus dist. 1. quæst. 1. art. 2. Tametsi enim multa sint in Sacramentis, quæ significant, tamen significatio una est ex variis illis rebus consurgens, quemadmodum una est figura domus, licet multa sint quæ ad domum faciendam concurrunt. Alii denique volunt, Sacramentum proprie definiri posse. Ita Martinus Ledesmius in tractatu de Sacramentis in genere, quæst. 1. art. 2.

Ut autem breviter dicam quod sentio, bifariam considerari possunt Sacramenta. Uno modo, Physice, Alio modo, moraliter : quemadmodum etiam homo aliter consideratur a Physico, aliter a Politico.

Et quidem secundum Physicam considerationem, quæ non est propria hujus loci, nec multum ad Theologum pertinet, longe probabilissimam esse arbitror sententiam primam. Primo, quia ad rationem, et essentiam Sacramenti non pertinet sola significatio, sed etiam res ipsa sensibilis, quæ substantiæ quædam est, et cum adjuncta significatione ens per accidens constituit. Nam si in sola significatione constiteret essentia Sacramenti, res ipsa sensibilis nihil esset nisi subjectum Sacramenti. At longe aliud nos docet Ecclesia, cum in Concilio Florentino, et in scriptis omnium Doctorum affirmat, Sacramenta constare ex rebus, et verbis, et illas esse materiam, ista esse formam. Quomodo enim ad essentiam Sacramenti non pertinent ea, quæ materia, et forma Sacramenti dicuntur, et sunt?

(1) I. Cor. XI, 26. — (2) Luc. VII, 48.

Secundo, Sacramentum, ut Sacramentum, non solum significat ; sed etiam sanctificat ; ut Catholici omnes docent, de Sacramentis novæ legis. At significare, et sanctificare, res sunt diversorum prædicamentorum, nimirum Relationis, et Actionis : non ergo unum per se facere possunt.

Adde, quod qui ponunt in Sacramentis realem quamdam, et Physicam qualitatem, necessario coguntur Sacramenta componere ex ente reali, et rationis. Significatio enim Sacramenti, cum ex institutione arbitraria pendeat, non potest non esse ens rationis. Quomodo autem esse potest unum per se id, ad cujus essentiam pertinet ens reale, et ens rationis?

At vero si Sacramentum consideremus moraliter, ut vere a Theologo considerari debet, est ens reale, et suo modo unum, atque eo modo definiri potest. Ut enim apud morales Philosophos definitur regnum, et civitas, et familia, et de his omnibus passiones demonstrantur, licet illa omnia sint entia per aggregationem, si Physice considerentur : ita etiam Theologi definiunt Ecclesiam, Concilium, Sacramentum, et alia id genus, licet Physice ista definiri nequeant.

Porro Sacramentum moraliter ideo est unum, quia est unum medium, sive instrumentum ad justificandos homines. Etsi enim aqua, et verba, agere, et significare, sint res in se diversissimæ, tamen ut faciunt unum instrumentum justificationis, unum sunt : atque hoc unum ex genere, et differentia componi dicitur, ut rursum ex materia et forma, ob similitudinem compositi Metaphysici, et Physici, quam habet. Ut enim in composito Metaphysico sunt duo prædicata, unum universalius, et imperfectius, aliud minus commune, et magis perfectum : sic etiam Sacramentum duo prædicata habet, unum magis commune, et minus perfectum, nimirum, esse signum. Omne enim Sacramentum signum est, sed non omne signum est Sacramentum : alterum minus commune, et magis perfectum, nimirum, sanctificans instrumentaliter, et per modum cæremoniæ ; id enim solis Sacramentis convenit. Proinde signum, est veluti genus ; sanctificans, veluti differentia. Pari ratione ut in composito Physico sunt duæ partes, quarum neutra prædicatur de toto, et una est indeterminata, altera determinans ; illa materia, hæc forma dicitur : sic etiam in Sacramentis sunt res, veluti materia ; et verba, veluti forma ; quia res ipsa, ut causa exempli, aqua, indifferens ex se ad multa significanda, vel etiam efficienda, per verba determinatur ad unum significandum, et efficiendum. Unde est illud Augustini tract. 80. in Joannem : « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. »

Itaque non oportet nimis anxie discutere, an tota ratio, et omnes proprietates generis, et differentiæ, materiæque ac formæ conveniant partibus Sacramenti : quia (ut diximus) non Physice, sed moraliter Sacramenta a Theologo consideranda sunt.

CAPUT XI.

Quæ sit definitio Sacramenti.

Secunda difficultas est : quibus verbis concipi debeat definitio Sacramenti. Sunt enim plures definitiones apud Theologos, quæ breviter proponendæ, et explicandæ sunt. Una est : *Signo rei sacræ*. Altera, paulo explicatior : *Invisibilis gratiæ visibilis forma*.

Hæ definitiones colliguntur ex Augustino, ita scribente lib. X. de civitate Dei cap. 5 : « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii Sacramentum, » id est, sacrum signum est ; et communes sunt apud Catholicos, ut patet ex Hugone lib. I. par. 9. cap. 2. Bernardo in sermone de cœna Domini, S. Thoma III. par. quæst. LX. artic. 1. et 2. et ex Thoma Waldensi tom. II. cap. 20. Atque hæ quidem definitiones si accipiantur, ut verba absolute sonant, imperfectæ sunt. Multo enim plura sunt signa rerum sacrarum, aut invisibilis gratiæ, quam sint Sacramenta : tamen si accipiantur, ut sonant secundum sensum, et intentionem Ecclesiæ, et Doctorum bonæ sunt, et legitimæ. Siquidem per signum, intelligunt signum sensibile, institutum, practicum, rei signatæ similitudinem gerens : per rem sacram intelligunt justificantem. Quamquam (si recte monet Hugo loco notato) qui primus dixit Sacramentum esse rei sacræ signum, non tam rem ipsam accurate definire, quam nominis interpretationem explicare voluisse videtur. Quocirca non recte faciunt, qui pro hac definitione defendenda nimium altercantur : præsertim cum S. Augustinus loco

citato de Sacramento loquatur, tam ampla significatione, ut etiam sacrificium comprehendat.

Tertia definitio est Hugonis loco notato, qui sic definit : « Sacramentum est corporale vel materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, et ex institutione significans, et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem, et spiritualem gratiam. » Ubi duo notanda sunt. Primo, per elementum non debere accipi elementum, quomodo accipitur cum dicimus, quatuor esse mundi elementa, sed rem quamlibet, ut a verbo distinguitur, juxta illud Augustini : « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » Vocat autem Hugo, et quidam alii, elementum, materias omnium Sacramentorum, quia in primo Sacramento, id est, in Baptismo, verum elementum aquæ, materia est, a materia enim primi Sacramenti materias omnium Sacramentorum nominare voluerunt. Vel etiam quia elementum materiam aptissime significat, cum sit corpus imperfectum ; et natura sua ordinatum ad componendum mixtum : unde etiam Aristoteles materiam primam elementum vocavit.

Secundo notandum est, Hugonem, cum ait, Sacramentum ex sanctificatione vim habere conferendi gratiam, non intelligere per sanctificationem, ut perperam intellexit Kemnitius, pag. 91. aliquam benedictionem, vel consecrationem præcedentem, ut est illa, qua benedicitur aqua (nam etiam sine ista benedictione Sacramentum Baptismi conferri potest) sed verbum Dei quod est veluti forma perficiens Sacramentum : illis enim verbis dicitur elementum sanctificari, quia per illam efficitur Sacramentum. Porro hæc definitio, etsi potuisset fortasse paucioribus verbis comprehendi, tamen satis integre complectitur totam naturam Sacramenti.

Quarta definitio est Magistri Sententiarum lib. IV. dist. 1, ubi sic ait : « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ imaginem gerens, et causa existens. » Quæ definitio, quod ad sensum attinet, nil differt a priore. Solum enim in hac definitione desiderari videtur explicatio signi, naturale ne, an ex institutione sit : sed hoc manifeste colligitur ex illa particula, « causa existens. » Nullum enim signum sensibile potest esse causa gratiæ, nec illam infalliBiliter significare, nisi ex Dei institutione, ut notum est.

Quinta definitio est Catechismi Concilii Tridentini : « Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, et justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet. » Quæ definitio pulcherrima est, cum et brevissima sit, et tamen comprehendat omnia illa octo capita, quæ ad naturam Sacramenti pertinere diximus. Nam primo, quod Sacramentum sit signum, patet ex illa particula, *significandæ*. Secundo, quod sensibile, ex illa, *sensibus subjecta*. Tertio, quod voluntarium, ex illa, *ex Dei institutione*. Quarto, quod rei sacræ, ex illa, *sanctitatis et justitiæ*. Quinto et sexto, quod sanctitatis, quæ tunc fiat vi ipsius Sacramenti, ex illa, *vim habet*. Septimo, quod sit cæremonia solemnis, ex eo colligitur, quod dicitur esse res sensibus subjecta, instituta ad sanctificandum. Octavo, quod similitudinem gerat rei significatæ, non habetur expresse in hac definitione, tamen colligi potest ex illa particula, *significandæ*, ex illa, *ex Dei institutione*. Deus enim qui suaviter omnia disponit, numquam instituisset rem unam ad aliam significandam, nisi cum ea analogiam aliquam haberet.

Exstat alia definitio apud Gratianum, I. quæst. 1. Can. Multi sæculorum : « Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium, divina virtus secretius salutem operatur. » Hæc definitio a Gratiano tribuitur Gregorio ; a S. Thoma in IV. dist. I. quæst. 1. tribuitur Augustino. Sed nec hujus, nec illius est, sed Isidori : habetur enim iisdem verbis apud Isidorum lib. VI. etymologiarum, cap. 18. nisi forte Isidorus illam acceperit ex libro aliquo nobis incognito Augustini, aut Gregorii. Sed cujuscumque sit, non est cur multum laboremus, cum satis constet ab Isidoro allatam, ad explicandam nominis significationem, non ad rem ipsam accurate definiendam.

CAPUT XII.

An definitio Sacramenti univoce conveniat Sacramentis legis veteris, et novæ.

Sequitur tertia et postrema quæstio : An definitiones positæ conveniant Sacramento in genere, an Sacramentis tantum novæ legis. Duæ sunt Theologorum sententiæ. Prima est Magistri in lib. IV. dist. 1. et ibidem Alberti, Thomæ, Bonaventuræ, et aliorum, qui docent nullam definitionem convenire univoce Sacramentis novæ, et veteris legis, sed omnes convenire proprie, et perfecte Sacramentis novæ legis ; easdem vero convenire Sacramentis legis veteris analogice, et imperfecte.

Fundamentum hujus sententiæ est, quia existimant auctores citati, de ratione Sacramenti, etiam in genere, non esse solum significare, sed etiam efficere sanctificationem : et rursus censent, Sacramenta veteris legis non efficere veram sanctificationem, sed solum sanctificationem quamdam legalem, quæ est figura veræ sanctificationis, quam sola Sacramenta novæ legis efficiunt. Ex his enim duobus recte concludunt, Sacramentum dici analogice de Sacramentis veteris, et novæ legis, sicut ipsa sanctificatio, ad quam significandam, et faciendam sunt instituta, dicitur analogice de vera sanctificatione animæ, et de sanctificatione typica, et legali.

Altera sententia est sancti Thomæ III. par. quæst. LX. art. 1. et 2. (is enim satis aperte sententiam mutavit) necnon Dominici a Soto, et Martini Ledesmi dist. I. quæst. 1. art. 1. et 2. Qui docent definitionem illam, *sacræ rei signum*, univoce convenire Sacramentis novæ legis, et veteris : proinde esse illam definitionem Sacramenti in genere.

Fundamentum eorum est, quia existimant ad rationem Sacramenti in genere non requiri, ut sit causa sanctificationis, sed solum ut eam significet. Porro addunt, Sacramenta legis veteris fuisse verissima signa verissimæ sanctificationis, quia nimirum significabant gratiam justificantem nobis dandam per Christum. Atque ex his recte concludunt, Sacramenta legis veteris univoce convenire cum nostris in genere, licet in specie distinguantur ; quia nostra efficiunt sanctificationem, vetera non efficiebant. Utraque sententia partim placet, partim etiam displicet : pono igitur sequentes propositiones.

Prima propositio : « Ad rationem Sacramenti in genere non satis est, ut significet, sed requiritur etiam, ut efficiat sanctitatem, seu sanctificationem : imo magis proprium est Sacramenti sanctificare, quam significare. » Hæc est pro prima sententia. Probatur primo, quia (ut supra diximus) in Testamento veteri Sacramenta raro dicuntur significare ; frequentissime autem dicuntur consecrare, et sanctificare, seu initiare, ut patet Exod. XXVIII. et Levit. VIII. In Testamento etiam novo Baptismus dicitur lavacrum regenerationis, ad Tit. III. Et certe regenerare magis efficere, quam significare est.

Secundo, ab etymologia : Nam omnia nomina similia Sacramento, actionem significant, non signum : ut patet de nomine vestimenti, calceamenti, impedimenti, ornamenti, firmamenti, fundamenti, et cæteris ejusdem formæ ; Sacramentum igitur a sacrando dicitur, non a significando.

Tertio, quia tota ratio, cur posterior sententia velit, Sacramentum in genere nihil esse, nisi signum ; est illa definitio : « Sacramentum est signum sacræ rei : » ubi non tribuitur Sacramento efficere rem sacram, sed solum significare. At jam nos ostendimus istam definitionem non esse perfectam, cum ipse Augustinus, qui ejus est auctor, eam condemnet, quandoquidem vult eam convenire etiam sacrificio.

Secunda propositio : « Sacramenta veteris legis non ideo Sacramenta sunt, quia significant gratiam justificantem, sed quia significant et efficiunt sanctitatem legalem. » Hæc est etiam pro prima sententia contra secundam. Et probatur primo ex præcedente conclusione. Si enim ad Sacramentum in genere magis requiritur sanctificare, quam significare, profecto Sacramenta vetera, si ullo modo Sacramenta erant, non solum significabant, sed etiam efficiebant.

Secundo, quia significare gratiam aliis dandam, non est Sacramenti, ut Sacramentum est, sed ut figura, et typus rei futuræ. Nam Sacramentum, ut Sacramentum, dicit ordinem ad eum, qui Sacramento initiatur, non ad alios : ut recte docet S. Thomas 1. 2. quæst. CI. art. 4. et quæst. CII. art. 5. figura autem dicit ordinem ad futura. Et confirmatur : quia significare gratiam dan-

dam aliis, non erat proprium Sacramentis veteribus, sed etiam sacrificiis, aliisque observantiis Hebræorum, ut S. Augustinus demonstrat, lib. XIX. contra Faustum, cap. 8, 9, 10 et 11. Nec solum illa, sed etiam serpens æneus significabat curationem a peccatis, quam Christus allaturus erat, Joan. III, Manna dulcedinem Eucharistiæ, et transitus maris rubri, salutem per Baptismum, I. Cor. X. et tamen nec serpens ille, nec manna, nec arca Sacramenta erant Testamenti veteris, aut novi.

Tertia propositio : « Sacramentum est genus univocum ad Sacramenta legis veteris, et novæ ; proinde Sacramenta vetera erant simpliciter, et absolute Sacramenta. » Hæc est pro secunda opinione contra primam. Probatur primo, Sacramentum in genere nihil aliud requirit, nisi cæremoniam significantem, et efficientem alicujus consecrationis, seu sanctificationis : non autem requirit, ut illa sanctificatio sit per gratiam mundantem animam a peccatis, ista enim specialis sanctificatio constituit speciem quamdam Sacramenti, non ipsum genus absolute. Sacramenta autem veteris legis vere significabant, et efficiebant quamdam consecrationem. Nam per Circumcisionem initiabantur Judæi, et consecrabantur Deo, ut essent populus ejus peculiaris ; per Unctionem sacerdotalem vere consecrabantur Deo filii Aaron, ut fungerentur sacerdotio, atque idem de aliis eorum Sacramentis dici potest ; de quibus vide S. Thomam, 1. 2. quæst. CII. art. 5. Erant igitur illa vere, et proprie Sacramenta.

Secundo. Nulla esse potest religio sine Sacramentis. ut S. Augustinus docet, lib. XIX. contra Faustum, cap. 11. Sed in Testamento veteri erat vera Ecclesia, vera religio, verum sacrificium, cur igitur non etiam vera Sacramenta ?

Neque obstat, quod omnia contingebant Judæis in figura, I. Cor. X. ac proinde sacrificia, Sacramenta, ritus omnes, typi quidam erant nostri sacrificii, nostrorum Sacramentorum, ac rituum ; unde videtur colligi, non fuisse illa sacrificia, et Sacramenta, nisi per analogiam ad nostra. Hoc, inquam, non obstat ; siquidem Sacramenta Judaica erant quidem figura Sacramentorum nostrorum, sed non solum figuræ, verum etiam res per se. Itaque Circumcisio non solum erat figura Baptismi, sed etiam erat per se cæremonia instituta ad initiandos homines illius temporis, et adjungendos populo Dei ; quare erat imperfectius Sacramentum, quam sit Baptismus, tamen absolute, et proprie Sacramentum erat. Nam etiam bos est animal imperfectius, quam sit homo, et tamen bos absolute, et proprie animal est : sic etiam ordinatio Aaronica non solum figura erat ordinationis nostræ, sed etiam per se cæremonia consecrans homines ad sacrificia offerenda. Et ipsa quoque sacrificia non solum figura erant sacrificii nostri, sed etiam per se sacrificia, instituta ad cultum Deo exhibendum, ut summo rerum omnium principio, et fini. Denique ipse etiam populus Judaicus figura erat populi Christiani, I. Cor. X. et tamen quis ambigere potest, an non fuerit etiam per se verus quidam populus ?

Itaque non debent conferri res Judaicæ cum nostris, ut imago picta cum homine vivo, ubi nihil est imago, nisi res alterius : sed ut filii parvuli conferuntur cum viris perfectis, ut facit Apostolus, Gal. IV. Est enim Filius imago Patris, et tamen etiam per se homo : et ut comparantur certamina, atque exercitationes pueriles cum certaminibus, et exercitationibus virorum. Sunt enim certamina puerilia imagines quædam majorum certaminum ; tamen habent etiam suam oblectationem, et utilitatem illi tempori congruentem.

Quarta propositio : « Illa definitio (Sacræ rei signum) convenit univoce Sacramentis omnibus tum veteribus, tum novis. » Hæc est pro secunda opinione contra primam. Notandum est autem tribus modis posse exponi definitionem illam. Primo, ut per signum intelligatur signum practicum ; per rem sacram, gratia justificans. Et hoc modo non convenit definitio propria, nisi Sacramentis novæ legis ; veteribus autem solum secundum quid, et analogice : quia videlicet illa erant signa practica munditiæ legalis, quæ non est gratia justificans, nisi typice, ut imago hominis dicitur homo. Sed ista expositio non est ad mentem S. Augustini, ut supra diximus.

Secundo potest sic exponi, ut per signum, intelligatur signum practicum, per rem sacram, consecratio in genere, non descendendo ad justificationem internam, vel legalem : et hoc modo definitio convenit univoce omnibus Sacramentis. Sed neque hæc expositio est ad mentem S. Augustini ; enim non loquitur ipse de signo practico, ut S. Thomas recte advertit.

Tertio potest sic exponi, ut per signum, intelligamus nudum signum, per rem sacram, gratiam justificantem : et hoc modo convenit univoce definitio illa omnibus Sacramentis ; et hoc dicimus in Conclusione, secuti B. Thomam. Cæterum ista definitio ut supra monuimus, non est perfecta, cum conveniat etiam sacrificio, eodem teste Augustino loco citato.

Porro definitiones cæteræ, id est, Hugonis, Magistri, et Catechismi Romani, non conveniunt nisi Sacramentis novæ legis ; tamen facile possent accommodari ad Sacramentum in genere, si loco, *invisibilis gratiæ*, seu *justitiæ*, poneretur, *consecrationis cujusdam*, hoc modo ; Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione consecrationis cujusdam, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.

CAPUT XIII.

Solventur argumenta Kemnitii.

Ex his autem, quæ diximus, facile responderi potest ad calumnias Kemnitii. Is enim in 2. par. Examin. cap. de numero Sacramentorum, reprehendit omnes definitiones, quas attulimus, excepta illa Catechismi Tridentini, cujus nullam facit mentionem ; et præterea addit definitiones duas, unam Scoti, alteram Gulielmi Okam, quas etiam reprehendit.

Primum igitur, pag. 38. arguit definitionem Isidori : « Quomodo, inquit, juxta hanc definitionem Matrimonium erit Sacramentum ? » Respondeo, aptissime convenire hanc definitionem Matrimonio : nam sub tegumento visibilium rerum, id est, conjunctionis sponsi, et sponsæ significatur gratia invisibilis, per quam Deus cum anima jungitur ; eamque justificat, sive justitiam infundat, sive infusam augeat. Neque his repugnat, quod Apostolus dicit, Matrimonium signum esse conjunctionis Christi cum Ecclesia : siquidem idem Sacramentum plurium rerum signum esse potest.

Secundo, arguit definitiones Hugonis, quod non recte Sacramentum dicatur, elementum corporale, quandoquidem Sacramentum Eucharistiæ secundum Catholicos non sit substantia aliqua, sed sola accidentia panis, et vini. Respondeo. Nec ipsa substantia panis, et vini est elementum proprie dictum, id est, corpus simplex, sed mixtum. Sed, ut supra ostendimus, elementum vocavit Hugo rem quamlibet sensibilem, quæ adhibetur ad Sacramenta perficienda.

Tertio, arguit definitionem Magistri Sententiarum, quod non recte habeat, Sacramentum esse formam visibilem. Nam in Matrimonio Catholici volunt materiam esse verba exprimentia consensum : verba autem nec visibilia sunt, nec elementum dici possunt, juxta Hugonem ; si elementum distinguitur contra verbum, juxta illud : « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. »

Respondeo. Non desunt Catholici multi, qui materiam in Sacramento Matrimonii esse volunt ipsas personas contrahentes, verba autem solum esse formam : proinde materiam visibilem, et quæ elementum dici possit, assignant. Vide Petrum Paludanum in IV. dist. 1. quæst. 4. Quod si etiam sola verba essent in Sacramento Matrimonii, adhuc nihil efficeret Kemnitii argumentum. Nam verba quoque elementa dici possunt, quatenus materia locum habent : id enim elementum dicimus, cum de Sacramentis agimus, quod est ex se indeterminatum, et per certa verba, quasi per formam determinatur. Nec minus asserimus verba, visibilia dici posse, cum visibile ad omnia sensibilia, et sensus ipse videndi usitate ad omnem sensum transferatur. Ut enim docet Augustinus lib. X. Confess. cap. 35. recte dicimus : Vide quomodo luceat, quomodo oleat, quomodo sapiat, quam sit durum, quam bene sonet : non tamen contra dicimus : Audi quomodo luceat, gusta quomodo splendeat, olfac quam niteat, palpa quam fulgeat.

Quarto, arguit easdem duas definitiones, quod non recte habeant, Sacramentum esse signum invisibilis gratiæ, si per gratiam intelligatur gratia gratum faciens. Nam etiamsi Richardus disputet, in Matrimonio, et Ordinatione, ut in aliis Sacramentis, dari ejusmodi gratiam : « Reliqui tamen, inquit Kemnitius, agnoscunt hoc subsistere non posse. » Sed hoc est impudens mendacium, ut supra diximus cap. 2.

Quinto, arguit definitionem Scoti, et Okam : Sed immerito, cum nihil falsi illæ contineant ; et solum verbis, non autem sen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tentia discrepent a definitione communi.

Sexto, oppugnat omnes definitiones simul : « Si enim, inquit, Sacramentum est signum significans effectum Dei gratuitum efficaciter ; quomodo non erunt Sacramenta, benedictio Monachorum, aqua benedicta, rosa benedicta, ensis benedictus, Agnus Dei, benedictio herbarum, campanarum, imaginum, inunctio regalis, consecratio templi, cœmeterii, altaris etc. Illa enim fiunt certis consecrationibus, et finguntur habere spirituales effectus. » Sed hæc omnia facile refelluntur ex duplici capite. Primo, quia nec benedictio Monachorum, nec alia enumerata significant, aut efficiunt gratiam justificantem, sed alios quosdam effectus, ut deletionem venialium, et protectionem contra Dæmonem, quos effectus præcipue habet aqua benedicta. Secundo, quia hos ipsos effectus non habent infallibiliter ; non enim ex divina institutione, sed ex Ecclesiæ precibus vim habent.

CAPUT XIV.

Refellitur definitio Lutheranorum.

Accedamus nunc ad excutiendas, et refellendas adversariorum definitiones : sunt enim in hac re valde discordes ; quod est manifestum signum eos recessisse a veritate, quæ est una. Certe Kemnitius, qui alioqui conatur tegere, vel conciliare discordias suorum, in 2. part. Examinis, cap. de efficacia Sacramentorum, pagina 96. enumerat quinque diversas sententias Lutheranorum præter suam, quæ est sexta.

Prima igitur sententia Lutheri est in lib. de captivit. Babylon. cap. ult. ubi dicit, proprie Sacramentum esse promissionem signo externo annexam. Eam recipiunt communiter Lutherani, sed paulo magis explicant. Sic enim definit Apologia Confessionis Augustanæ artic. 13. « Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, et cui est addita promissio gratiæ. » Similia habet Petrus Martyr, quamvis alioqui Calvinista in cap. IV. ad Roman. in cap. X. et XI. 1. ad Corinth. et in explicatione Symboli Italica, art. 9. et 10. Sed Martinus Kemnitius accuratissime conatur explicare omnia, quæ ad naturam Sacramenti pertinent.

Et quia tum in Apologia, tum in locis Philippus præfatur, se nominis interpretationem dare, et sæpe variat verba suæ definitionis ; utilius erit ea proponere, et excutere, quæ ad naturam Sacramenti requiri Kemnitius docet. Primo ergo, vult Sacramentum esse debere externum materiale, seu corporale, et visibile elementum, seu signum, quod certo externo ritu tractetur.

Secundo requirit, ut illud signum habeat expressum mandatum, seu institutionem divinam.

Tertio, ut illud mandatum sit in Testamento novo : quod idem docet Philippus in locis cap. de Sacramentis, ubi dicit, Sacramentum esse cæremoniam in Evangelio institutam.

Quarto requirit, ut Sacramentum non sit cæremonia temporaria, sed duratura usque ad mundi consummationem.

Quinto requiri dicit, promissionem de gratia, effectu, seu fructu Sacramenti.

Sexto dicit, eam promissionem debere esse annexam signo, et eo quasi vestitam, divina ordinatione.

Septimo addit, eam promissionem esse debere non de quocumque dono Dei, sed de reconciliatione peccatoris, et peccati remissione ; quam etiam partem urgent valde Lutherus in captivit. Babylon. et Philippus in locis cap. de numero Sacramentorum.

Octavo requirit, ut promissio, quæ alioqui generalis est, per Sacramentum applicetur, et obsignetur in particulari singulis, qui cum fide utuntur Sacramentis. Hanc particulam clarius explicant Lutherus et Philippus, et ipse etiam Kemnitius infra capite de efficacia Sacramenti : volunt enim Sacramenta esse testimonia infallibilia gratiæ Dei, ad hoc instituta, ut excitent et nutriant fidem, ad eum modum, quo miracula facere solent. Unde Philippus in locis anni 22. comparat Sacramenta miraculis, quibus Deus olim fidem confirmabat : et in Apologia artic. 13. dicit, Sacramentum esse testimonium infallibile, ac si Deus novo miraculo de cœlo promitteret, se velle ignoscere. Et Lutherus in lib. contra Cochlæum : « Vult, inquit, Petrus per Baptismum, ceu signum externum, fidem provocari, et exerceri, quæ salvet ; » et in lib. de captiv. Babylon. cap. de Baptismo, confert Sacramenta cum vellere Gedeonis, cum Iride, quam Noe in signum accepit, et cum signo quod Isaias obtulit Regi Achaz, Isaiæ VII. In ips

etiam Confessione Augustana, articul. 13 : « Sacramenta, inquiunt, sunt instituta, ut sint signa, et testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam, et confirmandam fidem, in his qui utuntur, proposita. » Et Kemnitius loco citato pag. 102. dicit, verbum et Sacramentum monstrare, ubi fides debeat quærere, et invenire Christum Mediatorem, et pag. 101. et 105. dicit, Sacramenta esse sigilla promissionis. Hæc igitur est ipsorum sententia.

Excogitavit hanc definitionem Kemnitius, ut ostenderet solum Baptismum, et Eucharistiam esse Sacramenta proprie dicta : sed nondum obtinuit quod voluit. Nam facile demonstrare possumus, ne his quidem duobus Sacramentis eam definitionem convenire, et absolute malam esse.

Prima igitur particula vel accipit elementum visibile, et tractabile pro qualibet re sensibili, ut accipiunt Catholici, et tum etiam Absolutio sacerdotalis erit Sacramentum proprie dictum. Est enim Absolutio res sensibilis, cum auribus percipiatur : vel accipit (ut revera accipit) elementum visibile, et tractabile pro re, quæ sensu videndi, et tangendi percipiatur ; et tum fingit sibi definitionem sine ullo testimonio Scripturæ. Scriptura enim nusquam habet Sacramentum non esse, nisi rem visibilem, et palpabilem.

Neque alio modo probat Kemnitius hanc particulam nisi ex eo, quod Baptismus, et Eucharistia, quæ sunt vera Sacramenta, signa sunt visibilia, et tractabilia. Quæ argumentatio aut assumit quod probandum est, et quod ex ipsa definitione postea idem Kemnitius probare conatur, nimirum Baptismum, et Eucharistiam sola esse Sacramenta : aut si hoc non assumit, nihil probat. Ut enim non sequitur : Homo et avis sunt bipedia, igitur omne animal est bipes : ita non sequitur, Baptismus, et Eucharistia sunt signa visibilia, et tractabilia, igitur omne Sacramentum est signum visibile, et tractabile. Satis est igitur ad Sacramenti naturam, quatenus signum est sensibile, ut aliquo sensu percipiatur ; nec debet excludi sensus audiendi, cum excellentissima omnium signorum sint ea, quæ hoc sensu percipiuntur, ut S. Augustinus docet lib. II. doct. Christ. cap. 3.

Secunda particula, quæ requirit expressum mandatum, seu institutionem divinam, aut requirit, ut hoc mandatum sit expressum in Scripturis, aut satis est, si constet Deum hoc mandatum dedisse, licet in sacris litteris non habeatur ita expresse. Si hoc secundum sufficiat, admittimus particulam, sed tunc probabimus omnia septem Sacramenta. Licet enim nusquam scriptum sit, Deum mandasse, vel instituisse Sacramentum Confirmationis, tamen quia legimus, Actor. VIII. per manus impositionem Apostolorum datum fuisse baptizatis Spiritum sanctum, idque ordinarie, certo colligimus, a Deo id fuisse institutum : nec enim potest ulla creata potestas efficere, ut per impositionem manus, hominibus detur Spiritus sanctus. Quod idem probare possemus de aliis Sacramentis, accedente præsertim antiqua traditione, et Ecclesiæ declaratione.

Sin autem vult Kemnitius (ut revera se velle significat) requiri mandatum Dei expressum in divinis litteris ; falsa est ea particula. Nam per accidens est ad mandatum, sive institutionem divinam, quod sit scripta, vel non scripta : nam alioqui non fuissent vera Sacramenta, Baptismus et Eucharistia, quam Christus, et Apostoli dabant antequam scriberentur Evangelia. Siquidem certum est non fuisse scriptum Evangelium, quando Christus baptizabat, Joannis III. et quando Eucharistiam discipulis dedit, Matth. XXVI. nec etiam quando S. Petrus jussit baptizari tria millia hominum, Actor. II. quo etiam tempore cœpit frequentari Sacramentum Eucharistiæ, ut ibidem indicat S. Lucas.

Tertia particula, ut hæc institutio sit in Testamento novo, vera quidem est absolute, tamen destruit sententiam adversariorum. Ipsi enim communi consensu contra communem consensum Ecclesiæ Catholicæ, docent, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim, et efficaciam cum Baptismo Christi ; ac proinde Christum non tam instituisse Baptismi Sacramentum, quam illud jam a Joanne institutum approbasse. Ita Calvinus docet lib. IV Instit. cap. 14. §. 7. Kemnitius in II. part. Examinis cap. de Baptismo Joannis, Philippus in locis, cap. de Baptismo Joannis et Apostolorum.

At certe, si res ita se habet, non est Baptismi Sacramentum in novo Testamento institutum : novi enim Testamenti auctor, et princeps Christus est, ut Apostolus ait ad Hebræos IX propter quod et Isai. XI dicitur Pater futuri sæculi. Si igitur Baptismus, quo utimur, a Joanne cœpit, qui ante Christum venit, et ejus præcursor, et prænuntius fuit,

tentia discrepent a definitione communi.

Sexto, oppugnat omnes definitiones simul : « Si enim, inquit, Sacramentum est signum significans effectum Dei gratuitum efficaciter ; quomodo non erunt Sacramenta, benedictio Monachorum, aqua benedicta, rosa benedicta, ensis benedictus, Agnus Dei, benedictio herbarum, campanarum, imaginum, inunctio regalis, consecratio templi, cœmeterii, altaris etc. Illa enim fiunt certis consecrationibus, et finguntur habere spirituales effectus. » Sed hæc omnia facile refelluntur ex duplici capite. Primo, quia nec benedictio Monachorum, nec alia enumerata significant, aut efficiunt gratiam justificantem, sed alios quosdam effectus, ut deletionem venialium, et protectionem contra Dæmonem, quos effectus præcipue habet aqua benedicta. Secundo, quia hos ipsos effectus non habent infallibiliter ; non enim ex divina institutione, sed ex Ecclesiæ precibus vim habent.

CAPUT XIV.

Refellitur definitio Lutheranorum.

Accedamus nunc ad excutiendas, et refellendas adversariorum definitiones : sunt enim in hac re valde discordes ; quod est manifestum signum eos recessisse a veritate, quæ est una. Certe Kemnitius, qui alioqui conatur tegere, vel conciliare discordias suorum, in 2. part. Examinis, cap. de efficacia Sacramentorum, pagina 96. enumerat quinque diversas sententias Lutheranorum præter suam, quæ est sexta.

Prima igitur sententia Lutheri est in lib. de captivit. Babylon. cap. ult. ubi dicit, proprie Sacramentum esse promissionem signo externo annexam. Eam recipiunt communiter Lutherani, sed paulo magis explicant. Sic enim definit Apologia Confessionis Augustanæ artic. 13. « Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, et cui est addita promissio gratiæ. » Similia habet Petrus Martyr, quamvis alioqui Calvinista in cap. IV. ad Roman. in cap. X. et XI. 1. ad Corinth. et in explicatione Symboli Italica, art. 9. et 10. Sed Martinus Kemnitius accuratissime conatur explicare omnia, quæ ad naturam Sacramenti pertinent.

Et quia tum in Apologia, tum in locis Philippus præfatur, se nominis interpretationem dare, et sæpe variat verba suæ definitionis ; utilius erit ea proponere, et excutere, quæ ad naturam Sacramenti requiri Kemnitius docet. Primo ergo, vult Sacramentum esse debere externum materiale, seu corporale, et visibile elementum, seu signum, quod certo externo ritu tractetur.

Secundo requirit, ut illud signum habeat expressum mandatum, seu institutionem divinam.

Tertio, ut illud mandatum sit in Testamento novo : quod idem docet Philippus in locis cap. de Sacramentis, ubi dicit, Sacramentum esse cæremoniam in Evangelio institutam.

Quarto requirit, ut Sacramentum non sit cæremonia temporaria, sed duratura usque ad mundi consummationem.

Quinto requiri dicit, promissionem de gratia, effectu, seu fructu Sacramenti.

Sexto dicit, eam promissionem debere esse annexam signo, et eo quasi vestitam, divina ordinatione.

Septimo addit, eam promissionem esse debere non de quocumque dono Dei, sed de reconciliatione peccatoris, et peccati remissione ; quam etiam partem urgent valde Lutherus in captivit. Babylon. et Philippus in locis cap. de numero Sacramentorum.

Octavo requirit, ut promissio, quæ alioqui generalis est, per Sacramentum applicetur, et obsignetur in particulari singulis, qui cum fide utuntur Sacramentis. Hanc particulam clarius explicant Lutherus et Philippus, et ipse etiam Kemnitius infra capite de efficacia Sacramenti : volunt enim Sacramenta esse testimonia infallibilia gratiæ Dei, ad hoc instituta, ut excitent et nutriant fidem, ad eum modum, quo miracula facere solent. Unde Philippus in locis anni 22. comparat Sacramenta miraculis, quibus Deus olim fidem confirmabat : et in Apologia artic. 13. dicit, Sacramentum esse testimonium infallibile, ac si Deus novo miraculo de cœlo promitteret, se velle ignoscere. Et Lutherus in lib. contra Cochlæum : « Vult, inquit, Petrus per Baptismum, ceu signum externum, fidem provocari, et exerceri, quæ salvet ; » et in lib. de captiv. Babylon. cap. de Baptismo, confert Sacramenta cum vellere Gedeonis, cum Iride, quam Noe in signum accepit, et cum signo quod Isaias obtulit Regi Achaz, Isaiæ VII. In ips

etiam Confessione Augustana, articul. 13 : « Sacramenta, inquiunt, sunt instituta, ut sint signa, et testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam, et confirmandam fidem, in his qui utuntur, proposita. » Et Kemnitius loco citato pag. 102. dicit, verbum et Sacramentum monstrare, ubi fides debeat quærere, et invenire Christum Mediatorem, et pag. 101. et 105. dicit, Sacramenta esse sigilla promissionis. Hæc igitur est ipsorum sententia.

Excogitavit hanc definitionem Kemnitius, ut ostenderet solum Baptismum, et Eucharistiam esse Sacramenta proprie dicta : sed nondum obtinuit quod voluit. Nam facile demonstrare possumus, ne his quidem duobus Sacramentis eam definitionem convenire, et absolute malam esse.

Prima igitur particula vel accipit elementum visibile, et tractabile pro qualibet re sensibili, ut accipiunt Catholici, et tum etiam Absolutio sacerdotalis erit Sacramentum proprie dictum. Est enim Absolutio res sensibilis, cum auribus percipiatur : vel accipit (ut revera accipit) elementum visibile, et tractabile pro re, quæ sensu videndi, et tangendi percipiatur ; et tum fingit sibi definitionem sine ullo testimonio Scripturæ. Scriptura enim nusquam habet Sacramentum non esse, nisi rem visibilem, et palpabilem.

Neque alio modo probat Kemnitius hanc particulam nisi ex eo, quod Baptismus, et Eucharistia, quæ sunt vera Sacramenta, signa sunt visibilia, et tractabilia. Quæ argumentatio aut assumit quod probandum est, et quod ex ipsa definitione postea idem Kemnitius probare conatur, nimirum Baptismum, et Eucharistiam sola esse Sacramenta : aut si hoc non assumit, nihil probat. Ut enim non sequitur : Homo et avis sunt bipedia, igitur omne animal est bipes : ita non sequitur, Baptismus, et Eucharistia sunt signa visibilia, et tractabilia, igitur omne Sacramentum est signum visibile, et tractabile. Satis est igitur ad Sacramenti naturam, quatenus signum est sensibile, ut aliquo sensu percipiatur ; nec debet excludi sensus audiendi, cum excellentissima omnium signorum sint ea, quæ hoc sensu percipiuntur, ut S. Augustinus docet lib. II. doct. Christ. cap. 3.

Secunda particula, quæ requirit expressum mandatum, seu institutionem divinam, aut requirit, ut hoc mandatum sit expressum in Scripturis, aut satis est, si constet Deum hoc mandatum dedisse, licet in sacris litteris non habeatur ita expresse. Si hoc secundum sufficiat, admittimus particulam, sed tunc probabimus omnia septem Sacramenta. Licet enim nusquam scriptum sit, Deum mandasse, vel instituisse Sacramentum Confirmationis, tamen quia legimus, Actor. VIII. per manus impositionem Apostolorum datum fuisse baptizatis Spiritum sanctum, idque ordinarie, certo colligimus, a Deo id fuisse institutum : nec enim potest ulla creata potestas efficere, ut per impositionem manus, hominibus detur Spiritus sanctus. Quod idem probare possemus de aliis Sacramentis, accedente præsertim antiqua traditione, et Ecclesiæ declaratione.

Sin autem vult Kemnitius (ut revera se velle significat) requiri mandatum Dei expressum in divinis litteris ; falsa est ea particula. Nam per accidens est ad mandatum, sive institutionem divinam, quod sit scripta, vel non scripta : nam alioqui non fuissent vera Sacramenta, Baptismus et Eucharistia, quam Christus, et Apostoli dabant antequam scriberentur Evangelia. Siquidem certum est non fuisse scriptum Evangelium, quando Christus baptizabat, Joannis III. et quando Eucharistiam discipulis dedit, Matth. XXVI. nec etiam quando S. Petrus jussit baptizari tria millia hominum, Actor. II. quo etiam tempore cœpit frequentari Sacramentum Eucharistiæ, ut ibidem indicat S. Lucas.

Tertia particula, ut hæc institutio sit in Testamento novo, vera quidem est absolute, tamen destruit sententiam adversariorum. Ipsi enim communi consensu contra communem consensum Ecclesiæ Catholicæ, docent, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim, et efficaciam cum Baptismo Christi ; ac proinde Christum non tam instituisse Baptismi Sacramentum, quam illud jam a Joanne institutum approbasse. Ita Calvinus docet lib. IV Instit. cap. 14. §. 7. Kemnitius in II. part. Examinis cap. de Baptismo Joannis, Philippus in locis, cap. de Baptismo Joannis et Apostolorum.

At certe, si res ita se habet, non est Baptismi Sacramentum in novo Testamento institutum : novi enim Testamenti auctor, et princeps Christus est, ut Apostolus ait ad Hebræos IX propter quod et Isai. XI dicitur Pater futuri sæculi. Si igitur Baptismus, quo utimur, a Joanne cœpit, qui ante Christum venit, et ejus præcursor, et prænuntius fuit,

sequitur ut hoc Sacramentum non sit in novo Testamento, sed in veteri institutum.

Quarta particula, quod Sacramentum debeat esse cæremonia perpetua, id est, duratura quamdiu religio ipsa durat, mihi non displicet : nam etiam nos supra idem docuimus. Videat tamen Kemnitius quid Luthero respondeat, qui in lib. de captiv. Babylon. cap. de Baptismo, numerat inter Sacramenta rorem cadentem in vellus Gedeonis, et umbram retrocedentem in horologio Achaz.

Quinta particula, quod ad Sacramentum necessario requiratur promissio gratiæ : duobus modis intelligi potest. Uno modo de promissione gratiæ, quæ sit effectus Sacramenti, ita ut idem sit promissio gratiæ in Sacramentis, et institutio Sacramenti, ut signi efficacis, seu instrumenti justificationis. Alio modo de promissione gratiæ præcedente, quæ Sacramento tamquam sigillo obsignetur. Sicut enim aliud est promittere, sigillum aliquod fore efficax ad imprimendum; aliud promittere centum aureos, et syngraphiam sigillo obsignare : ita aliud est promittere gratiam verbis, et deinde hanc promissionem signo externo confirmare ; aliud vero promittere Sacramentum fore instrumentum efficax ad justificandum.

Porro Kemnitius confundit hæc duo. Nam in hac particula quinta dicit, requiri promissionem de gratia, seu fructu Sacramenti, ubi videtur loqui de promissione efficaciæ Sacramenti; tamen infra, ubi cum cæteris Lutheranis dicit, Sacramentum esse sigillum promissionis, loquitur de promissione præcedente, de qua sine dubio loquuntur omnes Lutherani.

Et quidem promissio de efficacia Sacramenti invenitur in Verbo Dei secundum Catholicos, quantum ad omnia Sacramenta ; non autem secundum adversarios. Catholici enim agnoscunt pro Verbo Dei, etiam traditiones; adversarii autem, qui solas Scripturas recipiunt, non facile ostendent promissionem de gratia, et fructu Sacramenti, in omnibus Sacramentis. Exemplo nobis sit Eucharistia, quæ apud adversarios etiam est Sacramentum proprie dictum. Nam habentur quidem multæ, et insignes promissiones, Joan. VI. ut illa : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (1). Sed adversarii non admittunt in hoc VI. cap. Joan. agi de Eucharistia. Sic enim loquitur Lutherus lib. de captiv. Babylon. cap. de Eucharistia : « Primum, inquit, cap. VI Joan. in totum est seponendum, ut quod nec syllaba quidem, de Sacramento loquitur. » Quod idem docent Calvinus, et alii hæretici hujus temporis in commentario ejus loci. Eo capite seposito, nullam invenient promissionem. Nam Matth. XXVI, Marc. XIV. institutio Sacramenti, non habetur et Luc. XXII, ubi habetur, nulla promissio : solum enim hæc verba habentur : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et : *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (2). Ubi promissio de traditione corporis, et effusione sanguinis non refertur ad Sacramentum, sed ad sacrificium, quod tunc Deo offerebatur in cœna, et postea offerendum erat in cruce. Non enim Dominus dicit, corpus suum dari Apostolis in remissionem peccatorum : sed dari pro illis, nimirum Deo, in remissionem peccatorum ; et similiter non dicit sanguinem propinari Apostolis, sed effundi pro illis in remissionem peccatorum.

Promissio autem præcedens quæ a Sacramento tamquam sigillo obsignetur, non est necessaria, nec in omnibus Sacramentis invenitur ; proinde falsa est ex hac parte definitio adversariorum. Nam in Baptismo, qui Sacramentum est, omnium consensu, non facile invenietur ejusmodi promissio.

Lutherus in visitatione Saxonica, et Philippus in locis cap. de Baptismo, adferunt illam promissionem Marc. ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (3). Sed ista non est promissio præcedens, sed est explicatio efficaciæ Sacramenti. Et præterea ista verba post resurrectionem a Domino dicta sunt : Baptismi autem Sacramentum etiam ante passionem Christi institutum est, et in mores induci cœptum, ut patet Joan. III. et IV.

Dicent fortasse, haberi aliam promissionem Jo. III. illis verbis : *Nisi quis renatus, fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (4). Sed hæc non tam promissio, quam comminatio est, ex qua colligitur quidem necessitas, et virtus Baptismi; sed non promissio aliqua præcedens, quæ Baptismo obsignetur. Adde quod etiam ante ista verba fuit Baptismus Joannis,

(1) Joan. VI, 59. — (2) Matth. XXVI, 26 et seq.; Marc. XIV, 22 et seq.; Luc. XXII, 19 et 20. (3) Marc. XVI, 16. — (4) Joan. III, 3.

quem adversarii volunt vim habuisse nostri Baptismi.

Eucharistiæ quidem invenitur promissio quædam (ut Lutherus notat in Saxonica visitatione) præcedens signum. Nam Luc. XXII. et XI. Corinth. I. habemus Eucharistiam esse signum corporis Domini pro nobis traditi, et sanguinis pro nobis effusi. Sed eo loco non habemus, Eucharistiam esse signum testificativum, et confirmativum promissionis, quale ipsi requirunt, ut patet ex ultima particula ; sed signum commemorativum tantum. Sic enim Dominus ait : *Hoc facite in meam commemorationem* (1).

Sexta particula, quod promissio debeat esse annexa signo divina ordinatione, falsa est. Nam verbum, quod divina ordinatione annectitur, et quasi vestitur signo, ut inde fiat Sacramentum, numquam est promissorium, sed assertorium, vel deprecatorium. Cum enim aqua aspergitur in Baptismo, non dicitur : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, » quam adversarii promissionem appellant; sed dicitur : « Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » Matth. XXVIII. quæ verba non sunt promissoria. Et Dominus, cum primo Eucharistiam fecit, et dedit, non ait : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, aut aliquid ejusmodi, sed ait : *Accipite, et comedite, hoc est corpus meum.* In Sacramento autem Confirmationis, et Extremæ unctionis, utimur verbo deprecatorio, quia sic docent nos Acta Apostolorum cap. VIII. et Jacobus cap. V. in Sacramento Ordinis, imperatorio : *Accipe potestatem*, in reliquis, assertorio.

Quod si adversarii, antequam Sacramenta ministrent, verbum prædicant, et remissionem peccatorum annuntiant, ac deinde sigillum adhibent Sacramentorum, ut Calvinus præscribit in libello de formula Sacramentorum ministrandorum; id faciunt ex capite suo, non autem (ut Kemnitius requirit) ex divina ordinatione. Nusquam enim exstat divina Ordinatio, qua jubeamur non dare Eucharistiam, aut Baptismum, nisi post concionem. Nam nec Dominus, Matth. XXVI. nec Paulus I. Corint. XI. ubi tradunt ritum Eucharistiæ administrandæ, docent, concionem præcedere debere : et certe in Baptismo infantium, frustra adhiberetur concio.

Septima particula, quod illa promissio debeat esse de remissione peccatorum, falsa etiam est : et quidem Kemnitius hanc particulam addidit, ut excludat ordinationem a numero Sacramentorum proprie dictorum. Nam quia in Scripturis invenitur signum externum, quo confertur Ordinatio, nimirum impositio manus, et etiam collatio gratiæ, cum Apostolus dicat I. Timoth. IV : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* (2), non putavit Kemnitius posse excludi Ordinationem a Sacramentis proprie dictis, nisi adderet, eam gratiam debere esse remissionem peccatorum. At si vera esset ista particula, excluderet etiam Eucharistiam a Sacramentis proprie dictis : siquidem Eucharistia non est instituta proprie ad remittenda peccata, sed ad charitatem nutriendam, et arguendam. Ideo enim datur sub specie panis, et vini, quæ nutriunt vivos, non excitant mortuos, et B. Paulus I. Corinth. XI. jubet, ut homines probent se, nimirum an sint absque peccato, antequam ad eam mensam accedant : *Qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat* (3).

Octava particula, quod Sacramentum obsignet instar sigilli, et confirmet instar miraculi promissionem gratiæ, ad excitandam et alendam fidem justificantem, æque falsa est, et diligenter refutanda, tum quod sit præcipua, tum etiam, quod eam ponat Calvinus quoque in sua definitione.

Primo, si Sacramenta confirmarent promissiones Dei instar miraculi, vel sigilli, essent notiora, et efficaciora ad fidem persuadendam, quam sint ipsa Dei verba : hoc autem falsum est, igitur et illa particula falsa est. Probatur propositio, tum quia frustra adhiberetur unum ad confirmandum aliud, nisi esset eo notius, et firmius : tum etiam, quia hæc est vis sigilli et miraculi. Semper enim sigillum Regium notius est et firmius, quam litteræ Regis : sigillum enim omnes norunt discernere, litteras non omnes discernunt; et sigillum sine litteris auctoritatem habet, litteræ sine sigillo non habent. Sic etiam miraculum notius est, et efficacius, quam prædicatio. Omnes enim qui vident cæcum illuminari, aut mortuum excitari intelligunt illud esse opus supernaturale, et divinum, et proinde noventur ad credendum id, quod tali testimonio confirmatur : non autem omnes, qui audiunt prædicantem,

(1) Luc. XXII, 19. — (2) I. Tim. IV, 14. — (3) I. Cor. IX, 29.

continuo intelligunt, illa esse verba Dei.

Ubi notandum est, miraculis, quæ fiunt ad confirmandam fidem, non confirmari divinam auctoritatem, quasi magis credendum sit miraculo, quam Deo dicenti; omnes enim sciunt, Deum non posse mentiri, et nihil esse majus divina auctoritate; sed confirmari auctoritatem proponentis fidem. Magis enim movemur ad credendum vere esse a Deo revelata, quæ prædicator proponit, si miracula videamus, quam si sola proponentis auctoritate nitamur. Unde Marc. ult. legimus: *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (1). Ubi vides, Deum confirmare signis non suam ipsius auctoritatem, sed prædicatorum sermonem.

Probatur jam assumptio argumenti, quod videlicet falsum sit Sacramenta esse notiora, et efficaciora ipso Dei verbo. Nam primo nihil fingi potest majus, et efficacius Dei verbo. Secundo experientia docet, facilius intelligi, si quid verbo dicatur, quam si nutu significetur. Quid autem sunt Sacramenta, si cum verbis comparentur, nisi nutus quidam? Pari ratione experientia docet, magis persuadere verba, quam muta signa, modo non sint miracula. Unde Lutherus ipse fatetur, multo efficaciora esse promissionis verba, quam Sacramenta, quæ sunt mutæ conciones: « Verbum ipsum (inquit in lib. contra Joannem Cochlæum) quod longe prævalet signo visibili, nullum per sese justificat, nisi credentem. »

Respondet Calvinus lib. IV. Instit. cap. 14, § 3. Sacramenta non confirmare promissiones ex parte Dei, sed ex parte nostra: quia licet ut a Deo sunt, certissimæ sint, tamen ut a nobis recipiuntur, ob nostræ fidei imbecillitatem, non ita certo accipiuntur, nisi confirmentur testimonio Sacramentorum.

Sed hoc facile rejicitur. Nam quod promissiones Dei ex parte nostra egeant confirmatione, vel fit, quia nescimus, quæ sint Dei promissiones, idque ex Sacramentis discimus, aut quia cum sciamus et illas promissiones Dei, et hæc Sacramenta esse; tamen magis credimus Sacramentis, quam promissionibus. Atque hoc posterius jam refutatum est. Non enim solam credimus, sed etiam scimus evidentissima ratione, Deum non posse mentiri, proinde nihil esse certius promissionibus Dei: neque id adversarii negare possunt. Illud autem prius, æque facile refutari potest: siquidem falsum est, promissiones Dei disci ex Sacramentis, cum contra potius Sacramenta ex verbo Dei discantur. Jam vero, si sigillum Regium esset ignotum, et solum posset cognosci ex litteris, quibus est appensum; esset plane superfluum. Nam vel credunt homines litteras illas esse Regis, seclusa sigillo, vel non; si credunt, quid facit sigillum? si non credunt certe, neque credunt sigillum esse Regium: nihil igitur confert. Pari ratione, cum Sacramenta non sciantur esse Dei sigilla, nisi quia Scriptura hoc dicit, si creditur verbo sine Sacramentis, quorsum Sacramenta? si non creditur, certe nec Sacramenta creduntur esse Sacramenta: proinde nihil operantur.

Ad hoc argumentum respondet Calvinus lib. IV. Institut. cap. 14 § 3, in diplomatibus quoque nihil valere sigillum sine litteris, ut patet si appendatur chartæ, in qua nihil sit scriptum; et tamen cum appenditur diplomati scripto, multum valere ad illud confirmandum. Et addit nihil esse mirandum, si promissiones Sacramentis confirmentur, cum etiam interdum una promissio per aliam confirmetur.

Sed hæc responsio non diluit argumentum. Nam ut incipiam a posteriore exemplo promissio promissionem confirmat, quia una non pendet ab alia. Confirmavit Angelus, Lucæ I. promissionem conceptus Virginei, ex promissione conceptus, qui jam præcesserat in fœmina anu, et sterili. Non enim pendent invicem duo ista opera mirabilia: proinde unum, quod jam præcesserat, magnam vim habuit ad confirmandum alterum, quod nondum venerat. At Sacramenta, ut diximus, simpliciter pendent ex verbo. Quod vero attinet ad similitudinem sigilli, et diplomatis, nihil omnino est, quod Calvinus dicit. Nam sigillum appensum chartæ non scriptæ, nihil quidem confirmat, tamen non ideo pendet a litteris, aut nihil est. Imo hinc intelligimus, quam inepte adversarii Sacramenta sigilla appellent, cum omnino contrariam habeant proprietatem. Nam diplomatum sigilla habent suam auctoritatem sine literis diplomatis, litteræ autem non habent sine sigillo: contra vero in verbo, et Sacramentis, verbum Dei, etiam sine Sacramentis infallibilem habet auctoritatem; Sacramenta

(1) Marc. XVI, 20.

sine verbo nullam habent. Quare verbum potius appellandum esset sigillum Sacramenti, quam Sacramentum, sigillum verbi.

Dicunt fortasse: Esto, Sacramenta non confirment promissiones, more miraculi, vel sigilli: tamen juvant, et confirmant saltem eo modo, quo actio externa juvat, et confirmat orationem docentis. Negari enim non potest, quin aliquid conferat ad explicandum et persuadendum ipsa actio, et motus manuum et oculorum, licet primas partes teneat oratio. Erunt igitur Sacramenta, quasi actio quædam Dei, quæ simul cum verbo, magis movebit ad fidem, quam solum verbum.

Respondeo, ne id quidem concedi posse. Nam actio in hominibus ideo juvat orationem quia oratio humana imperfecta est, ut sunt omnes res creatæ, et etiam quia actio non habet vim suam a verbo, sed a se. Quocirca magis credebant Ethnici oraculis Apollinis, quæ falsa putabant esse non posse, quamvis solis verbis ederentur, quam orationi, et actioni cujuslibet oratoris. Cum ergo verba Dei sint per se summæ auctoritatis, et Sacramenta omnem vim suam habeant a verbis, nihil addere possunt ipsi verbo.

Verum est tamen, quod Catholici dicunt, Deum voluisse dare gratiam suam per signa sensibilia, ut per ea instrueret homines, et deduceret ad intelligenda spiritualia. Aliud enim est docere spiritualia per similitudines rerum corporalium, aliud confirmare rem firmissimam per aliam minus firmam.

Secundum argumentum. Essentia, et natura Sacramentorum non potest aliunde melius colligi, quam ex verbis illius, qui ea instituit. Sed in Scripturis sanctis, quæ sunt verba Dei auctoris Sacramentorum, nusquam dicuntur Sacramenta testimonia promissionum, sed ubique describuntur, ut instrumenta justificationis. Nam Joan. III. dicimur nasci denuo per Baptismum, et similiter ad Ephes. V. dicit Apostolus, Ecclesiam sanctificatam, et mundum lavacro aquæ in verbo vitæ, et ad Tit. III. vocat Apostolus Baptismum, lavacrum regenerationis, et renovationis. Sic etiam de Eucharistia Jo. VI. dicitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (1), atque idem de aliis probare possemus. Non possunt autem nisi absurdissime istæ sententiæ, ita exponi, ut Sacramenta regenerare, mundare, dare vitam æternam, divinarum nihil aliud sit, quam testimonium dare promissionum. Quis enim ferret eum, qui ita diceret: Baptismus regenerat, id est, dat testimonium divinæ voluntatis? vel, ego te baptizo, id est, ego testificor? Estque hoc argumentum contra Lutheranos efficacissimum: siquidem Lutherus, quem cæteri in hac re libenter sequuntur, in lib. contra Cochlæum, sic ait: « In rebus sacris vehementissimus, et robustissimus locus est, arguere ab auctoritate negative. » Vel igitur proferant locum, ubi Sacramenta dicantur testimonia promissionum, aut certe fateantur vehementissimum, et robustissimum, argumentum nos habere.

Tria tantum loca proferre solent, quæ speciem aliquam videantur habere. Unus est Genes. XVII. ubi Circumcisio dicitur signum fœderis. Alter Rom. IV. ubi Circumcisio dicitur signaculum justitiæ fidei. Tertius, II. Petr. III. ubi Petrus dicit, salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, sive (ut ipsi reddunt) stipulatio, vel pactum cum Deo.

Sed in his locis non nominatur promissio, vel testimonium, neque hæc loca ad rem faciunt, ut infra ostendemus in solutione argumentorum.

Tertium argumentum. Si solum essent Sacramenta testimonia promissionis, et gratiæ, vel supervacanea, vel certe parum necessaria essent. Nam habemus alia testimonia longe efficaciora siquidem bona opera sunt testimonia adeptæ justitiæ longe meliora, quam ablutio aquæ, vel sumptio Eucharistiæ. Nam multi impii baptizantur ficto corde, et Eucharistiam sumunt, qui proinde pejores sunt, et magis invisi Deo, quam antea II. Corinth. I: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, II. Pet. I: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem facialis*, I. Joan. III: *Qui facit justitiam, justus est, et qui natus est ex Deo, non peccat* (2).

Quartum argumentum. Si sacramenta solum essent testimonia promissionum, ad excitandam fidem instituta, frustra baptizarentur infantes et amentes, quos certum est, non modo non credere, sed nec posse credere actu. At Lutherani omnes pugnant pro Baptismo parvulorum contra Anabaptistas: non igitur vere tradunt iidem Lutherani, quid sit Sa-

(1) Joan. VI, 52. — (2) II. Cor. I. 12; II. Petr. I, 10; I. Joan. III, 7 et 9.

cramentum. Hoc argumentum cogit Lutherum in lib. contra Cochlæum,, et Lutheranos cæteros asserere, infantes actu credere dum baptizantur; quod tamen adeo est absurdum, ut S. Augustinus in epist. 57. ad Dardanum scripserit, eos injuriam facere humanis sensibus, qui hoc dicunt. Videmus enim infantes ad contactum aquæ plorare, refugere, ac reniti, quantum possunt: quod certe si facerent usum rationis habentes, non modo non purgarentur ab originali peccato, sed adderent etiam proprium actuale.

Quintum argumentam. Si Sacramenta essent testimonia gratiæ, quæ in particulari confertur alicui, sæpenumero falsa essent, nimirum cum Sacramentum ministratur homini, qui fingit se credere, cum revera non credat. Proinde non liceret ullum baptizare, ne cogeremus Deum testificari falsum: de nullo enim certo scimus credat ne vere an fingat se credere.

Dicent fortasse, Sacramentum testimonium esse gratiæ non absolute, sed si is, qui suscipit Sacramentum, credat promissioni.

Sed contra, probo testimonium esse absolutum, non conditionatum. Primo, Lutherus in assert. 1. art. dicit, eum qui non credit verbo ministri dicentis: Ego te baptizo, vel, Ego te absolvo, facere Deum mendacem cujus illa verba sunt. At si illa verba intelligerentur cum conditione, si alter credat: non essent falsa, nec fieret Deus mendax.

Secundo, si essent illa verba conditionata, rueret fides justificans Lutheranorum. Nam ipsi volunt hominem debere credere absolute sine ulla hæsitatione, se esse justum: ergo Deus absolute testatur illum esse justum; non enim debet homo credere, nisi quod Deus testatur. Et præterea fides debet esse secreta, ergo non debet pendere a conditione, si homo credat. Nam nemo certus est secundum Lutherum, de se an vere credat: sic enim scribitLutherus in lib. contra rebaptizantes edito anno 1528: « Baptismus non est fundandus supra fidem baptizantis, vel baptizati, quia uterque incertus est de fide. » Et infra: « Ita evenit, et solet fieri de fide, ut qui arbitratur se credere, nihil omnino credere sæpe convincatur, et e contra, qui nihil se putat credere, is omnium maxime credat. »

Tertio. Adversarii ita de hac re loquuntur, ut omnino absolutum esse testimonium Dei in Sacramentis credere videantur. Sic enim loquitur Philippus in locis cap. de Baptismo: « Ego, inquit minister, mandato divino, et loco Christi baptizo te, id est, hoc signo testificor ablui peccata tua, et te reconciliatum esse vero Deo, etc. » ubi nullam facit mentionem conditionis. Atque hæc de definitione Lutheranorum.

CAPUT XV.

Refelluntur definitiones Anabaptistarum, et Zwingliznorum.

Altera sententia de natura Sacramenti est quorumdam, quos Lutherus, et Calvinus passim fanaticos vocant. Hi docent Sacramenta nihil esse aliud, quam signa quædam instituta ad discernendum populum Christianum a Judæis et paganis, quomodo Romanis olim toga erat signum, quo discernebantur a Græcis, et quo modo nunc diversæ formæ, et colores vestium distinguunt diversa genera Monachorum. Auctorem hujus sententiæ Andream Carolstadium facit Lutherus in serm. de verbis cœnæ: *Hoc est corpus meum*. Qui Andreas fuerat olim ex primis Lutheri discipulis, et amicis: quare in secundo scripto contra Regem Angliæ vocat eum suum Absalone m, ut Judas Christo præceptori, ita Carolstadius sibi rebellis, et infidelis fuerit.

Ab hac sententia non abhorruit initio Philippus Melanchthon, ut patet ex locis anno 22 editis, ubi hanc sententiam probabilem putat cap. de signis, in fine: « Probabilis, inquit, et illi voluntatis, qui symbolis, seu tesseris militaribus hæc signa comparaverunt, quod essent notæ tantum, quibus cognoscerentur, ad quos pertinerent promissiones divinæ. » Tametsi postea eam oppugnaverit in Apologia Confess. art. 13. et in locis ultimo editis.

Ubi notandum est duas primas sententias, quas Kemnitius enumerat; Una videlicet, quod Sacramenta sint signa, quibus distinguuntur Christiani a non Christianis; Altera, quod sint symbola quædam Christianæ societatis; rectius a Philippo locis notatis, unam sententiam fieri. Nam illi duo tantum agnoscunt Sacramenta, Baptismum et Cœnam. Et Baptismum quidem symbolum faciunt, quo discernamur a non Christianis; cœnam autem symbolum Christianæ inter nos societatis.

Hæc sententia partim est vera, partim etiam falsa. Etsi enim Sacramenta illum usum habeant, quod distinguunt religionem veram a quibusdam falsis, tamen non est hic solus, vel præcipuus Sacramentorum nostrorum usus. Nam primo in Scripturis nusquam legimus, Baptismum, Eucharistiam, aut alia Sacramenta instituta esse, ut distinguant populum Christianum ab aliis populis: legimus autem frequenter in eum finem esse instituta, ut justificent homines, Marci ultimo: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*. Non dixit, discernetur ab aliis, sed salvus erit. Actor. II: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti*. Et Actor. XXII: *Baptizare, et ablue peccata tua invocato nomine ipsius* (1). Adde loca supra citata, quæ idem docent, Sacramenta videlicet instituta ad justificandum.

Secundo alia signa sunt meliora ad distinguendum populum Dei ab aliis populis, ut confessio fidei, quæ solis convenit veris Catholicis; cum Baptismus communis sit cum hæreticis; ut etiam charitas mutua, quæ in solis Catholicis est, cum Sacramenta omnia sint communia cum schismaticis. Quare Dominus Jo. XIII. non ait: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis* (2), si Baptismum habueritis, aut Eucharistiam, sed si dilectionem habueritis ad invicem.

Tertio, Sacramenta omnia vim habent ex Christi passione, in cujus rei signum ex latere Domini perfosso manavit sanguis et aqua, Joan. XIX. Aqua enim Baptismum significavit, ut Ambrosius lib. X. in Luc. cap. 105. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in cap. XIX. Joan. Leo epistol. 4. cap. 6. Damascenus lib. IV. cap. 10. Hieronym. epist. 83. ad Oceanum, et August. docent, tract. 120. in Joan. qui etiam tractat. 15. hoc idem probat ex illis verbis Pauli ad Ephes. V. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* (3), et lib. XV. Civ. cap. 26. idem probat aliis testimoniis. At certe si solum distinguere debebant, quomodo togæ distinguunt, non erat opus Christi passione, sed satis erat humanum beneplacitum.

Denique illa sententia longissime abest a sensu, et verbis omnium Patrum: quorum nomine unum Augustinum audiamus quæst. 84. in Levit.: « Sine sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt? » et lib. XIX. contra Faustum cap. 11: « Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit; Impie quippe contemnitur, sine quo non potest pertici pietas. »

Tertia definitio est Anabaptistarum qui docent, Sacramenta nihil esse aliud, quam allegorias, et quasi signa quædam bonorum operum, et vitæ ac morum spiritualium. Volunt enim baptizari homines, ut significent debere Christianos sustinere adversa, et ipsam mortem pro Christo. Referunt hunc errorem Philippus in locis anni 36. et 41. cap. de Sacramentis, Joannes Brentius ham. 23. in cap. III. Lucæ, et Kemnitius in II. part. Examinis pag. 96.

Sed nullo negotio hæc sententia refelli potest. Nam etiamsi hanc utilitatem cum aliis habent Sacramenta, ut admoneant homines bonorum operum, et virtutum (nam certe negari non potest, quin mersio in Baptismo, et emersio, admoneat mortis, qua mori debemus peccato, et resurrectionis, qua resurgere debemus ad novam vitam, cujus rei meminit etiam Apostolus Rom. VI. et Eucharistia admonet pacis, et amicitiæ, quæ inter nos esse debet: *Sumus enim unum corpus, qui de uno pane participamus* (4), I. Corinth. X.) tamen non est iste solus, nec præcipuus Sacramentorum usus: proinde nec in eo posita est essentia, et natura Sacramenti.

Et probatur hoc iisdem argumentis, quibus adversus Carolstadium usi sumus. Primo, quia Scriptura dicit, Sacramenta instituta ad justificandum, I. Corinth. VI: *Ablúti estis, sanctificati estis*. Ephes. V: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* (5). Secundo, si solum deberent esse allegoriæ, non erat opus, ut manarent ex latere Christi: sufficiebat enim humanum beneplacitum. Tertio, quia non deerant aliæ utiliores, et efficaciores admonitiones ad bene vivendum, ut exhortationes, et exempla Christi, et Sanctorum.

(1) Marc. XVI, 16; Act. II, 38; XXII, 16. — (2) Joan. XIII, 35. — (3) Eph. V, 25 et 26. — (4) I. Cor. X, 16. — (5) I. Cor. VI, 11; Eph. V, 25.

Adde quarto, quod si ea sententia vera esset, Sacramenta non essent signa nisi futurarum rerum. At sunt etiam signa rerum præteritarum, et præsentium; nam Eucharistia repræsentat Christi mortem, 1. Cor. XI. et Baptismus significat internam ablutionem, quæ tunc perficitur, cum exterius baptizamur, juxta illud Actor. XXII : *Baptizare, et ablue peccata tua.*

Quarta definitio est aliorum, qui volunt, Sacramenta esse signa gratiæ, non quæ tunc percipiatur, sed quæ jam antea percepta fuerit. Hanc sine nomine auctoris referunt, et refellunt Zwinglius in lib. de vera, et falsa religione, cap. de Sacramentis, et Kemnitius loc. cit. in Examine pag. 96. Et facile refutari potest : quia Scriptura disertis verbis docet, Sacramenta in præsenti gratiam adferre, Actor. XXII : *Ablue peccata tua.*

Quinta definitio est Zwinglii, et sectatorum ejus, excepto tamen Petro Martyre, ut supra diximus. Zwinglius igitur in lib. de vera, et falsa religione, cap. de Sacramentis, postquam refutavit sententiam Catholicorum, et Lutheranorum, aperit mentem suam, ac docet, Sacramenta nihil esse aliud, nisi initiationem quamdam, et oppignerationem, qua videlicet homines se obligant Christo, et ejus militiæ nomen dant. Ex quo deducit, Sacramenta non esse testimonia justitiæ, propriæ ei, qui Sacramenta suscipit, ut Lutherani dicebant; sed esse testimonia publica toti Ecclesiæ de obligatione, et fidelitate, quam ille debet Christo, cui se consecravit. Eamdem sententiam sequitur Martinus Bucerus in Comment. III. cap. Matth. et in præfat. secundæ editionis eorumdem commentariorum, ubi addit : « Quod si ii, qui baptizantur, sunt prædestinati, tum Sacramentum non solum est signum, quod illi dent nomen Christo, et recipiantur in externa Ecclesia, sed etiam adfert quamdam consolationem; si vero non sunt prædestinati, tum Sacramentum est nudum signum, quod illi recipiantur in externa Ecclesia, non autem a Deo. » Unde etiam deducit, infantibus non prædestinatis, nihil prodesse Baptismum, sed perire eos, licet sint baptizati.

Hæc sententia similis est superioribus, nam adfert quidem aliquid veri (neque enim negari potest, quin per Sacramenta initiemur, et nomen Christo demus, et publice testemur, nos esse membra Ecclesiæ) sed in eo errat, quod non agnoscit alium finem sublimiorem institutionis Sacramentorum : et proinde non recte explicat naturam Sacramenti. Et probatur hoc primo ex sententia Zwinglii, Christus nihil agit, sed solum homo testatur se fore fidelem. At Joan. I. dicitur : *Hic est qui baptizat*, et ad Ephes. V : *Mundans eam etc.*

Secundo, quia Zwinglius requirit, ut homines antequam Sacramenta recipiant, sint justificati, et conjuncti Christo interius, et solum per Sacramenta exterius testentur, et profiteantur se velle Christo militare, et Ecclesiæ externæ adjungi. At Scripturæ testantur Sacramenta esse instituta ad sanctificandum, et mundandum hominem interius. Id enim significat Apostolus, cum ait, Ephes. V : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ad quem locum respiciens S. Augustinus tractat. 80. in Joan. scripsit : « Unde hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat? » Item Joan. III. et ad Tit. III. dicitur Baptismus lavacrum regenerationis, et renovationis. Ex quibus locis habemus, per Baptismum hominem renasci, quod ad interiorem hominem pertinet, et non solum exterius testari se esse fidelem. Huc etiam pertinent Scripturæ citatæ contra alios errores, Act. II. et XXII. I. Cor. VI.

Tertio probatur hoc idem. Nam Apostolus Roman. VI. apertissime dicit, Baptismum significare mortem, et resurrectionem Christi; et I. Corinth. XI. dicit Eucharistiam institutam in memoriam passionis Domini : Non igitur Sacramenta significant solum hominem initiari Deo, vel conjungi cum Ecclesia.

CAPUT XVI.

Refellitur definitio Calvini.

Postrema definitio, ac sententia est Joannis Calvini, qui lib. IV. Instit. cap. 14. §. 1. his verbis dicit, simplicem, et propriam contineri definitionem Sacramenti : « Sacramentum, externum est symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem : et nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo et Angelis, quam apud homines testamur. »

Est autem observandum, Calvini sententiam compositam videri ex Lutheri, et Zwinglii sententiis. Nam quod ait, symbolum obsignare promissiones ad sustinendam fidei imbecillitatem, ex Luthero sumptum est; quod addit in fine, eodem symbolo nos testari apud homines pietatem nostram erga Deum, et Zwinglio est acceptum : tamen reipsa plurimum dissentit Calvinus ab utroque. Nam etiam cum Zwinglio agnoscit, Sacramento nos testari hominibus pietatem nostram, tamen negat hunc esse solum, vel primarium usum Sacramenti, et acerrime pugnat, cap 14. a §. 5. usque ad 14. pro sententia Lutheri, et solvit omnia argumenta, quæ Zwinglius, et Bucerus faciunt contra Lutherum, tametsi neminem eorum nominat. Pari ratione, licet cum Luthero affirmet Sacramenta esse testimonia gratiæ, et remissionis peccatorum : tamen id longe aliter intelligit, quam Lutherus. Hic enim semper loquitur de gratia, quæ tunc datur homini, cum Sacramenta percipit : At Calvinus loquitur de gratia prædestinationis, ac proinde vult Sacramenta esse testimonia prædestinationis, ad eam fidem alendam instituta, qua homo certo credit se esse prædestinatum; ex quo sequitur id, quod Bucerus dicebat, Sacramenta non esse vera signa, nec prodesse nisi prædestinatis.

Fundamentum autem hujus rei est, quod existimet Calvinus (ut ipse fuse tractat. lib. III Institut. cap. 2.) veram fidem semel habitam, numquam posse amitti : hinc enim sequitur veram fidem, sine qua Sacramenta nihil prosunt, esse propriam prædestinatorum, nec eam ullo modo haberi posse a non prædestinatis. Unde in Antidoto Concilii ses. VI. cap. 3. dicit, Baptismum dari infantibus, quia censentur jam membra Ecclesiæ, cum sint a Deo adoptati in filios, nimirum per gratiam prædestinationis : et ibidem sess. VII. canon. 7. de Baptismo, dicit, Sacramentum reddere nos certos de perpetua adoptionis gratia : et clarissime in lib. de consensione inter Tigurinos, et Genevenses in re Sacramentaria, sic ait Calvinus : « Sedulo docemus, Deum non promiscue vim suam exercere in omnibus, qui Sacramenta recipiunt; sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios ad fidem illuminat quam quos præordinavit ad vitam : ita arcana spiritus sui virtute efficit, ut percipiant electi, quæ offerunt Sacramenta. »

His explicatis refellenda est hæc definitio: tota enim est vitiosa, ut perspicuum erit, si percurramus singula verba. Primum verbum est : « Symbolum exernum. » Quod quidem verum est absolute, non tamen in eo sensu, quo accipitur a Calvino. Ille enim intelligit esse nudum symbolum, id est, symbolum quod solum significet, non autem operetur aliquid : Nam in tota definitione non ponit alios effectus hujus symboli, nisi obsignare Dei promissiones, et testificari pietatem nostram. Neque obstat, quod Calvinus dicat in Antidoto Concilii Trid. sess. VII, can. 5. Sacramenta esse instrumenta justificationis; nam intelligit esse instrumenta, quia excitant, vel aiunt fidem; idque non per aliquam efficientiam, sed mere objective. Id quod explicat clarissime Theodorus Beza in lib. de summa rei Sacramentariæ quæst. II. cum sic ait : « Unde efficacia illa Sacramentorum? a Spiritus sancti operatione in solidum, non autem a signis, nisi quatenus externis illis objectis interiores sensus moventur. » Hæc ille. Qua ratione certe signa etiam, quæ in foribus publicorum hospitiorum pendent, instrumenta dici possunt cœnationis, quia movent hominem, ut cogitet in ea domo paratam esse mensam etc.

At Scripturæ passim docent, Sacramenta esse res quasdam operantes, nimirum quæ mundent, lavent, sanctificent, justificent, regenerent : Joan. III, I. Corinth. VI, Ephes. V, ad Tit. III, Actor. XXII, imo nusquam Scripturæ dicunt, Sacramenta esse testimonia promissionum Dei, et nostræ pietatis, aut certe non tam expresse hoc dicunt, ut id quod nos asserimus, nimirum quod sint causæ justificationis.

Alterum verbum est, « benevolentiæ erga nos suæ. » Quod verbum duplici nomine non recte ponitur in definitione Sacramenti. Primo : Quia ex hoc verbo sequitur, semper Sacramentum esse signum rei præteritæ, seu potius æternæ. Id quod ipse non potest negare, cum per benevolentiam intelligat gratiam prædestinationis : et præterea id aperte concedit in Antidoto sess. VI, cap. 3 : « Non a Baptismo, inquit, initium habet eorum salus, sed quæ jam in verbo fundata erat, Baptismo obsignatur. » Et ibidem : « Nisi enim jam ante ad eos pertineret vitæ promissio, Baptismum profanaret, quisquis illis daret. » Itaque concedit ipse, Sa-

cramentorum esse sigillum præteritæ, imo æternæ Dei benevolentiæ. Neque hoc pugnat cum eo quod ipse dicit in Antidoto, sess. VII, canon. 4 et 5. Sacramenta esse instrumenta justificationis. Nam vult quidem Sacramenta, quatenus fidem sustentant, et alunt, confirmare, vel augere justificationem; (fides enim est, quæ justificat apud ipsos) (a) men non vult Sacramentum esse sigillum hujus justificationis, quæ habetur per fidem, sed gratiæ prædestinationis; nec vult Sacramentum afferre primam justificationem, sed solum augmentum, et confirmationem, ut clarius ipse idem docet in parvo Catechismo. Prima enim justificatio habetur per fidem conceptam ex concione præcedenti.

At hoc totum repugnat apertissimis Scripturis, quæ tribuunt Sacramentis vim adferendi primam justificationem. Quid enim aliud est regenerare, quod tribuitur Baptismo Joan. III. et ad Tit. III. quam ex homine mortuo in peccatis, facere hominem vivum vita gratiæ? Sed de hoc infra suo loco fusius.

Deinde non recte ponitur in definitione Sacramenti illa promissio gratiæ prædestinationis, tum quia sæpe contingeret, Deum falso testificari, tum quia nemo posset sine peccato alium baptizare. Nam baptismum profanat, (ut Calvinus dicit in Antidoto sess. VI, cap. 5.) qui illud confert ei, ad quem non pertinet promissio: Nam cogit Deum testificari falsum, nimirum se eum diligere, quem revera non diligit. At nemo potest certus esse de filio, sitne prædestinatus, an non: ergo vel neminem debet ullus baptizare, vel temere, et infideliter agit, cum se periculo exponat profanandi Baptismum.

Ad hoc argumentum responderet Rucerus, ministros non habere intentionem baptizandi, nisi prædestinatos: sic enim ipse dicit in præfatione commentariorum in Matthæum.

At hoc non satisfacit. Nam in primis hoc excusat ministrum, sed non Deum, nisi forte etiam Deus aliquando baptizet sine intentione baptizandi, quod est ridiculum. Deinde ex sententia Lutheranorum, et Calvinistarum omnium, Sacramenta non pendent ab intentione ministri. Scribit enim Lutherus in lib. de captivitate Babylonica, de Baptismo: Baptismum esse verum, et ratum, etiamsi minister intendat non baptizare, sed ludere. Nec dissentit Calvinus in Antidoto Concilii sess. VII. can. II.

Calvinus aliter respondet, lib. IV. Institut. cap. 15. § 16 et 17. Deum videlicet ex parte sua vere offerre promissionem, et sigillum promissionis omnibus, qui baptizantur, sive illi recipiant, sive non; proinde Deum semper esse veracem. Nec ministros etiam peccare dicerei, si Baptismum conferant iis, qui profitentur se credere, si adulti sint, vel qui filii sint fidelium parentum, si sint infantes: Nam filios fidelium, sanctos nasci credit Calvinus, ex illa promissione Dei Genes. XVII: *Ero Deus tuus, et seminis tui* (1). Ratio autem, cur non peccent ministri, est, quia habent probabilem rationem, unde colligant illos, quos baptizant, esse prædestinatos et sanctos.

Sed hæc solutio non satisfacit. Nam in primis, si quis Baptismum præbeat ei, ad quem scit non pertinere divinas promissiones, profanat Baptismum, ut ipse Calvinus dicit, quia falsum testificatur: cur non profanat Deus ipse Baptismum, et falsum testificatur, cum illum præbet ei, quem scit se non prædestinasse? Non enim aliud agit hic Deus, aliud minister, sed unum est, quod agunt: Deus enim per ministrum agit, ut patet Joan. I: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto* (2).

Præterea Sacramentum non solum offert, sed etiam præbet testimonium benevolentiæ; sic enim idem Calvinus ait in Catechismo parvo: « Sacramentum est divinæ erga nos benevolentiæ testificatio. » Præbet igitur Deus sigillum benevolentiæ ei, qui baptizatur, etiamsi ipse non credat. Nam sine fide non percipitur quidem fructus, et res Sacramenti, tamen percipitur verum Sacramentum, ut Calvinus etiam docet lib. IV. Instit. cap. 15. § 16. ubi contra Anabaptistas agnoscit verum Sacramentum dari, et suscipi apud Catholicos, ubi non putat ipse ullam esse veram fidem. Si igitur Deus revera præbet sigillum, et testimonium benevolentiæ ei, quem non diligit, quomodo non mentitur, et Sacramentum profanat?

Præterea, quod minister peccet, probatur. Nam etiamsi habeat probabilem rationem credendi, eum qui profitetur fidem, esse prædestinatum, tamen non habet certitudinem. Potest enim fieri, ut ille mentiatur se

(1) Gen. XVII. 7. — (2) Joan. I, 33.

credere; potest etiam fieri (ut Calvinus fatetur lib. III. Instit. cap. 2. § 10.) ut putet se credere, et tamen revera non credat. At ad testificandum nomine Dei aliquid, requiritur verissima certitudo, nec sufficit probabilis opinio: ut patet in simili de juramento; non enim licet juramento, id est, Dei testimonio uti in re, quam opinamur veram, sed solum in re, quam certissimi sumus esse veram. Imo longe major adhuc requiri deberet certitudo in Sacramento secundum adversarios, quam in juramento nostro: Nam Sacramentum est, quasi juramentum Dei. Differt autem juramentum Dei a nostro, quod cum homo jurat, ipse est, qui asserit aliquid, licet Deum in testem advocet. Unde potest esse falsum juramentum nostrum, sine ulla Dei injuria; ut si quis juret, quod putat se certo scire, et tamen reipsa decipiatur: tunc enim Deus non dat testimonium, nec ille peccat, qui Deum in testem falsitatis citavit quia credebat omnino se esse certum; ut si forte vidit unum ab alio occidi, qui erat simillimus alteri, quem ipse numquam viderat. At in Sacramentis secundum adversarios, Deus ipse affirmat, et quodammodo jurat illum, qui Sacramentum suscipit, esse electum et justum. Deus autem non potest ullo errore decipi. Ergo gravissime peccat, qui Sacramentum confert ei, quem non certo scit esse justum et electum, quia cogit Deum mentiri.

Præterea etiamsi minister certo sciret eum, qui profitetur fidem, vel est filius hominis fidelis, esse justum, et electum, tamen quid faciet si offeratur illi baptizandus infans, qui sit filius Turcæ, aut Judæi, et parentes ejus, licet infideles, libenter patiantur eum baptizari, et manere apud Christianos? Nam si eum baptizet, profanat Baptismum, cum nullum habeat signum, quo intelligat illum esse prædestinatum: si vero non baptizet, facit contra usum totius Ecclesiæ.

Sed objiciet fortassis aliquis pro Calvino, in iisdem angustiis versari Catholicos, cum etiam ipsi Sacramenta præbeant iis, quos nesciunt an sint dispositi, et tamen affirment esse signa gratiæ divinitus instituta.

Respondeo: Nullas patiuntur Catholici angustias. Ipsi enim dicunt, Sacramenta esse causas gratiæ efficaces, nisi ponatur obex; et simul significare ejusdem gratiæ infusionem, quantum est ex parte ipsius Sacramenti: denique esse eadem Sacramenta signa ejus effectus, quem facit gratia, ubicumque adest. Ut enim abluit corpus aqua Baptismi; ita abluit animam gratia Salvatoris; quod quidem perpetuum, et infallibile est, neque a dispositione pendet. Dispositio enim juvat, ut gratiam quis recipiat, sed quod gratia, ubicumque est, abluat sordes animæ, si quas inveniat, intrinsecum est illi, et inseparabile.

Tertium verbum in definitione Calvini erat, « Promissionem. » Et quidem de promissione remissionis peccatorum disserimus in refutatione definitionis Lutheranorum, sed Calvinus loquitur de promissione benevolentiæ prædestinationis, quæ longe facilius refutari potest. Nam nulla exstat ejusmodi promissio in tota Scriptura: omnes enim promissiones includunt conditionem aliquam, ut fidei, aut pœnitentiæ, aut alterius virtutis, et in his omnibus conditionem perseverantiæ. Nam: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, (1). Matth. XXIV. Nemo autem est, qui sine speciali revelatione sibi promittere possit perseverantiam.

Atque hinc refutari possunt omnia plane testimonia quæ illi adferunt. Primarium est illud Genes. XVII: *Ego ero Deus tuus, et seminis tui post te.* Sed hoc etiam requirit conditionem fidei, et perseverantiæ: Nam: *Semen Abrahæ* (ut exponit Apostolus Rom. IV et IX.) *non sunt filii carnis, sed fidei*, (2) id est, qui imitantur Abrahamum in fide, illi sunt ejus semen, cum quo intercedit pactum Dei. Et certe, ut quis incipit esse semen Abrahæ, cum incipit credere, ita desinit esse, si desinat credere. Quis autem certo sibi potest persuadere, se numquam a fide discessurum? præsertim cum et fides, et perseverantia in fide, dona Dei sint.

Quartum verbum est, « Conscientiis nostris, » cum quo verbo jungi potest illud aliud, « ad sustinendam fidei imbecillitatem. » Hæc verba non recte poni in definitione Sacramenti, testatur Baptismus parvulorum, qui est verissimum Sacramentum, etiam apud Calvinum, et tamen in parvulis non est conscientia, nec actualis fides, ad quam sustentandam sit necessarium Sacramentum. Et sane si promissio est veluti diploma, et Sacramentum veluti sigillum, conscientia erit veluti charta, vel cera: quomodo igitur, ubi nulla est charta, diploma scribi poterit,

(1) Matth. XXIV. 13. — (2) Gen. XVII, 7; Rom. IV, 13.

vel obsignari? Porro, quod Lutherani dicunt, parvulos actu credere, dum baptizantur, jam est supra refutatum, neque id Calvinus affirmare audet, tametsi nec rejicere voluerit, ut patet ex lib. IV. Institut. cap. 16. § 19.

Respondet igitur Calvinus, Baptismum parvulorum operari in conscientiis parvulorum, cum primum illi usum rationis habere incipiunt, etiamsi antea collatus fuerit : recordantur enim postea Baptismi accepti, et eo signo nutriunt, et sustentant fidem suam lib. IV. cap. 16. § 20 et 21. Quod etiam dicit de illis, qui apud Catholicos baptizati sunt, et postea fiunt Calvinistæ lib. IV. cap. 15 § 17. At saltem recte probamus, non recte facere Calvinistas, quod baptizent infantes : Nam longe utilius esset, eos baptizare adultos, quando fidei sunt capaces. Baptismi enim, quem in infantia accipimus, nullam habemus notitiam, nisi ex narratione aliorum : proinde nec certitudinem habemus, nisi fidei humanæ, quæ fallere potest. Deinde etiamsi certissimi essemus, tamen magis movent res visæ, quam auditæ ; quare melius esset ad fidem alendam, baptizari adultum, quam infantem. Sed alere fidem est primarius finis, et usus Baptismi, ut ex definitione patet ; male igitur illi baptizant infantes.

Nec possunt respondere, baptizari infantes, ne forte pereant antequam adolescant, et eo modo decedant sine gratia Dei : Nam Calvinus in Antidoto sess. 6. cap. 5 et alibi, docet, parvulos prædestinatos etiam sine Baptismo salvari, non prædestinatos autem, etiam cum Baptismo perire.

Nihil igitur dicere potest, nisi baptizari infantes ea solum de causa, ut admittantur in externa Ecclesia, seu profiteantur se esse membra Ecclesiæ externæ. At hoc etiam non solvit argumentum. Nam ex sententia Calvini lib. IV. Instit. cap. 14. § 5. et seq. finis principalis Sacramentorum est, obsignare promissiones ad alendam fidem ; finis minus principalis est, profiteri se esse membrum Ecclesiæ externæ. Non autem debet finis minus principalis impedire finem magis principalem ; non igitur debent infantes baptizari apud Calvinistas ; siquidem apud eos in Baptismo infantium ob finem minus principalem, impeditur finis magis principalis.

Quintum verbum est, « Obsignat », de quo verbo multa diximus in refutatione sententiæ Lutheri ; ut etiam de reliquis verbis supra diximus in refutatione sententiæ Zwinglii. Superest igitur ut argumenta eorum refellamus.

CAPUT XVII.

Refelluntur argumenta adversariorum.

Argumenta, quibus cum Lutherani, tum Calvinistæ utuntur, ut probent Sacramenta esse sigilla promissionum, hæc sunt. Primo loco adfert Calvinus lib. IV. cap. 14. Instit. § 5. verba Apostoli ad Rom. IV. ubi Circumcisionem vocat σφραγῖδα, id est, sigillum ejus pacti, cujus fide jam antea Abraham fuerat justificatus.

Respondeo Primo ; Quæ de sola Circumcisione dicuntur, non possunt trahi recte ad omnia Sacramenta. Recte enim argumentamur a genere ad speciem, non contra.

Secundo ; Apostolus nullam facit mentionem promissionis, aut pacti, cum loquitur de sigillo Circumcisionis : vocat enim eam sigillum justitiæ fidei, non sigillum promissionis, et pacti. Vocatur autem sigillum justitiæ fidei, vel quia (ut Origenes in hunc locum scribit) Circumcisio obsignabat, et claudebat justitiam fidei, quæ suo tempore patefacienda erat ; id est, sub figura, et typo Circumcisionis illius carnalis occulte significabatur, et proinde velabatur Circumcisio cordis, quæ est vera justificatio, quam Christus allaturus erat : vel, (ut Chrysost. et Theophyl. et alii docent) vocatur sigillum justitiæ fidei, quia fuit data Abrahamo in signum, et testimonium justitiæ, quam sibi acquisierat per fidem.

Tertio dico ; Fuisse hoc privilegium solius Abrahæ, et non posse transferri ad alios, quasi Circumcisio (ut hæretici volunt) in quocumque esset, testificatio esset justitiæ illius. Nam privilegium Abrahæ fuit, ut ipse esset pater omnium fidelium, tam præputiatorum, quam circumcisorum. Et quia jam erat pater præputiatorum fidelium, quia fidem habuerat adhuc præputiatus existens, ut patet Genes. XII. et ex hoc loco Pauli : *Accepit ipse primus omnium signum Circumcisionis, ut hoc modo esset etiam pater omnium circumcisorum* (1). Quia vero hoc privilegium habuit merito justitiæ, quam acquisierat per fidem, ideo fuit illi signum Circumcisionis sigillum justitiæ fidei. Porro, cæteris Judæis Circumcisio est quidem signum quoddam, nimirum quod sint filii Abrahæ, sed non est illis sigillum justitiæ fidei, sicut non sunt omnes Judæi patres multarum gentium.

(1) Rom. IV, 11 et 12.

Hæc esse vera, patet Primo ; Quia Paulus hæc duo conjungit, cum ait : *Accepit signum Circumcisionis signaculum justitiæ fidei, ut sit pater omnium credentium.* Non igitur habent signaculum justitiæ fidei omnes circumcisi, cum non omnes sint patres omnium fidelium.

Secundo ; Quia Paulus distinguit signum a signaculo, seu sigillo. Nam cum ait : *Accepit signum Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei* ; pro signo, in Græco est σημεῖον, quod signum in genere significat ; pro signaculo est σφραγὶς, quod proprie sigillum exprimit. Cur autem distinxit hæc vocabula, nisi ut indicaret Circumcisionem semper, et omnibus esse signum quoddam, non tamen omnibus, sed soli Abrahæ fuisse sigillum justitiæ.

Tertio ; Scriptura, cum sæpissime loquatur de Circumcisione, nusquam tamen vocat sigillum, nisi hoc loco, ubi de Abrahamo agitur : quod est argumentum manifestum, soli Abrahamo fuisse Circumcisionem sigillum. Ac certe cap. III. ad Rom. cum Paulus quæreret : *Quæ utilitas Circumcisionis?* Et responderet : *Multum per omnem modum* (1) ; debuisset secundum adversarios primo loco ponere hanc primariam utilitatem, quod sit sigillum divinæ promissionis : at hujus ne meminit quidem.

Secundum argumentum Calvinus ibidem § 6. sumit ex Genes. IX. ubi arcus cœlestis dicitur signum fœderis inter Deum, et Noe ; et ex cap. XVII. ubi Circumcisio dicitur signum fœderis inter Deum, et Abraham, posterosque illius. Si enim Iris, et Circumcisio sigilla fuerunt confirmantia pactum, ac promissionem Dei, cur non idem de Baptismo, et Eucharistia dici possit. Et confirmat argumentum, quia inter homines quoque id usitatum est, ut pacta sanciantur signo externo, ut porca cæsa, vel contacta dexteræ, quæ signa nihil essent, nisi præcederent verba pacti.

Respondeo ; Iris, et Circumcisio signa fœderis erant, sed ad memoriam juvandam, non ad fidem confirmandam : quemadmodum nos etiam supra docuimus, Baptismum, et Eucharistiam esse signa commemorativa passionis, et mortis Domini. Multum autem interest, inter signum commemorativum, et confirmativum. Nam signum commemorativum esse potest id, quod oculis objicitur, etiamsi tota ejus efficacia pendeat a promissione ; at signum confirmativum non potest esse, si omnino pendeat a promissione. Fuisse autem signa commemorativa tantum, Iridem et Circumcisionem, patet. Nam ita pendebant a verbo Dei, ut si quis non crederet verbo Dei, aut non crederet illud esse verbum Dei, non etiam crederet illa esse signa ; et contra, si quis crederet verbo, non egeret illis signis.

Adde quod S. Joannes Chrysostomus ita exposuit hæc loca : sic enim ait de Circumcisione homil. 39. in Genesim : « Dato, inquit, eis perpetuo memoriali inierit cum eis Circumcisionis signum. » Et infra dicit, signum Circumcisionis non esse datum a Deo, ut homines ei crederent, sed fuisse postulatum a Deo ab hominibus, quia Deus non credebat hominibus : « Quando, inquit, non habemus aliquibus fidem, curamus, ut ab ipsis signum, pignoris loco accipiamus : similiter et omnium Dominus sciens mentium inconstantiam, hoc ab eis signum petere voluit. » Hæc ille. Porro de signo Iridis hom. 28. in Genesim, sic loquitur : « Quid dicis, inquit, o beate Propheta? Recordabor, inquit, Testamenti mei, id est, pacti mei, promissionis, pollicitationis : non quia ipse opus habeat recordatione, sed ut nos ad illud signum respicientes nihil durum suspicemur, sed statim recordemur divinæ promissionis, et roboremur, et confidamus. »

Sed objicies eumdem Chrysostomum ibidem, qui sic ait : « Si sermo meus non sufficit, ecce et signum do etc. » ubi videtur velle Iridem fuisse signum confirmativum. Sed hæc objectio paulo post diluetur.

Ad confirmationem ex humana consuetudine, Respondeo, multum interesse inter pacta Dei, et hominum. Nam ab homine, quia non videmus ejus animum, et timemus, ne forte nos decipiat, aut obliviscatur pacti, quærimus signum externum, ut eo illum convincamus, si negaverit, aut oblitus fuerit : at Deum non posse fallere, vel obliviscì, certissimi sumus.

Tertium argumentum sumit Lutherus in

(1) Rom. III, 1 et 2.

vel obsignari? Porro, quod Lutherani dicunt, parvulos actu credere, dum baptizantur, jam est supra refutatum, neque id Calvinus affirmare audet, tametsi nec rejicere voluerit, ut patet ex lib. IV. Institut. cap. 16. § 19.

Respondet igitur Calvinus, Baptismum parvulorum operari in conscientiis parvulorum, cum primum illi usum rationis habere incipiunt, etiamsi antea collatus fuerit : recordantur enim postea Baptismi accepti, et eo signo nutriunt, et sustentant fidem suam lib. IV. cap. 16. § 20 et 21. Quod etiam dicit de illis, qui apud Catholicos baptizati sunt, et postea fiunt Calvinistæ lib. IV. cap. 15 § 17. At saltem recte probamus, non recte facere Calvinistas, quod baptizent infantes : Nam longe utilius esset, eos baptizare adultos, quando fidei sunt capaces. Baptismi enim, quem in infantia accipimus, nullam habemus notitiam, nisi ex narratione aliorum : proinde nec certitudinem habemus, nisi fidei humanæ, quæ fallere potest. Deinde etiamsi certissimi essemus, tamen magis movent res visæ, quam auditæ ; quare melius esset ad fidem alendam, baptizari adultum, quam infantem. Sed alere fidem est primarius finis, et usus Baptismi, ut ex definitione patet ; male igitur illi baptizant infantes.

Nec possunt respondere, baptizari infantes, ne forte pereant antequam adolescant, et eo modo decedant sine gratia Dei : Nam Calvinus in Antidoto sess. 6. cap. 5 et alibi, docet, parvulos prædestinatos etiam sine Baptismo salvari, non prædestinatos autem, etiam cum Baptismo perire.

Nihil igitur dicere potest, nisi baptizari infantes ea solum de causa, ut admittantur in externa Ecclesia, seu profiteantur se esse membra Ecclesiæ externæ. At hoc etiam non solvit argumentum. Nam ex sententia Calvini lib. IV. Instit. cap. 14. § 5. et seq. finis principalis Sacramentorum est, obsignare promissiones ad alendam fidem ; finis minus principalis est, profiteri se esse membrum Ecclesiæ externæ. Non autem debet finis minus principalis impedire finem magis principalem ; non igitur debent infantes baptizari apud Calvinistas ; siquidem apud eos in Baptismo infantium ob finem minus principalem, impeditur finis magis principalis.

Quintum verbum est, « Obsignat », de quo verbo multa diximus in refutatione sententiæ Lutheri ; ut etiam de reliquis verbis supra diximus in refutatione sententiæ Zwinglii. Superest igitur ut argumenta eorum refellamus.

CAPUT XVII.

Refelluntur argumenta adversariorum.

Argumenta, quibus cum Lutherani, tum Calvinistæ utuntur, ut probent Sacramenta esse sigilla promissionum, hæc sunt. Primo loco adfert Calvinus lib. IV. cap. 14. Instit. § 5. verba Apostoli ad Rom. IV. ubi Circumcisionem vocat σφραγῖδα, id est, sigillum ejus pacti, cujus fide jam antea Abraham fuerat justificatus.

Respondeo Primo ; Quæ de sola Circumcisione dicuntur, non possunt trahi recte ad omnia Sacramenta. Recte enim argumentamur a genere ad speciem, non contra.

Secundo ; Apostolus nullam facit mentionem promissionis, aut pacti, cum loquitur de sigillo Circumcisionis : vocat enim eam sigillum justitiæ fidei, non sigillum promissionis, et pacti. Vocatur autem sigillum justitiæ fidei, vel quia (ut Origenes in hunc locum scribit) Circumcisio obsignabat, et claudebat justitiam fidei, quæ suo tempore patefacienda erat ; id est, sub figura, et typo Circumcisionis illius carnalis occulte significabatur, et proinde velabatur Circumcisio cordis, quæ est vera justificatio, quam Christus allaturus erat : vel, (ut Chrysost. et Theophyl. et alii docent) vocatur sigillum justitiæ fidei, quia fuit data Abrahamo in signum, et testimonium justitiæ, quam sibi acquisierat per fidem.

Tertio dico ; Fuisse hoc privilegium solius Abrahæ, et non posse transferri ad alios, quasi Circumcisio (ut hæretici volunt) in quocumque esset, testificatio esset justitiæ illius. Nam privilegium Abrahæ fuit, ut ipse esset pater omnium fidelium, tam præputiatorum, quam circumcisorum. Et quia jam erat pater præputiatorum fidelium, quia fidem habuerat adhuc præputiatus existens, ut patet Genes. XII. et ex hoc loco Pauli : *Accepit ipse primus omnium signum Circumcisionis, ut hoc modo esset etiam pater omnium circumcisorum* (1). Quia vero hoc privilegium habuit merito justitiæ, quam acquisierat per fidem, ideo fuit illi signum Circumcisionis sigillum justitiæ fidei. Porro, cæteris Judæis Circumcisio est quidem signum quoddam, nimirum quod sint filii Abrahæ, sed non est illis sigillum justitiæ fidei, sicut non sunt omnes Judæi patres multarum gentium.

(1) Rom. IV, 11 et 12.

Hæc esse vera, patet Primo ; Quia Paulus hæc duo conjungit, cum ait : *Accepit signum Circumcisionis signaculum justitiæ fidei, ut sit pater omnium credentium.* Non igitur habent signaculum justitiæ fidei omnes circumcisi, cum non omnes sint patres omnium fidelium.

Secundo ; Quia Paulus distinguit signum a signaculo, seu sigillo. Nam cum ait : *Accepit signum Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei* ; pro signo, in Græco est σημεῖον, quod signum in genere significat ; pro signaculo est σφραγὶς, quod proprie sigillum exprimit. Cur autem distinxit hæc vocabula, nisi ut indicaret Circumcisionem semper, et omnibus esse signum quoddam, non tamen omnibus, sed soli Abrahæ fuisse sigillum justitiæ.

Tertio ; Scriptura, cum sæpissime loquatur de Circumcisione, nusquam tamen vocat sigillum, nisi hoc loco, ubi de Abrahamo agitur : quod est argumentum manifestum, soli Abrahamo fuisse Circumcisionem sigillum. Ac certe cap. III. ad Rom. cum Paulus quæreret : *Quæ utilitas Circumcisionis?* Et responderet : *Multum per omnem modum* (1) ; debuisset secundum adversarios primo loco ponere hanc primariam utilitatem, quod sit sigillum divinæ promissionis : at hujus ne meminit quidem.

Secundum argumentum Calvinus ibidem § 6. sumit ex Genes. IX. ubi arcus cœlestis dicitur signum fœderis inter Deum, et Noe ; et ex cap. XVII. ubi Circumcisio dicitur signum fœderis inter Deum, et Abraham, posterosque illius. Si enim Iris, et Circumcisio sigilla fuerunt confirmantia pactum, ac promissionem Dei, cur non idem de Baptismo, et Eucharistia dici possit. Et confirmat argumentum, quia inter homines quoque id usitatum est, ut pacta sanciantur signo externo, ut porca cæsa, vel contacta dexteræ, quæ signa nihil essent, nisi præcederent verba pacti.

Respondeo ; Iris, et Circumcisio signa fœderis erant, sed ad memoriam juvandam, non ad fidem confirmandam : quemadmodum nos etiam supra docuimus, Baptismum, et Eucharistiam esse signa commemorativa passionis, et mortis Domini. Multum autem interest, inter signum commemorativum, et confirmativum. Nam signum commemorativum esse potest id, quod oculis objicitur, etiamsi tota ejus efficacia pendeat a promissione ; at signum confirmativum non potest esse, si omnino pendeat a promissione. Fuisse autem signa commemorativa tantum, Iridem et Circumcisionem, patet. Nam ita pendebant a verbo Dei, ut si quis non crederet verbo Dei, aut non crederet illud esse verbum Dei, non etiam crederet illa esse signa ; et contra, si quis crederet verbo, non egeret illis signis.

Adde quod S. Joannes Chrysostomus ita exposuit hæc loca : sic enim ait de Circumcisione homil. 39. in Genesim : « Dato, inquit, eis perpetuo memoriali inierit cum eis Circumcisionis signum. » Et infra dicit, signum Circumcisionis non esse datum a Deo, ut homines ei crederent, sed fuisse postulatum a Deo ab hominibus, quia Deus non credebat hominibus : « Quando, inquit, non habemus aliquibus fidem, curamus, ut ab ipsis signum, pignoris loco accipiamus : similiter et omnium Dominus sciens mentium inconstantiam, hoc ab eis signum petere voluit. » Hæc ille. Porro de signo Iridis hom. 28. in Genesim, sic loquitur : « Quid dicis, inquit, o beate Propheta? Recordabor, inquit, Testamenti mei, id est, pacti mei, promissionis, pollicitationis : non quia ipse opus habeat recordatione, sed ut nos ad illud signum respicientes nihil durum suspicemur, sed statim recordemur divinæ promissionis, et roboremur, et confidamus. »

Sed objicies eumdem Chrysostomum ibidem, qui sic ait : « Si sermo meus non sufficit, ecce et signum do etc. » ubi videtur velle Iridem fuisse signum confirmativum. Sed hæc objectio paulo post diluetur.

Ad confirmationem ex humana consuetudine, Respondeo, multum interesse inter pacta Dei, et hominum. Nam ab homine, quia non videmus ejus animum, et timemus, ne forte nos decipiat, aut obliviscatur pacti, quærimus signum externum, ut eo illum convincamus, si negaverit, aut oblitus fuerit : at Deum non posse fallere, vel obliviscì, certissimi sumus.

Tertium argumentum sumit Lutherus in

(1) Rom. III, 1 et 2.

lib. de Babylonica captivitate cap. de Baptismo, ex signis mirabilibus, quibus Deus confirmare solitus est promissiones suas : quale fuit signum in rore, et vellere datum Gedeoni, Judic. VI, et in umbra horologii retrocedente datum Ezechiæ, III. Reg. XX.

Sed hæc et similia non sunt ad rem. Nam miracula, quia non pendent a verbo, sed ex se vim habent, cum sint opera supra naturam ; ideo recte adhibentur ad probandum, Deum esse, qui promisit, vel Deum revera aliquid promisisse : Sacramenta vero nullam vim habent (ut supra diximus) sine verbo. Atque hinc intelligimus, cur Chrysostomus putaverit Iridem esse signum non tantum memoriale, sed etiam confirmativum. Existimavit enim ipse Iridem rem esse novo miraculo institutam ; sic enim ait : « Etsi aquarum magna sit inundantia ; neque sic metuendum, sed confidendum nobis ad miraculum respicientibus. » Hæc ille. Quia tamen probabilius est, Iridem rem esse naturalem, ideo diximus, signum fuisse tantum memoriale.

Quartum argumentum sumunt Lutherani ex illis verbis prioris epistolæ Petri cap. III : *Quod et vos similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum* (1). Lutherus enim in commentario hujus loci, Græcam vocem ἐπερώτημα, quam noster interpres vertit interrogationem, vult significare pactum, et hoc modo exponit : « Baptismus salvos nos facit, non quatenus lavat corpus, sed quatenus obsignat pactum, quod habet anima cum Deo, dum fide accipit promissiones ejus. » Ex quo sequitur, Baptismum esse sigillum promissionis : Eodem fere modo exponit Calvinus, licet vocem ἐπερώτημα non pactum, sed responsionem, et testimonium significare velit.

Respondeo ; Locus hic præsens admodum obscurus est, tamen nihil juvat causam adversariorum. Œcumenius in commentario hujus loci, per interrogationem videtur intelligere pignus, et arrabonem. Dicit enim Baptisma esse quasi pignus bonæ conscientiæ, id est, qui Deo inspirante conceperunt bonum desiderium, illi vitam immaculatam sectantur, eamque ubique exquirunt, et de ea interrogant : unde cum audierunt per Baptismum mundari animas, mox accurrunt ad Baptismum, ut purgentur sordes ipsorum, atque hac ratione est Baptisma pignus bonæ conscientiæ.

Hæc expositio non favet hæreticis, ut patet ; tamen non videtur ad mentem S. Petri. Nam sanctus Petrus longe amplius tribuit Baptismo, quam ut sit pignus bonæ conscientiæ, cum ait, per Baptismum nos salvari.

Est alia expositio Lyrani, Gagnæi, et Joannis a Lovanio, qui per interrogationem bonæ conscientiæ, intelligunt interrogationes et responsiones, quæ fiunt ante Baptismum. Interrogat enim sacerdos cathecumenum : Credis in Deum ? et respondet, Credo. Abrenuntias Satanæ, et pompis ejus ? Abrenuntio etc. Qui enim bona conscientia respondent his interrogationibus, illis prodest Baptismus ; aliis non prodest.

Hæc etiam non favet hæreticis, sed non videtur litteralis ; nec est Ambrosii, Basilii, et Augustini, ut putavit Joannes a Lovanio. Nam B. Petrus antithesim facit, cum ait : *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*. Et sine dubio formalis antithesis hæc erat futura ; Non ablutio sordium carnis, sed ablutio sordium mentis : qua antithesi distinguitur Baptismus noster a Baptismo Judæorum, qui erat exterior tantum. Porro illa pars hujus antithesis (nimirum, ablutio sordium mentis) a B. Petro non est expressa propriis verbis, sed figuratis, ut omnes concedunt. Oportet igitur descriptam esse per causam, vel per effectum : si per effectum, tunc non habet locum expositio istorum. Nam interrogatio illa, et responsio, de qua ipsi agunt, sive etiam fides et charitas, quæ per illas interrogationes, et responsiones deteguntur, præcedunt Baptismum, et proinde ablutionem mentis, quam facit Baptismus : non igitur sunt effectus illius ablutionis. Ergo necesse est ut dicant, illam ablutionem describi per causam, ac proinde interrogationem illam quæ præcedit Baptismum, esse causam illius ablutionis. At hoc dici non potest. Nam tunc Sacramentum haberet efficaciam ex opere operantis, non ex opere operato ; tribueretur enim justificatio præcedenti fidei, et dilectioni suscipientis : Baptismum, non ipsi ablutioni Sacramentali : nec esset differentia inter Baptismum nostrum, et Judaicum ; nam Baptismus Judaicus, licet ex opere operato non justificaret, tamen ex fide, et dilectione susci-

(1) I. Petr. III, 21.

cipientis justificare poterat, ut quodlibet opus meritorium.

Dicent fortasse, interrogationem, seu fidem præcedentem non esse causam efficientem ablutionis internæ, sed esse dispositionem. At istud quidem recte dicitur, sed non quadrat verbis Apostoli : ipse enim tribuit efficientiam huic interrogationi bonæ conscientiæ, majorem, quam ipsi ablutioni externæ, quæ tamen instrumentum est justificationis.

Est igitur alia expositio, quam puto esse Sanctorum, Augustini tract. 80. in Joannem, et serm. 30. de verbis Domini, et Basilii lib. de Spiritu Sancto cap. 15. ut videlicet exprimatur a S. Petro ablutio mentis, quæ per antithesim opponitur ablutioni carnis, non per causam, ut volebat præcedens opinio, sed per effectum. Est enim usitatissima figura metonymia, qua per effectum intelligimus causam. Vocat igitur Petrus ablutionem internam, interrogationem, seu responsionem bonæ conscientiæ in Deum, quia ex illa munditia oritur pax, et quies conscientiæ ; et proinde responsio bonæ conscientiæ, et etiam interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia Deum accedere, et interrogare, id est, cum eo colloqui, eumque rogare pro se, et pro aliis.

Addo Secundo, locum hunc non favere adversariis, sed nobis, etiamsi per ἐπερώτημα accipiatur testimonium, vel pactum. Nam in primis S. Petrus non loquitur de testimonio, vel pacto Dei, sed conscientiæ nostræ : ipsi autem probare deberent, Sacramentum esse sigillum testimonii, seu pacti Dei. Multum autem interest inter testimonium, seu pactum Dei, quod illi obsignari volunt Sacramento, et testimonium, seu pactum conscientiæ nostræ. Illud enim est verbum Dei scriptum, quod præcedit Sacramenti usum, et fructum, id est, justificationem : testimonium autem conscientiæ sequitur justificationem, et proinde Sacramenti usum et fructum.

Secundo, S. Petrus non dicit, Baptismo obsignari pactum, seu testimonium ; sed dicit, salvari animas, et effici justificationem, ex qua oritur testimonium bonæ conscientiæ. Id quod probatur ex illo verbo : « similis formæ ». Vult enim Apostolus eo modo nos salvari per aquas Baptismi, quomodo per aquas diluvii salvati sunt, qui erant in arca Noe. Porro aquæ diluvii non salvarunt arcam Noe testificando, vel obsignando, promissiones, sed reipsa elevando arcam in sublime, ne obrueretur cum cæteris ædificiis hujus mundi : sic igitur et Baptismus salvos nos facit, non obsignando, et testificando, sed reipsa justificando animam ; unde sequitur, ut diximus, testimonium, sive interrogatio conscientiæ bonæ in Deum.

Quintum argumentum esse posset pro adversariis, testimonium sanctorum Patrum, qui non raro Sacramenta vocant sigilla, seu signacula.

Respondeo : Longe alia significatione loquuntur Patres de signaculis Sacramentorum, quam hæretici faciant. Patres enim numquam Sacramenta vocant signacula, vel sigilla promissionum Dei, ut hæretici volunt ; sed aliquo horum trium modorum loquuntur de signaculis. Primo signacula vocant Sacramenta, quia obsignant fideles, et tamquam nota quædam eos separant ab iis, qui non sunt de grege, vel de exercitu Domini. Ita accipit hanc vocem Basilius in exhortatione ad Baptismum : item Hieronymus in cap. IV. ad Ephesios, et Augustinus lib. XIX. contra Faustum cap. 11. et alibi passim. Ita quoque accipit Gregorius Nazianzenus, oratione de Baptismo, non procul ab initio, ubi dicit, Baptismum vocari posse sigillum, quia ita conservat hominem baptizatum, ut notæ regiæ conservant res obsignatas. Nemo enim audet contingere eas, quæ magni alicujus Regis sigillum habent.

Secundo vocant Sacramenta signacula, quia claudunt intra se rem sacram, id est, invisibilem gratiam. Id enim, quod clauditur, obsignari solet, juxta illud Apocal. V : *Liber signatus sigillis septem*. Atque hac significatione vocat Augustinus Sacramenta sacra signacula in lib. de catechizandis rudibus cap. 26. et Scholastici, sigillum Confessionis. Hoc etiam fere modo Gregorius Nazianzenus, oratione de Baptismo, prope finem, vocat sigillum Baptisma, eo quod obsignet, et claudat multa mysteria, quæ solis fidelibus deteguntur : « Cætera, inquit, intus addisces, quæ etiam ipsa apud te ipsum occulta, clausaque habebis, Baptismo obsignata, atque retenta. »

Tertio vocant Baptismum sigillum, vel obsignationem fidei, quia Baptismus est publica approbatio, et testificatio fidei ejus, qui baptizatur. Sic enim utitur hac voce Tertullianus in lib. de Pœnitentia, ubi dicit catechumenos diu probari an credant, et tandem ubi constiterit, eos vere, et con-

stanter credere, Baptismum illis dari in obsignationem, et approbationem fidei. Quomodo etiam utitur eadem voce Basilius in III. lib. contra Eunomium, ubi dicit, primum oportere credere, et tum demum accipere sigillum fidei Baptismum. In libro quoque de Spiritu sancto cap. 12. vocat Baptismum sigillum fidei, quia is qui baptizatur, eo signo testificatur se credere.

Denique vocari potest etiam Baptismus sigillum fidei, quia perficit, et absolvit quodammodo hominem fidelem : quomodo veteres vocabant mortem, seu occisionem pro Christo, signaculum martyrii, ut Eusebius refert lib. V. hist. cap. 3. Confessio enim Martyrum, et supplicia pro Christo non habent perfectam laudem, dum periculum est inconstantiæ, et mutationis, sed tunc demum perfecta, et quasi sigillo quodam munita, et obsignata censentur, quando morte pretiosa consummantur. Atque hactenus de definitione.

CONTROVERSIA III.

DE CAUSIS SACRAMENTI.

CAPUT XVIII.

Sacramenta componi ex rebus, et verbis, ut materia et forma.

De causis Sacramenti disputaturus, Primum de intrinsecis causis dicam. Deinde de extrinsecis. Ac de intrinsecis tres erunt quæstiones. Prima ; An Sacramenta constent ex rebus, ut materia, et verbis, ut forma. Secunda ; Quæ sint illæ res, et illa verba. Tertia ; An res illæ, et verba ita determinata sint, ut nihil in eis mutari possit.

Prima quæstio ; Utrum Sacramenta constent rebus, et verbis, tamquam materia, et forma, etsi solum inter Catholicos disputatur, non tam ob discordiam eorum, quam ut res explicetur : et tamen quæstio utilissima, vel etiam necessaria propter calumnias hæreticorum, qui ex hoc dogmate Catholicorum, quo requirimus res, et verba in Sacramentis, conantur ostendere, multa non esse Sacramenta ex his, quæ nos habemus pro Sacramentis. Sunt igitur variæ Doctorum sententiæ.

Prima est quorumdam recentiorum, qui volunt proprie in Sacramentis materiam, et formam non esse res et verba, sed rem sensibilem esse materiam, sive sit res, sive verbum, sive utrumque, significationem autem esse formam. Quod vero communiter dicitur, rem in Sacramento esse materiam, verbum esse formam, volunt explicandum esse de Sacramento materialiter sumpto. Ita docet Dominicus a Soto in IV. dist. 1. quæst. I. art. 1. et 2. quod idem videtur dicere Cajetanus in 3. par. quæst. LX. art. 6. nisi quod Cajetanus affirmat, significationem Sacramenti esse unam et simplicem, resultantem ex composito sensibili ex rebus et verbis ; quod Sotus non dicit.

Altera sententia est aliorum, qui docent, Sacramentum ipsum, et non solum ejus partem materialem, constare ex rebus ut materia, et verbis ut forma. Ita S. Thomas III. par. quæst. LX. art. 6. ad secundum, et veteres Theologi communiter.

Rursus quidam existimant, non omnia Sacramenta constare rebus, et verbis, sed solum quædam. Ita Durandus in IV. dist. I. q. 3. et Adrianus quæst. 2. de Baptismo.

Alii docent omnia Sacramenta novæ legis, constare rebus, et verbis. Ita Alexand. Alensis IV. pars summæ quæst. 8. memb. 3. art. 1. et 3. et Theologi communiter in dist. I. vel 3.

Alii denique volunt omnia Sacramenta constare rebus et verbis, si res et verba accipiantur largo modo pro iis signis, quæ aut sunt veræ res, et vera verba, aut certe vicem eorum gerunt ; si vero accipiantur in rigore, non constare omnia Sacramenta rebus et verbis. Ita docet Dominicus a Soto in IV. dist. 1. quæst. I. art. 6. et alii quidam recentiores. Sed istæ opiniones magna ex parte conciliari possunt.

Sit igitur Prima propositio : « Sacramenta veteris legis probabile est non habuisse res, et verba, sed solas res. » Hæc est S. Thomæ 3. par. quæst. LX. art. 6. ad ultimum. Ratio est, quia in Scriptura veteri, ubi præscribuntur præcipui ritus Sacramentorum, nulla fit mentio verborum, ut patet Genes. XVII. ubi præscribitur ritus Circumcisionis. Exod XII. ubi præscribitur ritus Agni Paschalis Levit. VIII. ubi præscribitur ritus Ordinationis. Præterea ratio postulare videbatur, ut

Sacramenta nova ab ipso Christo instituta, signa essent clariora, quam vetera, quæ Moses, ut Dei minister, instituit.

Posset objici, quod Levit. IV. ubi præscribuntur sacrificia pro peccato (quæ erant etiam Sacramenta Testamenti veteris, ac respondebant Sacramento nostro Pœnitentiæ. ut S. Thomas docet 1. 2. quæst. CII. art. 1.) præscribitur etiam, ut oret sacerdos pro iis, quorum est Sacrificium. Sed respondetur, orationem illam sacerdotis non fuisse de essentia Sacrificii pro peccato, sed solum addi debuisse in usu, seu administratione Sacramenti illius ad facilius impetrandum. Id quod ex eo colligitur, quod, ut ibidem habemus, in Sacrificio pro peccato sacerdotis nulla oratio adhibeatur, sed solum in Sacrificio pro peccato aliorum de populo. Illud autem quod habetur Num. V. de verbis præscriptis in cæremonia Zelotypiæ, non est ad rem. Illa enim cæremonia non erat Sacramentum, cum non esset instituta ad sanctificandum, sed ad investigandum, et puniendum adulterium.

Secunda propositio : « In Sacramentis omnibus novæ legis inveniuntur res, ut materia ; et verba, ut forma. » Hæc propositio saltem quoad modum loquendi, negari non debet. Habetur enim expresse in Concilio Florentino, in instructione Armenorum, quæ facta est, ipso approbante Concilio, ut ibidem legimus. Præterea habemus in Scripturis, expresse res, et verba in quatuor Sacramentis, nimirum in Baptismo Matth. XXVIII : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* In Eucharistia Matth. XXVI. ubi ponitur panis, et verbum : *Hoc est corpus meum* (1). In Confirmatione Actor. VIII. ubi ponitur manus impositio et oratio, quæ verbis fit. In extrema unctione, Jacobi V. ubi ponitur unctio et oratio. Credibile igitur est alia etiam Sacramenta constare rebus, et verbis, licet non habeantur ita expresse in Scripturis. Item est communis sententia veterum Theologorum, uno Durando, vel aliis paucis exceptis, quorum loquendi modus corrigendus est, licet in re non multum discrepent a cæteris.

Tertia propositio : « Non solum quod est materiale in Sacramento, sed ipsum totum Sacramentum recte dicitur constare ex rebus, ut materia ; et verbis, ut forma. » Hæc est aliquo modo contra Cajetanum, et Sotum : quamvis quod ipsi dicunt, etiam aliquo modo sit verum.

Notandum igitur, Sacramentum proprie non esse compositum aliquod Physicum, neque artificiosum, sed cum utroque habere similitudinem quamdam. Et quidem si conferantur cum composito artificioso, tum sine dubio forma ejus partim est significatio, partim virtus operativa ; materia vero sunt res ipsæ, et verba, in quibus residet significatio, et virtus illa operativa. Ut enim in composito artificioso tota substantia dicitur materia, forma vero est quoddam accidens : ita Sacramentum, ut signum, formaliter dicit significationem ; ut causa, dicit vim operativam ; reliqua omnia ad materiam, seu subjectum pertinent. Et hoc modo accipiendo Sacramenta, recte dicunt Cajetanus et Sotus.

Tamen potest etiam Sacramentum considerari, ut est simile composito Physico. Nam ut in composito Physico materia præcedit : forma accedit, ita Sacramento accedit verbum ad elementum. Item ut in composito Physico materia est indeterminata, sed coarctatur a forma ; ita in Sacramento verbum determinat indifferentiam elementi. Denique, ut in composito Physico materia est imperfecta, forma est perfecta, et dat esse rei : ita in Sacramento verba sunt rebus perfectiora, cum sint signa multo clariora, et præstantiora.

Et hoc modo totum verbum cum sua significatione est forma, et totum elementum cum sua significatione, est materia. Id quod probatur Primo, quia ita loquitur Concilium Florent. et veteres Theologi. Nam ipsi dicunt, Sacramentum constitui ex re, et verbo, ut ex materia, et forma. At remota significatione, nulla est compositio ex re, et verbo ; non enim est alia conjunctio rerum, et verborum, nisi quatenus rei significatio indeterminata, determinatur per significationem verbi. Non igitur Concilium, et Theologi volunt solum subjectum significationis constitui ex rebus, et verbis, sed totum ipsum Sacramentum etiam ut signum est formaliter.

Præterea compositio ex re sensibili, et significatione, non est compositio ex materia et forma,, ut partibus essentialibus, sed est compositio ex subjecto, et accidente. At Concilium, et Theologi dicunt : Sacra-

(1) Matth. XXVIII. 19 ; Matth. XXVI. 26.

menta constare ex materia et forma, non ex subjecto, et accidente : sæpe etiam addunt, ideo non posse ab Ecclesia mutari materiam, aut formam Sacramentorum, quia sunt de essentia, seu substantia.

Secundo probatur ratione. Nam significatio Sacramenti, non est una significatio simplex, ut Cajetanus docet, sed duæ sunt partiales, ex quibus una totalis componitur. Ergo ipsa etiam significatio ex materia, et forma componetur, ut ex partibus essentialibus.

Antecedens probatur dupliciter. Primo : Antequam fiat conjunctio elementi, et verbi, utrumque habet suam significationem : Sed ex conjunctione non perit ulla significatio : Non enim potest verbum tollere significationem elementi, quæ est naturalis, sed solum eam determinare, nimirum, ut cum aqua, exempli causa, naturaliter significare possit quamlibet purgationem, determinetur a verbo ad significandam purgationem a peccatis. Manet igitur utraque significatio, sed conjunguntur inter se, ita ut ex duabus partialibus, fiat una integra, et totalis.

Secundo : Tam verbum, quam elementum in Sacramentis significat aliquid, ut omnes docent, et patet etiam ex S. Thoma III. par. quæst. LX. art. 6. ad primum et secundum. Sed verbum non communicat elemento suam significationem, neque verbo elementum : duæ sunt igitur, non una. Assumptio probatur. Quia elementi significatio naturalis est, ut ibidem ait S. Thomas, verbi autem voluntaria. Non igitur significatio elementi communicatur verbo, quia tum naturalis esset, non voluntaria verbi significatio : et contra, significatio verbi non communicatur elemento, quia tunc elementi significatio esset mere voluntaria, et nullo modo naturalis.

Quarta propositio : « Ut Sacramenta constare dicantur rebus, et verbis, non est necesse, ut res non sint verba, et verba non sint res, sed sat est si aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi. » Hæc propositio conciliat tres ultimas sententias. Nam ut Ledesmius recte monet, quæst. 1. art. 6. non est quæstio inter Durandum, et alios, nisi de nomine.

Probatur propositio. Nam in Sacramento Pœnitentiæ potest fieri, ut nulla sint alia signa præter verba. Ex communi enim consensu Theologorum, in Sacramento Pœnitentiæ, forma est absolutio; materia remota sunt peccata; materia proxima sunt actus pœnitentis, id est, contritio, confessio, et satisfactio, quatenus signo externo produntur. Potest autem fieri, ut quis non habeat nisi peccata verbo commissa; et tunc materia remota erunt sola verba. Potest etiam fieri, ut non ostendat signa contritionis, confessionis, et satisfactionis, nisi verbis. Non enim est de essentia Sacramenti, ut pœnitens ploret, suspiret, flectat genua etc. sed si tantum verbo dicat sua peccata, et dicat se esse contritum, et velle satisfacere, potest absolvi; quare materia etiam proxima tunc non erunt, nisi verba. Vere tamen dicuntur esse in eo Sacramento res, et verba, quia peccatum verbo commissum, non ut verbum, sed ut peccatum est materia confessionis : peccatum autem formaliter non est verbum, sed res a verbi ratione valde distincta. Sic etiam confessio non est proprie materia Sacramenti, ut oratio quædam, sed ut actio pœnitentis. Nam ut eleganter docet S. Thomas in IV. dist 14. quæst I. art. 1. singulare est in hoc Sacramento, ut actio suscipientis sit pars essentialis Sacramenti. Ut enim inter corporalia medicamenta, quædam sunt omnino extrinseca, ut emplastra, quæ applicantur ægrotis, et non requirunt ejus actionem, ut partem medicamenti; quædam alia partim sunt extrinseca, partim intrinseca, ut quædam potiones, quæ requirunt ut partem medicamenti, ambulationem : sic etiam quædam Sacramenta omni ex parte applicantur, et conferuntur a ministro, ut Baptismus, Eucharistia etc. sed Sacramentum Pœnitentiæ partim applicatur a ministro per absolutionem, partim requirit ipsius ægroti actionem, nimirum confessionem etc.

Idem jam de forma ostendere possumus; nam in Sacramento Matrimonii omnium consensu, loco verborum sufficiunt nutus, aut litteræ; modo sufficienter exprimatur consensus utriusque partis. Quod vero aiunt Nicolaus Papa 27. quæst. 2. can. Sufficiat; et Alexander Papa, cap. Cum locum, de sponsalibus, et matrimoniis, solum consensum efficere Matrimonium; non ita est accipiendum, quasi consensus interior sufficiat sine signo externo : siquidem idem Alexander, cap. Licet, de sponsa duorum, docet necesse esse, ut consensus, verbis consuetis exprimatur. Itaque illa particula : « Solus consensus dicitur efficere Matrimonium : » non excludit signum, quo exprimitur consensus, sed excludit consensum parentum, et solemnitatem, et alia, quæ non sunt de essentia Matrimonii.

Quinta propositio : « Non est necesse, ut in omni Sacramento res, et verba ita conjungantur, ut partes essentiales ejusdem rei. » Notandum est hoc loco, Sacramentum habere quamdam similitudinem cum rebus naturalibus, quæ ex materia et forma constant : tamen non esse revera compositum naturale, et idcirco non esse requirendas omnes proprietates materiæ, et formæ, sed satis esse, si aliquæ reperiantur.

Probatur hæc propositio ex Eucharistiæ Sacramento. Siquidem in Eucharistia omnium consensu inveniuntur res pro materia, id est, panis, et vinum, et verba pro forma : *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*; et tamen nunquam res istæ, et verba ita conjunguntur, ut materia, et forma in rebus naturalibus. Nam vel Sacramentum Eucharistiæ est solum res ipsa consecrata, id est, species panis, et vini, ut continent corpus, et sanguinem Christi : vel etiam consecratio, aut sumptio, ut quidam volunt, Sacramenta dici possunt. Si consecratio dicatur Sacramentum, tum verba habemus, sed rem non habemus, ex qua Sacramentum componatur : tota enim consecratio in verbis consistit; nam panis, et vinum non concurrunt, ut pars consecrationis, sed ut subjectum circa quod agit Sacerdos; et in quo recipitur actio consecrantis. Cum vero Sacramentum dicitur res ipsa consecrata, vel sumptio, tunc rem habemus, verba non habemus, ex quibus Sacramentum componatur. Verba enim respectu rei consecratæ, non sunt pars essentialis, sed principium productivum; pars enim essentialis manet cum ipsa re, verba autem non manent cum re consecrata, imo tunc primum incipit esse res consecrata, cum verba desinunt esse. Quocirca Concilium Florentinum in instructione Armenorum, non docet, verba Eucharistiæ esse formam ex qua constat Sacramentum, sed ex qua conficitur consecratio. Sic enim ait : « Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc conficitur Sacramentum. » Ex quo intelligimus, quando idem Concilium docet, in omni Sacramento esse res pro materia, et verba pro forma, non debere hoc intelligi ita proprie, ut intelligeremus in vero composito naturali.

Idem ostendi posset ex Sacramento Confessionis. Nam non solum, ut diximus, in eo Sacramento materia sunt verba, quæ gerunt vicem rerum; sed etiam potest fieri, ut uno die fiat confessio et altero die detur absolutio, ac proinde tum non simul sint materia, et forma : quod in nullo composito vere Physico reperitur. Quocirca tum Concilium Florentinum in instructione Armenorum, tum etiam Tridentinum sess. XIV. can. 4. dicunt, in Sacramento Confessionis actus pœnitentis esse quasi materiam; nec audent absolute dicere esse materiam.

Ex quibus omnibus apertissime colligimus materiam, et formam in Sacramentis largo modo esse accipiendam; atque hinc etiam facile solvuntur omnia, quæ contra objici solent.

CAPUT XIX.

Verbum, quod cum elemento Sacramentum facit, non esse concionale, sed consecratorium.

Diximus in Sacramentis res, et verba requiri, in quo cum adversariis convenimus. Neque dubitatio illa superest de re, qui sit illud videlicet, quod in Sacramentis adhibendum est, ut sensibile signum; fatentur enim nobiscum in Baptismo aquam, in Eucharistia panem, et vinum adhibendum. De materiis aliorum Sacramentorum non est opus hic disserere, quoniam ea non habentur ab adversariis pro Sacramentis.

Unum hic addam, ridicule Brentium in Confessione Wirtembergensi, cap. de Baptismo, excludere Chrisma ab usu Sacramenti, quod dicat ad elementa mundi pertinere, et in usu fuisse Judæis in cæremoniis Testamenti veteris. Nam si ea ratio quidquam valeret, excludere oporteret etiam aquam. Nam aqua magis pertinet ad elementa mundi, quam oleum, cum sit ipsa unum ex quatuor elementis mundi, oleum vero non inter elementa, sed inter mixta numeretur. In cæremoniis quoque Judæorum longe frequentiores erant ablationes aquæ, quam inunctiones olei.

Sed his omissis, de quibus alio loco dicendum erit, quæstio gravissima est de verbo, quod cum re conjunctum, Sacramentum facit. Nam Catholici omnes docent, verbum

Sacramenti esse pauca quædam verba a Deo præscripta, quæ super materiam a ministro pronuntianda sint; ut in Baptismo illa verba: « Ego te Baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » In Eucharistia illa: *Hoc est enim corpus meum;* et de cæteris ad eumdem modum.

At Joannes Calvinus lib. IV. Instit. cap. 14 § 4. contendit verbum Sacramentale nihil esse aliud, nisi concionem; sic enim loquitur: « Hoc est quod vulgo dicunt, constare Sacramentum verbo, et externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu et fide insusurratum, solo strepitu velut magica incantatione consecrandi elementi vim habeat: sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Quod ergo sub Papæ tyrannide factitatum est, non caruit ingenti mysteriorum profanatione; putant enim satis esse, si sacerdos, populo sine intelligentia obstupente consecrationis formulam demurmuraret. » Et infra: « Ergo cum de verbo Sacramentali fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus quæ clara voce a ministro prædicata plebem eo manu ducat, quo signum tendit, ac nos dirigit. » Hæc ille. Sed antequam vel probemus aliquid, vel refellamus, explicanda est diligenter Calvini sententia.

Primo igitur annotandum est, Calvinum, et cæteros adversarios nostros aliter sentire, et loqui de Baptismo, aliter de Eucharistia, quæ duo sola sunt apud eos propriissime Sacramenta. Nam in Baptismo duo genera verborum requirunt, in Eucharistia unum tantum: siquidem in Baptismo Primo loco requirunt verbum concionale, quo a ministro proponatur, et explicetur promissio divina. Deinde requirunt, ut dum aspergitur aqua, simul dicantur illa verba: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Id quod patet tum ex libello Calvini de formula ministrandi Sacramenta; tum ex Melanchthone in locis, cap. de Baptismo; tum ex praxi ipsorum quotidiana; tum denique, quia non rebaptizantur apud Catholicos ii, quos Lutherani, et Calvinistæ baptizarunt: quod tamen esset faciendum, nisi illi veram formam Sacramenti adhiberent dum baptizant.

Porro in Sacramento Eucharistiæ Calvinistæ (ut ex formula Calvini perspicuum est) non requirunt aliud verbum, quam institutionis; jubent enim Primo loco recitari institutionem Sacramenti ex cap. XI prioris ad Corinthios, eo fere modo, quo nos in Missa recitamus lectionem ex eadem epistola ad populi instructionem. Deinde adhibet concionator explicationem; et tum demum sine ullo signo crucis, aut alio verbo, seu ritu sacro distribuunt panem, et vinum. Exstat alia formula Anglorum, qui Genevæ degunt, in qua post lectionem epistolæ ad Corinthios, et concionem, sequitur gratiarum actio conceptis verbis, quam alta voce pronuntiat minister, et tum demum sine ullis verbis consecratoriis, distribuitur panis, et vinum.

Lutherani autem non eodem modo omnes agunt, sed alii recitant verba institutionis mere historice, alii recitant cum intentione consecrandi, alii nihil recitant: quorum opiniones vide apud Kemnitium in 2. par. Examinis, pag. 346.

Ex quibus sequitur habere adversarios verum Baptismum, sed non veram Eucharistiam, nisi forte admodum paucos, eos videlicet, qui adhibent verba, et fuerunt in Ecclesia ordinati Sacerdotes.

Secundo notandum est, quod Calvinus dicit, verbum Sacramentale esse concionem, duobus modis intelligi posse. Uno modo, ut velit concionem esse partem Sacramenti essentialem, ita ut sine concione non sit Sacramentum. Altero modo, ut velit concionem non esse partem Sacramenti, sed tantum requiri, ut Sacramentum fructuose percipiatur.

Et quidem valde probabile est, Lutheranos, qui præter concionem adhibent verba consecrationis in omnibus Sacramentis, non requirere concionem ad essentiam, sed ad fructum tantum Sacramenti assequendum; proinde cum eis nulla erit hoc loco altercatio: iis tamen exceptis, qui verba ipsa Sacramentalia non proferunt ad consecrandum, sed ad instruendum, et aperte Evangelii prædicationem vocant, ut facit Joannes Brentius in Confessione Wirtembergensi cap. de Eucharistia.

At Calvinus videtur quidem interdum loqui de verbo concionali, ut de re distincta a Sacramento, ut cum ait lib. IV. cap. 14. § 3. Sacramentum esse quasi appendicem verbi: tamen sæpius de eo loquitur, ut de parte essentiali Sacramenti. Nam in verbis supra citatis dicit, Sacramentum constare duabus rebus, signo, et verbo, et per verbum dicit se intelligere concionem. Item ibidem explicat de verbo concionali, illud Augustini: « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum »: ubi sine dubio verbum ponitur de essentia Sacramenti. Nam ibidem Augustinus, et ex Augustino Calvinus, ait: « Sine verbo quid est aqua nisi aqua? » id est, aqua sine verbo non est Sacramentum, sed profanum elementum. Præterea si concionale verbum non esset de essentia Sacramenti, in Eucharistia nullum esset verbum de essentia, apud Calvinistas: non enim aliud verbo in eo Sacramento habent, nisi concionale. Præterea in commentario cap. V. ad Ephes. explicans Calvinus illud (Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ): « Apparet, inquit, nullam in Papatu legitimam esse signorum observationem. Nam verbum quidem per se habere jactant, sed quod sit incantationis vice: quia illud lingua incognita demurmurant, et ita quasi demortuo elemento potius, quam hominibus destinatum foret; nulla mysterii explicatio ad populum; quæ sola facit ut mortuum elementum incipiat esse Sacramentum. » Nota ultima verba.

Denique Theodorus Beza omnem dubitationem tollit, cum ita scribit in libro, quem inscripsit: Summa doctrinæ de re Sacramentaria: « Quæ est causa formalis Sacramentorum? Ordinatio Dei in ipsius verbo comprehensa, et ab ipsius ministro explicata secundum ejus mandatum: non autem pronuntiatio ipsa illorum verborum, neque ulla vis in vocabulis latens. » Hæc ille. Ex quo intelligimus verba illa Baptismi: « Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti », recitari quidem a Calvinistis dum aspergitur aqua, sed non esse illa verba formam Sacramenti apud eos: verum concionem præcedentem esse formam, illa autem verba ad ritum pertinere, ut paulo infra idem Theodorus indicat: et illa ipsa non proferri, ut consecretur aqua, sed ut etiam inde instruatur populus.

Notandum est Tertio, tria esse, in quibus nos a Calvinistis dissentimus, quæ sunt ordine demonstranda. Primum enim nos in omni Sacramento docemus, necessarium esse verba quædam a Deo instituta pronuntiari in ipsa actione Sacramenti: illi solum in Baptismo id necessarium docent. Secundo nos docemus, ad essentiam Sacramenti non requiri verbum concionale, illi affirmant, requiri. Tertio nos docemus, ad essentiam Sacramentorum requiri verba certa concepta, consecratoria, et hæc esse, quæ dicantur proprie verba Sacramentalia; illi hoc totum negant, et magicam incantationem vocant. Nam etiam verba Baptismi, ut dixi, non ideo recitant dum aspergunt aqua, sed ut instruatur populus, ut sint etiam illa verba pars quædam concionis: in quo, ut dixi, Joannes Brentius, et alii quidam ex Lutheranis cum Calvinistis conveniunt Et hæc est ratio, cur illi lingua vulgari, nos Latina utamur in Sacramentis: illi enim populum docere volunt, qui non intelligit linguam Latinam, nos Deum invocamus ad sanctificandum elementum, Deus autem omnes linguas intelligit.

Sit igitur Prima propositio: « Non solum in Baptismo, sed etiam in cæteris Sacramentis requiruntur verba in ipsa celebratione mysterii. » Probatur. Nam in Eucharistia, Dominus dum panem benedixit, certa verba pronuntiavit nimirum: *Hoc est corpus, quod pro vobis datur*, ac deinde jussit, ut idem nos faceremus: « Hoc, inquit, facite in meam commemorationem, » Luc XXII. Debemus igitur et nos certis verbis uti, si facere volumus, quod ipse fecit, ut nobis imperavit.

Dicent fortasse, Christum imperasse, ut faceremus, quod ipse fecit, non autem ut diceremus verba, quæ ipse dixit. Sed nos respondemus, illud (Hoc facite) referri ad totam actionem Christi, ita ut comprehendat etiam verba. Id quod (ut omittam nunc alia argumenta) discimus ex traditione, et usu Catholicæ Ecclesiæ, quæ traditio si non recipiatur, in dubium revocabitur etiam forma Baptismi. Nam unde, quæso, colligitur, dum aqua aspergitur, dicenda esse illa verba: « Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti? » certe non aliunde quam ex illis verbis Matth. ult: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.* At ex hoc loco id non potest certe colligi, nisi recipiatur Ecclesiæ traditio. Non enim Dominus ait, Dicite: Baptizo te in nomine Patris etc. satis igitur erit, si aspergentes aquam dicamus, In nomine Patris, et Filii etc.

Præterea non etiam dixit Dominus, Dicite: In nomine Patris etc. sed solum ait: *Baptizantes eos, in nomine Patris etc.* quæ verba non cogunt, ut dicamus, In nomine Patris etc. sed solum ut baptizemus auctoritate Dei, nimirum ut ejus ministri, quod potest fieri, etiamsi nihil dicamus, Id quod

ex aliis similibus locis demonstrari potest. Nam Marci ultim. Dominus ait : *In nomine meo dæmonia ejicient, super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Et tamen non erat opus, ut Apostoli, cum aliquem curare volebant, dicerent voce, In nomine Domini, sed satis erat, si cogitatione : nam Actor. IX. Petrus excitavit Tabitham, et Actor. XIV. Paulus sanavit claudum sine ulla mentione nominis Christi. Sic etiam Matth. XVIII. Dominus ait : *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Et tamen non est opus, ut qui volunt congregari in nomine Christi, dicant verbis : Congregamur in nomine Christi : sed satis est si conveniant Christi auctoritate. Sic denique Joan. V. Dominus ait : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recipistis me : si alius venerit in nomine suo, illum recipietis* (1). Ubi non significatur aliud per nomen, nisi auctoritas.

Quod igitur in Baptismo dicere debeamus : « Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » non ex sola Scriptura certo colligi potest, sed ex Scriptura, adjuncta Ecclesiæ explicatione, et praxi. Quod si in Baptismo recipitur Ecclesiæ auctoritas, cur non etiam in Eucharistia, et cæteris Sacramentis?

De aliis Sacramentis idem probari potest, quamquam non sit valde necessarium, cum ea ab adversariis non recipiantur. In Confirmatione perspicuum est, adhibenda esse verba ex cap. VIII Actor. ubi Apostolim anus imponentes simul orabant. Unde Cyprianus in epist. ad Jubaianum : « In impositione, inquit, manuum invocatur, et infunditur Spiritus sanctus super baptizatos. » Idem habet Ambrosius lib. III de Sacrament. cap. 2 : « Post fontem, inquit, superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. » Idem habet Hieronymus in lib. contra Luciferianos ; et Augustinus lib. III. de Baptismo cap. 16.

In Sacramento Pœnitentiæ requiri etiam verba, patet ex illo Joan. XX : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur* ; (2) nec enim id fieri potest sine verbis. Unde Joannes Chrysostomus in commentario ejus loci, dicit, Deum uti, et manu, et lingua sacerdotis ad absolvendum ; et S. Leo in epistol. 91. ad Theodorum dicit, post Baptismum Deum sic ordinasse remedium Pœnitentiæ, ut nisi supplicationibus sacerdotum venia nequeat obtineri.

In Sacramento Ordinis requiri verba, docet Ambrosius in cap. IV. prioris ad Timotheum : « Manus impositiones, inquit, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens auctoritatem, teste conscientia sua, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre. » Item Hieronymus in cap. LVIII Isaiæ, dicit Ordinationem clericorum fieri ad imprecationem vocis, et impositionem manuum.

In Sacramento Unctionis ægrotorum, planum est requiri verba ex epistola Jacobi cap. V : *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini etc.* (3).

Denique in Matrimonio res est perspicua, cum non possit constare mutua consensio, nisi verbis, aut signis æquivalentibus exprimatur. Itaque Calvinus etiam in libro de forma ministrandi Sacramenta, licet Matrimonium non habeat pro Sacramento, tamen vult in Ecclesia, celebrari, et præscribit certam formam verborum.

Secunda propositio : « Non requiritur verbum concionale ad essentiam ullius Sacramenti. » Probatur Primo ; argumento ab auctoritate Scripturæ negative, quod ab adversariis magnifieri solet, et debet, cum nihil oporteat in rebus divinis facere sine Dei verbo, et ipsi nullum Dei verbum agnoscant, nisi scriptum. Igitur in Scripturis fit mentio Baptismi ; primum Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit etc.* deinde Joan. IV. ubi habemus, Dominum per discipulos baptizasse ; item Marci ult : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* : ad Tit. cap. III : *Salvos nos fecit per lavacrum.* I. Pet. III : *Vos salvos facit Baptisma* (4). Sed in his locis nulla fit mentio verbi, nedum concionis.

Duo tantum sunt loca, ubi fit mentio verborum. Unus est ad Ephes. V : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Alter Matth. ultim. : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (5).

Prior locus explicari debet per posteriorem ; tum quia hæc sit regula generalis etiam ab adversariis celebrata, ut cum id fieri potest, una Scriptura per aliam explicetur : tum quia Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, aliique interpretes ita docent : dicunt enim illud : « In verbo vitæ, significare, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Unus est Hieronymus, qui in commentario hujus loci per, *verbum vitæ*, intelligit doctrinam. Sed observandum est, Hieronymum omisisse litteralem expositionem, et solum exposuisse mystice, id est, ut ipse dicit, tropologice. Non enim per lavacrum intelligit Baptismum, sed purgationem quamlibet, quæ per doctrinam fieri potest. Omnes autem interpretes, qui ad litteram exponunt, per lavacrum intelligunt Baptismum, et per verbum, intelligunt invocationem Trinitatis.

(1) Marc. XVI, 18 ; Matth. XVIII, 20 ; Joan. V, 45. — (2) Joan. XX, 23. — (3) Jac. V, 14. — (4) Joan. III, 3 ; Marc. XVI, 16 ; Tit. III, 5 ; I. Petr. III, 21. — (5) Eph. V, 25 ; Matth. XXVIII, 19.

Remanet ergo solus locus ille Matthæi ultim. : *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* quo loco non negamus juberi, ut instructio præcedat Baptismum : imo hoc ipsum nos docemus, et facimus ; non enim baptizamus ullos adultos, nisi prius diu multumque instructi fuerint. Sed negamus hoc loco præscribi concionem tamquam partem essentialem Sacramenti, imo asserimus distingui hoc loco aperte doctrinam a Sacramento. Sic enim distinguit S. Hieronymus, in commentario hujus loci : « Ordo, inquit, præcipuus, jussit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes ; deinde fidei intingerent Sacramento, et post fidem, ac Baptisma, quæ essent observanda, præciperent. »

Porro, quod diximus de Baptismo, dici potest etiam de Eucharistia. Nam nec Dominus Matth. XXVI, nec Paulus I. Corinth. XI. dicunt fieri debere concionem, cum celebratur cœna Dominica ; nec ipse Dominus ullam habuit concionem, nec explicuit vim Eucharistiæ (quod tamen Calvinus necessarium putat) in ipsa cœnæ celebratione. Habuit quidem postea longissimum sermonem, quem Joannes descripsit cap. XIV, XV et XVI sed is nihil ad cœnam pertinebat, tum quod post cœnam habitus sit, tum etiam, quod nihil in eo de cœna Dominus disseruerit. Videri igitur Calvinus, ex quo Evangelio didicerit, concionem esse formam Sacramenti.

Secundo probatur, non esse concionem de essentia Sacramenti. Nam si ita esset, non distinguerentur officia concionandi et baptizandi. Quicumque enim concionaretur, hoc ipso baptizaret, quandoquidem ministraret formam Baptismi : et contra, qui baptizaret, concionaretur, cum Baptismus formaliter nihil aliud sit, nisi concio. At contradicit huic sententiæ Beatus Paulus, cum ait I. Corinth. I : *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare* (1). In quem locum præclare scribit commentarius, qui tribuitur Ambrosio : ostendit enim multo minus esse baptizare, quam prædicare, ex eo, quod qui baptizat, solum prænuntiat solemnia quædam verba, et aquam infundit, quod facillimum est. Unde etiam Petrus Actor. X. postquam prædicaverat Cornelio, non ipse eum baptizavit, sed jussit a ministris inferioribus baptizari. At secundum Calvinum Petrus ipse baptizasse dicendus esset, qui formam adhibuit Baptismi.

Tertio ; Si forma Baptismi esset concio, varia essent Baptismata pro varietate concionum : non enim omnes eodem modo concionantur. At unum Baptisma esse, sicut unus est Deus, et unus Dominus, testatur Apostolus ad Ephes. IV. et Symbolum Constantinopolitanum.

Quarto ; Si forma Baptismi esset concio, falsum Baptismum haberent hæretici, ac proinde rebaptizandi essent : non enim vera esse potest prædicatio hæreticorum. At Ecclesia approbat Baptisma quorumlibet hæreticorum, modo detur verbis præscriptis, id est, « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » etiamsi addant ipsi perversissimam concionem, ut docet S. Augustinus lib. III. de Baptismo cap. 15 : « Si Evangelicis, inquit, verbis, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub iisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, (id est, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti) non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ, si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Numquid tamen ideo non integrum Sacramentum accipiunt? »

Quinto ; Baptismum Catholicorum datur sine ulla concione. Etsi enim præcedit Catechismus, et sermones, ac prædicationes permultæ, tamen eo die, quo fit Baptismus,

(1) I. Cor. I, 17.

ordinarie concio fieri non solet. Et tamen Calvinus non jubet rebaptizari Catholicos, imo fatetur verum esse eorum Baptismum lib. IV. Instit. cap. 15. §. 16 : « Tales, inquit, hodie sunt Catabaptistæ nostri, qui rite nos baptizatos pernegant, quod ab impiis, et Idololatris in regno Papali baptizati sumus. Itaque Anabaptismum furiose urgent etc. » Quomodo ista cohærent, ut concio sit forma Baptismi, et tamen sine concione verus Baptismus dari possit? Quomodo etiam verba ista ex libris Institutionum concordant cum verbis ejusdem Calvini supra citatis ex commentario V. cap. ad Ephes. ubi ait, nullam esse apud Papistas legitimam signorum observationem, quod desiit apud eos explicatio ad populum, quæ sola facit ut mortuum elementum incipiat esse Sacramentum?

Sexto; Si forma Baptismi esset concio, parvuli certe baptizandi non essent : non enim fieri debet concio, ubi non est, qui audiat, et intelligat. Monet enim Sapiens Eccles. XXXII : *Ubi non est auditus, non effundas sermonem* (1). At pueri nihil intelligunt, nec attendunt, aut attendere possunt ; igitur non est illis concio facienda : quare nec baptizari debent, aut possunt.

Ad hoc argumentum dupliciter responderi solet, aliqui enim, ut Lutherani, volunt parvulos percipere concionem. Sed hos supra refutavimus dilemmate S. Augustini in Epist. ad Dardan. Aut usum rationis habent, aut non : si non habent, ergo non intelligunt; si habent, ergo sacrilegi sunt, qui Sacramentum recusant, ut patet.

Alii, ut Calvinus lib. IV. Instit. cap. 16. §. 20. dicunt, parvulos non percipere Sacramentum utiliter pro eo tempore, tamen verum Sacramentum percipere, quod postea utile sit futurum. Sed hæc solutio non est sufficiens. Nam si verbi prædicatio est de essentia Baptismi, non minus, quam aqua; certe debet percipi non minus, quam aqua, alioqui non modo inutile, sed etiam nullum erit Sacramentum. Quod si aqua aspergeretur a ministro, infantem vero non attingeret, nemo diceret illum esse baptizatum ; ergo si concio fiat, et non percipiatur ab infante, nemo dicere debet ex Calvinistis, illum esse baptizatum. Concio autem non vere percipitur, nisi cum intelligitur : non enim dicitur percipere concionem, quæ proprie instructio quædam est, qui non instruitur, etiamsi sonum quemdam audiat. Non ergo infantes percipiunt formam Sacramenti, quare nec Sacramentum. Aut igitur Calvinistæ fiant Anabaptistæ, aut desinant concionem requirere ad essentiam Sacramenti.

Tertia propositio : « Requiritur ad essentiam Sacramenti certa forma verborum, quæ non tam instruat circumstantes, quam consecret et sanctificet elementum. » Hæc est non modo adversus Calvinum, sed etiam adversus Brentium, ac cæteros Lutheranos, quæ verba ipsa consecrationis pronuntiari volunt ad instruendum populum, non ad materiam consecrandam; et idcirco nefas esse putant, si ea verba Latine pronuntientur apud populum Latinæ linguæ imperitum.

Probatur hæc propositio Primo; Verba a Domino præscripta in Baptismo, non habent formam instructionis, sed invocationis et benedictionis. Id quod probatur ex ipsa forma loquendi Christi. Non enim ait : Docete omnes gentes nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed : *Baptizantes eos in nomine Patris etc.* ubi verba illa, *In nomine Patris etc.* respiciunt actum baptizandi, non actum docendi : proinde sonant invocationem Trinitatis super aquæ aspersionem, non declarationem mysterii ad auditores. Deinde, si licet Scripturam exponere per Scripturam, perspicuum erit, *In nomine Patris etc.* sonare invocationem, non instructionem : sic enim accipitur ista forma loquendi in aliis locis, ut Marci ult: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Actor. III : *In nomine Jesu Christi surge, et ambula.* Matth. VII: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus?* (2) et alibi passim. Deinde, si verba ista ad instructionem pertinerent, valde profecto imperfecta essent : non enim solum instrui debent de Trinitate qui baptizantur, sed etiam de incarnatione, et passione Domini, et præcipue de promissione gratiæ ob Christi meritum ; quarum rerum nulla in his verbis mentio fit.

Secundo ; Verba, quæ dicuntur in mysterio Eucharistiæ ab Apostolo, dicuntur verba benedictionis, quod certe non instructionem, sed consecrationem sonat. I. Corinth. X : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* (3) Idem argumentum duci posset ab aliis Sacramentis, si ea reciperent adversarii. Vide tamen quæ diximus in confirmatione primæ propositionis.

(1) Eccl. IXIX, 6. — (2) Marc. XVI, 17 ; Act. III, 6; Matth. VII, 22. — (3) I. Cor. X, 16.

Tertio probatur ex illis Apostoli verbis I. Corinth. I : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* (1) ubi Apostolus demonstrare vult, Sacramentorum actores non esse eos homines, qui illa ministrant, sed Deum : idque inde probat, quia non dantur in nomine ministrorum, sed in nomine Dei, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nomen igitur in verbis Sacramentorum, invocationem significat, ex qua colligitur auctoritas. Unde Chrysostomus hom. 3. in priorem ad Corinthios : « Noli, inquit, mihi dicere, quis baptizavit, sed in cujus nomine; neque qui baptizat, sed quem in baptismate invocamus, requiritur. » Vide de hoc loco, et de hoc argumento Optatum Milevitanum, lib. V. contra Parmenianum.

Quarto idem probatur ex traditione Conciliorum. Nam Concilium Nicænum can. 19. jubet rebaptizari Paulianistas : quod idem statuit Concilium Laodicenum can. 8. de Cataphrygibus. At contra Concilium I Arelatense eodem tempore celebratum can. 8. et Siricius epist. I. cap. 1. jubent, Arianos non rebaptizari, cujus differentiæ causa non potest reddi nisi illa, quam reddit Innocentius I. in epist. 22. cap. 3. quia videlicet Paulianistæ, et Cataphryges non solum non credebant Trinitatem, sed nec baptizabant cum invocatione Trinitatis : at Ariani licet non crederent Trinitatem unius essentiæ, tamen baptizabant in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. At certe quantum ad instructionem, et explicationem, tam errabant circa Trinitatem Ariani, quam Paulianistæ, et Cataphryges : non igitur instructio, sed invocatio Baptismum perficit.

Quinto probatur ex Patribus, qui cum de verbis Sacramentorum loquuntur, non instructionis, sed invocationis, et consecrationis mentionem faciunt. Dionysius Areopagita in lib. de Ecclasiast. Hierar. cap. ult. vocat verba Sacramentorum τὰς τελεσγὰς ἐπικλήσεις, id est, consecratorias invocationes. Justinus in Apologia ad Antoninum Pium : « Super eo, inquit, qui renascendum sibi esse statuerit, parentis rerum omnium, et Domini Dei nomen nominatur, atque id ipsum solum lavaturum istum ad lavacrum ducentes invocamus. » Et infra : « In nomine etiam Jesu Christi crucifixi, atque in nomine Spiritus sancti abluitur is, qui illuminatur. » Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 15 : « Tribus, inquit, mersionibus, ac totidem nomenclaturis, sive invocationibus magnum Baptismatis mysterium perficitur. » Cyrillus catechesi 3 : « Aqua simplex, inquit, per Sancti spiritus, Christi, et Patris invocationem, sanctitatem consequitur. »

Athanasius ser. 3. contra Arianos, circa medium : « Cur, inquit, dum initiamur Baptismate, una cum Patre, Filii quoque nomen recensetur? nam ut Pater sit insufficiens, nefaria vox est etc. » ubi docet, tres personas nominari in Baptismo, non quod una non sufficiat sanctificare hominem, sed quia inseparabiles sunt ob naturæ unitatem. Quocirca vult verba illa Baptismi non dici ad instruendum populum, ut hæretici somniant, sed ad invocandum Deum, qui per Baptismum nos sanctificat.

Gregorius Nyssenus in lib. de Baptismo : « Omitte, inquit, mecum confligere, et opponе te, si potes, Domini vocibus, quæ invocationem, et cognominationem Baptismatis hominibus instituerunt. Et quæ sunt verba Domínici præcepti? Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Et infra : « Submittimus nos Patri, ut sanctificemur etc. »

Cyprianus, vel quicumque fuit auctor, in serm. de Baptismo Christi, prope initium ; « Verborum, inquit, solemnitas, et sacri invocatio nominis, et signa institutionibus Apostolicis sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum : rem vero ipsam Spiritus sanctus format, et efficit, et consecrationibus visibilibus invisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit. »

Ambrosius lib. II. de Sacramentis, cap. 3 : « Venit, inquit, sacerdos, precem dicit ad fontem, invocans Patris nomen, præsentiam Filii, et Spiritus sancti, utitur verbis cœlestibus. Cœlestia verba, quæ Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Si ergo ad hominis sermonem ad invocationem Sancti, aderat præsentia Trinitatis, quanto magis ibi adest, ubi sermo operatur æternus? » Similia dicit de verbis Eucharistiæ lib. IV. de Sacramentis, cap. 4.

Augustinus lib. III. de Baptismo contra Donatistas, cap. 10 : « Non est, inquit, aqua profana, et adultera, super quam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis, et adul-

(1) I. Cor. I, 13.

teris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus vero Christi verbis Evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici, et immundi, quia ipsa ejus sanctitas polluì non potest, et Sacramento suo divina virtus assistit. » Et lib. V. cap. 20 : « Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel supra aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen, et fiunt, et valent etiam per homicidas. »

CAPUT XX.

Solvuntur objectiones.

Solvendæ supersunt objectiones Calvini, qui primo loco profert testimonium S. Augustini ex tracta. 80. in Joan. ubi S. Augustinus, postquam dixerat : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat? » adjungit : « Nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens : hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Unde in Actis Apostolorum : Fide mundans corda eorum. Et Petrus Apostolus : Sic nos Baptisma salvos facit, non depositio sordium carnis, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est, verbum fidei, quod prædicamus. » Hæc ille.

Respondeo : Locus hic mire torquere solet nonnullos, cum tamen non usque adeo obscurus esse possit, cum sit pars quædam concionis ad populum habitæ, nisi forte credimus S. Augustinum per ænigmata prædicare solitum, ut Œdipo opus esset ad eam intelligendum. Referam igitur quid alii sentiant, et refellam ea, quæ non videntur recte dicta.

Primum igitur Calvinus contendit, totum hunc locum de concione intelligendum. Sed fallitur apertissime. Primo, quoniam Augustinus ait : « Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? » At detracto verbo concionis, adhuc aqua Baptismi non est pura aqua, sed aqua sacra, et Sacramentalis. Nam apud nos nulla fit concio in Baptismo, et tamen Baptismum nostrum verum Sacramentum Calvinus esse fatetur, lib. IV. Instit. cap. 15. § 16.

Secundo, Augustinus ait : « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » At concio non accedit ad elementum, sed præcedit, ut ipse idem Calvinus docet, lib. IV. c. 14. § 3. Oportuisset ergo, ut diceret : Accedit ad verbum elementum, et fit Sacramentum.

Tertio, Augustinus ait : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? » Et infra : « Mundatio nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. » Ubi fatetur Augustinus, ipsam etiam aquam vim habere mundandi, sed eam non ex se habere, sed a verbo. At concio nihil tribuit aquæ : tota enim refertur ad instruendos auditores, non ad sanctificandam aquam. Imo id nobis objicit Calvinus in commentario, cap. V. ad Ephesios, tamquam valde absurdum, quod in Sacramentis interdum verba referamus ad ipsum elementum consecrandum, et non ad populum instruendum.

Quarto, Augustinus ait : « Hoc verbo, ut mundare possit, consecratur et Baptismus. » At idem Augustinus docet verbum, quo Baptismus consecratur, esse illam invocationem : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Sic enim loquitur, lib. III. de Baptismo, contra Donatistas, c. 15 : « Quamobrem si Evangelicis verbis : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum. » Id ipsum repetit in infinitis locis.

Quinto, Augustinus ait : « Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem. » At verbum concionale nihil prodest, nisi actu creatur, ut notum est : non igitur Augustinus de concionali verbo loquitur.

Rejecta igitur Calvini sententia, quidam ex Catholicis docent, Augustinum loqui de verbo non concionis, nec consecrationis, sed institutionis Sacramenti : illud enim suo modo efficit Sacramentum, consecrat aquas, mundat infantem etc.

Sed neque hæc explicatio admitti potest. Primo, quoniam non tollit difficultatem, quam adversarius nobis objecit, ex illis verbis : « Non quia dicitur, sed quia creditur. » Et ex illis : « Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; » quæ verba ter repetuntur hoc loco ab Augustino.

Nihil enim horum quadrat in verba institutionis Sacramenti. Nam verba institutionis non ideo vim habent, quia creduntur, sed quia dicta sunt a Domino, qui solus potuit ex elementis facere Sacramenta. Neque verba institutionis sunt proprie verbum fidei, quod prædicamus : nam ibidem explicat Augustinus, quod sit hoc verbum fidei, cum ait : « Quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. »

Secundo, Augustinus præter verbum, de quo hic loquitur, non agnoscit in Sacramento aliud verbum; sed nudum ac solum elementum, ut patet ex illis verbis : « Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? » Et : « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » Et : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? » Non igitur hoc verbum est verbum institutionis, cum certum sit præter verbum institutionis, Sacramenta constare ex verbis, et elementis, et non esse nuda elementa.

Alia item Catholicorum sententia est, Augustinum loqui solum de verbo cæremoniali, seu consecratorio. Quæ sententia melior est cæteris duabus : tamen habet hoc unum incommodum, quod non potest reddere causam, cur Augustinus allegaverit ex c. X. epist. ad Romanos illa verba : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in corde tuo etc* » Et rursus cur paulo infra allegaverit illa ex cap. XV. Actorum : *Fide mundans corda eorum.* Et ex I. Pet. III. illa : *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Et denique illa ex cap. XV. Joan. : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* (1). Nam nihil horum trahi potest, ad verba consecrationis, nisi per summam vim, et nisi ex concione populari, ut supra dixi, ænigmata faciamus.

Dico igitur, Augustinum hoc loco non semper loqui de eodem verbo, sed nunc de Sacramentali, nunc de concionali, ut ex argumentis jam factis planum factum est.

Dices : ergo Augustinus in perpetua æquivocatione versatur, cum iisdem sententiis tam differenter accipiat nomen verbi : exempli causa, cum dixisset : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? » Subjungit : « Non quia dicitur, sed quia creditur, » ubi aperte loquitur de verbo concionali : proinde aut etiam antea loquebatur de concionali, aut vitiosam æquivocationem committit.

Præterea ad probandum, aquam habere vim ex verbo, profert testimonium B. Pauli, ex c. X. ad Rom. : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis etc.* Et illud Actor. XV : *Fide mundans corda eorum.* Et illud, I. Pet. III : *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Et addit : *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Sed quid, quæso, probat Augustinus, si æquivoce de verbo loquitur?

Denique in extrema concione cum dixisset, aqua per verbum mundari infantem, subjungit continuo : « Hoc totum fit per verbum, de quo Dominus ait : Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis; » quæ verba de concione Domini sunt intelligenda necessario. Quare vel etiam superiora intelligi debent de concionali verbo, et non de Sacramentali, ut nos paulo ante dicebamus; vel erit in his verbis intolerabilis æquivocatio.

Respondeo, nullam esse in verbis Augustini æquivocationem. Siquidem ipse explicanda susceperat illa verba Domini, Joan. XV : *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Dum autem illa verba explicaret, proposuit sibi ipsi quæstionem, cur non dixerit potius Christus : Jam vos mundi estis propter Baptismum, quo loti estis. Nam etiamsi verbum Domini prædicatum mundat, quatenus gignit fidem, quæ est initium justificationis, tamen etiam Baptismus mundat, cum statim abluat sordes omnium peccatorum.

Ad hanc quæstionem respondet, Christum dixisse : *Vos mundi estis, propter verbum*, et non dixisse : Mundi estis propter Baptismum quia in omni mundatione, sive ea fiat in Sacramento, sive extra Sacramentum, semper vis mundandi oritur ex verbo. Nam si fit mundatio extra Sacramentum, necessario fit per actualem fidem : fides autem ex auditu,

(1) Rom. X, 8 et 9; Act. XV, 9; I. Petr. III, 21; Joan. XV, 3.

teris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus vero Christi verbis Evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici, et immundi, quia ipsa ejus sanctitas polluì non potest, et Sacramento suo divina virtus assistit. » Et lib. V. cap. 20 : « Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel supra aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen, et fiunt, et valent etiam per homicidas. »

CAPUT XX.

Solvuntur objectiones.

Solvendæ supersunt objectiones Calvini, qui primo loco profert testimonium S. Augustini ex tracta. 80. in Joan. ubi S. Augustinus, postquam dixerat : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat? » adjungit : « Nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens : hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Unde in Actis Apostolorum : Fide mundans corda eorum. Et Petrus Apostolus : Sic nos Baptisma salvos facit, non depositio sordium carnis, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est, verbum fidei, quod prædicamus. » Hæc ille.

Respondeo : Locus hic mire torquere solet nonnullos, cum tamen non usque adeo obscurus esse possit, cum sit pars quædam concionis ad populum habitæ, nisi forte credimus S. Augustinum per ænigmata prædicare solitum, ut Œdipo opus esset ad eam intelligendum. Referam igitur quid alii sentiant, et refellam ea, quæ non videntur recte dicta.

Primum igitur Calvinus contendit, totum hunc locum de concione intelligendum. Sed fallitur apertissime. Primo, quoniam Augustinus ait : « Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? » At detracto verbo concionis, adhuc aqua Baptismi non est pura aqua, sed aqua sacra, et Sacramentalis. Nam apud nos nulla fit concio in Baptismo, et tamen Baptismum nostrum verum Sacramentum Calvinus esse fatetur, lib. IV. Instit. cap. 15. § 16.

Secundo, Augustinus ait : « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » At concio non accedit ad elementum, sed præcedit, ut ipse idem Calvinus docet, lib. IV. c. 14. § 3. Oportuisset ergo, ut diceret : Accedit ad verbum elementum, et fit Sacramentum.

Tertio, Augustinus ait : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? » Et infra : « Mundatio nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. » Ubi fatetur Augustinus, ipsam etiam aquam vim habere mundandi, sed eam non ex se habere, sed a verbo. At concio nihil tribuit aquæ : tota enim refertur ad instruendos auditores, non ad sanctificandam aquam. Imo id nobis objicit Calvinus in commentario, cap. V. ad Ephesios, tamquam valde absurdum, quod in Sacramentis interdum verba referamus ad ipsum elementum consecrandum, et non ad populum instruendum.

Quarto, Augustinus ait : « Hoc verbo, ut mundare possit, consecratur et Baptismus. » At idem Augustinus docet verbum, quo Baptismus consecratur, esse illam invocationem : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Sic enim loquitur, lib. III. de Baptismo, contra Donatistas, c. 15 : « Quamobrem si Evangelicis verbis : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum. » Id ipsum repetit in infinitis locis.

Quinto, Augustinus ait : « Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem. » At verbum concionale nihil prodest, nisi actu creatur, ut notum est : non igitur Augustinus de concionali verbo loquitur.

Rejecta igitur Calvini sententia, quidam ex Catholicis docent, Augustinum loqui de verbo non concionis, nec consecrationis, sed institutionis Sacramenti : illud enim suo modo efficit Sacramentum, consecrat aquas, mundat infantem etc.

Sed neque hæc explicatio admitti potest. Primo, quoniam non tollit difficultatem, quam adversarius nobis objecit, ex illis verbis : « Non quia dicitur, sed quia creditur. » Et ex illis : « Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; » quæ verba ter repetuntur hoc loco ab Augustino.

Nihil enim horum quadrat in verba institutionis Sacramenti. Nam verba institutionis non ideo vim habent, quia creduntur, sed quia dicta sunt a Domino, qui solus potuit ex elementis facere Sacramenta. Neque verba institutionis sunt proprie verbum fidei, quod prædicamus : nam ibidem explicat Augustinus, quod sit hoc verbum fidei, cum ait : « Quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. »

Secundo, Augustinus præter verbum, de quo hic loquitur, non agnoscit in Sacramento aliud verbum; sed nudum ac solum elementum, ut patet ex illis verbis : « Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? » Et : « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » Et : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? » Non igitur hoc verbum est verbum institutionis, cum certum sit præter verbum institutionis, Sacramenta constare ex verbis, et elementis, et non esse nuda elementa.

Alia item Catholicorum sententia est, Augustinum loqui solum de verbo cæremoniali, seu consecratorio. Quæ sententia melior est cæteris duabus : tamen habet hoc unum incommodum, quod non potest reddere causam, cur Augustinus allegaverit ex c. X. epist. ad Romanos illa verba : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in corde tuo etc* » Et rursus cur paulo infra allegaverit illa ex cap. XV. Actorum : *Fide mundans corda eorum.* Et ex I. Pet. III. illa : *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Et denique illa ex cap. XV. Joan. : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* (1). Nam nihil horum trahi potest, ad verba consecrationis, nisi per summam vim, et nisi ex concione populari, ut supra dixi, ænigmata faciamus.

Dico igitur, Augustinum hoc loco non semper loqui de eodem verbo, sed nunc de Sacramentali, nunc de concionali, ut ex argumentis jam factis planum factum est.

Dices : ergo Augustinus in perpetua æquivocatione versatur, cum iisdem sententiis tam differenter accipiat nomen verbi : exempli causa, cum dixisset : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? » Subjungit : « Non quia dicitur, sed quia creditur, » ubi aperte loquitur de verbo concionali : proinde aut etiam antea loquebatur de concionali, aut vitiosam æquivocationem committit.

Præterea ad probandum, aquam habere vim ex verbo, profert testimonium B. Pauli, ex c. X. ad Rom. : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis etc.* Et illud Actor. XV : *Fide mundans corda eorum.* Et illud, I. Pet. III : *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Et addit : *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Sed quid, quæso, probat Augustinus, si æquivoce de verbo loquitur?

Denique in extrema concione cum dixisset, aqua per verbum mundari infantem, subjungit continuo : « Hoc totum fit per verbum, de quo Dominus ait : Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis; » quæ verba de concione Domini sunt intelligenda necessario. Quare vel etiam superiora intelligi debent de concionali verbo, et non de Sacramentali, ut nos paulo ante dicebamus; vel erit in his verbis intolerabilis æquivocatio.

Respondeo, nullam esse in verbis Augustini æquivocationem. Siquidem ipse explicanda susceperat illa verba Domini, Joan. XV : *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Dum autem illa verba explicaret, proposuit sibi ipsi quæstionem, cur non dixerit potius Christus : Jam vos mundi estis propter Baptismum, quo loti estis. Nam etiamsi verbum Domini prædicatum mundat, quatenus gignit fidem, quæ est initium justificationis, tamen etiam Baptismus mundat, cum statim abluat sordes omnium peccatorum.

Ad hanc quæstionem respondet, Christum dixisse : *Vos mundi estis, propter verbum*, et non dixisse : Mundi estis propter Baptismum quia in omni mundatione, sive ea fiat in Sacramento, sive extra Sacramentum, semper vis mundandi oritur ex verbo. Nam si fit mundatio extra Sacramentum, necessario fit per actualem fidem : fides autem ex auditu,

(1) Rom. X, 8 et 9; Act. XV, 9; I. Petr. III, 21; Joan. XV, 3.

auditus autem per verbum Christi, Rom. X. Si vero mundatio fit in Sacramento; elementum quidem est, quod mundat, sed ut mundare possit, adjungitur ei verbum consecrationis. Semper igitur mundatio oritur ex verbo. Quocirca S. Augustinus illa verba Domini : *Vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, non restringit ad verbum concionis, sed generatim accipit; et in toto reliquo sermone id unum probare conatur, omnem mundationem fieri per verbum. Ideirco promiscue adfert argumenta, et testimonia, nunc de verbo Sacramentali, nunc de Concionali, quia illi perinde est, modo demonstret verbum esse, quod mundat.

Ex hoc fundamento facile explicabuntur tria illa loca, ubi videbatur esse vitiosa æquivocatio. Primus locus erat : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? » Hæc verba a nonnullis intelliguntur ideo esse dicta, quia nisi adsit fides vel propria in adultis, vel aliena in parvulis, Sacramentum nihil efficit. Sed hoc non recte dicitur. Quia licet fides in adultis requiratur, ut dispositio quædam ad Sacramentum fructuose recipiendum, tamen non est fides, quæ dat virtutem mundandi elemento : non enim ideo aqua habet vim mundandi, quia ego credo, sed quia est Sacramentum a Deo institutum.

Id autem quærit Augustinus, unde sit virtus aquæ, non cui prosit aqua. Illud ergo : *Non quia dicitur, sed quia creditur*, significat, verbum Sacramentale non dare vim aquæ, ut est res quædam naturalis, id est, aer percussus; sic enim nihilo melius est verbum elemento : sed ut est res spiritualis, et sola fide cognoscibilis, nimirum, ut continet invocationem Trinitatis (quomodo etiam signum crucis, et nomen Jesus, honorabile est, et vim habet operandi miracula, ac dæmones coercendi; non ut est res naturalis, et sensu corporeo perceptibilis, sed ut repræsentat rem divinam) ita ut sensus sit : *Verbum non quia dicitur, sed quia creditur*, id est, non quatenus auribus sentitur, sed quatenus fide percipitur.

Esse autem hunc sensum verum hujus loci, patet ex sequentibus verbis : « Nam, inquit, et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens; » ubi id vocat sonum transeuntem, quod vocaverat, Verbum quia dicitur; id vocat virtutem manentem, quod vocaverat, verbum quia creditur.

Præterea illud : *Quia creditur*, vel significat, quia creditur actu, vel quia est objectum fidei, et proinde res fide perceptibilis : non autem potest significare, quia creditur actu; nulla enim actualis fides est in rigore necessaria ad Baptismum. Nam non requiritur fides actualis suscipientis Baptismum, ut patet in parvulis, quos Augustinus hoc loco dicit verissime per verbum in Sacramento mundari, etiamsi non valeant corde credere, et ore confiteri. Nec requiritur fides ministri, aut parentum, aut quorumlibet offerentium, et susceptorum, ut idem Augustinus probat in epist. 23. ad Bonifacium, ubi dicit, vere mundari parvulos etiamsi baptizentur, vel offerantur ab infidelibus. Cujus igitur fides actualis requiritur, si nec suscipientibus, nec dantis, nec offerentis?

Dices, requiritur fides Ecclesiæ. Sed quid si nullus in Ecclesia actum fidei exerceret, dum infans ab infideli baptizatur? quid si per impossibile Ecclesia tota periret, et tamen Turca quispiam, qui nosset res nostras, infantem baptizaret cum intentione faciendi quod Christus instituit, et Ecclesia faciebat? certe ille esset baptizatus. Verum est tamen, quod Augustinus et alii dicunt, infantes baptizari in fide parentum, vel Ecclesiæ, quia de facto, si nullus esset fidelis, certe nullus moveretur ad baptizandum infantes : sed non ideo fides actualis ita requiritur, ut sine illa Baptismus infructuosus esset.

Est autem hic diligenter notandum, non negari ab Augustino, verbum ipsum, ut dicitur, et ut est res sensibilis, habere virtutem; nam si aqua ipsa habet virtutem mundandi, quanto magis verbum, etiam ut sensibile? sed negari virtutem illam esse a verbo, ut est res sensibilis. Itaque totum Sacramentum habet virtutem, sed habet a verbo, ut verbum est res spiritualis, et sola fide cognoscibilis.

Alter locus difficilis erat, ubi Augustinus allegat Scripturas, Rom. X. Actor. XV. et I. Pet. III. Sed respondeo, illa loca non allegari ad probandum, vim mundandi esse in aqua a verbo; sed ad probandum in genere, verbum habere vim mundandi : illa enim est Augustini scopus, ut diximus. Et quia id jam probaverat ex eo, quod verbum Sacramentale dat vim mundandi elemento : idem probat testimoniis illarum Scripturarum. Nam illa loca demonstrant fide purgari

corda hominum, fidem autem nasci ex verbo prædicationis; ex quibus sequitur, verbum vim habere mundandi.

Tertius locus difficilis erat in fine sermonis, ubi postquam dixerat, verbo Sacramentali mundari infantes, addidit : « Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait : Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. » Sed jam responsum est, ista verba Domini ab Augustino non restringi ad sermonem, quem Dominus locutus fuerat post ultimam cœnam, sed intelligi de verbo generaliter, ut sensus sit : Vos mundi estis, propter verbum meum, sive quod me concionante audistis, et credidistis, sive quo in Baptismo sanctificati estis. Atque hæc de isto loco Augustini, ac de præcipuo argumento Calvini.

Altera objectio est Calvini, Brentii, Kemnitii, et aliorum, quod sit species quædam magicæ incantationis, demurmurare certa verba super aquam, vel panem, aut aliud ejusmodi mutum elementum.

Sed hæc non tam objectio, quam horribilis blasphemia est. Nam in primis duo sunt, quæ damnantur in incantationibus magicis. Unum, quod aliqui putent in certis figuris, aut verbis esse naturalem virtutem aliquid efficiendi, atque hæc quidem superstitio est; cum certo constet, nec figuras, nec verba vim naturalem ullam habere aliquid efficiendi. Alterum, quod alii existiment, figuras, aut verba nihil ex se habere virtutis, tamen ex pacto cum diabolo inito adhiberi ad res certas efficiendas; et hæc proprie magica est incantatio, et peccatum maximum.

Porro verba Sacramentalia omnes fatemur nullam vim naturalem habere; ideo enim dicimus requiri divinam institutionem, ut ex Dei institutione efficiant, quod ex se facere non poterant. Estque mera calumnia Calvini, lib. IV. cap. 14. §. 4. quod solo strepitu verborum sine sensu, et fide utamur ad elementum consecrandum; et Kemnitii in Examine, parte 2. pag. 401. qui dicit, nos vim ponere in syllabis, et characteribus, neglecto sensu verborum. Ista enim sunt mera mendacia : nam nos nec in characteribus, nec in sono, aut numero syllabarum, sed in sensu, et significatione vim ponimus, idque ex Christi institutione.

Siquidem fatentur omnes Catholici, quavis lingua utamur, vere perfici Sacramentum, modo sensus sit idem; constat autem eadem verba, si diversis linguis efferantur, vel scribantur, diversos habere characteres, diversum sonum, diversum numerum syllabarum. Sequitur igitur, ut existimemus, ut vere existimamus, ea ex pacto, et promissione Christi vim habere; quæ si magia est, quid aliud sequitur, quam ut Christus sit Diabolus? Nam cum omnis magia pendeat ex pacto Diaboli, vis autem Sacramentalium verborum pendeat ex pacto Christi : manifeste sequitur, aut nullam in Sacramentis nostris esse magiam, aut Christum esse Diabolum. Ad hanc igitur horribilem impietatem adversarii nostri devenerunt, ut ex Christo Diabolum faciant.

Dicent, se non facere Christum Diabolum, quia Christus non instituit, ejusmodi verborum pronuntiationem super muta elementa. Sed jam satis probavimus, Christum instituisse. Cæterum quæro ab eis, an credant Christum potuisse instituere ejusmodi signa, quæ vim haberent ex pacto ipsius aliquid operandi. Non, opinor, negabunt, nisi Christum negent esse Deum.

Nam Deus, Num. V. instituit verba quædam, quæ dicerentur super aquas, ac voluit eam esse vim illorum verborum, ut virtutem tribuerent aquis continuo interficiendi mulieres adulteras, si ab eis biberentur. Item Num. XXI. instituit, ut qui aspicerent æneum serpentem, continuo curarentur a morsu serpentium ignitorum. Et Christus ipse, nonne verbis, aut manus impositione, aut etiam luto, et sputo pellebat morbos? Potuit igitur Christus hoc instituere, ut verba Sacramentalia vim habeant ex pacto ipsius.

Rursus autem quæro, an si id Christus instituisset, quod eum facere potuisse constitit, esset magia, necne? Si dicant magiam futuram fuisse, aperte fatentur Christum esse Diabolum : si negant futuram fuisse magiam, non possunt ulla ratione nos magos appellare; id enim solum facimus, quod Christum instituisse credimus. Si autem Christus id non instituisset, falleremur simpliciter, sed nulla ex parte magiæ crimen nos attingeret.

Denique verba, et signa magica, non habent ullam vim; neque enim Diabolus dare potest rebus virtutes, sed solus Diabolus operatur ad eorum præsentiam. At verba, et signa Sacramentalia vim habent a Deo operandi quod significant : quare longe mirabilius, et sublimius agunt, quam ullæ incantationes possint.

Tertia objectio Calvini sumitur ab auctoritate Christi, Apostolorum, primitivæ Ecclesiæ, et ipsius Dei : « Non est, inquit lib. IV. cap. 14. §. 4. quod in hac probatione laboremus, quando minime obscurum est, quid Christus fecerit, quid nobis facere mandaverit, quid secuti sint Apostoli, quid prior Ecclesia observaverit. Imo ab initio usque mundi notum est, quoties signum aliquod obtulit Deus sanctis Patribus, inseparabilem fuisse doctrinæ copulam, sine qua attoniti nudo aspectu sensus nostri redderentur. Ergo cum de verbo Sacramentali fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus, quæ clara voce a ministro prædicata, plebem eo manu ducat, quo signum tendit, ac nos dirigit. »

Sed nihil est etiam quo nos in responsione laboremus. Nam minime obscurum est, Christum nullam præmisisse concionem, cum Eucharistiam primus consecravit, et ut deinceps idem faceremus, mandavit. Vide Matth. XXVI. Lucæ XXII et I. Corinth. XI. Notum est etiam quid Apostoli, et veteres Patres secuti sint, ex his testimoniis, quæ nos paulo ante citavimus, Calvinus enim nullum attulit testimonium, præter unum Augustini, quod jam a nobis est explicatum. Denique non negamus, et Deum cum signa dedit Patribus, eorum vim explicuisse, et nobis idem esse faciendum, dum Catechumenos instituimus : sed non recte inde colligit Calvinus, verbum Sacramentale nihil esse, nisi concionem. Aliud enim est concionari, aliud Sacramenta celebrare : utrumque fieri debet, sed non ideirco distinguenda non sunt, et tempora, et officia.

CAPUT XXI.

Res, et verba Sacramentorum ita determinata esse, ut nihil addere, minuere, aut mutare liceat.

Sequitur tertia quæstio de causis intrinsecis, utrum res, et verba Sacramentorum ita sint certa, et determinata, ut nihil in eis mutari possit. Et quidem apud Catholicos nulla fere dissensio est, magisque explicatione, quam altercatione res indiget.

Apud hæreticos veteres non deerant, qui res et verba Sacramentorum inverterent, ac præcipue apud Gnosticos, de quibus vide Irenæum, lib. I. cap. 9. et 18. Et Epiphanium hæresi 26. Interim tamen omnes, qui Sacramentis utebantur, res, et verba determinata habere volebant, et ut plurimum non recedebant a verbis in Evangelio præscriptis. Sic enim ait Augustinus, lib. VII. de Baptismo contra Donatistas, c. 25 : « Facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent. »

At nostro tempore Martinus Lutherus hæreticorum omnium audacissimus, novam hæresim excogitavit, videlicet non requiri certa verba in Sacramentum. Sic enim loquitur in libro de captivitate Babylonica, cap. de Baptismo : « Quocumque modo tradatur Baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit. Imo non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini. » Hæc ille. Itaque secundum Lutherum si quis dicat : Ego te baptizo in nomine Lutheri, et Catharinæ uxoris ejus, vel etiam in nomine Diaboli, erit verus Baptismus, modo qui suscipit, accipiat in nomine Domini.

Retractavit postea Lutherus hunc errorem, Nam in I. homilia de Baptismo, habita anno 1535. ita loquitur : « Clare exprimit, Christus, quas cæremonias velit, et formam ipse præscribit : ut illa ipsa signa, neque alia, illa ipsa verba, neque alia hic adhibeantur. » Etinfra : « Si infantem intingeres aqua, neque adderes verba Baptismi, sed pronuntiares orationem Dominicam, aut alia quædam verba ex sacris litteris, non esset verus Baptismus. » Et infra : « Si quis pane, et vino proposito pronuntiaret non ipsa verba Sacramenti, sed aut Decalogum, aut Symbolum Apostolorum, aut sententiam aliquam sacram, vel Psalmum, non esset verum corpus, et sanguis Christi. » Similia habet in tertia homilia de Baptismo habita anno 1540.

Licet autem retractaverit Lutherus errorem suum, tamen Joannes Brentius magis probasse videtur priorem Lutheri sententiam. Siquidem in Catechismo suo, cap. de Baptismo, non multum curat præscriptam formam Baptismi a Christo; ut etiam Zwinglius in lib. de vera, et falsa religione, cap. de Baptismo, de qua re dicemus etiam lib. II. de Sacramentis, cap. 3. Et sane prior Lutheri sententia, ut manifeste repugnat veritati, ita magis convenit principiis Lutheranæ Theologiæ, quam posterior. Si enim Sacramenta ideo potissimum instituta sunt, ut fidem excitent, et sustentent; nihil interest, quibus verbis, aut rebus utamur, modo illis fides excitari, ac sustentari possit. Igitur tum ad hunc errorem destruendum, tum ad rem ipsam declarandam, statuam aliquot propositiones.

Prima propositio : « Res certæ, et determinatæ ab ipso Deo in Sacramentis esse debent. » Hæc propositio quantum ad Sacramenta novæ legis, nec ab hæreticis negatur, et apud Catholicos certissima est. Sed aliter ab illis, aliter a nobis probatur. Illi probant ex generali suo principio, quod nullus cultus Deo placeat, nisi quem ipse instituit : cætera ad ἐθελοθρησκίαν, et traditiones hominum pertineant. Quod argumentum infirmum est, ut nos alibi sæpe ostendimus. Catholici probant ex alio principio. Quia Sacramenta novæ legis sunt causa gratiæ, et justificationis. I. Cor. VI : *Ablati estis, sanctificati estis.* Ephes. V : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* (1). At nemo potest gratiam dare nisi Deus; solus igitur potuit Deus ea determinare, quæ ad essentiam Sacramentorum pertinent.

De Sacramentis legis Mosaicæ, et legis naturæ nonnulli dubitare videntur : tamen si vere Sacramenta erant, ut revera erant, omnino sentiendum est, fuisse a Deo determinatas res eorum Sacramentorum. Nam in primis de facto constat, omnia fere Sacramenta, quæ ad notitiam nostram venerunt, a Deo fuisse determinata. Nam Circumcisio Sacramentum fuit legis naturæ, et constat ab ipso Deo determinatum, quid, quomodo, et quo tempore faciendum esset, Gen. XVII. Agnus Paschalis Sacramentum erat legis scriptæ, et a Deo determinatum eum ritum novimus, ex cap. XII. Exod. Idem de multis aliis probare possemus. Deinde Sacramenta vetera erant figuræ, ac typi Sacramentorum nostrorum. At determinare certas res, quæ infallibiliter significent aliquid futurum, non potest convenire nisi Deo, qui certo novit illas res futuras. Denique, etiamsi Sacramenta vetera non efficiebant gratiam justificantem, tamen efficiebant legalem munditiam, et introducebant in populum Dei : at nemo potest determinare aliquid ad legalem munditiam efficiendam, aut ad introducendum in certam Rempublicam, nisi qui auctor est illius legis, et Reipublicæ.

Est autem hic notandum cum S. Thoma, 3. par. quæst. LX. art. 5. ad 3. in omni lege fuisse materiam Sacramenti determinatam a Deo, sed non semper eodem modo. Nam in lege naturæ, quia lex non scribebatur in tabulis, nec promulgabatur per homines, aut Angelos, sed dictabatur interius, atque inspirabatur cordibus hominum : ita quoque et Sacramenta inspirabantur præcipuis Patriarchis, ut Adæ, Noe, Abrahæ, qui alios deinde docebant. Quia vero lex Mosaica promulgata est per Moysem, et publice scripta in tabulis; ita etiam Sacramenta illius temporis, a Deo per Moysem tradita, et litteris mandata etiam fuerunt. Denique, quia legis novæ auctor est Verbum incarnatum, ideo etiam ab ipso Sacramenta nostra determinata fuerunt.

Secunda propositio : « Non solum res, sed etiam verba in Sacramentis novæ legis a Deo determinata sunt, ut non liceat quidquam immutare. » Hæc propositio explicanda est, ut recte intelligatur. Notandum est igitur : Primo, sex modis contingere posse formæ variationem; nimirum per additionem alicujus vocis; detractionem alicujus vocis; mutationem, ut si una ponatur loco alterius; corruptionem alicujus vocis, detrahendo, vel mutando aliquam syllabam; transpositionem, id est, ordinis dictionum variationem; denique per interruptionem, ut pronuntiando unam partem formæ, ac deinde quiescendo per aliquod spatium, vel loquendo aliquid impertinens, et tum demum perficiendo formæ pronuntiationem.

Secundo notandum est, duplicem esse Sacramentalis formæ integritatem; unam substantialem; alteram accidentalem. Substantialis consistit in solo sensu, seu significatione verborum, non autem in sono vel numero syllabarum. Quare utcumque varientur verba, addendo, detrahendo, mutando, transponendo, corrumpendo, interrumpendo, semper manet integritas substantialis, dum manet idem sensus : et contra minima etiam variatio destruit integritatem substantialem, si pereat sensus; ut si quis una sola littera mutata dicat : Ego te baptizo in nomine Matris, et Filii, et Spiri-

(1) I. Cor. VI, 11; Eph. V, 26.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tus sancti, non habet substantialem formam. Accidentalis integritas consistit in cæteris omnibus, id est, in integro sono, ordine, et numero syllabarum.

Tertio nota, judicium de his mutationibus, sintne substantiales, an accidentales, non debere esse mathematicum, sed morale, ita ut tunc judicandum sit, sensum verborum conservari, quando audientes intelligunt, et judicant illud significari, quod per integra verba significari solet, etiamsi alioqui verba pronuntientur valde corrupte. Exemplo esse potest, id quod refert Zacharias Pontifex in epistola ad Bonifacium, et habetur etiam apud Gratianum, can. Retulerunt, de consecrat. distinct. IV. Quidam enim ex nimia imperitia linguæ Latinæ baptizabant his verbis : Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritua sancta. Quæ verba si propriè accipiantur, non significant Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et præsertim si seorsim pronuntiarentur : judicavit tamen summus Pontifex prudentissime, substantiam formæ non esse mutatam, quia facile poterat intelligi, quid ille vellet dicere, tum ex ipsa actione baptizandi, tum etiam ex conjunctione cum verbo in nomine. Non enim ait : In nomine Patriæ, et Filiæ, quod ratio Grammaticæ exigebat, si is de industria formam mutare voluisset; sed, in nomine Patria, et Filia : quæ cum ex se nihil significent, signum est illum voluisse dicere, quod alii dicunt, cum aiunt : In nomine Patris, et Filii etc.

Pari ratione judicandum est de interruptione : Si enim quis diceret in consecranda Eucharistia : *Hoc est cor*, ac deinde recitaret unum Psalmum, vel quiesceret ad spatium notabile, et tum demum adderet, *pus meum*, sine dubio judicio prudentium non censeretur dixisse : *Hoc est corpus meum*. Si vero ubi dixit : *Hoc est cor*, pateretur brevem aliquam evagationem mentis, et nonnihil etiam interquiesceret, antequam adderet, *pus meum*, non censeretur sensus formæ perire.

Notandum est quarto, non esse licitum, ut in conclusione dicimus, ullo modo verborum formam immutare, sive per eam immutationem tollatur substantialis formæ integritas, sive solum accidentalis. Sed hoc interest, quod cum forma mutatur substantialiter, Sacramentum non perficitur; et ideo ea integritas dicitur necessaria, necessitate Sacramenti; cum autem mutatur solum accidentaliter, Sacramentum perficitur, sed peccat qui ita mutat : et ideo dicitur hæc integritas necessaria solum necessitate præcepti.

Nota quinto, ex parte formæ verborum numquam Sacramentum irritum reddi, nisi revera desit integritas substantialis : tamen aliunde posse contingere, ut cum sola corruptione accidentali non perficiatur Sacramentum, nimirum si is, qui accidentaliter mutat formam, velit introducere novum ritum, ut docet Zacharias, can. Retulerunt, de consecrat. dist. 4. et post eum S. Thomas 3 part. quæst. LX. artic. 7. ad tertium, et artic. 8. in corpore articuli. Quorum auctorum verba non recte ab omnibus explicantur.

Ideo Animadvertendum est, utrum is, qui intendit introducere novum ritum, intendat introducere novum essentialem ritum respectu totius Ecclesiæ Christi, in universum, id est, qui non fuerit antea in ipsa vera, et universali Ecclesia; an intendat novum ritum introducere respectu alicujus Ecclesiæ, quam ipse putet falsam.

Si intendit introducere novum absolute, tunc non perficitur Sacramentum, non quia desit forma, sed quia deest intentio. Convincitur enim ille non velle facere, quod facit vera Ecclesia, quandoquidem vult introducere ritum, qui numquam fuit in Ecclesia universali, et vera. Et hoc est, quod docet sanctus Thomas locis citatis : semper enim reddit rationem cur non perficiat Sacramentum, qui intendit introducere novum ritum, quia non habet intentionem Ecclesiæ.

Si vero intendit introducere novum ritum, non absolute, sed solum respectu alicujus Ecclesiæ, quam ipse putat falsam, et interim intendat facere quod facit vera Ecclesia; tunc perficitur Sacramentum, etiamsi ipse fallatur in vera Ecclesia internoscenda. Ut exempli causa, si Græcus aliquis dum baptizat illis verbis : Baptizetur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, intendat introducere ritum substantialem, et necessarium contra ritum Romanæ Ecclesiæ, ita ut velit persuadere, non perfici Sacramentum, si quis dicat : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et tamen intendat facere, quod facit Ecclesia vera, quæcumque illa sit; is vere baptizabit, non obstante ipsius errore. Nam in eo Baptismo invenitur forma substantialis, et

intentio veræ Ecclesiæ in genere, quæ omnium consensu sufficit : error enim illius circa Sacramentum, aut Ecclesiam, non irritat Sacramentum, ut omnes Catholici docent, qui docent Sacramenta ab hæreticis tradita esse valida. Non enim tenetur minister Sacramenti intendere id facere, quod facit Ecclesia Romana : alioqui nullus hæreticus vere baptizaret; sed solum id quod facit Ecclesia Christi vera, in qua tamen intentione virtualiter includitur, ut intendat id, quod Romana Ecclesia intendit, quia illa sola est vera Ecclesia.

Itaque quod Paludanus ait in IV. distinct. 3. quæst. I. artic. 3. non semper irritari Sacramentum, cum quis intendit introducere novum ritum, est verum, sed non contra S. Thomam, ut ille fortasse putavit. Imo S. Thomas ideo non dixit : Cum quis vult inducere novum ritum, non perficitur Sacramentum, sed, non videtur perfici Sacramentum, quia nimirum posset fieri, ut perficeretur Sacramentum, sed præsumitur non perfici, quia præsumitur non adesse intentionem debitam.

Quod vero Dominicus a Soto ait, quæst I. art. 8. Græcos vere baptizare illis verbis : Baptizetur servus Christi etc. quia Ecclesia Romana tolerat eum ritum; sed si Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, tunc fore ut ipsi non vere baptizarent; non est verum absolute. Nam si Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, ut corruptionem formæ accidentalem, illi peccarent quidem, sed tamen vere baptizarent : si vero Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, ut corruptionem substantialem, tunc illi non vere baptizarent, sed causa non esset, ut Sotus dicit, quia deesset intentio, sed quia deesset forma substantialis.

His ita explicatis, probatur nostra propositio adversus Lutheri, et Brentii temeritatem. Primo, Sacramenta a Deo sunt instituta, ut adversarii concedunt; ergo pars Sacramenti præcipua, nimirum forma verborum a Deo instituta est; ergo qui eam mutat, peccat contra Deum, et sæpe non perficit Sacramentum, nimirum cum substantialiter mutat. Si enim Sacramentum a Dei institutione pendet, certe non erit Sacramentum, cum non facimus, quod ipse instituit.

Secundo. Mutare Sacramentorum materiam, grave sacrilegium esset, nec perficeretur Sacramentum, ut adversarii concedunt; cur igitur non sit eadem ratio de forma, quæ in verbis consistit?

Tertio. Addere ad verba Scripturæ, vel ea mutare nullo pacto licet : igitur nec verba Sacramentorum mutari ullo modo debent, aut possunt; præsertim cum verba Scripturæ solum ad significandum, verba Sacramentorum ad significandum, et sanctificandum instituta sint.

Quarto. Idem probatur testimoniis Patrum. Irenæus lib. I, cap. 18. reprehendit hæreticos quosdam, quod mutarent formam verborum a Christo præscriptam in Sacramento Baptismi. Tertullianus in libro de Baptismo : « Lex, inquit, tingendi imposita est, et forma præscripta : Ita, inquit, ad omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Cyprianus in epist. ad Jubaianum idem habet. Item Athanasius serm. 3. contra Arianos. Basilius homil. in sanctum Baptisma, et cæteri, qui scribunt adversus Arianos, hoc argumento probant trium personarum divinitatem, quod jussi simus in Baptismo tres personas exprimere. Item Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 12. dicit, eum a gratia excidere, qui detrahit, aut addit ad verba præscripta in Sacramento Baptismi. Didymus in lib. II de Spiritu sancto : « Qui unum, inquit, de præceptis nominibus prætermittit, neque perfectionem Sacramenti attingit, nec a peccatis hominem liberat. » Augustinus lib. VI. contra Donatistas, cap. 25 : « Certa sunt, inquit, verba Evangelica, sine quibus non potest consecrari Baptismus. » Damascenus lib. IV. de fide, cap. 16 : « Quæ forma verborum in Baptismo adhibenda sit; Dominus exposuit, dicens : Baptizantes eos etc. » Accedat Concilium Arelatense I. can. 8. quod examinari jubet, qua forma verborum Ariani baptizent.

CAPUT XXII.

De fine et necessitate Sacramentorum.

Tria explicanda erunt circa finalem causam Sacramentorum. Primum, de ipso fine dicendum erit. Secundo, de necessitate, quæ ex fine cognoscitur. Tertio, defendenda est sententia Ecclesiæ contra mendacia, et calumnias hæreticorum. Quod ad primum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

attinet, duo quæri possunt, cum quæritur quis finis sit Sacramentorum. Primum, ad quem finem assequendum Deus instituerit Sacramenta. Secundo, cur ad eum finem assequendum talia media instituerit, cum potuerit per alia media, et etiam sine ullis mediis ad eum finem perveniri.

Prior quæstio jam explicata est in disputatione de definitione Sacramenti : jam enim ostendimus, Sacramenta instituta esse ad justificandos homines, atque ut sint signa, et causæ instrumentales gratiæ Dei.

Posterior quæstio facilis est, nec de ea ulla est controversia. Et quidem auctores multas rationes colligunt tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum ex parte Sacramentorum ipsorum, cur utile fuerit Sacramenta, id est, sensibilia signa instituere ad justificandos homines. Sed hæ sunt præcipuæ causæ.

Prima, quia id congruit naturæ humanæ, quæ ex corpore, et spiritu constat. Sic enim ait S. Chrysostomus homil. 60. ad populum, et 83. in Matthæum : « Si incorporeus esses, nuda, et incorporea tibi dedisset dona, sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet. » Similia docent Gregorius Nazianzenus, et Gregorius Nyssenus, in sermone de Baptismo.

Secunda, ut clarius appareret gratiam, quæ datur per Sacramenta, a solo Deo esse. Si enim daretur per actiones aliquas spirituales, suspicari potuissent homines, vi propria illius actionis homines justificari : nunc autem cum per res corporales, et abjectas detur tam excellens donum, nullus relinquitur locus ejusmodi suspicioni. Qua etiam de causa Dominus Joan. IX. cæcum illuminavit sputo, et luto, non aliquo pretioso unguento : et mundum sibi subjicere voluit per homines pauperes, et obscuros.

Tertia, ut simul essent instrumenta justificationis, et signa, quibus discernerentur fideles ab infidelibus, et quibus colligeretur populus Dei, et quibus etiam, ut sacris cæremoniis coleretur Deus. Nec enim poterant esse signa ad discernendos alios ab aliis, neque etiam cæremoniæ religionis, nisi essent externa, et sensibilia. Vide multas ejusmodi rationes apud Hugonem, lib. I. de Sacramentis, par. 9. cap. 3. et Magistrum, ac Doctores, lib. IV. sent. dist. 1. et S. Thomam, lib. IV contra Gentes, cap. 56. et ex recentioribus Gulielmum Alanum, lib. de Sacramentis in genere, cap. 24.

Quantum ad secundum, de necessitate, duplex est necessitas. Una dicitur necessitas præcepti. Altera necessitas medii. Et quamquam interdum hæ duæ necessitates conjunctæ sint; nam hoc ipso quod aliquid est medium ad salutem necessarium simul etiam est præceptum naturale, si in nostra potestate situm sit : tamen hoc interest, quod cum quis ex ignorantia invincibili, aut alia justa de causa non implet præceptum, is nihil detrimenti accipit : at si quis non accipiat medium necessarium, is magnum detrimentum capit, quia non assequitur finem, licet ex ignorantia invincibili id ei accidat. Verbi gratia, Sacramentum Confirmationis est præceptum; sed non medium ad salutem simpliciter necessarium, ideo qui negligit accipere ejusmodi Sacramentum, peccat, sed si ex legitima causa non accipiat, nec peccat, nec ire peditur a salute. Quia vero Baptismus in re, vel in voto est præceptum, et medium; ideo qui non baptizatur; aut certe non desiderat Baptismum, non salvator, licet ex ignorantia, vel impotentia id accidat.

Rursus necessitas medii; Aut est necessitas simpliciter quomodo alæ necessariæ sunt ad volandum. Aut ad bene esse, quomodo equus necessarius est ad iter faciendum. Denique utraque necessitas; Aut est absoluta, et naturalis, ut in exemplis positis : Aut ex institutione, et arbitratu alterius : quomodo in ludis attingere metam, est medium necessarium ad bravium; Aut est partim ex institutione, partim ex naturali congruentia, ut cum Imperator concedit militibus urbem aliquam diripiendam, si eam vi ceperint. Ex his facile poterit intelligi, quæ sit necessitas Sacramentorum.

Sit igitur prima propositio : « Nulla Sacramenta habent absolutam necessitatem, sed omnis eorum necessitas pendet ex præcepto, et institutione divina, adjuncta naturali congruentia. » Certum est enim potuisse Deum sine ullis Sacramentis homines justificare. Neque de hoc ulla controversia est.

Secunda propositio : « Omnia Sacramenta necessaria sunt necessitate præcepti, licet non singulis. » De hac propositione non est controversia cum hæreticis.

Tertia propositio : « Baptismus, et Pœnitentia necessaria sunt, posita institutione divina, necessitate medii simpliciter; Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia iis qui post Baptismum læthaliter delinquunt. » In hac non convenimus. Nam adversarii fatentur quidem Sacramenta esse necessaria, quia præcepta, et etiam necessaria ut media utilia : non tamen agnoscunt ullum Sacramentum necessarium simpliciter ut medium. Et ratio est, quia cum sola fides justificet, Sacramenta solum adhibentur, ut fidem excitent, aut nutriant. Atqui sine Sacramentis per solum verbum potest fides gigni, nutriri, augeri : non igitur sunt ulla Sacramenta simpliciter necessaria. Sed hæc controversia tractanda est in disputatione de Baptismo, et Pœnitentia : nunc sufficient duo loca Scripturæ apertissima Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Luc. XIII. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (1).

Quarta propositio : « Eucharistia, Confirmatio, et Extrema unctio, necessaria sunt necessitate medii ad bene esse, posita divina institutione. » In hac non convenimus, quatenus numeramus Confirmationem, et Unctionem inter Sacramenta : sed de hoc alibi. Quantum ad Eucharistiam, convenimus, quod sit in præcepto; sed quod sit necessaria ad bene esse, ut medium, videmur convenire, sed re ipsa non convenimus. Nam dicunt quidem Calvinus in Antidoto, et Kemnitius in Examine, Sacramenta esse necessaria, ut media a Christo instituta, sed inter explicandum ita extenuant hanc necessitatem, ut eam fere tollant. Volunt enim Sacramenta solum esse utilia ad alendam fidem, quia repræsentant oculis id, quod verbum offert auribus. Unde Apologia Confessionis, art. 13. comparat Sacramenta picturæ : sicut ergo picturæ non possunt dici necessariæ ad salutem, nisi forte hominibus valde rudibus; ita nec Sacramenta secundum ipsorum sententiam. Conatur Kemnitius loco citato refellere hanc similitudinem de pictura, et ostendere nescio quam majorem necessitatem. Sed non potest negare similitudinem illam esse in Apologia, quam se in omnibus sequi profitetur. Et præterea aliis verbis idem dicit : nihil enim vult Sacramenta esse aliud, nisi ritus, in quibus visibiliter repræsentetur promissio, sicut audibiliter, ut sic loquar, repræsentatur in verbo. Itaque revera non agnoscunt necessitatem, licet mentiantur se agnoscere, sed solum tenuem quamdam utilitatem Sacramentorum.

Quinta propositio : « Ordo necessarius est, non singulis hominibus, sed ipsi Ecclesiæ in universum, necessitate medii simpliciter, posita divina institutione. »

Sexta propositio : « Matrimonium necessarium est ad bene esse, non singulis hominibus, sed Ecclesiæ in universum. » De his non est controversia. Vide S. Thomam 3. par. quæst. LXV. art. 4.

Quantum ad tertium, refellenda sunt mendacia et calumniæ Calvini et Kemnitii, contra canonem 4. sess. VII. Concilii Tridentini, ubi de necessitate Sacramentorum agitur. Verba Concilii ita habent : « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. » Quo canone Concilium tria definit. Primo Sacramenta non esse superflua ad salutem, sed necessaria : id quod definitum est contra Anabaptistas et Zwinglianos, qui (ut supra in disputatione de definitione vidimus) Sacramenta utilia esse volebant ad discernendos fideles ab infidelibus, non autem ad salutem consequendam. Atque hanc partem definitionis libenter admittunt, et probant Calvinus, et Kemnitius. Secundo, Sacramenta quædam adeo esse necessaria, ut sine ipsis, vel eorum voto non possit salus contingere. Hoc autem est contra Lutheranos et Calvinistas, qui soli fidei tribuunt ejusmodi necessitatem. Tertio, non omnia Sacramenta esse singulis necessaria : id quod asseritur propter Ordinem et Matrimonium. In qua parte definitionis illud solum reprehendunt, quod hæc inter Sacramenta numerémus : sed de hoc alibi dicendum erit. Veniamus nunc ad mendacia.

Hunc canonem ita Calvinus calumniatur in Antidoto : « Hic boni Patres pro sua crassitie non animadvertunt, quidquid nobis gratiæ per Sacramenta confertur, nihilominus fidei imputandum. Qui enim a Sacramentis fidem separat, perinde facit, ac si animam a corpore tolleret. Ergo quemadmodum Evangelii doctrinam non excludimus, cum dicimus, nos sola fide Christi gratiam adipisci, ita nec Sacramenta; quorum eadem est ratio, cum Evangelii sint sigilla. » Hæc ille.

Quibus verbis reprehendit illam partem

(1) Joan. III. 3; Luc. XIII. 3.

canonis, ubi Concilium damnat eos, qui dicunt, homines justificari sola fide sine Sacramentis. Ideo autem reprehendit, quia putat a Concilio damnari sententiam Lutheranorum non intellectam. Nam etsi fatentur Lutherani solam fidem justificare, et proinde Sacramenta non justificare, eo modo, quo fides justificat, tamen admittunt etiam Sacramenta alio modo justificare; quomodo non negant, Deum justificare, et Christi passionem justificare, et concionem etiam suo quodam modo justificare. Nam Deus justificare dicitur, ex auctoritate peccata remittens, et in gratiam nos recipiens: Christus justificare dicitur meriturie, quia meruit nobis gratiam, et remissionem peccatorum; verbum, et Sacramentum justificant instrumentaliter, quatenus excitant, vel nutriunt fidem, quæ justificationem apprehendit; fides autem justificat, quia immediate veluti quædam spiritualis manus, justificationem apprehendit; quomodo justificandi fides comitem nullum habet. Itaque inepte Concilium ex Calvini sententia colligit Lutheranos excludere Sacramenta a justificatione, quia doceant solam fidem justificare.

Similem calumniam habet Kemnitius, pag. 80: « Quod, inquit, præcipue observandum est, necessitatem Sacramentorum opponant justificationi per solam fidem, atque ea, quæ ad salutem necessaria sunt, distinguenda sunt, ut Christus promerens, Pater donans, organa, seu instrumenta verbi, et Sacramentorum, per quæ Spiritus sanctus beneficia illa novi testamenti offert, applicat, obsignat, auget, et confirmat, in credentibus, et demum fides, quæ beneficia illa apprehendit, et accipit. Singula hæc suo modo, et in suo gradu ad salutem nostram ordinata sunt. Et sicut non sequitur, Sacramenta ad salutem sunt necessaria, ergo non solus Christus suo merito nobis eam acquisivit: ita etiam non sequitur, Sacramenta ad salutem sunt necessaria, ergo non per solam fidem gratiam justificationis accipimus. » Hæc ille.

Atqui hæc est calumnia, et mendacium manifestum. Concilium enim recte intellexit eorum sententiam, et idipsum proprie damnavit, quod illi docent. Nam non damnat eos concilium, quod excludant Sacramenta a justificatione quovis modo, sed quod excludant ab immediata acceptione et applicatione justificationis, quam ipsi soli fidei tribuunt. Fides enim Catholica non admittit sola fide immediate apprehendi, et applicari hominibus gratiam justificationis, sed vult ad id necessario requiri etiam Sacramenta, adeo ut si fides in aliquo existat, quamvis maxima, non tamen justificet, nisi adsit etiam Sacramentum in re, vel in voto; imo magis requiritur Sacramentum, quam fides. Nam sine Sacramento in re, vel in voto nemo justificatur, neque parvulus, neque adultus; sine fide autem aliqui justificantur, ut parvuli, qui fidem propriam nullam habent, qua recipiant justificationem, et tamen per Sacramentum fidei justificantur.

Unde etiam refellitur, quod ait Calvinus, quidquid nobis gratiæ per Sacramenta confertur, id fidei imputandum. Id enim falsum est. Gratia enim quæ per Sacramenta confertur, imputanda est virtuti ipsorum Sacramentorum, et Christi institutioni, non fidei: fides enim non tribuit vim Sacramentis, sed solum disponit subjectum, ut supra diximus.

Jam vero Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 79. et sequentibus, dicit in singulis dictionibus hujus canonis latere insidias: delegit autem ipse quinque insidias: quæ tamen revera non sunt latentes insidiæ Concilii, sed patentes calumniæ Kemnitii. Primo, sic ait: « Principio artificium compositionis in hoc canone considerandum est. In singulis enim ferme dictionibus peculiares latent insidiæ. » Et infra: « Reliquos, inquit, ritus, ut Confirmationis, Extremæ unctionis, auricularis Confessionis, Satisfactionis etc. volunt simpliciter esse Sacramenta ad salutem necessaria. »

Hoc esse mendacium perspicuum est, tum ex eo, quod Concilium non addidit vocem illam 'simpliciter' tum etiam quia communis sententia Theologorum, a qua Concilium nunquam recedit, solum tria Sacramenta docet esse necessaria simpliciter; Baptismum omnibus; et Pœnitentiam omnibus, qui peccant post Baptismum; et Ordinem ipsi Ecclesiæ in universum. Sine reliquis posse homines salvari, modo absit negligentia, et contemptus. Vide S. Thomam 3. parte, quæst. LXV. art. 4.

Secundo sic ait idem Kemnitius: « Neque enim quisquam sanus justificationem per solam fidem ita unquam intellexit, quasi a justificatione excludatur gratia Dei, meritum Christi, et ministerium verbi, et Sacramentorum. »

Hoc est alterum mendacium. Nam etiamsi Kemnitius et Calvinus doceant, solam fidem non debere opponi Sacramentis in negotio justificationis, sicut non opponitur gratiæ Dei, et merito Christi; tamen Lutherus, quem sanum fuisse Kemnitius numquam negaret, multis in locis opposuit solam fidem Sacramentis, ac disertis verbis docuit, ita sola fide homines justificari, ut nulla pars justificationis ad Sacramenta pertineat. In lib. de capt. Babyl. cap. de Baptismo: « Baptismus, inquit, neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis. » Et in assert. I. art.: « Nos dicimus, inquit, nec novi, nec veteris testamenti Sacramenta, sed solam fidem justificasse: » Et in lib. contra Joannem Cochlæum. « Non potest, inquit, ulla pars justificationis tribui Baptismo. » Hæc ille. Qui certe non dixisset, gratia Dei, aut meritum Christi non justificant, nec ullis prosunt; et nulla pars justificationis tribui potest gratiæ Dei, aut merito Christi. Lutherus igitur opposuit justificationem per solam fidem Sacramentis, quam tamen non opposuisset gratiæ Dei, aut merito Christi. Sic etiam Philippus Melanchthon, quem insanum fuisse Kemnitius numquam diceret, in locis editis, anno 1522: « Non justificant, inquit, signa, ut Apostolus ait: Circumcisio nihil est: ita Baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est. » Hæc ille. Sed quæso, an dixisset Melanchthon, gratia Dei non justificat, et gratia Dei nihil est? Igitur opponebant veteres Lutherani solam fidem Sacramentis, quam non opposuissent gratiæ, et merito Christi. Porro Concilium simul damnavit et has profanas voces veterum Lutheranorum, et sententiam, quam sequuntur Calvinus, et Kemnitius, licet a verbis abstineant.

Tertio, sic ait ibidem Kemnitius: « Neque necessitatem Sacramentorum, eo tantum referunt, quod sint causæ instrumentales, per quas a Deo nobis offeratur, et exhibeatur gratia justificationis, sed loquuntur de adipiscenda, seu accipienda gratia justificationis. Et hoc nolunt soli fidei tribui, sed adjungunt necessitatem Sacramentorum: hoc est, intelligunt nostrum opus, quod in susceptione Sacramentorum facimus, ita ut fides non sola, sed una cum dignitate, seu merito illius nostri operis accipiat gratiam justificationis. »

Hic vero impudenter mentitur Kemnitius. Nullus enim Catholicorum justificationem, quam in Sacramentis accipimus, tribuit dignitati, aut meritis operis nostri, sed institutioni divinæ, et operi Christi. Nec enim Baptismus, aut alia Sacramenta sunt opera nostra, aut pendent ex nostra dignitate, aut merito; alioqui Sacramenta ab impiis collata non essent utilia; cujus contrarium tum Catholici, tum etiam Lutherani defendunt contra Donatistas.

Quarto addit Kemnitius: « Et propterea nominant Sacramenta novæ legis, ut sit mutua relatio legis, et nostrorum operum in ipso etiam Sacramentorum usu. »

Hic etiam leviter calumniatur. Non enim per legem intelligit Concilium præceptum, quo opus imperatur, sed testamentum novum; idem enim significant Sacramentum novæ legis, et Sacramentum a Christo institutum, qui est auctor novi Testamenti, seu legis.

Quinto adjungit ineptissime: « Ideo etiam votum nominant, hoc est, pollicitationem certi operis ad accipiendam justificationis gratiam.

Quis nos miretur imperitiam, vel impudentiam hujus censoris? Nam vel ignoravit, votum in verbis Concilii non pollicitationem, sed desiderium significare, vel de industria cavillari voluit. Certe Concilium, cum ait, Sacramenta esse necessaria, vel eorum votum, per votum voluntatem accepit. Nam ut S. Augustinus, lib. IV. contra Donatistas, cap. 23. docet, sine Baptismo, latro salvatus est, quia non ejus accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas adfuit. Atque hæc de ungis Kemnitianis, et de causa finali Sacramentorum.

CAPUT XXIII.

Auctorem Sacramentorum solum esse Christum.

De causa efficiente Sacramentorum, quatuor sunt controversiæ, quot sunt etiam canones de hac re in Concilio Tridentino sess. VII. Ut autem hæc facilius intelligantur, observandum est triplicem causam efficientem in Sacramentis a Theologis considerari. Unam principalem, et omnino independentem, in qua dicunt esse potestatem auctoritatis.

Alteram instrumentalem, sed instrumenti conjuncti, in qua dicunt esse potestatem excellentiæ. Tertiam instrumentalem, sed instrumenti separati; in qua dicunt esse potestatem ministerialem.

Prima causa omnium consensu est Deus, ipse enim solus ex auctoritate gratiam dare potest, et proinde Sacramenta instituere, quæ gratiam efficiunt, aut etiam infallibiliter significant. Secunda causa est Christus ut homo; Christi enim humanitas est instrumentum conjunctum divinitati hypostatice, et ideo Christo ut homini tribuitur quædam potestas ministerialis quidem, quia derivata est a divinitate, tamen excellentiæ potestas dicitur, quia soli Christo convenit. Tertia causa est quilibet alius minister Sacramentorum. De 1. causa nulla est quæstio, de 2. una controversia est, de 3. tres.

Prima igitur quæstio est: An auctor Sacramentorum novæ legis sit solus Christus. Adversarii duo quædam docent. Primo, Sacramenta, quæ sola ipsi vera Sacramenta putant, a solo Christo esse instituta, nimirum Baptismum, et Eucharistiam, cætera non a Christo instituta. Ita docent Calvinus in Antidoto Concilii, sess. VII, can. 1. et Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 13. Citat autem Kemnitius Cyprianum, in sermone de ablutione pedum; item Hugonem, lib. II de Sacramentis, part. 13, cap. 2. et Petrum Lombardum, lib. IV, dist. 23. qui negant omnia Sacramenta a Christo instituta fuisse. Poterat addere Alexandrum Alensem, qui IV. part. quæst. 24. membro 1. dicit, Sacramentum Confirmationis post mortem Apostolorum institutum esse ab Ecclesia in Concilio Meldensi. Idem sentire videtur S. Bonaventura, in IV. dist. 7, art. 1, quæst. 1. Præterea idem Alexander, quæst. 59, memb. 3. et Bonaventura dist. 17, art. 1, quæst. 3. et Marsilius in IV. quæst. 14. dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ non fuisse a Christo institutum, sed ab Apostolis.

Adversus errorem hunc posuit Concilium Trident. sess. VII, canonem 1. qui talis est: « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis, non esse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. » Qui canon non debet ita intelligi, quasi Concilium velit Sacramenta instituta esse a Christo immediate, vel mediate; sed solum immediate: nam alioqui Concilium frustra canonem istum posuisset; cum nemo unquam dubitaverit, quin saltem mediate Sacramenta a Deo sint instituta. Præterea idem Concilium, sess. XIV. can. 1. agens de Sacramento Unctionis extremæ, seipsum explicat, cum ait: Sacramentum illud ab ipso Christo institutum fuisse, sed a B. Jacobo Apostolo promulgatum. Denique, si tantum mediate Christus Sacramenta instituisset, idem dici posset de Sacramentis, et de aliis omnibus cæremoniis Ecclesiasticis: omnes enim sunt a Christo mediate institutæ, quia nimirum dedit Ecclesiæ potestatem instituendi, et inspiravit, ut institueret, et astitit ne erraret in instituendo; et tamen idem Concilium non eodem modo loquitur de Sacramentis, et de aliis cæremoniis. Nam sess. XXI, cap. 2. dicit, Ecclesiam habere potestatem mutandi, et instituendi circa Sacramenta, salva tamen eorum substantia.

Hæc igitur verissima Concilii sententia confirmari potest his rationibus. Primo, in Scripturis Apostoli non vocantur nisi dispensatores, et ministri mysteriorum Dei, ut I. Corinth. IV: *Si nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1). Non igitur instituerunt ipsi, sed solum promulgarunt, et ministrarunt Sacramenta a Christo instituta.

Secundo, Sacramenta legis veteris a Deo immediate sunt instituta, a Moyse autem solum promulgata, ut patet ex libris Exodi, et Levitici, ubi semper cum aliquid novi instituitur, legimus: Locutus est Dominus ad Moysem; multo igitur magis par erat, ut Sacramenta novæ legis præstantiora ab ipso Deo instituerentur.

Tertio, id Patres affirmant. Cyprianus, sive quicumque est auctor, in sermone de ablutione pedum: « Ipse, inquit, summus sacerdos sui est Sacramenti institutor, et auctor: in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem. » Ubi vides non Sacramenta (ut Kemnitius falso citabat) sed quosdam alios ritus ab hominibus institutos, auctore Cypriano. Ambrosius lib. IV de Sacramentis cap. 4: « Auctor, inquit, Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? » Augustinus lib. III. doctrin. Christ. cap. 9. dicit primo ipsum Dominum, deinde Apostolicam disciplinam tradidisse Ecclesiis Sacramenta. Idem in epist. 118, c. 1. Sacramentorum auctorem Deum facit.

(1) I. Cor. IV, 1.

Ad testimonia vero, quæ allegat Kemnitius, Respondemus: Cyprianum contrarium habere, ut supra ostendimus. Hugonem autem, et Lombardum per institutionem intelligere voluisse promulgationem; quomodo etiam lex vetus dicitur lex Moysis, cum tamen eam Moyses non instituerit proprie, sed tantum promulgaverit. Idem responderi potest ad eorum testimonia, qui dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ ab Apostolis institutum. Nam iidem dicunt, Christum instituisse Absolutionem, et insinuasse Confessionem: quocirca non tam relinquunt Apostolis institutionem, quam declarationem, licet ipsi eam vocent institutionem. Porro quod aiunt Alexander et Bonaventura de Sacramento Confirmationis, defendi non potest. Constat enim testimonio Fabiani Papæ, Dionysii Areopagitæ, Cypriani, Tertulliani, et aliorum veterum, Sacramentum Confirmationis fuisse diu ante Concilii Meldensis tempora. Vide Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia, cap. de Baptismo, Tertullianum lib. de resurrect. carnis, Fabianum in epist. ad Orientales, Cyprianum lib. II, epist. 1. et in serm. de Chrismate. Sed neque Concilium illud aliud statuit, nisi ut qui ad Sacramentum Confirmationis accedunt, jejuni sint, ut patet ex Gratiano, can. Ut Episcopi, de consecr. distin. 3. nec enim aliud exstat ex hoc Concilio. De hac tota quæstione plura dicentur, cum de singulis Sacramentis agetur.

CAPUT XXIV.

Ministrum Sacramentorum ordinarium non esse quemlibet hominem etiam baptizatum.

Altera quæstio est de causa ministeriali in Sacramentis conficiendis et ministrandis, quis proprie in Ecclesia sit minister Sacramentorum. Adversarii multum inter se, et nobiscum in hac quæstione dissentiunt.

Martinus Lutherus duo dicit falsa, et inter se pugnantia. Primum, omnes omnino esse ministros, non solum homines, sed etiam dæmones. Sic enim ait in lib. de Missa privata, et unctione Sacerdotum, edito anno 1534: « Ego non dicam, quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed e contra dico, si diabolus ipse veniret, et ego postea resciscerem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ, in specie hominis vocatum ad prædicandum, et publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, et absolvisse a peccatis, et tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, veram Absolutionem, verum Sacramentum corporis et sanguinis Christi nos accepisse. » Hæc ille.

Probat autem, tum quia fides nostra, dignitas, et efficacia Sacramentorum, non nititur qualitate personæ, sed Christi verbo, et ordinatione. Sive igitur bona sit, sive mala, sive uncta, sive non uncta, sive vocata legitime, sive non sic vocata, sive Satan, sive Angelus, idem efficit, modo servet Christi ordinationem: tum etiam quia Judas, qui erat membrum Diaboli, non minus prædicabat, et baptizabat, quam cæteri Apostoli. Cur igitur non possit Diabolus, quod possunt membra ejus?

Alterum, quod Lutherus dicit, est, omnes, et solos homines baptizatos habere potestatem omnia Sacramenta ministrandi; tametsi ad tollendam confusionem, non oporteat omnes uti hac potestate, sed tantum eos, qui legitime sunt vocati, exceptis tribus casibus. Primo, quando quis est in loco privato, ut domi suæ. Secundo, quando nemo alius adest, et necessitas urget. Tertio, quando alius adest, sed non tam bene ministrat, ut ego facerem, juxta illud I. Corinth. XIV: *Si alteri revelatum fuerit, prior tacent* (1).

Hanc esse ejus sententiam patet ex sequentibus. In lib. de captivit. Babylon. cap. de Ordine: « Esto, inquit, certus, et sese agnoscat quicumque se Christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo, et Sacramento quocumque habere potestatem; verum non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, vel vocatione majoris. » Et paulo ante: « Quod si cogerentur admittere, nos omnes esse æqualiter Sacerdotes, quotquot baptizati sumus, sicut revera sumus etc. » Item in articulis a Leone X damnatis, art. 13: « Ubi, inquit, non est Sacerdos, æque potest quilibet Christianus,

(1) I. Cor. XIV. 30.

Alteram instrumentalem, sed instrumenti conjuncti, in qua dicunt esse potestatem excellentiæ. Tertiam instrumentalem, sed instrumenti separati; in qua dicunt esse potestatem ministerialem.

Prima causa omnium consensu est Deus, ipse enim solus ex auctoritate gratiam dare potest, et proinde Sacramenta instituere, quæ gratiam efficiunt, aut etiam infallibiliter significant. Secunda causa est Christus ut homo; Christi enim humanitas est instrumentum conjunctum divinitati hypostatice, et ideo Christo ut homini tribuitur quædam potestas ministerialis quidem, quia derivata est a divinitate, tamen excellentiæ potestas dicitur, quia soli Christo convenit. Tertia causa est quilibet alius minister Sacramentorum. De 1. causa nulla est quæstio, de 2. una controversia est, de 3. tres.

Prima igitur quæstio est: An auctor Sacramentorum novæ legis sit solus Christus. Adversarii duo quædam docent. Primo, Sacramenta, quæ sola ipsi vera Sacramenta putant, a solo Christo esse instituta, nimirum Baptismum, et Eucharistiam, cætera non a Christo instituta. Ita docent Calvinus in Antidoto Concilii, sess. VII, can. 1. et Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 13. Citat autem Kemnitius Cyprianum, in sermone de ablutione pedum; item Hugonem, lib. II de Sacramentis, part. 13, cap. 2. et Petrum Lombardum, lib. IV, dist. 23. qui negant omnia Sacramenta a Christo instituta fuisse. Poterat addere Alexandrum Alensem, qui IV. part. quæst. 24. membro 1. dicit, Sacramentum Confirmationis post mortem Apostolorum institutum esse ab Ecclesia in Concilio Meldensi. Idem sentire videtur S. Bonaventura, in IV. dist. 7, art. 1, quæst. 1. Præterea idem Alexander, quæst. 59, memb. 3. et Bonaventura dist. 17, art. 1, quæst. 3. et Marsilius in IV. quæst. 14. dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ non fuisse a Christo institutum, sed ab Apostolis.

Adversus errorem hunc posuit Concilium Trident. sess. VII, canonem 1. qui talis est: « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis, non esse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. » Qui canon non debet ita intelligi, quasi Concilium velit Sacramenta instituta esse a Christo immediate, vel mediate; sed solum immediate: nam alioqui Concilium frustra canonem istum posuisset; cum nemo unquam dubitaverit, quin saltem mediate Sacramenta a Deo sint instituta. Præterea idem Concilium, sess. XIV. can. 1. agens de Sacramento Unctionis extremæ, seipsum explicat, cum ait: Sacramentum illud ab ipso Christo institutum fuisse, sed a B. Jacobo Apostolo promulgatum. Denique, si tantum mediate Christus Sacramenta instituisset, idem dici posset de Sacramentis, et de aliis omnibus cæremoniis Ecclesiasticis: omnes enim sunt a Christo mediate institutæ, quia nimirum dedit Ecclesiæ potestatem instituendi, et inspiravit, ut institueret, et astitit ne erraret in instituendo; et tamen idem Concilium non eodem modo loquitur de Sacramentis, et de aliis cæremoniis. Nam sess. XXI, cap. 2. dicit, Ecclesiam habere potestatem mutandi, et instituendi circa Sacramenta, salva tamen eorum substantia.

Hæc igitur verissima Concilii sententia confirmari potest his rationibus. Primo, in Scripturis Apostoli non vocantur nisi dispensatores, et ministri mysteriorum Dei, ut I. Corinth. IV: *Si nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1). Non igitur instituerunt ipsi, sed solum promulgarunt, et ministrarunt Sacramenta a Christo instituta.

Secundo, Sacramenta legis veteris a Deo immediate sunt instituta, a Moyse autem solum promulgata, ut patet ex libris Exodi, et Levitici, ubi semper cum aliquid novi instituitur, legimus: Locutus est Dominus ad Moysem; multo igitur magis par erat, ut Sacramenta novæ legis præstantiora ab ipso Deo instituerentur.

Tertio, id Patres affirmant. Cyprianus, sive quicumque est auctor, in sermone de ablutione pedum: « Ipse, inquit, summus sacerdos sui est Sacramenti institutor, et auctor: in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem. » Ubi vides non Sacramenta (ut Kemnitius falso citabat) sed quosdam alios ritus ab hominibus institutos, auctore Cypriano. Ambrosius lib. IV de Sacramentis cap. 4: « Auctor, inquit, Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? » Augustinus lib. III. doctrin. Christ. cap. 9. dicit primo ipsum Dominum, deinde Apostolicam disciplinam tradidisse Ecclesiis Sacramenta. Idem in epist. 118, c. 1. Sacramentorum auctorem Deum facit.

(1) I. Cor. IV, 1.

Ad testimonia vero, quæ allegat Kemnitius, Respondemus: Cyprianum contrarium habere, ut supra ostendimus. Hugonem autem, et Lombardum per institutionem intelligere voluisse promulgationem; quomodo etiam lex vetus dicitur lex Moysis, cum tamen eam Moyses non instituerit proprie, sed tantum promulgaverit. Idem responderi potest ad eorum testimonia, qui dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ ab Apostolis institutum. Nam iidem dicunt, Christum instituisse Absolutionem, et insinuasse Confessionem: quocirca non tam relinquunt Apostolis institutionem, quam declarationem, licet ipsi eam vocent institutionem. Porro quod aiunt Alexander et Bonaventura de Sacramento Confirmationis, defendi non potest. Constat enim testimonio Fabiani Papæ, Dionysii Areopagitæ, Cypriani, Tertulliani, et aliorum veterum, Sacramentum Confirmationis fuisse diu ante Concilii Meldensis tempora. Vide Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia, cap. de Baptismo, Tertullianum lib. de resurrect. carnis, Fabianum in epist. ad Orientales, Cyprianum lib. II, epist. 1. et in serm. de Chrismate. Sed neque Concilium illud aliud statuit, nisi ut qui ad Sacramentum Confirmationis accedunt, jejuni sint, ut patet ex Gratiano, can. Ut Episcopi, de consecr. distin. 3. nec enim aliud exstat ex hoc Concilio. De hac tota quæstione plura dicentur, cum de singulis Sacramentis agetur.

CAPUT XXIV.

Ministrum Sacramentorum ordinarium non esse quemlibet hominem etiam baptizatum.

Altera quæstio est de causa ministeriali in Sacramentis conficiendis et ministrandis, quis proprie in Ecclesia sit minister Sacramentorum. Adversarii multum inter se, et nobiscum in hac quæstione dissentiunt.

Martinus Lutherus duo dicit falsa, et inter se pugnantia. Primum, omnes omnino esse ministros, non solum homines, sed etiam dæmones. Sic enim ait in lib. de Missa privata, et unctione Sacerdotum, edito anno 1534: « Ego non dicam, quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed e contra dico, si diabolus ipse veniret, et ego postea resciscerem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ, in specie hominis vocatum ad prædicandum, et publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, et absolvisse a peccatis, et tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, veram Absolutionem, verum Sacramentum corporis et sanguinis Christi nos accepisse. » Hæc ille.

Probat autem, tum quia fides nostra, dignitas, et efficacia Sacramentorum, non nititur qualitate personæ, sed Christi verbo, et ordinatione. Sive igitur bona sit, sive mala, sive uncta, sive non uncta, sive vocata legitime, sive non sic vocata, sive Satan, sive Angelus, idem efficit, modo servet Christi ordinationem: tum etiam quia Judas, qui erat membrum Diaboli, non minus prædicabat, et baptizabat, quam cæteri Apostoli. Cur igitur non possit Diabolus, quod possunt membra ejus?

Alterum, quod Lutherus dicit, est, omnes, et solos homines baptizatos habere potestatem omnia Sacramenta ministrandi; tametsi ad tollendam confusionem, non oporteat omnes uti hac potestate, sed tantum eos, qui legitime sunt vocati, exceptis tribus casibus. Primo, quando quis est in loco privato, ut domi suæ. Secundo, quando nemo alius adest, et necessitas urget. Tertio, quando alius adest, sed non tam bene ministrat, ut ego facerem, juxta illud I. Corinth. XIV: *Si alteri revelatum fuerit, prior tacent* (1).

Hanc esse ejus sententiam patet ex sequentibus. In lib. de captivit. Babylon. cap. de Ordine: « Esto, inquit, certus, et sese agnoscat quicumque se Christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo, et Sacramento quocumque habere potestatem; verum non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, vel vocatione majoris. » Et paulo ante: « Quod si cogerentur admittere, nos omnes esse æqualiter Sacerdotes, quotquot baptizati sumus, sicut revera sumus etc. » Item in articulis a Leone X damnatis, art. 13: « Ubi, inquit, non est Sacerdos, æque potest quilibet Christianus,

(1) I. Cor. XIV. 30.

etiamsi mulier, aut puer esset. » Et in assertione ejusdem articuli rationem reddens, ait : « Qui enim baptizatus est, Spiritum Christi habet; ubi autem Spiritus Christi, ibi omnium potestas, et libertas. » Hæc ibi. Item in libro, quem edidit contra eamdem Bullam Leonis, anno 20 : « Assero, inquit, et amplector fiducia tota spiritus mei articulos, per eam damnatos, asserendosque pronuntio omnibus Christianis : sub pœna æternæ damnationis. » Et infra in fine libri : « His, inquit, scriptis testor, me omnia damnata per Bullam istam execrabilem confiteri pro Catholicis dogmatibus. » Et infra : « Ultimum quod habeo exponam, nempe hanc animam, et hunc sanguinem. Melius enim est me millies occidi, quam unam syllabam damnatorum articulorum revocare. » Hæc ibi.

Ubi est obiter Notandum, revocasse postea Lutherum aliquos ex iisdem articulis, ac nominatim 36. de libero arbitrio, quem in assertione primarium, et fundamentum totius doctrinæ suæ ipse appellat. Nam in articulo isto 36. dicit, liberum arbitrium esse rem de solo titulo : et in assertione explicat, id ita intelligendum esse, ut juxta doctrinam Wicleffi omnia de necessitate absoluta eveniant. Quod quidem apertissime revocavit in visitatione Saxonica, ubi docet, hominem esse liberi arbitrii in operibus civilibus, nec omnia necessario evenire.

Ad hæc in lib. de abroganda Missa, edito anno 21. ex proposito docet, et probat omnes Christianos habere eamdem potestatem in verbo, et Sacramentis ministrandis : « Invictis, inquit, Scripturis firmabimus legitimum illud, et unicum verbi ministerium esse commune omnibus Christianis, sicut et sacerdotium, et sacrificium. » Et infra probat aliquot exemplis Scripturæ, licere etiam fœminis concionari, item in lib. ad Pragenses, et instituendis ministris Ecclesiæ, quem edidit anno 1523 : « Sacerdos, inquit, in novo præsertim Testamento non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur : nascitur autem in Baptismo, suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes. » Et ibidem prolixe probat omnes Christianos ex Baptismo habere, ut possint concionari, baptizare, consecrare, et absolvere, ac ligare. Et de clavibus habet hæc verba : « Cessent, inquit, hominum mendacia. Claves sunt totius Ecclesiæ, et cujuslibet membri ejus, tam jure, quam usu, et omnibus modis. » Hæc ille. Infra tamen monet, non licere unicuique uti hoc jure, nisi in necessitate, sed expectandam esse vocationem, et electionem multitudinis.

Ex quibus duo corollaria deducit. Unum, quod publici ministri non differant a cæteris potestate, vel dignitate aliqua, sed solo usu potestatis. Alterum, quod ex proximo sequitur, posse ministrum fieri laicum, ut ex laicis fiunt ministri. Porro argumenta ejus infra ponentur, cum solvenda erunt. Hæc igitur est Lutheri sententia.

Joannes Calvinus in altero extremo versatur. Nam non solum non concedit diabolum, aut fœminas, aut quoslibet Christianos posse concionari, et Sacramenta ministrare, sed ita severe defendit, solum quosdam legitime vocatos habere hanc potestatem, ut ne in necessitate quidem concedat laicis, ac præsertim fœminis, ut baptizent. Sic enim scribit in Antidoto ad canon. 10, sess. 7 : « Nemo sanus Christianos omnes in verbi, Sacramentorumque administratione pares facit : non solum quia decenter, et ordine geri omnia in Ecclesia decet; sed etiam quod singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur ministri. » Et infra : « Porro munus baptizandi, ubi mulierculis injunctum reperient, quemadmodum illis permittunt? » Idem fuse docet in Institut. lib. IV, cap. 3, §. 10 et cap. 15. in fine. Itaque cum Calvino nulla nobis hoc loco controversia est. Nam quod negat laicos, et fœminas non posse in necessitatis articulo baptizare, in disputatione de Baptismo refutandum erit.

Martinus Kemnitius more suo rem totam involvens, non satis aperit quid sentiat. Nam discutiens 10. can. sess. VII Concilii Tridentini, qui sic habet : « Si quis dixerit, Christianos omnes, in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit. » Tria dicit. Queritur Primum, canonem esse positum ad damnandam Lutheri sententiam, sed mutilatam, et depravatam : « Non enim Lutherus unquam sentit, » inquit Kemnitius pag. 138. « quemvis Christianum promiscue sine legitima vocatione, vel posse, vel debere sibi arrogare, vel usurpare ministerium verbi, et administrationem Sacramentorum in Ecclesia. »

At debuisset distinguere Kemnitius potestatem ab executione. Nam si loquitur de sola executione, verum est, Lutherum non sensisse, posse vel debere quemvis sibi arrogare hoc ministerium sine legitima vocatione. Sed neque Concilium id in Luthero damnavit; id enim omnes fatemur esse verum. Si vero loquitur de potestate, falsum est Lutherum non ita sensisse : ut loca a nobis prolata demonstrant. Atque id est, quod damnavit Concilium. Neque potest dici Lutheri sententia a Concilio mutilata, vel depravata. Non enim Concilium debuit totum librum Lutheri describere, aut referre ea, quæ ab illo bene scripta sunt : sed satis fuit ea referre, quæ damnanda erant.

Deinde addit Kemnitius, Concilium fraudulenter loqui : « Oblique, inquit pag. 140, et quasi aliud agentes hoc axioma petunt : Neminem, etiam si legitime juxta præscriptum verbi Dei ab Ecclesia electus, et vocatus sit, nisi ab Episcopo aliquo unctus, et rasus sit, habere ullam potestatem in verbi, et Sacramentorum administratione : et Sacramenta ab illis administrata non esse vera, et efficacia. Has insidias Lector intelligat occultatas in hoc canone. »

Sed canon apertissimus est, et Kemnitius potius simplici ejus intelligentiæ insidias tendit. Nam Concilium non dicit, non habere ullam potestatem in Sacramentis ministrandis eos, qui non sunt ab Episcopo uncti et rasi. Nam Concilium non ignorabat ad Sacramenta Baptismi et Matrimonii, non requiri necessario ordinationem, sed dicit non habere potestatem in omnibus Sacramentis; ut reprobet Lutheri sententiam, quæ in omnibus Sacramentis, etiam Eucharistiæ, et Pœnitentiæ tribuit laicis potestatem. Deinde Concilium non nominat unctos, et rasos; unctio enim et rasura cæremoniæ sunt accidentales, sine quibus essentia Ordinationis consistere potest. Itaque Kemnitius insidias in suis verbis occultat.

Tertio, dicit sententiam Canonis, ut verba sonant, esse veram, sed tamen eam non recte exponit : « Quod vero, inquit, ad ipsam sententiam decimi hujus canonis, sicut verba posita sunt, attinet, plane et clare respondeo : Si qui existimant cuivis Christiano promiscue sine peculiari, et legitima vocatione permissam esse potestatem usurpandi, et exercendi ministerium verbi, et Sacramentorum in Ecclesia, eos jure, et merito damnari. »

At non recte exponit Concilium Kemnitius. Non enim Concilium damnat eos, qui dicunt, licere unicuique sine vocatione usurpare ministerium; id enim nemo dicit, proinde non fuisset opus canone : sed damnat eos, qui dicunt, omnes Christianos habere potestatem, verbum, et Sacramenta omnia ministrandi, quod Lutherus dixit, et Kemnitius sentire videtur, licet aperte confiteri non audeat. Proponenda est igitur, et probanda Ecclesiæ doctrina, quæ duabus propositionibus comprehendi potest.

Prima propositio : « Minister Sacramentorum homo esse debet, non autem Angelus, sive bonus, sive malus. » Hæc est adversus Lutherum, et communis apud Theologos.

Est tamen observandum, quod si forte Angelus bonus Sacramentum aliquod ministraret, illud habendum esset ratum, quia certum esset id factum esse divina dispensatione extraordinaria. Quocirca refert Nicephorus lib. XI. cap. 20. S. Anphilochium ab Angelis ordinatum Episcopum; idque ratum habitum ab Episcopis ejus provinciæ. At si Diabolus idem faceret, iterandum esset Sacramentum, quia Diabolus nec habet ex se potestatem, nec peculiari Dei dispensatione acciperet, sed sibi usurparet, aut falleret.

Probatur hæc propositio. Primo; Ad essentiam Sacramentorum, ut requiritur verum, et naturale elementum ita requiritur verum et naturale verbum. Sed solus homo vere, et naturaliter loquitur : loqui enim est actio corporis viventis per instrumentum linguæ, et palati; non igitur Angelus bonus, vel malus Sacramenta conficere potest. Nam, ut recte docet S. Thomas I. par. qu. LI. art. 3. ad. 4. Angeli etiam per corpus assumptum non possunt proprie loqui.

Secundo : Etiamsi vera elementa, veraque verba Angeli adhibere possent, tamen non propterea illa verum Sacramentum efficerent. Nam Sacramentum est signum, et causa infallibilis gratiæ : non autem id habent elementa, et verba naturaliter, sed solum ut a Deo assumantur, ut instrumenta justificationis. Ergo non sunt vera Sacramenta cum a quocumque adhibentur, sed cum adhibentur ab eo, cui Deus id committit : quomodo etiam verba, quibus miracula faciebant Christus, et Apostoli, non a quocumque prolata fuissent, eamdem vim habuissent. Si enim quis dicat claudo : *Surge et ambula*, nihil efficiet, nisi a Deo assumatur, ut instrumentum ad miraculum faciendum : non igitur vera Sacramenta conficere potest, nisi qui a Deo habet auctoritatem. Sed Deus hanc auctoritatem solis hominibus dedit, non Angelis

bonis, vel malis. Nam Matth. XXVIII, hominibus dixit : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc.* Item Luc. XXII : solis hominibus dixit ? *Hoc facite in meam commemorationem.* Joan. XX : solis hominibus dixit : *Quorum remiseritis peccata etc.* Ad hæc Ephes. IV. *Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* ; ubi per dona intelligit varia ministeria, quæ sunt in Ecclesia ; nam antea dixerat : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, sicut scriptum est : Ascendens in altum etc.* Et infra : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores etc.* Denique Hebr. V : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur etc.* (1) Quare Chrysostomus lib. III. de sacerdotio, aperte testatur, Angelis non esse concessum, quod est concessum hominibus, ut Sacramenta ministrent ; et idem habet homil. 85. in Joan. prope fin.

Tertio, confirmatur ex doctrina Lutheri ; Nam ipse vult fundamentum potestatis in verbum, et Sacramenta, esse Baptismum, ut patet ex locis citatis : at hoc fundamento carent Angeli tum boni, tum mali. Item in homil. de Baptismo, et alibi, docet, non sufficere verba, et elementa, sed requiri Dei mandatum ; at Deus nusquam mandavit Angelis, ut Sacramenta conficerent ; igitur etc.

Neque argumenta Lutheri pro Diabolo facta concludunt. Ad Primum concedimus, Sacramentorum efficaciam non pendere a qualitate ministri quacumque. Non enim pendet a qualitate accidentali, ut est bonitas ; tamen pendet ad qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister ; talis autem in primis est, ut sit homo.

Ad secundum, fatemur Judam, et membrum Diaboli fuisse, vera Sacramenta ministrasse : negamus autem idem convenire Diabolo. Nam Judas, non ut membrum Diaboli, sed ut minister Christi Sacramentum administravit : fuit autem Judas Christi minister, quia verus homo erat, et a Christo acceperat potestatem baptizandi, quorum neutrum Diabolo convenit.

Secunda propositio : « Verus minister Sacramentorum (Baptismo et Matrimonio exceptis) non est quilibet homo etiam baptizatus, sed is solùm, qui rite in Ecclesia ordinatus est. »

Nota, excipi Baptismum, quia propter summam ejus Sacramenti necessitatem, semper Ecclesia intellexit posse a quolibet homine conferri ; de qua re dicemus in materia de Baptismo. Item excipi Matrimonium, quoniam cum Matrimonium consistat in contractu mutuo duorum ; non poterat aliter fieri, quam ut ipsi contrahentes essent ministri.

Probatur hæc propositio adversus Lutheranos. Primo, ex Scripturis, quæ docent, in Ecclesia esse diversa officia, nec omnia omnibus convenire ; ut Roman. XII. I. Corinth. XII. et Ephes. IV : *Alios posuit Apostolos, alios Prophetas etc. Et numquid omnes Apostoli, numquid omnes Prophetæ? etc.* (2) Idem ergo dici potest de pastoribus et doctoribus, qui ibidem nominantur. Nec responderi potest hic agi de usu, ut Lutherani dicunt, non de potestate. Nam certe Apostoli non habebant potestatem Apostolicam, antequam illam a Christo acciperent : non igitur acceperunt usum tantum, sed ipsam potestatem.

Secundo, ex illo Heb. V. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (3). Non igitur omnes, qui sunt de populo Dei, sunt hoc ipso Sacerdotes. Neque potest hic locus intelligi de exercitio tantum : nam Aaron antequam vocaretur a Deo ad sacerdotium, non habebat neque usum, neque potestatem. Præterea assumere honorem, non est exequi potestatem, sed accipere eam ; quod etiam confirmatur ex sequentibus : *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.* Igitur assumere honorem est fieri Pontificem, non autem exercere Pontificatum.

Tertio, Apostoli baptizati sunt et baptizabant ante Christi passionem. Nam quod baptizarent, habetur Joan. IV. quod baptizati fuerint, docet Augustinus in epist. 108. ad Seleucianum : nec est credibile, eos a Christo jussos baptizare, antequam ipsi baptizarentur. At potestatem consecrandi Eucharistiam acceperunt postea Luc. XXII, cum audierunt : *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter et absolvendi potestatem acceperunt postea Joan. XX : *Quorum remiseritis* (1). Non igitur acceperant in Baptismo.

(1) Matth. XXVIII, 19 ; Luc. XXII, 19 ; Joan. XX, 23 ; Eph. IV, 8, 7 et 11 ; Hebr. V, 1. — (2) Rom. XII, 6 ; I Cor. XII, 4 et seq. ; Eph. IV, 11. — (3) Hebr. V, 4.

Quarto ; Si omnes Christiani acciperent in Baptismo hanc potestatem, ideo acciperent, quia tunc, ut ait Lutherus, unguntur gratia Spiritus sancti, et proinde fiunt spirituales Sacerdotes. At id falsum est ; nam sequeretur eos, qui dum baptizantur, non recipiunt gratiam, et eos, qui postea eam perdunt, non vere conferre Sacramenta, quod tamen Lutherus recte negat contra Anabaptistas. Nec potest responderi sufficere characterem, nam Lutherani non agnoscunt ullum characterem.

Quinto ; Si omnes Christiani haberent hanc potestatem : nemo posset privari usu ejus, nisi in pœnam magni criminis : atqui apud Lutheranos multi privantur usu hujus potestatis sine ulla sua culpa. Neque obstat quod illi objiciunt de confusione, quæ nasceretur in Ecclesia, si omnes uterentur hac potestate. Nam possent per vices fungi hoc ministerio : aut certe non deberet posse repelli, qui vellet ministrare, quando pauci sunt ministri, etiamsi non esset vocatus a Magistratu. At ipsi repellunt non vocatos ; ergo vel injuriam eis faciunt, vel fateri debent, eos non habere potestatem.

Sexto ; In lege veteri, ubi erant Sacramenta imperfectiora, non tamen omnes poterant ea ministrare, sed soli sacerdotes. Nec valet solutio, si dicas Christianos esse factos in Baptismo spirituales sacerdotes : nam etiam illi fiebant in Circumcisione spirituales sacerdotes, et poterant omnes offerre spirituales hostias. Imo quod dixit B. Petrus de omnibus Christianis : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (2). I. Pet. III. idem antea dixerat Moses de omnibus Israelitis Exod. XIX. et tamen Ozias Rex lepra punitus fuit, quia fungi voluit munere sacerdotali. II. Paralipom. XXVI.

CAPUT XXV.

Solvuntur argumenta Lutheri.

Ex his ad argumenta Lutheri facile erit respondere. Ac Primum in libro de abroganda Missâ proponit sex Scripturas, quibus probet omnes Christianos æque esse sacerdotes. Prima est I. Pet. II : *Tamquam viri lapides superædificamini in sacerdotium sanctum.* Secunda ibidem : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Tertia ibidem : *Ut virtutes annuntietis ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum.* Ubi Christiani dicuntur ad hoc vocati, ut annuntient, id est, prædicent virtutem Christi : igitur omnes Christiani possunt ac debent prædicare, quod est præcipuum munus sacerdotis. Quarta Apocal. V : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotium.* Quinta Apocal. XX : *Erunt Sacerdotes Dei, et Christi ejus.* Sexta. II. Cor. III. *Qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti* (3).

Addit præterea quædam loca, ut probet mulieres posse concionari, Joelis II : *Prophetabunt filii vestri et filiæ.* Actor XXI. *Erant Philippo quatuor filiæ virgines prophetantes.* Exod. XV. Maria prophetavit. Judic. IV. Debora docuit Barach. IV. Reg. XXII. Olda consilium dedit Regi Josiæ. Luc. I. Virgo Maria prophetavit. I. Corinth. XI : *Mulier, velato capite, oret, et prophetet.* Ex quo loco explicari putat alium ejusdem Apostoli I. Corint. XIV : *Mulieres in Ecclesia taceant* (4). Nam in priori loco loquitur absolute, in posteriori prohibet, ne loquantur mulieres viris præsentibus, et loqui volentibus, et valentibus.

Rursus in lib. de instituendis ministris ad Pragenses, probat hoc ipsum dupliciter. Primo, hac ratione : Christus est Sacerdos, Psal. CIX : *Tu es sacerdos in æternum* (5). Omnes Christiani sunt fratres Christi, Ps. XXI : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* ; et Psalm. XLIV : *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* (6) Igitur omnes Christiani sunt Sacerdotes.

Secundo probat ex officiis Sacerdotum,

(1) Luc. XXII, 19 ; Joan. XX, 23. — (2) I. Petr. II, 9. — (3) I. Petr. II, 5, 9 ; Apoc. V, 10 ; XX, 6 ; II. Cor. III, 6. — (4) Joel. II, 28 ; Act. XXI, 9 ; I. Cor. XI, 5 ; XIV, 34. — (5) Psal. CIX, 5. — (6) Psal. XXI, 23 ; XLIV, 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ sunt concionari, baptizare, consecrare, absolvere, sacrificare, orare pro aliis, et judicare de doctrinis. Quod enim omnes possint concionari, probat tribus Scripturis. Primo ex illo I. Pet. II : *Ut virtutes annuntietis*. Secundo ex illo I Cor. XI. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis*. Annuntiare enim mortem Domini, prædicare est. Tertio ex illo I. Cor. XIV : *Unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsin habet, potestis omnes per singulos prophetare* (1). Propter quæ loca ita Lutherus triumphat : « Quare satis his locis robustissime et clarissime firmatum sit, ministerium verbi potissimum in Ecclesia esse prorsus unicum, et commune omnibus Christianis, non modo jure, sed etiam præcepto. Quare et sacerdotium non nisi unicum, et commune erit, ut nihil valeant adversus hæc divina fulmina, infiniti Patres, innumera Concilia, æterna consuetudo, et universa mundi multitudo, quibus stipulis rasæ larvæ nituntur sacerdotium suum stabilire.» Hæc ille.

Quod omnes possint baptizare, probat ex usu nostræ Ecclesiæ, quæ concedit etiam mulierculis ut baptizent : et proinde ut ministrent verbum : nec enim Baptismus sine verbo constat.

Quod omnes possint consecrare Eucharistiam, probat Primo, quia Lucæ XXII. Christus in cœna omnibus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem*. Item Secundo, quia Paulus I. Cor. XI. totam Ecclesiam alloquitur, cum ait : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis* (2). Denique Tertio probat ; quia majus est baptizare, et concionari, quam consecrare. Nam ex concione, et Baptismo datur remissio peccatorum, ex consecratione nihil sequitur, nisi stupor sacerdotis super sua potestate et dignitate.

Quod omnes possint absolvere, probat ex illo Matth. XVIII : *Quæcumque alligaveritis super terram etc.*

Quod omnes possint sacrificare, probat, quia nullum est sacrificium in Ecclesia, nisi illud, quo juxta Paulum Rom. XII : *Sacrificamus corpora nostra per mortificationem vitiorum* (3). Id autem commune est omnibus.

Quod omnes possint orare pro aliis, probat, quia oratio Dominica est communis ; et in ea pro aliis etiam oratur.

Quod omnes possint judicare, et discernere dogmata, probat dupliciter. Primo ex illis Scripturis, quæ jubent, ut fugiamus falsos Prophetas. Joan. X : *Oves meæ vocem meam audiunt, vocem alienorum non audiunt*. Matth VII : *Attendite a falsis Prophetis*. Secundo ex illis verbis Pauli I. Cor. XIV : *Si sedenti revelatum fuerit, prior taceat* (4). Hic vero triumphat Lutherus, ac vult licere unicuique judicare Ecclesiam Romanam, licet ipsa sedeat, ut mater, et magistra Ecclesiarum, Hæc sunt argumenta ex lib. de instituendis ministris. Accedat ultimo argumentum, quod facit in assertione 13. art. « Qui, inquit, baptizatus est, spiritum Christi habet ; ubi autem spiritus Christi est, ibi omnium potestas et libertas. »

Responsio. Ad Primum, Secundum, Quartum et Quintum locum respondeo, loca illa intelligi de sacerdotio spirituali, quo offerimus hostias spirituales, id est, opera bona, ac præcipue laudes, et preces : quod quidem sacerdotium commune est omnibus piis hominibus. Sed præter hoc sacerdotium est aliud proprie dictum ; quo offertur sacrificium proprie dictum, et ad cujus officium pertinet ministrare verbum, et Sacramenta populis.

Id ita esse patet. Primo ex ipsis locis. Nam I. Petri II. habetur : *Offerentes spirituales hostias* (5). Addidit enim spirituales ad distinctionem hostiarum, quæ non spiritualiter et mystice, sed proprie sacrificantur. Sic etiam in cap. V. et XX Apocalypsis agitur de sacerdotio beatorum in cœlo, quod certum est non esse nisi ad offerendas laudes.

Secundo idem probatur : quia verba B. Petri sumpta sunt ex cap. XIX Exodi, ubi illud idem dicitur de Hebræis, quod B. Petrus tribuit Christianis. At in Testamento veteri non erant omnes proprie dicti sacerdotes, sed solum filii et posteri Aaron, et tamen erant omnes sacerdotes spirituales.

Tertio : quia tam Petrus in epistola, quam Joannes in Apocalypsi conjungunt regnum cum sacerdotio. Sic igitur sunt omnes Christiani sacerdotes, quo modo sunt omnes reges.

(1) I. Petr. II, 9 ; I. Cor. XI, 26 ; XIV, 26. — (2) Luc. XXII, 19 ; I. Cor. XI, 23. — (3) Matth. XVIII, 18 ; Rom. XII, 1. — (4) Joan. X, 5 et 27 ; Mat. VII, 15 ; I. Cor. XIV, 30. — (5) I. Petr. II, 5.

Quarto : hæc loca solum intelliguntur de sanctis et piis Christianis, non de peccatoribus, qui non sunt gens sancta, ut eos Petrus vocat : at sacerdotium, seu ministerium externum convenit etiam peccatoribus, ex sententia tum Catholicorum, tum Lutheranorum.

Ad tertium locum : *Ut virtutes annuntietis etc.* Responsio. Non imperat S. Petrus, ut omnes Christiani publice prædicent verbum Dei, sed ut gratias agant Deo, eumque laudent ob ejus beneficia. Nam ut recte exponit Beda, alludit Petrus ad Canticum Hebræorum (*Cantemus Domino gloriose etc.* Exod. XV.) quod cantaverunt liberati ex Ægypto post transitum maris rubri. Vult enim eodem modo Christianos liberatos de diabolica servitute per aquas Baptismi cantare canticum actionis gratiarum, et assidue laudare potentiam Redemptoris. Nec male addit Œcumenius, velle etiam B. Petrum, ut omnes Christiani non tam verbis, quam bonis operibus annuntient Dei virtutem, ita ut eorum vita sit quædam concio gentilibus, juxta illud Matth. V : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem etc.* Quomodo etiam intelliguntur multa alia loca, ut Psal. XVIII : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* I. Timoth. II : *Sicut decet mulieres promittentes.* Græce ἐπαγγελλομέναις, annuntiantes *pietatem per opera bona*. Et infra : *Mulieri docere non permitto* (1). Ubi vides mulieribus imperari, ut annuntient pietatem ; ac ne forte Lutherana interpretatione deceptæ putarent sibi licere etiam concionari, addit : *Per opera bona*, et : *Mulieri docere non permitto.*

Ad Sextum : *Idoneos nos fecit ministros etc.* Responsio. Non loquitur de omnibus Christianis, sed de se tantum, et cæteris collegis suis Apostolis. Nam confert se cum Mose, qui minister fuit testamenti veteris, ac dicit, illum ministrasse litteras in lapidibus insculptas, se autem, et collegas suos ministrare spiritum etc. At constat in testamento veteri non fuisse omnes ministros, et promulgatores legis, sed solum Mosem. Præterea toto capite præcedenti loquitur de se ipso, et similiter initio c. III, cum ait : *Incipimus iterum nosmetipsos commendare ? aut egemus, sicut quidam commendatitiis litteris ad vos, aut ex vobis* (2) ?

Ad loca illa pro feminis, Respondeo : Aliud est prophetare, id est, futura prædicere, aliud prophetare, id est, concionari, sive Scripturas interpretari. Primum non est proprie munus sacerdotis, seu præsulis Ecclesiastici, sed est gratia gratis data, quæ etiam laicis viris et feminis convenire potest. Certe David, Elias, Elisæus, Isaias, et alii permulti, sacerdotes non erant, et tamen prophetabant, et de hoc genere prophetandi intelliguntur fere omnia loca allegata. Alterum genus est proprium sacerdotis, neque convenit feminis, quia feminarum est subesse, non præesse. Et hanc rationem adfert B. Paulus I. Corint. XIV : *Mulieres taceant in Ecclesia, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse* (3). Nec tamen propterea prohibetur Deus, quin possit extraordinarie feminis concedere, ut doceant viros, ut quondam contigit Deboræ, et antea annos ducentos sanctæ Catharinæ Senensi. Sed hæc privilegia non faciunt legem.

Ad argumentum, ex eo quod Christus est sacerdos, et omnes Christiani sunt fratres ejus. Respondeo : Nihil concludit hoc argumentum. Primo, quia Christus non est sacerdos Aaronicus, sed secundum ordinem Melchisedech. In sacerdotio Aaronico id habebat locum, ut omnes fratres essent sacerdotes : at in sacerdotio secundum ordinem Melchisedech solus primogenitus erat sacerdos.

Præterea etiam in sacerdotio Aaronico soli fratres naturales erant sacerdotes, non autem adoptivi : porro Christiani sunt fratres Christi adoptivi, non naturales.

Denique, si omnia, quæ Christo conveniunt, nobis etiam omnibus convenirent, cur non omnes faceremus miracula, prædiceremus futura ? etc.

Ad argumentum ex primo officio sacerdotis, Respondeo : Tria illa loca nihil probant. Nam illud I. Pet. II : *Ut virtutes annuntietis*, intelligitur de laude privata, non de concione, ut diximus. Illud I. Corint. XI : *Mortem Domini annuntiabitis*, intelligitur de commemoratione passionis Dominicæ, quam facimus non concionando, sed sumendo Eucharistiam ; alioqui deberent omnes, qui sumunt Eucharistiam, concionari, quod est impossibile. Illud I. Corinth. XIV : *Potestis omnes prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur ;* non intelligitur de omnibus Christianis, sed de omnibus, qui habebant

(1) Matth. V, 16 ; Psal. XVIII, 1 ; I. Tim. II, 10 et 12. — (2) II. Cor. III, 1. — (3) I. Cor. XIV, 34.

ea dona; ait enim : *Unusquisque vestrum psalmum habet, linguam habet etc.* At certe non habebant omnes donum linguarum, cum idem Paulus dicat I. Cor. XII : *Divisiones gratiarum sunt etc.* et : *Numquid omnes linguis loquuntur?* (1) et hoc tempore nulli sunt, qui habeant ejusmodi donum. Vult ergo Paulus dicere : Unusquisque vestrum, qui gloriamini ob ejusmodi dona, utimini illis ordinate, et ad ædificationem. Adde secundo, quod non loquitur de concione publica, quæ est propria sacerdotum, sed de piis collationibus, et exhortationibus quibus utebantur, cum simul conveniebant, ut paulo post dicam. Itaque immerito Lutherus ob hæc tria loca male intellecta, contemnit infinitos Patres, innumera Concilia, æternam consuetudinem, et universam mundi multitudinem.

Ad alterum ex secundo officio, Respondeo : Mulieres apud nos baptizare in casu necessitatis, et ex permissione, non ex officio : quomodo etiam permittitur Judæis, et Turcis ob summam ejus Sacramenti necessitatem. Sicut ergo non sequitur, Turca potest baptizare, ergo potest omnia Sacramenta ministrare, vel, ergo est verus sacerdos; ita non sequitur, Femina potest baptizare, ergo potest omnia Sacramenta ministrare, vel, ergo est sacerdos. Neque est verum neminem baptizare, quia concionetur; verbum enim, quod in Baptismo profertur, non est concionale, ut supra demonstravimus, sed consecrativum.

Ad argumentum ex tertio officio, Respondeo : Illud, *Hoc facite*, non est dictum omnibus; alioqui tenerentur feminæ, et pueri consecrare Eucharistiam; pari ratione illud, *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis*, non significat omnibus traditam potestatem consecrandi, sed omnibus traditam, id est, dictum, explicatum, et declaratum, quod Dominus instituerat. Denique potentia consecrandi major est, quam baptizandi, sicut per Baptismum datur remissio peccatorum, ita et per Eucharistiam; Joan. VI : *Qui manducat hanc panem, vivet in æternum* (2). Et præterea per consecrationem fit conversio panis, etiam si Lutherus nolit, quæ non fit per Baptismum.

Ad argumentum ex quarto officio. Illa verba : *Quæcumque alligaveritis super terram etc.* intelliguntur dicta Ecclesiæ, de qua ibidem : *Dic Ecclesiæ;* et, *Si Ecclesiam non audierit etc.* (3) Ut enim ostenderet Dominus non esse contemnendum Ecclesiæ judicium, addidit illam promissionem : *Quæcumque alligaveritis.* Porro Ecclesia ligat, et solvit, sed per suos præsules, non per quoscumque, sicut corpus loquitur, sed per linguam, non per manum; et universitas determinat propositiones, sed per Doctores, non per Scholasticos. Id autem ostendit apertissime praxis Ecclesiæ omnium ætatum.

Ad argumentum ex quinto officio, Negamus non esse in Ecclesia aliud sacrificium, quam mortificationis vitiorum. Nam ad hoc sacrificium non requiritur altare : est autem in Ecclesia altare, ut patet ad Hebr. XIII : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* (4). Sed de hoc alibi.

Ad argumentum ex sexto officio, Respondeo : Non est Sacerdotis orare quomodocumque, sed orare publice, et tamquam publica persona intercedere pro universo populo. ut Chrysostomus docet lib. VI. de sacerdotio.

Ad argumentum ex septimo officio, Respondeo : Illa loca : *Oves meæ vocem meam audiunt; non audiunt vocem alienorum*, et : *Attendite a falsis Prophetis* (5); docent debere omnes homines judicare de dogmatibus, non quidem examinando illa ad regulam Scripturæ, ut hæretici volunt; si enim id omnes facere possent, non esset opus pastoribus, et doctoribus in Ecclesia, sed examinando illa ad doctrinam antea traditam, et ad doctrinam aliorum pastorum. Facile enim possunt omnes judicare, an doctrina sit nova, et tunc eam suspectam habere debent. Præterea Dominus alienos, et falsos Prophetas non vocat ordinarios pastores, sed extraordinarios, qui per se veniunt, ut venerunt omnes hæretici.

Illud autem : *Si sedenti revelatum fuerit, prior taceat* (6), in quo Lutherus triumphat, non intelligitur, nisi in collationibus quibusdam, de quibus eo loco Paulus agit, non de publica concione Pastoris, et multo minus de publico judicio Concilii, aut summi Pontificis. Id quod patet primo, usu Ecclesiæ. Numquam enim est auditum, ut dum sit publica concio, permissum sit alicui alteri loqui, et multo minus permissum est unquam privatis hominibus reluctari judicio totius Ecclesiæ.

(1) I. Petr. II. 9; I. Cor. XI. 23; XIV. 31 et 26; XII. 4 et 30. — (2) Joan. VI. 52. — (3) Matth. XVII. 18 et 17. — (4) Hebr. XIII. 10. — (5) Joan. X. 5 et 27; Mat. VII. 15. — (6) I. Cor. XIV. 30.

Secundo, quia non tenemur credere unicuique dicenti sibi esse revelatum aliquid, præsertim in re gravi, et maxime si illa revelatio sit contraria doctrinæ ordinariorum Pastorum : alioqui pateret aditus omnibus hæresibus. Nullus est enim hæresiarcha, qui non jactet sua dogmata, ut verissimam Dei revelationem.

Tertio patet ex illis verbis Prophetæ, *duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent.* Non enim conveniret ut duo aut tres concionarentur, sed bene conveniebat, ut in collatione spirituali duo aut tres dicerent. Adde quod Justinus in secunda Apologia prope extrema, explicans morem primæ Ecclesiæ, distinguit concionem, quam soli Præposito tribuit, a collatione spirituali, quam ibidem post concionem, et Sacramenta inter se habere soliti erant.

Ad illud argumentum postremum : Qui baptizatus est, habet spiritum Christi : ubi autem Spiritus Christi est, ibi omnium potestas, et libertas. Respondeo primo; Major propositio non est vera universaliter. Multi enim baptizantur, qui non recipiunt spiritum Christi, quia sine fide aut pœnitentia baptizantur : multi recipiunt, qui postea amittunt, et tamen non amittunt Baptismum. Secundo; Minor etiam propositio falsa est. Nam plurimi habent spiritum Christi, qui tamen non habent omnium rerum potestatem, cum nec possint loqui variis linguis, neque futura prædicere, neque curare morbos, neque excitare mortuos.

CAPUT XXVI.

Non requiri fidem, aut probitatem ministri, ut sacramenta efficacia esse possint.

Sequitur tertia quæstio de qualitatibus ministri Sacramentorum, utrum requiratur necessario fides, aut charitas, ita ut hæretici, infideles, schismatici, improbi Catholici non possint Sacramenta conferre. Non quærimus autem, an peccent Sacramenta conferendo : ista enim est quæstio proprie Scholastica; sed tantum an sit irritum, quidquid faciant infideles, aut improbi homines, etiamsi alioqui legitime ordinati sint Presbyteri, aut Episcopi, et nihil omittant eorum, quæ ad substantiam Sacramentorum pertinent.

Porro controversia de hac re nulla, aut pene nulla hoc tempore esse videtur. Nam etsi Lutherus aliquoties dicat, spiritum Christi, qui recipitur in Baptismo esse fundamentum potestatis conferendorum Sacramentorum, ex quo sequitur, solos bonos, qui spiritum Christi habent, efficaciter Sacramenta conferre : tamen ipse idem postea docuit, adeo non requiri fidem, aut probitatem ministri, ut etiam Diabolus efficiatur Sacramenta ministrare possit, ut supra diximus. Confessio quoque Augustana, art. 8. fatetur Sacramenta esse efficacia, licet ab hypocritis, et malis hominibus ministrentur. Quod idem habet Calvinus lib. IV Instit. cap. 15, §. 16. Unde in Antidoto Concilii Tridentini ad can. 12. sess. VII, ubi dicitur anathema iis, qui negant Sacramenta esse efficacia, si a malis ministrentur, nihil aliud scribit, nisi hanc vocem, *Amen.* Denique Kemnitius in 2. parte Examinis pag. 155. affirmat canonem Concilii 12. sibi non displicere.

Tribui solet Hussitis, et Anabaptistis ea sententia, quod Sacramenta non sint efficacia, nisi a probis, et fidelibus ministrentur. Sed mirum est si Hussitæ ita sentiant, cum ordinationes sacerdotum suorum a Romano Pontifice petere consueverint, cum tamen Romanum Pontificem, et omnes Episcopos Catholicos pro hæreticis haberent, et habeant. Et certe si Hussitæ ratas habent ordinationes eorum, quos hæreticos putant, multo facilius ratum haberent Baptismum ab eis collatum : Id patet ex lib. Lutheri ad senatum Pragensem, ubi dehortatur Bohemos Hussitas, ne petant ordinationes a Romanis, cum et ipsi Romanis, et Romani ipsis sint hæretici. Quod ergo Joannes Hus in articulis, qui damnantur in Concilio Constantiensi, sess. XIV dicit, Prælatum malum, aut præscitum esse æquivoce pastorem; et nullum esse Episcopum, dum est in peccato mortali; aut intelligitur solum, quoad jurisdictionem; aut certe non sequuntur in hac parte Hussitæ magistrum suum.

Anabaptistis tribuit hunc errorem Kemnitius loco citato, sed quia doctrina eorum est in multis occulta, et non publice evulgata, non scimus quibus fundamentis nitantur. Quare satis erit hoc loco primum indicare qui fuerint olim errores de hac re. Deinde a

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quibus Patribus, et quibus rationibus confutati. Postremo quomodo eorum objectiones dissolvantur.

Quoad Primum; ante annos 1300, in Asia, et Africa cœpit error exoriri, non esse rata Sacramenta, quæ ab hæreticis, et schismaticis dabantur post separationem eorum ab unitate Catholica. De Asiasticis id refert Eusebius lib. VII. histor. cap. 6. ex epist. Dionysii Alexandrini. De Africanis constat tum ex eodem Eusebio lib. VII. cap. 2. tum ex Augustino lib. II. de Baptismo, cap. 7. ubi etiam indicat primum auctorem hujus erroris fuisse Agrippinum Episcopum Carthaginiensem, S. Cypriani prædecessorem; Quod clarius testatur Vincentius Lirinensis in Commonitorio, ubi dicit Agrippinum primum omnium mortalium rebaptizandum censuisse.

Secutus est prædecessorem suum S. Cyprianus cum multis Africæ Episcopis, sic tamen, ut non propterea se ab Ecclesiæ unitate separaret, ut patet ex epistolis ad Quintum, ad Pompeium, et ad Jubaianum: quocirca nonnquam hæreticus habitus est. Nec desunt, qui asserunt, eum postea revocasse sententiam, ut S. Augustinus testatur in epist. 48. ad Vincentium: quemadmodum etiam Episcopos cæteros, qui cum Cypriano eum errorem definierant, revocasse sententiam suam, permotos auctoritate Stephani Romani Pontificis scribit S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

Secuti sunt paulo post hæretici Donatistæ, qui pertinaciter eumdem errorem tenuerunt, et auxerunt. Nam in primis, Agrippinus et Cyprianus non habebant pro hæreticis, qui contrarium sentiebant: unde nec rebaptizabant baptizatos a Catholicis etiam sibi in ea opinione contrariis. Donatistæ autem rebaptizabant etiam Catholicos, quos hæreticos putabant: Sic enim ait Augustinus in libro de unico Baptismo, cap. 13. conferens Donatistas cum Agrippino et Cypriano: « Rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis. »

Secundo, Donatistæ errorem defendebant post Ecclesiæ definitionem in Concilio generali, quod est hæreticorum proprium. Agrippinus, et Cyprianus non viderunt ullam absolutam Ecclesiæ definitionem, ut August. testatur lib. II. de Baptismo, cap. 7 et 9.

Tertio, Cyprianus tantum improbabat Sacramenta tradita ab hæreticis et schismaticis, id est, ab iis, qui essent extra Ecclesiam; at non improbabat Sacramenta tradita a malis ministris intra ipsam Ecclesiam: ut Augustinus demonstrat lib. IV. de Baptismo, cap. 2. lib. III. contra epistolam Parmeniani, cap. 2. At Donatistarum alii, omnes peccatores manifestos excludebant a Sacramentorum administratione, ut Augustinus testatur, lib. II. contra epist. Parmeniani, cap. 10. alii, omnes omnino homines malos, etiam occultos, ut idem Augustinus refert lib. II. contra Cresconium, cap. 28.

Post Donatistas eumdem errorem saltem ex parte docuerunt Luciferiani. Nam teste S. Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, admittebant illi Baptisma collatum ab hæreticis, sed non Ordinationem: quamquam Hilarius quidam Diaconus, ut ibidem ait Hieronymus, ne Baptisma quidem admitteret.

Fuerunt deinde alii tempore S. Bernardi, qui dicebantur Apostolici, qui negabant homines malos posse efficaciter Sacramenta ministrare, ut ipse testatur serm. 66. in Cantica. Quod idem postea etiam docuerunt Albigenses, ut refert S. Antoninus in summa Theologica, par. IV. tit. 11. cap. 7. §. 5.

Inter utrosque autem exstiterunt Waldenses, qui Laicis concedebant ministeria Sacramentorum, atque illa eadem malis sacerdotibus detrahebant, teste S. Antonino, par. IV. tit. 11. cap. 7. §. 2. Atque huc respexit S. Thomas lib. IV. cont. Gentes, cap. 77. cum ait esse quemdam errorem, quod omnes boni, et nulli mali possint esse idonei Sacramentorum ministri: quod idem omnino est cum eo, quod Lutherus initio docebat, eos omnes, et solos esse sacerdotes, qui habent Spiritum Christi.

Denique post hos omnes exstitit Joannes Wiclef, qui hanc hæresim non parum locupletavit. Nam non solum peccatores, sive occultos, sive manifestos, sed etiam bonos in præsenti, sed malos aliquando futuros, id est, præscitos, negant Sacramenta posse conficere. Vide de hoc errore Concilium Constantiense sess. VIII. et Thomam Waldensem tomo II. cap. 14.

Quantum ad Secundum; Refutarunt hanc hæresim multi ac veteres summi Pontifices: Ac primum in ipso ejus exortu S. Stephanus Papa et Martyr, ut refert Eusebius lib. VII. histor. cap. 2. et seq. Deinde Siricius

in epist. 1. ad Himerium, Innocentius I. in epist. 22. ad Macedoniæ Episcopos, Leo epist. 77. ad Nicetam, Anastasius II. in epist. ad Anastasium Imperatorem, et alii.

Secundo damnarunt eamdem hæresim Concilia. Primo Concilium Nicænum generale. Id enim frequentissime testatur S. Augustinus lib. II. de Baptismo, cap. 3, 4, 5, 7, 9, et alibi, sed quia nusquam Augustinus vocat illud Concilium Nicænum, multi dubitant de quo Concilio loquatur. At nulla est causa dubitandi; nam vocat Concilium plenarium orbis terræ. Nullum autem novit Augustinus orbis terræ Concilium, nisi Nicænum. Nam quatuor tantum facta sunt Augustini tempore Concilia generalia, Nicænum, Sardicense, Constantinopolitanum I. et Ephesinum I. Sed ex his Ephesinum I. indictum fuit paulo ante mortem Augustini, et post mortem ejus celebratum; ex epistola Africanorum ad Imperatorem Theodosium juniorem. Concilium Constantinopolitanum de hac questione non tractavit.

Adde quod Augustinus lib. II. de Baptismo, cap. 9. testatur Concilium plenarium, in quo hæc veritas definita est, ante celebratum fuisse, quam ipse nasceretur. Constat autem solum Nicænum celebratum esse ante Augustini nativitatem. Nam Concilium Nicænum actum est anno 327. Augustinus natus est anno 357. Concilium Constantinopolitanum actum est anno 383. Vide Chronicum Eusebii cum additione Prosperi. Concilium Sardicense nec de ista quæstione tractavit, nec notum fuit Augustino ut ostendimus in disputatione de jure appellationis, et VI Concilio Carthaginiensi.

Præterea in Concilio Nicæno canon. 19. jubentur Paulianistæ rebaptizari, ex quo aperte deducitur cæterorum hæreticorum Baptisma approbatum a Concilio fuisse.

Denique (quod unum sufficere deberet) S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos extremo, sic ait: « Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni discipulis. » Hæc ille. Ubi apertissime dicit, a Synodo Nicæna approbatum Baptisma hæreticorum omnium (de hac enim re loquebatur) exceptis quibusdam, qui nimirum non utebantur forma legitima.

Non diu post damnavit eumdem errorem Concilium Carthaginiense I. can. 1. præsidente Grato Episcopo, temporibus Constantini Imperatoris, cujus Concilii meminit etiam S. Augustinus, lib. II. cap. 2. de Baptismo contra Donatistas. Item Arelatense I. canon. 8. eodem tempore: ac diu postea Concilium Constantiense sess. VIII. et Tridentinum sess. VII. can. 12.

Tertio, refutarunt Doctores permulti, ac præcipue Augustinus in omnibus libris contra Donatistas. Optatus in libris contra Parmenianum, Hieronym. in Dialogo contra Luciferianos, Nazianzenus in orat. de Baptismo, S. Thomas lib. IV. contra Gentes cap. 77. et Thomas Waldensis tom. II. ab initio per multa capita, ubi etiam multorum multa profert testimonia.

Porro argumenta præcipua, quibus utuntur, tria sunt. Primo adferunt traditionem, et consuetudinem antiquissimam ab Apostolorum tempore. Hoc enim argumento præcipue usum sanctum Stephanum Papam testatur S. Cyprianus in epist. ad Pompeium. Eodem argumento utitur passim S. Augustinus lib. I. de Baptismo, cap. 9. « Consuetudinis, inquit, robore tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem. » Vincentius autem Lirinensis in commonitorio, dicit tantum valuisse apud Ecclesiam Catholicam hoc argumentum ductum a traditione, et consuetudine Ecclesiæ, ut hoc uno superata fuerit causa S. Cypriani, qui summa eloquentia, et frequentissimo sanctorum Episcoporum Concilio, et multis divinæ Scripturæ testimoniis contra veritatem pugnabat.

Ex quo intelligimus Lutherum cum suis, contrarium spiritum habere ei, quem habuit vetus, et vera Christi Ecclesia. Lutherus enim propter unum Scripturæ testimonium perperam intellectum, contemnit æternam consuetudinem, ut ipsemet loquitur in lib. de abroganda Missa; et in lib. de instituendis ministris ad Pragenses. At vetus Ecclesia ex consuetudine ducentorum, vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia, quæ Cyprianus cum suis adferebat; et merito: Nam cum certum sit, consuetudinem universæ Ecclesiæ perpetuam non posse cum verbo Dei pugnare, et clarior sit consuetudo, quam ipsum verbum; recte judicabant illi, ex consuetudine verbum Dei esse interpretandum, non ob verbum Dei obscurum et ambiguum, consuetudinem abolendam, ut Lutherani hoc tempore faciendum esse contendunt.

Secundo adferebant rationem in verbo Dei fundatam, quæ potest hoc syllogismo concludi. Minister Sacramentorum ope-

ratur virtute, et auctoritate divina, Deus autem non aufert a ministro datam ei potestatem ob ejus peccatum, aut infidelitatem; ergo etc.

Probatur Major; nam Scripturæ passim hoc docent. Joan. I: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Præcipuus ergo auctor in Baptismo Christus est, non minister, ut fuse hinc deducit Augustinus, tract. 5. in Joan. I. Corint. III: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (1). Præterea si ministri sua virtute baptizarent, essent diversa Baptismata, alia aliis meliora pro diversitate meritorum, et excellentiæ baptizandum. At unum est Baptisma, ad Ephes. IV. Item Apostoli numquam appellarunt Baptismum, suum, quem aliis conferebant, cum tamen aliquando appellarent Evangelium suum, quod prædicabant, Rom. XVI. et II. Timot. II: *Juxta Evangelium meum.* Ergo in Baptismo nihil suum agnoscebant, nisi nudum ministerium. Denique æquum fuit, ut Sacramenta non penderent ab humana virtute, ne homines in hominibus confidere assuescerent, cum scriptum sit: *Maledictus homo qui confidit in homine* (2).

Probatur jam minor propositio. Nam auctoritas conferendi Sacramenta, non est gratia gratum faciens, sed gratis data; non ergo ita pugnat cum improbitate vitæ, ut simul cum ea esse non possit. Constat enim ejusmodi gratias in peccatoribus esse posse, ut patet de Caipha, qui prophetavit, cum tamen esset possimus. Joan. XI. 51. item de illis, qui Matth. VII. 22. dicunt: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? etc.*

Secundo; Auctoritas conferendi Sacramenta, non datur in utilitatem habentis, sed aliorum: igitur non erat conveniens, ut auferretur propter peccatum habentis; sic enim unus puniretur ob culpam alterius.

Tertio; Deus non aufert ob peccata potestatem jurisdictionis, ut patet I. Pet. II. ubi jubet Apostolus, ut Christiani obediant Dominis suis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis: et ibidem jubet obediri Regibus, aliisque magistratibus gentilium, qui infideles erant; igitur multo minus aufert potestatem ordinis. Nam si potestas auferretur ad puniendum eum, qui illam habet, magis deberet auferri potestas jurisdictionis, quam ordinis; quia illa magis amatur, et proinde magis punitur, cui illa tollitur, et præterea magis dependet potestas jurisdictionis a probitate vitæ ejus, in quo est, quam potestas ordinis. Nam magis dominantur passiones in imperando, quam in Sacramentis ministrandis, ut patet experientia.

Quarto; Non aufert Deus hominibus ob peccata naturales potentias ad opera naturalia, ut notum est: igitur nec auferre debet supernaturalem potestatem ad opera supernaturalia, in quibus non consistit meritum operantis. Nam non minus Deus providit bono totius Ecclesiæ, quam bono mundi hujus.

Quinto; Judas peccator erat et reprobus, et tamen baptizabat, ut colligit Augustin. tract. 5. in Joann. ex illo Joan. IV: *Ipse non baptizabat, sed discipuli ejus.* Et quod efficaciter Judas baptizaverit, docet idem Augustinus ex eo, quod non legimus rebaptizatos, quos ille baptizaverat.

Tertium argumentum sumitur a similibus rebus. Nam in primis apud Judæos circumcisi a Samaritanis, qui hæretici erant Hebræis, non circumcidebantur iterum, sed admittebantur, ut rite circumcisi, ut Augustinus docet lib. I. contra Cresconium, cap. 31. Deinde, verbum Dei efficaciter prædicatur ab improbis, ut colligit Augustinus lib. IV. de Baptismo, cap. 11. ex Matth. XXIII: *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, nolite facere;* et ad Philippens. I: *Quidam ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (3). Præterea nihil refert ad efficaciam sementis, et plantationis, ut idem Augustinus ratiocinatur lib. III. in Cresconium, cap. 8. an lotis manibus, an sordidis id fiat, modo bonum sit semen, et terra fertilis, nec desit calor solis, et pluvia de cœlo. Item ut Nazianzenus docet in orat. de Baptismo, non minus recte imprimit imaginem Regis sigillum ferreum, quam sigillum aureum. Item ut idem Augustinus docet lib. III. de Baptismo, cap. 10. lumen solis, vel etiam lampadum non inquinatur, etiamsi per lutum transeat, et loca cœnosa. Denique, ut idem habet Augustinus tract.

(1) Joan. I. 33; I. Cor. III, 7. — (2) Rom. XVI, 25; II. Tim. II. 8. — (3) Matth. XXIII. 3; Philip. I, 17 et 18.

5. in Joan. parum refert, utrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum transeat.

Quoad Tertium; Argumenta hæreticorum refelluntur ab Augustino diligentissime in libris septem contra Donatistas, Præcipua erant hæc. Primum: Nemo dat, quod non habet. Hæretici et impii non habent remissionem peccatorum; igitur non dant; quare non efficaciter Sacramenta ministrant.

Respondeo ad Minorem, hæreticos non habere remissionem peccatorum formaliter, tamen habere ministerialiter, quomodo famulus, qui sæpe non habet unum obolum, tamen defert multos aureos a Domino suo ad alium aliquem. Et in rebus naturalibus et artificialibus, effectus non debet esse similis instrumento, sed causæ principali. Non habet calor formam substantialem ignis, nec habet dolabra formam cathedræ: et tamen eas efficiunt instrumentaliter.

Adde Præterea distinguendum esse ipsum Sacramentum ab effectu ipsius; et inter effectus distinguendum esse characterem a gratia: hæc enim omnia separari possunt ab invicem. Poterit igitur fieri, ut hæreticus baptizet, et characterem, ac gratiam conferat, ut si baptizet infantem. Item ut gratiam non conferat, quia is qui baptizatur ponit obicem infidelitatis credens hæretico: sed non ideo inanis est Baptismus; nam efficit characterem. Item ut nec characterem, nec gratiam conferat, ut si det extremam unctionem ægroto hæretico: tamen adhuc etiam tunc verum Sacramentum, et Sacramentum efficax ministrat, licet in suscipiente nihil operetur ob ejus indispositionem. Ubi notandum cum Augustino lib. VI de Baptismo cap. 1. hanc fuisse præcipuam causam erroris Cypriani, et aliorum, qui non distinguebant inter Sacramenta, et eorum usum et effectum.

Secundum argumentum contra solutionem præcedentis: Qui non habet Spiritum sanctum, non potest remittere peccata: dictum est enim Joan. XX: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (1). At hæretici, et impii non habent Spiritum sanctum; ergo etc.

Respondeo, negando minorem. Siquidem per Spiritum sanctum eo loco intelligimus potestatem remittendi peccata, ut intelligunt Chrysostomus et Cyrillus in eum locum. Potest autem et potestas esse sine gratia gratum faciente. Quod autem nomine Spiritus sancti intelligi possint quælibet ejus dona, licet non faciant hominem sanctum, patet ex I. Cor. XII: *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, alii datur per spiritum sermo sapientiæ etc.* Et I. Corinth. XIV: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt* (2). Ubi spiritum vocat donum prophetandi a Spiritu sancto datum.

Posset etiam dici, voluisse Dominum significare illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum etc.* effectum Sacramentorum præcipue pendere a virtute Spiritus sancti: proinde necessarium esse, ut saltem assistat Spiritus, et sic accipiatur saltem ut assistens, et operans in Sacramentis, licet non operetur in ipso ministro. Assistit autem Spiritus sanctus Sacramentis suis semper (ut Augustinus recte docet lib. III de Baptismo cap. 10.) etiamsi minister sit adulter, vel homicida; quia Sacramentum numquam est adulterum.

Denique, quia non desunt qui hoc loco per Spiritum sanctum intelligant Spiritum, ut gratiam, et charitatem largitur, ac diffundit in cordibus nostris, ut Ambrosius serm. 10. in Psal. CXVIII. et Augustinus in commentario cap. XX Joannis: ideo possumus addere, gratiam quidem Spiritus sancti dari per sacram Ordinationem cum potestate remittendi peccata; sed non inde colligi posse, eum, qui gratiam non habet, non posse peccata remittere. Non enim gratia illa idem est cum potestate remittendi peccata, neque cum illa ita conjuncta, ut separari nequeat: nam non datur, ut qui eam habet, possit peccata remittere, sed ut non offendat Deum in tam sancto ministerio, si ipse inimicus Dei permanens alios Deo reconciliare præsumat.

Tertium argumentum: Sacramenta sunt solius Ecclesiæ Catholicæ, quam Christus condidit; at hæretici sunt extra Ecclesiam in synagoga Satanæ.

Respondeo, Sacramenta semper esse Ecclesiæ, etiamsi interdum extra Ecclesiam reperiantur. Quocirca cum veniunt ad Ecclesiam baptizati ab hæreticis, agnoscendum est quod est Ecclesiæ, id est, Baptisma, et retinendum, corrigendus vero error. Alioqui etiam Evangelium, et alia multa bona, et vera repudianda essent, quæ interdum apud hæreticos inveniuntur.

(1) Joan. XX. 22 et 23. — (2) I. Cor. XII. 7 et 8; XIV, 32.

Possent Ultimo adferri quædam loca Patrum, ut Athanasii serm. 3. contra Arianos; ubi dicit, omnes hæreticos habere inutilem aquam. Item Ambrosii lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 4. ubi dicit : « Non sanat Baptismus perfidorum; » Et Leonis ep. 77. ad Nicetam cap. ult. ubi dicit, nullum hæreticum posse dare per Sacramenta sanctificationem.

Respondeo; Athanasius duo dicit. Primum sic ait : « Ariani autem veniunt in periculum, ne amittant integritatem mysterii, loquor autem de Baptismate. » Secundo absolute negat Baptismum Arianorum, aut aliorum hæreticorum mundare : « Non enim, inquit, qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, et fidem rectam habet. » Priori loco agit de ipsa substantia Sacramenti, et ideo non dicit, absolute Baptismum Arianorum non esse integrum, sed ait periculum esse, ne aliquando non sit integrum, quia nimirum facile erat, ut corrumperent formam, et nomine Patris, et Fili dicerent factorem, et facturam, ut ipse ibidem ait. Posteriori loco non agit de substantia, sed de utilitate Sacramenti : et ideo absolute hæreticos, quia carent recta fide, non sanctificare eos, quos baptizant, quod intelligitur de illis, qui eis in hæresi consentiunt. Et eodem modo loquuntur Ambrosius, et Leo, et alii. Unde numquam dicunt isti Patres, Baptismum hæreticorum esse iterandum, quod certe dicerent, si de substantia loquerentur.

CAPUT XXVII.

Requiri intentionem faciendi quod Ecclesia facit.

Restat postrema quæstio de causa ministeriali : Sitne intentio ministri necessaria ad Sacramenti perfectionem. Quatuor erunt partes hujus quæstionis. Primo, explicanda erit sententia hæreticorum. Secundo, sententia Catholicorum simul explicanda, et vindicanda a mendaciis adversariorum. Tertio, confirmanda veritas. Quarto, solvendæ objectiones.

Quantum ad Primum, nova hæresis nostro tempore exorta est, non requiri intentionem in ministro Sacramenti; sed Sacramentum omnino perfici, si res, et verba adsint, etiamsi minister joco, aut irrisorie, aut ficte, et mendaciter actionem illam peragat. Primus auctor videtur fuisse Lutherus. Sic enim scribit in lib. de captivitate Babylonica cap. de Baptismo : « Non dubitem, inquit, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato. » Et in art. 42. eorum, quos Leo Papa damnavit : « Si sacerdos, inquit, non serio, sed joco absolveret : si tamen credat se esse absolutum verissime est absolutus. » Et in assertione idipsum confirmat; necnon in lib. de Missa privata, anno 34 edito, idem probat tribus argumentis, quæ postea solventur.

Joannes Calvinus Lutherum secutus in Antidoto Concilii Tridentini sess. VII, can. 11 : « Quod, inquit, de intentione consecrandi garriunt, a sophistis nulla probabili ratione fuit proditum. » Et infra : « Ergo vero sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, et secundum regulam ab eo datam, rituque legitimo administret, non dubitarem panem, et calicem illius manu porrecta vera mihi esse corporis et sanguinis Christi pignora. » Idem docet Tilmannus Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, loco 15.

Idem etiam Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 141. et seq. ubi fuse de hac re tractat. Et quamquam pag. 146. docet, actionem Sacramentalem non debere esse mimicam subsannationem, aut ridiculum lusum, in quo videtur nobiscum convenire : tamen intelligit hoc de exteriore actione tantum, non de intentione interna. Nam postea pag. 154. docet, Sacramentum esse verum, licet minister animo irrisorio Sacramentum administret : et tota disputatione id contendit, non pendere Sacramenti efficaciam ullo modo ab intentione ministri. Et infra pag. 1045. ubi agit de Absolutione : « Nec sollicita, inquit, esse debet conscientia de intentioni ministri, sed si vox Evangelii annuntiatur, fide eam apprehendens, statuat se coram Deo absolutum : quidquid sit de sacerdotis animo. »

Ad hanc hæreticorum sententiam proxime accessisse videtur Ambrosius Catharinus, qui in opusculo de intentione ministri Sacramentorum distinguit duplicem intentionem : unam, faciendi simpliciter actum externum, quem facit Ecclesia : alteram, faciendi actum externum non simpliciter, sed ut Sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit, et Ecclesia celebrat. Et quidem priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat. Itaque si quis dum puerum baptizat, intendat fundere aquam super puerum, et dicere : Ego te baptizo, secundum Catharinum erit verum Sacramentum, etiamsi ille intendat aquam fundere, et illa verba dicere solum ad lavandum corpus pueri a sordibus, vel ad ludendum eo modo. Quæ opinio non video quid differat a sententia Kemnitii, et aliorum hæreticorum, nisi quod Catharinus in fine opusculi subjicit se Apostolicæ sedi, et Concilio; illi autem rident utrumque.

Quantum ad Secundum, sententia Catholicorum est, requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ita enim expresse habent Concilium Tridentinum sess. VII, can. 11. et Concilium Florentinum in instructione Armenorum.

Sunt autem hoc loco quædam notanda. Primo, non ita requiri, ut minister habeat intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia, ut non possit habere particularem : imo melius est habere particularem, id est, conferendi Sacramentum Baptismi, Absolutionis, Confirmationis, consecrandi Eucharistiam etc. Sed qui non nosset nostra mysteria, satis esset, si in generali intenderet facere, quod facit Ecclesia : et hoc docent Concilia.

Secundo, non est opus intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani : ista enim in idem recidunt.

Petes, quid si quis intendat facere, quod facit Ecclesia aliqua particularis, et falsa, quam ipse putat veram, ut Genevensis, et intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana? Respondeo, etiam id sufficere. Nam qui intendit facere, quod facit Ecclesia Genevensis, intendit facere, quod facit Ecclesia universalis. Ideo enim ille intendit facere, quod facit talis Ecclesia, quia putat illam esse membrum Ecclesiæ veræ universalis : licet fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ. Non autem tollit efficaciam Sacramenti error ministri circa Ecclesiam, sed defectus intentionis. Atque hinc est quod in Ecclesia Catholica non rebaptizantur baptizati a Genevensibus, qui tamen dum baptizant, intendant facere quod facit Ecclesia Genevensis, et non quod facit Ecclesia Romana. Adde quod cum Ecclesia vera Romana, et Ecclesia falsa Genevensis non dissentiant, quoad substantiam Baptismi, sed solum quoad accidentarias cæremonias : si quis alioqui Catholicus intenderet baptizare, quo modo ministri Genevenses ministrant, et non quo modo Sacerdotes Catholici, is intenderet verum Baptismum quoad substantiam, sed absque cæremoniis accidentariis. Proinde verum Sacramentum conferret, quamvis peccaret et tamquam de hæresi suspectus, jure puniri posset.

Tertio, non requiritur necessario actualis intentio, nec sufficit habitualis, sed virtualis requiritur, et sufficit, quamvis danda sit opera, ut actualis habeatur. Actualis dicitur, quando minister actu habet talem intentionem : quæ quidem actualis intentio non requirit, ut quidam scrupulosi faciunt, ut dicamus ore aut corde illa formalia verba, Intendo hoc facere, aut volo hoc facere, sed tantum requirit, ut homo sit præsens animo, et attente faciat, quod facit. Ista enim dicitur intentio in actu exercito, ut loquitur Cajetanus, et ut diximus, non necessario exigitur; quia non est in nostra potestate, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum res sanctissimas agimus. Habitualis dicitur inclinatio quædam, seu promptitudo ex habitu infuso, vel acquisito, qualis etiam in dormiente inesse potest : et hæc sine dubio non sufficit. Nam actus inde procedens, non est humanus, et deliberatus; alioqui baptizatus diceretur, si quis a dormiente, vel ebrio baptizatus esset. Virtualis dicitur cum actualis intentio in præsenti non adest ob aliquam evagationem mentis, tamen paulo ante adfuit, et in virtute illius fit operatio : et hæc omnium consensu requiritur, si actualis non adsit, et sufficit. Neque repugnat huic doctrinæ S. Thomas, licet 3. par. q. LXIV, art. 8. dicat, sufficere habitualem intentionem. Nam (ut ipse se explicat) per habitualem intelligit virtualem, ipse enim solum meminit intentionis actualis, et habitualis. Scotus autem, et Gabriel et alii posteriores, majoris claritatis gratia fecerunt trimembrem distinctionem, et virtualem ap-

Possent Ultimo adferri quædam loca Patrum, ut Athanasii serm. 3. contra Arianos; ubi dicit, omnes hæreticos habere inutilem aquam. Item Ambrosii lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 4. ubi dicit : « Non sanat Baptismus perfidorum; » Et Leonis ep. 77. ad Nicetam cap. ult. ubi dicit, nullum hæreticum posse dare per Sacramenta sanctificationem.

Respondeo; Athanasius duo dicit. Primum sic ait : « Ariani autem veniunt in periculum, ne amittant integritatem mysterii, loquor autem de Baptismate. » Secundo absolute negat Baptismum Arianorum, aut aliorum hæreticorum mundare : « Non enim, inquit, qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, et fidem rectam habet. » Priori loco agit de ipsa substantia Sacramenti, et ideo non dicit, absolute Baptismum Arianorum non esse integrum, sed ait periculum esse, ne aliquando non sit integrum, quia nimirum facile erat, ut corrumperent formam, et nomine Patris, et Fili dicerent factorem, et facturam, ut ipse ibidem ait. Posteriori loco non agit de substantia, sed de utilitate Sacramenti : et ideo absolute hæreticos, quia carent recta fide, non sanctificare eos, quos baptizant, quod intelligitur de illis, qui eis in hæresi consentiunt. Et eodem modo loquuntur Ambrosius, et Leo, et alii. Unde numquam dicunt isti Patres, Baptismum hæreticorum esse iterandum, quod certe dicerent, si de substantia loquerentur.

CAPUT XXVII.

Requiri intentionem faciendi quod Ecclesia facit.

Restat postrema quæstio de causa ministeriali : Sitne intentio ministri necessaria ad Sacramenti perfectionem. Quatuor erunt partes hujus quæstionis. Primo, explicanda erit sententia hæreticorum. Secundo, sententia Catholicorum simul explicanda, et vindicanda a mendaciis adversariorum. Tertio, confirmanda veritas. Quarto, solvendæ objectiones.

Quantum ad Primum, nova hæresis nostro tempore exorta est, non requiri intentionem in ministro Sacramenti; sed Sacramentum omnino perfici, si res, et verba adsint, etiamsi minister joco, aut irrisorie, aut ficte, et mendaciter actionem illam peragat. Primus auctor videtur fuisse Lutherus. Sic enim scribit in lib. de captivitate Babylonica cap. de Baptismo : « Non dubitem, inquit, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato. » Et in art. 42. eorum, quos Leo Papa damnavit : « Si sacerdos, inquit, non serio, sed joco absolveret : si tamen credat se esse absolutum verissime est absolutus. » Et in assertione idipsum confirmat; necnon in lib. de Missa privata, anno 34 edito, idem probat tribus argumentis, quæ postea solventur.

Joannes Calvinus Lutherum secutus in Antidoto Concilii Tridentini sess. VII, can. 11 : « Quod, inquit, de intentione consecrandi garriunt, a sophistis nulla probabili ratione fuit proditum. » Et infra : « Ergo vero sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, et secundum regulam ab eo datam, rituque legitimo administret, non dubitarem panem, et calicem illius manu porrecta vera mihi esse corporis et sanguinis Christi pignora. » Idem docet Tilmannus Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, loco 15.

Idem etiam Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 141. et seq. ubi fuse de hac re tractat. Et quamquam pag. 146. docet, actionem Sacramentalem non debere esse mimicam subsannationem, aut ridiculum lusum, in quo videtur nobiscum convenire : tamen intelligit hoc de exteriore actione tantum, non de intentione interna. Nam postea pag. 154. docet, Sacramentum esse verum, licet minister animo irrisorio Sacramentum administret : et tota disputatione id contendit, non pendere Sacramenti efficaciam ullo modo ab intentione ministri. Et infra pag. 1045. ubi agit de Absolutione : « Nec sollicita, inquit, esse debet conscientia de intentioni ministri, sed si vox Evangelii annuntiatur, fide eam apprehendens, statuat se coram Deo absolutum : quidquid sit de sacerdotis animo. »

Ad hanc hæreticorum sententiam proxime accessisse videtur Ambrosius Catharinus, qui in opusculo de intentione ministri Sacramentorum distinguit duplicem intentionem : unam, faciendi simpliciter actum externum, quem facit Ecclesia : alteram, faciendi actum externum non simpliciter, sed ut Sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit, et Ecclesia celebrat. Et quidem priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat. Itaque si quis dum puerum baptizat, intendat fundere aquam super puerum, et dicere : Ego te baptizo, secundum Catharinum erit verum Sacramentum, etiamsi ille intendat aquam fundere, et illa verba dicere solum ad lavandum corpus pueri a sordibus, vel ad ludendum eo modo. Quæ opinio non video quid differat a sententia Kemnitii, et aliorum hæreticorum, nisi quod Catharinus in fine opusculi subjicit se Apostolicæ sedi, et Concilio; illi autem rident utrumque.

Quantum ad Secundum, sententia Catholicorum est, requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ita enim expresse habent Concilium Tridentinum sess. VII, can. 11. et Concilium Florentinum in instructione Armenorum.

Sunt autem hoc loco quædam notanda. Primo, non ita requiri, ut minister habeat intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia, ut non possit habere particularem : imo melius est habere particularem, id est, conferendi Sacramentum Baptismi, Absolutionis, Confirmationis, consecrandi Eucharistiam etc. Sed qui non nosset nostra mysteria, satis esset, si in generali intenderet facere, quod facit Ecclesia : et hoc docent Concilia.

Secundo, non est opus intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani : ista enim in idem recidunt.

Petes, quid si quis intendat facere, quod facit Ecclesia aliqua particularis, et falsa, quam ipse putat veram, ut Genevensis, et intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana? Respondeo, etiam id sufficere. Nam qui intendit facere, quod facit Ecclesia Genevensis, intendit facere, quod facit Ecclesia universalis. Ideo enim ille intendit facere, quod facit talis Ecclesia, quia putat illam esse membrum Ecclesiæ veræ universalis : licet fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ. Non autem tollit efficaciam Sacramenti error ministri circa Ecclesiam, sed defectus intentionis. Atque hinc est quod in Ecclesia Catholica non rebaptizantur baptizati a Genevensibus, qui tamen dum baptizant, intendant facere quod facit Ecclesia Genevensis, et non quod facit Ecclesia Romana. Adde quod cum Ecclesia vera Romana, et Ecclesia falsa Genevensis non dissentiant, quoad substantiam Baptismi, sed solum quoad accidentarias cæremonias : si quis alioqui Catholicus intenderet baptizare, quo modo ministri Genevenses ministrant, et non quo modo Sacerdotes Catholici, is intenderet verum Baptismum quoad substantiam, sed absque cæremoniis accidentariis. Proinde verum Sacramentum conferret, quamvis peccaret et tamquam de hæresi suspectus, jure puniri posset.

Tertio, non requiritur necessario actualis intentio, nec sufficit habitualis, sed virtualis requiritur, et sufficit, quamvis danda sit opera, ut actualis habeatur. Actualis dicitur, quando minister actu habet talem intentionem : quæ quidem actualis intentio non requirit, ut quidam scrupulosi faciunt, ut dicamus ore aut corde illa formalia verba, Intendo hoc facere, aut volo hoc facere, sed tantum requirit, ut homo sit præsens animo, et attente faciat, quod facit. Ista enim dicitur intentio in actu exercito, ut loquitur Cajetanus, et ut diximus, non necessario exigitur; quia non est in nostra potestate, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum res sanctissimas agimus. Habitualis dicitur inclinatio quædam, seu promptitudo ex habitu infuso, vel acquisito, qualis etiam in dormiente inesse potest : et hæc sine dubio non sufficit. Nam actus inde procedens, non est humanus, et deliberatus; alioqui baptizatus diceretur, si quis a dormiente, vel ebrio baptizatus esset. Virtualis dicitur cum actualis intentio in præsenti non adest ob aliquam evagationem mentis, tamen paulo ante adfuit, et in virtute illius fit operatio : et hæc omnium consensu requiritur, si actualis non adsit, et sufficit. Neque repugnat huic doctrinæ S. Thomas, licet 3. par. q. LXIV, art. 8. dicat, sufficere habitualem intentionem. Nam (ut ipse se explicat) per habitualem intelligit virtualem, ipse enim solum meminit intentionis actualis, et habitualis. Scotus autem, et Gabriel et alii posteriores, majoris claritatis gratia fecerunt trimembrem distinctionem, et virtualem ap-

pellarunt, quam S. Thomas vocat habitualem, et addiderunt aliam habitualem, quam S. Thomas omisit.

Ultimo notandum est, in hac tota doctrina mirifice convenire Catholicos doctores, uno Catharino excepto : Id quod patebit ex refutatione mendaciorum Tilmanni et Kemnitii.

Primo; Uterque auctor locis notatis dicit, Concilium Tridentinum definivisse, non esse ratum Sacramentum, nisi minister intendat non solum actum, sed etiam finem Sacramenti, id est, intendat illud, propter quod Sacramentum est institutum : quod certe multum distat a nostra sententia.

Sed hoc merum mendacium est, Concilium enim in toto can. 11. non nominat finem Sacramenti, neque dicit Concilium, ut illi videntur accepisse, oportere ministrum intendere id facere, quod Ecclesia intendit, sed quod Ecclesia facit. Porro, quod Ecclesia facit, non finem, sed actionem significat. Denique ex praxi id constat. Nam neque vetus Ecclesia rebaptizabat baptizatos parvulos a Pelagianis, neque nos rebaptizamus baptizatos a Zwinglianis et Calvinistis, et tamen scimus omnes istos baptizare sine intentione veri finis, qui est tollere peccatum originale. Neque tamen volumus a Concilio definitum id, quod vult Catharinus, et quod Kemnitius vellet, nimirum, ut solum intendat minister facere actum externum, quem Ecclesia facit : id enim non erat opus definire, cum a nemine unquam negatum fuisset, nec posset negari. Deinde qui intendit facere externum actum, sed non serio, is non intendit facere, quod facit Ecclesia, sed intendit simulare, quod facit Ecclesia. Quomodo milites illi, qui genu flexo, dicebant Christo : *Ave Rex Judæorum*, vere intendebant flectere genua, et dicere illa verba tamen quia non serio, sed joco id faciebant, nemo diceret eos intendisse facere, quod faciunt qui adorant suos Reges, sed intendisse simulare adorationem.

Secundo Kemnitius dicit, Scolasticos inter se dissentire, quod Magister Sententiarum, et Innocentius Papa IV. velint sufficere intentionem faciendi, quod Christus instituit. Alexander autem Alensis, et Gabriel velint requiri etiam intentionem finis Sacramenti.

Sed non vere dissentiunt Scholastici, si recte intelligantur : omnes enim in IV. sent. dist. 6. docent, id ipsum, quod Magister docet. Neque excipiendi sunt Alexander et Gabriel. Nam Alexander in 4. par. summæ quæst. 13. memb. 1. art. 2. dicit quidem requiri in ministro intentionem finis Sacramenti, sed per intentionem finis intelligit intentionem actionis integræ, et completæ, et sic idem dicit, quod alii dicunt, sed aliis verbis. Id ita esse, patet ex eodem loco, ubi duplicem finem distinguit; unum intrinsecum operi, qui nihil est aliud, nisi terminus et complementum actionis; alterum extrinsecum, qui est fructus, et utilitas rei. Verbi gratia, in Sacramento, finis intrinsecus est completa cæremonia per res, et verba rite conjuncta; finis extrinsecus est remissio peccatorum. Affirmat autem Alexander intentionem prioris finis necessario requiri, non autem posterioris.

Porro Gabriel in IV. dist. 6. quæst. 1. conclus. 3. dicit, requiri intentionem ministri, non solum respectu actus baptizandi, ut objecti, sed etiam respectu effectus, ut finis. Accepit autem Gabriel hæc omnia a Scoto in IV. dist. 6. quæst. 5. Uterque autem, ut ipsi se explicant, intelligunt per actum, ut objectum, ipsum actum externum, qualem etiam intendere posset, qui joco baptizare vellet : quam intentionem etiam nos diximus non sufficere. Per effectum autem, ut finem intelligunt finem quemdam generalem, et remotum, non particularem, et proximum. Non enim volunt requiri, ut minister intendat effectum gratiæ, vel salutis, sed solum ut intendat id facere in baptizato, quod faciunt Christiani in iis, quos baptizant : sic enim Scotus explicat. Hoc autem nihil est aliud, quam dicere requiri intentionem respectu operis, non ut est opus quoddam naturale, et quod joco fieri potest, sed ut est opus sacrum, seu ut est cæremonia, quam Christus instituit, sive qua Christiani utuntur. Atque ita recidit hæc sententia in id, quod omnes Catholici dicunt.

Quantum ad Tertium, probanda est sententia Ecclesiæ. Prima ratio; Sicut certa forma verborum requiritur necessario, ut determinetur indifferentia materiæ; ita requiritur aliquid, quo determinetur indifferentia formæ. Nam illa verba : Ego te baptizo, et similia, possunt habere varias significationes. Nam baptizare est tingere aquis, tingit autem aquis, qui lavat sordes corporis, qui refrigerat, qui lavando medetur etc. At nihil fingi potest, quo determinetur hæc indifferentia formæ; nisi intentio ministri, qui illa verba profert, et cujus est tota actio; ergo etc. Dicent fortasse determinari ab intentione suscipientis; at falsum est. Nam hic agimus de actione ministri, non de actione suscipientis; non potest autem actio unius determinari ab intentione alterius. Præterea quid fieret, cum baptizantur, qui nihil intendere possunt, ut infantes? Num dicent determinari ab institutione Christi? Sed contra; nam si Christi institutio id faceret, ut illa verba id significarent, modo proferantur exterius, sine ullo ordine ad intentionem dicentis, quare non esset verum Sacramentum, si ea verba a psittaco proferrentur?

Secunda ratio sumitur ex genere ministerii. Nam ministri Sacramentorum sunt instrumenta Dei, sed instrumenta animata, et ratione utentia. Ubi notandum est, multis modis posse unum hominem esse instrumentum alicujus agentis.

Primo, secundum sola membra corporalia, ut si quis utatur manu alterius ad aliquid capiendum, vel si cogat eum ferre onera, id quod potest fieri sine ulla ejus voluntate.

Secundo, per membra corporalia, et potentias sentientes, ut si quis jubeat servum legere aliquid, aut alicui aliquid significare, aut excubare et respicere aliquid, et renuntiare quid videat : et ad hoc non requiritur voluntas servi, nisi qua velit actum exteriorem facere. Nam etiamsi non intendat legere significanter, tamen si velit ea verba proferre, satisfacit muneri suo : quia non utitur Dominus pro instrumento, nisi ejus lingua, et oculis etc.

Tertio, per membra corporalia, potentias sentientes, et etiam rationem; ut cum Rex constituit præsides et judices in urbibus, qui nomine suo jus dicant, et gubernent populos : in hujusmodi enim non solum corpus et sensus, sed etiam prudentia, et voluntas sunt instrumenta. Non enim Rex determinat actiones particulares, sed relinquit in arbitrio instrumenti. Quare in talibus requiritur necessario non solum potestas, sed etiam voluntas, et proinde intentio exercendi actiones. Nec vere est absolutus, quem judex absolvit sine intentione, licet exterius videatur absolutus. Ministros autem Sacramentorum esse hujus tertii generis, patet ex Scripturis. Nam Matth. XXIV dicitur : *Quis est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* ubi fidelitas et prudentia indicant talem esse hunc servum, ut in ejus arbitrio sit facere et non facere : ad hoc enim requiritur fidelitas et prudentia. Præterea ideo vocantur præpositi, ad Roman. XII : *Qui præest in sollicitudine;* et Hebr. XIII : *Obedite præpositis.* Denique non determinavit Christus particulares actiones, sed ait : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (1), Joan. XX, ubi manifeste relinquit in eorum arbitrio, ut solvant, vel ligent. Et hæc ratio plane convincit. Nam cum ejusmodi instrumenta potissimum sint instrumenta per voluntatem et intentionem; si hæc tollatur, desinunt esse instrumenta.

Tertia ratio sumitur ex discrimine inter verba speculativa et practica. Nam verba speculativa, quia totam efficaciam suam habent in significando, a quocumque dicantur, eamdem vim habent : idem enim significant verba, sive dicantur ab homine sobrio, sive ab ebrio, sive etiam a psittaco, vel ab asina Balaam, modo non sit ambigua significatio, quia tunc, ut diximus, deberet determinari ex intentione dicentis. At verba practica, quæ præter significationem habent efficientiam, non sunt efficacia, nisi dicantur ab eo, qui habet potestatem et voluntatem faciendi quod verba significant. Id patet inductione.

Nam imperia Regum et Judicum sunt efficacia, non imperia privatorum. Similiter qui habent donum miraculorum, efficaciter imperant morbis et dæmonibus, non autem alii, etiamsi iisdem verbis utantur. Et ratio est, quia cum verba per se et naturaliter non sint operativa, necesse est ut tunc solum sint efficacia, cum ab eo dicuntur, qui habet potestatem. Idem de voluntate probari potest, nam potestas numquam exit in actum, nisi velit, qui eam habet. Quare de potestate prophetandi dicit Apostolus I. Corinth. XIV : *Spiritus Prophetarum prophetis subjecti sunt* (2). Et idem patet experientia; nam si Rex sine intentione, ut somniando, jubet aliquem occidi, imperium non solet mandari executioni, quia non constat, an velit, licet possit Rex illud jubere. Sed constat verba Sacramentorum esse verba practica, cum sint instrumenta justificationis; ergo requirunt potestatem et voluntatem, ac proinde intentionem.

Si quis objiciat, verba Sacramentorum habere in se virtutem operativam ex Christi

(1) Matth. XXIV, 45; Rom. XII, 8; Hebr. XIII, 17; Joan. XX, 23. — (2) I. Cor. XIV, 32.

institutione; proinde non pendere eorum efficaciam ab intentione vel potestate ministri.

Responderi debet, duas esse Theologorum sententias. Aliqui enim, ut Cajetanus 3. par. quæst. LXIV. art. 1. et Sotus IV. dist. 1. q. 3. art. 1. et Ledesmius ibidem, volunt in ipso etiam ministro esse virtutem operativam efficienter et instrumentaliter, ut est in Sacramento, et secundum hanc sententiam facilis est solutio. Nam in verbis Sacramentalibus est virtus operativa, sed dependenter a ministro. Tunc enim solum illa verba habent virtutem, dum conjunguntur cum virtute, quæ est in ministro.

Alii tamen sentiunt ministrum non habere in se vim ullam efficientem respectu justificationis, sed eam solum esse in Sacramento: ministrum autem solum concurrere, applicando Sacramenta; quomodo qui plantat et qui rigat (quibus comparat Apostolus ministros Ecclesiæ, I. Cor. III) non producunt efficienter et physice fructus arborum, sed applicant agentia. Ita videtur quibusdam sentire S. Thomas 3. par. quæst. LXIV. art. 1. ad primum. Neque inferri debet: Ergo ministri secundum hanc sententiam non vere et proprie consecrant, absolvunt, lavant, reconciliant etc. Nam hoc interest inter agentia voluntaria, et res cæteras, quod res cæteræ non dicuntur proprie agere, quando solum applicant agentia: non enim dicitur proprie felis incendisse domum, si ignem applicuit, sed dicitur domus illa casu combusta. At agentia voluntaria quando de industria applicant agentia, dicuntur propriissime agere. Nam et medicus proprie curat ægrotum, cum adhibet medicinam salutarem; et proprie illum occidit, cum de industria pro medicina porrigit venenum. Et secundum hanc sententiam respondendum est ad objectionem positam, verba Sacramentalia non habere virtutem, et proinde non esse Sacramentalia, nisi quando moventur a Deo ut instrumenta; non autem moventur a Deo ut instrumenta, nisi quando pronuntiantur ab eo, cui ipse commisit. Quare semper aliquo modo pendent verba Sacramentalia a ministri potestate et voluntate. Quamvis igitur prior sententia probabilior videatur: tamen secundum utramque recte solvitur argumentum.

Quarta ratio ex absurdis, quæ alioqui sequerentur, ut bene notat Hugo de S. Victore lib. II de Sacramentis par. 6. cap. 13. Nam primo, si parens aliquis duceret filium ad balnea, et dum puerum immergit, more Christiano signaret eum cruce, et diceret: Lavo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nimirum invocans Deum, ut bene cedat illa lotio, et nihil de Baptismo cogitans; tunc ille puer deberet dici baptizatus, si non requiritur intentio baptizandi, sed sufficiant materia et forma quomodocumque prolata. Hoc tamen plane ridiculum est.

Secundo, si Sacerdos in mensa legeret Evangelium, ut fieri solet in mensa Prælatorum et religiosorum; et inter legendum pronuntiaret illa verba: *Hoc est corpus meum*. Et: *Hic est sanguis meus*: jam totus panis et totum vinum illius mensæ esset consecratum, si non requiritur intentio.

Tertio, si cum aliquis ancillam conducit, diceret: Accipio te in meam (intelligens, sed non exprimens ancillam) et illa diceret: Accipio te in meum (intelligens herum, sed non exprimens) jam illi essent conjugati.

CAPUT XXVIII.

Solvuntur argumenta.

Superest argumenta solvere. Primo Lutheri. Secundo Calvini. Tertio Kemnitii. Quarto Catharini.

Primum argumentum Lutheri ex assertione articuli 12. Verbum Dei, quacumque intentione dicatur, excitat fidem in audiente. Sed fides est quæ justificat; ergo verbum Sacramentale, quacumque intentione proferatur, efficax est et confirmat. Quia Philip. I. Apostolus gaudet prædicari verbum quacumque intentione, etiamsi aliqui prædicarent, ut invidiam Paulo conflarent, quia nimirum etiam eo modo poterat verbum esse fructuosum: igitur eodem modo verbum in Sacramentis, licet joco prolatum, utile erit.

Secundo confirmat idem Lutherus in lib. de Missa privata, ex eo quod Alexander Episcopus Alexandrinus ratum habuisse legitur Baptismum, quem Athanasius puer aliis pueris per jocum contulerat. Item ex eo, quod legitur in aliis historiis de quibusdam Gentilibus parasitis, qui unum ex suis baptizarunt, ut riderent Christianos, et ille tamen continuo conversus est, ubi aqua eum tetigit, ex quo intelligimus fuisse illum verum Baptismum.

Respondeo, Primum argumentum recte probare apud eos qui sentiunt cum Lutbero Sacramenta tantum esse instituta ad excitandam fidem, et solam fidem justificare: at apud nos nihil concludit. Nam etiamsi concedamus verbum quacumque intentione prolatum, posse excitare fidem, non tamen concedimus verbum quacumque intentione prolatum habere posse effectum Sacramentalem. Ratio discriminis est, quia ad excitandam fidem non requiritur ulla efficientia, sed sufficit significatio, ut notum est.

Ad confirmationem dico, aliud esse intendere non concionari, aliud intendere concionari, sed ob malum finem. Paulus de hoc posteriore loquitur; et hoc modo concedimus Baptismum esse verum et efficacem cum minister intendit vere baptizare, licet ob malum finem. Dices etiam, qui intendit non concionari serio, si tamen verba concionis proferat, fructum facere poterit: Ergo etc. Respondeo, non esse eamdem rationem verbi concionalis et Sacramentalis. Nam verba concionum sunt verba, ut sic dicam, speculativa, quæ non pendent ab intentione; verba Sacramentalia sunt practica, quæ, ut probavimus, pendent ab intentione.

Quamvis autem argumenta hæc concludant in via Lutheri, tamen non esse rectam eam viam, patet ex istis iisdem argumentis. Nam concluditur sola verba sufficere sine aqua, vel alio elemento, item concludunt Sacramenta posse conferri ab ebrio, imo etiam a pica.

Ad Secundam confirmationem respondeo, duobus modis posse per jocum Sacramenta conferri (ut explicat Hugo lib. II de Sacramentis par. 6. cap. 13.) Uno modo, ut qui ludunt, intendant vere Sacramenta conferre, sed ob finem recreandi animum eo modo: quo modo possent alii vera intendere Sacramenta conferre, sed ob finem lucrandæ pecuniæ. Et hic ludus non impedit veritatem Sacramenti, quia hic jocus est extrinsecus ipsi Sacramentali actioni. Alio modo, ut qui ludunt, intendant non vere Sacramenta conferre, sed illudere et decipere, quo modo qui Christum purpura induebant, eique dicebant: *Ave Rex Judæorum*, non intendebant eum Regem facere, sed ei illudere. Et hic ludus impedit veritatem Sacramenti, quia hic jocus est intrinsecus actioni.

Dico igitur ludum Athanasii fuisse prioris generis: nam vere voluit baptizare, sed accepit eam actionem pro materia ludi, et oblectationis. Id ita esse colligitur tum ex ipsa historia, quam scribunt Ruffinus lib. X. hist. cap. 14. Sozomenus lib. II. cap. 16. et Nicephorus lib. VIII. cap. 40. Scribunt enim hi auctores ab Athanasio solos Catechumenos baptizatos, idque omnibus Ecclesiæ cæremoniis adhibitis: tum etiam ex eo, quod solent pueri serio facere res ludicras. Nam, verbi gratia, cum fingunt unum esse Regem, alios famulos, vel fingunt oppugnationem alicujus loci, vere intendit Rex eorum jubere, et illi intendunt obedire; et serio oppugnant locum aliquem, et alii serio defendunt: dicuntur tamen hæc ludicra, quia sunt puerilia, et quia gratia oblectationis suscipiuntur. Similem historiam suo tempore accidisse scribit idem Nicephorus lib. III. cap. ult.

Ad illud de mimo, Respondeo: nihil in historia illa esse contra nos. Nam primus, qui historiam scripsit, fuit (quod sciam) Ado Trevirensis in martyrologio 8 Kalend. Septembris. Ab eo acceperunt posteriores Vincentius, speculo historiali lib. XII. cap. 102. et S. Antoninus I. par. tit. 8. cap. 1. §. 9. summæ historialis. Porro Ado scribit, mimum illum nomine Genesium, coram Imperatore Diocletiano gratia irridendi mysteria Christiana, se ægrotum finxisse, ac Baptismum postulasse; tum jussu Imperatoris accersitum presbyterum, et exorcistam, qui eum baptizarent. Verum cum a presbytero interrogaretur, quid peteret, illum repente conversum, non ficte, sed serio respondisse, gratiam Christi se petere, atque ita baptizatum vere et serio, cum et presbyter baptizare intenderet, et ille intenderet suscipere Baptismum; licet imperator adhuc crederet eum fingere. Vide Surium, tom. IV. in vita S. Genesii.

Secundum argumentum est Calvini in Antidoto, et Kemnitii in 2. par. Examinis, loco citato, qui inde argumentum sumunt, quod si ab intentione ministri penderet efficacia Sacramenti, periret certitudo, quam homo debet habere de effectu Sacramenti, et consolatio spiritualis, quia nemo potest certus esse de intentione alterius.

Respondeo, non debere hominem in hoc mundo quærere certitudinem de sua salute, vel justificatione infallibilem, qualis est certitudo fidei divinæ. Hæc enim non convenit huic statui, de quo dicit Apostolus,

I. Corinth. X : *Qui stat, videat, ne cadat*, Et Philip. II : *Cum timore, et tremore salutem vestram operamini* (1). De qua re vide Augustinum lib. II. de bono persever. cap. 13. et de corrept. et gratia cap. 13. Certitudinem autem humanam, et moralem, quæ sufficiat, ut homo quiescat, ex Sacramentis habemus, etiamsi pendeant ab intentione alterius. Nam cum habere intentionem sit facillimum, nulla est causa dubitandi, an minister habuerit intentionem, nisi aliquo signo exteriori id probat : et hoc sufficit, ut homo non quærat iterum baptizari, sed acquiescat in accepto Baptismo.

Et Nota, Lutheranos cogi idipsum confiteri etiamsi nolint. Nam ipsi baptizantur adhuc infantes more Catholicorum; quocirca cum adoleverint non possunt recordari, nec scire an habuerint Baptismum, nisi credere velint parentibus. Itaque parentibus credunt, qui tamen decipere possunt, et in eo acquiescunt. Quanto magis poterit acquiescere in Baptismo is, qui videt se baptizari, et intelligit verba, nec habet ullam conjecturam contrariæ intentionis ministri; si is acquiescit, qui tantum credit parentibus, vel amicis dicentibus, eum esse baptizatum?

Tertium argumentum est Kemnitii ex auctoritate S. Augustini lib. VII. de Baptismo cap. 53. ubi non audet definire, an Baptismus collatus per jocum teneat, sed dicit exspectandam Dei revelationem. Addunt quidam alii alium locum Augustini ex tract. 3. in Joannem, ubi videtur dicere, Baptismum ab ebrio collatum, esse ratum; cum tamen constet, ebrios non habere intentionem.

Addit etiam Kemnitius Innocentium Papam IV. qui teste Angelo in sua summa, sensit ad veritatem Sacramenti non requiri, ut minister gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, imo, si contrarium gerat in mente, id est, non facere, quod facit Ecclesia, si tamen appareat, quod velit illud facere, satis esse.

Respondeo, locum Augustini esse contra adversarios. Nam in primis ibidem Augustinus dicit, se de ea re dubitasse, quia in nullo Concilio res definita fuerat : « Sed nobis, inquit, tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, et Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. » Nunc autem res definita est in duobus generalibus Conciliis, Florentino et Tridentino. Neque refert, quod non recipiuntur a Lutheranis; nam neque Nicænum recipiebatur a Donatistis in causa Anabaptismi; et tamen Augustinus ubique affirmat, rem esse certam, et definitam ob illius Concilii auctoritatem. Deinde ibidem Augustinus cum dicit, petendam esse Dei revelationem, an Baptismus joco traditus, sine vera intentione conferendi sit ratus, aperte testatur non esse certum ex Scripturis, ut adversarii jactant, Sacramenta non requirere intentionem ministri. Præterea sine dubio nos longe melius facimus secundum Augustini sententiam baptizando eos, qui sunt baptizati sine intentione, quam Lutherani non baptizando. Nam in re dubia præstat repetere Baptismum, saltem sub conditione, quam exponere se periculo amittendi Baptismum. Ad alium locum Augustini facilis est responsio : nam non dicit ebrii, sed ebriosi Baptismum esse ratum.

Ad auctoritatem Innocentii Respondeo, Kemnitium more suo fideliter recitasse ejus sententiam. Innocentius enim in cap. Si quis puerum, extra de Baptismo etc. postquam dixerat, Sacramentum esse ratum, etiamsi minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia, addidit : « Dummodo intendat baptizare, » quæ verba omisit Kemnitius. Nec vero semel, sed ter repetit Innocentius, Baptismum non esse ratum, si minister intendat non baptizare, sed tantum lavare corpus.

Unde illa verba Innocentii : « Etiamsi gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia, » duobus modis possunt intelligi; uno modo, de eo, quod facit Ecclesia, quantum ad substantiam actionis; altero modo, quantum ad effectum illius actionis. Posteriori modo intellexit Innocentius, et est sensus : Etiamsi minister non gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, id est, justificare hominem a peccatis, quia nimirum putat non habere talem virtutem illam cæremoniam; tamen si intendit vere facere cæremoniam, quam facit Ecclesia, satis est. Priori modo accepit Kemnitius, sed perperam, quia contradictorium ter ibidem habet Innocentius. Quare illud etiam Kemnitius falso imponit Innocentio, quod dixerit, Sacramentum esse ratum, si tantum appareat ministrum voluisse baptizare, etiamsi revera id non intenderit. Id enim Innocentius non dicit, sed ex verbis colligi potest.

(1) I. Cor. X, 12; Philipp. II, 12.

Quartum argumentum est Catharini ex auctoritate S. Thomæ, Chrysostomi, et Nicolai Papæ. S. Thomas 3. par. quæst. LXIV. art. 8. ad 2. dicit, ad perfectionem Sacramenti satis esse intentionem Ecclesiæ, quæ exprimitur in ipsa forma verborum, nec aliud requiri ex parte ministri. Quod clarius habet in IV. dist. 6. quæst. 1. art. 2. ubi dicit, non requiri mentalem intentionem ministri, sed sufficere expressionem verborum, in qua continetur intentio Ecclesiæ. Chrysostomus homil. 85. in Joan. : « Sacerdos, inquit, linguam et manus præbet; neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi. » Nicolaus Papa ad Consulta Bulgarorum interrogatus, an baptizati a Judæo, essent rebaptizandi; respondit, non esse, si in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizati essent : ubi nulla fit mentio intentionis.

Denique addit rationem Catharinus, quia nimis durum videtur, ut Deus in arbitrio impii ministri posuerit salutem hominum; et qua redditur incerta nostra justificatio. Quod tamen argumentum jam est solutum. Sed potest addi aliud ejus loco; quia inter homines, cum dominus per servum contrahit cum alio, vel mittit munus alteri, non requiritur, qua intentione servus id faciat.

Respondeo ad S. Thomam, eum docere, requiri intentionem internam ministri. Nam 3. par. quæst. LXIV. art. 8. in corpore articuli, dicit, determinari debere ea, quæ in Sacramentis fiunt, quia ad multos usus fieri possunt per intentionem ministri. Item in respons. ad 1. dicit, ministrum, quia est instrumentum animatum, debere seipsum applicare ad opus per intentionem, qua intendat facere, quod facit Christus et Ecclesia. Item in responsione ad tertium dicit, non esse necessariam actualem intentionem, sed sufficere habitualem; et explicat, tunc esse habitualem, quando initio operis, actu intendebat facere, quod facit Ecclesia. Item in art. 9. ad 1. dicit, verum esse Sacramentum, etiamsi minister non credat Sacramentum aliquid valere, modo intendat facere, quod facit Ecclesia. Denique in art. 10. clarissime dicit, requiri in ministro intentionem Sacramentum conferendi, non autem ludendi, vel jocandi, et sine ea intentione non perfici Sacramentum. Neque obstat, quod addit S. Thomas : « Præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. » Nam vult dicere : Quando minister habet intentionem non conferendi Sacramentum, sed jocandi, sed eam non manifestat, tum Sacramentum esse nullum, sed magis esse nullum, si intentionem manifestet, quia primo modo est nullum coram Deo, secundo modo est nullum coram Deo et coram hominibus.

Ad locum objectum a Catharino ex resp. ad 2. art. 8. Respondeo cum Cajetano et Soto, S. Thomam, cum dicit, non requiri mentalem intentionem ad perfectionem Sacramenti, sed sufficere externam prolationem verborum, non loqui de perfectione Sacramenti simpliciter, sed de perfectione coram hominibus, quæ sufficit ad humanam certitudinem, et mentem pacandam, ut non requirat aliud. Id quod probatur dupliciter. Primo, quia in argumento 2. S. Thomas hoc objecerat, si requiratur intentio mentalis, nullum posse esse certum se accepisse Sacramentum. Responsio igitur debet intelligi de Sacramenti perfectione, quoad certitudinem, non absolute. Secundo, quia in hac solutione addit S. Thomas, sufficere externam prolationem formæ, nisi exprimatur contraria intentio ministri, vel suscipientis, quæ additio optime se habet, si agatur de certitudine, ut patet; falsa autem est, si agatur de perfectione Sacramenti absolute, ut vult Catharinus. Nam si non requireretur interna ministri intentio, nisi pronuntiandi illa verba, tum certe verum esset Sacramentum, si minister exprimeret contrariam intentionem, hoc modo : Ego non intendo baptizare, sed irridere Sacramentum, et ideo volo dicere hæc verba : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : imo etiam si externo gestu irrisionem exprimeret, et ironice illa verba diceret, adhuc esset Sacramentum. At S. Thomas contrarium docet, ut patuit.

Ad locum Chrysostomi Respondeo, Chrysostomum loqui de probitate ministrorum, ac velle dicere, non pendere efficaciam Sacramentorum a bonitate ministrorum, sed a bonitate Dei solius. Unde cum ait : « Sacerdos manus et linguam præbet, » excludit virtutes, non intentionem ministri. Nam vult dicere : Minister est instrumentum Dei, non

principale agens; ex hoc autem, quod minister est instrumentum, sequitur, ut non agat in virtute propria; et proinde, ut non requiratur fides, spes, charitas, aut alia ejus virtus : tamen non sequitur, ut non requiratur intentio, imo potius contra sequitur, ut requiratur, cum homo sit instrumentum animatum et rationale; et proinde debeat moveri a Deo secundum naturam suam, id est, mediante propria electione et intentione.

Dices : At ratio quam affert Chrysostomus nimirum : Quia non est justum, ut alterius malitia alteri noceat, concludit etiam non debere pendere Sacramenta ab intentione ministri; quia tunc nocere posset ministri malitia suscipientibus Sacramenta, si nimirum ille occulte subtraheret intentionem.

Respondeo : Rationem illam concludere de probitate, non autem de intentione, ob duas causas. Primo, quia si Sacramenta penderent a probitate, sæpissime noceret unius malitia alteri, quia plurimi sunt mali, et non possent Sacramenta esse rata, quæ ab infidelibus, vel hæreticis, vel publicis peccatoribus aliquando urgente necessitate traduntur. At si pendeant ab intentione, rarissime nocebit malitia ministri suscipientibus; nam intentionem omnes habere possunt, nec est ratio cur nolint. Secundo, quia justum est, ut non pendeant Sacramenta ab ea qualitate ministri, quæ non est omnino necessaria ipsi ministerio, qualis est probitas; at non erat æque justum, ut non pendeant ab ea qualitate, sine qua minister non esset minister, qualis est intentio. Adde, quod si hæc ratio probaret, Sacramenta non pendere ab intentione serio tradendi Sacramenta, probaret etiam ea non pendere ab intentione faciendi actum illum externum, quam solam admittunt Catharinus et hæretici. Nam etiam hoc modo potest fieri, ut malitia ministri noceat suscipienti, ut si quis nolit dicere verba, aut infundere aquam eo tempore, quo non inveniatur alius, qui possit aut velit hoc facere.

Et per hoc solvitur etiam illa ratio Catharini, quod sit nimis durum, salutem hominum esse in arbitrio impii ministri : nam cogitur ipse quoque in aliquo casu id fateri. Neque debet videri durum, quod Deus permittit, ne destruat naturam hominis, alioqui etiam videretur durum, quod Deus reliquerit in arbitrio tyranni vitas multorum innocentium.

Ad auctoritatem Nicolai Papæ, Dico, eum non fuisse sollicitum de intentione, tum quia ea ordinarie adest, tum quia Ecclesia non judicat de internis.

Ad ultimum argumentum ex more humano, patet solutio ex nostra tertia ratione.

CONTROVERSIARUM

DE SACRAMENTIS IN GENERE

LIBER SECUNDUS

DE EFFECTU, NUMERO ET CÆREMONIIS SACRAMENTORUM.

QUARTA CONTROVERSIA DE EFFECTU SACRAMENTORUM.

PARTITIO HUJUS CONTROVERSIÆ.

Tres sunt hujus Controversiæ partes. *Prima :* An sacramenta novæ legis sint veræ causæ justificationis ex opere operato. *Secunda :* An id sit proprium Sacramentis novæ legis, an vero commune cum Sacramentis legis veteris. *Tertia :* An Sacramenta novæ legis imprimant animæ characterem.

Prima quæstio in quatuor capita dividetur. *Primum* explicabitur status quæstionis. *Secundo* adferentur sententiæ hæreticorum. *Tertio* confirmabitur veritas. *Quarto* solventur objectiones.

CAPUT I.

Quis sit status quæstionis de efficacia Sacramentorum.

Quod ad Primum attinet, explicandum est, quid sit, quod quæritur, cum disputatur de efficacia Sacramentorum ex opere operato. Nam id adversarii, ut odiosam reddant Catholicorum sententiam, perperam exponunt.

Sunt igitur hic Notanda quatuor. Primo, statum quæstionis non esse eum, quem ponit Calvinus lib. IV Instit. cap. 14, §. 17. his verbis : « Tantum hic quæritur, propriane, et intrinseca, ut loquuntur, virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet vices suas. » Hæc ille. At nemo unquam istam quæstionem disputavit : id enim esset petere, an Sacramenta sint causæ primariæ, quod nulli unquam venire in mentem potuit, nisi furioso. Id igitur solum quærimus, an sint instrumenta Dei, id est, an Deus per sacramenta nos justificet, non autem an Sacramenta sine Deo. Sicut nemo unquam quæsivit, an faber operetur, an serræ vices suas resignet; cum constet, serram sine fabro nihil agere.

Ex quo sequitur esse mendacium, et calumniam vanissimam hæreticorum, qui dicunt, nos abstrahere homines a Christo, et ab ejus passione, et alligare signis, quia docemus Sacramenta esse causas justificationis. Nam contra potius hoc ipso trahimus homines ad Christum, et ejus passionem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

principale agens; ex hoc autem, quod minister est instrumentum, sequitur, ut non agat in virtute propria; et proinde, ut non requiratur fides, spes, charitas, aut alia ejus virtus : tamen non sequitur, ut non requiratur intentio, imo potius contra sequitur, ut requiratur, cum homo sit instrumentum animatum et rationale; et proinde debeat moveri a Deo secundum naturam suam, id est, mediante propria electione et intentione.

Dices : At ratio quam affert Chrysostomus nimirum : Quia non est justum, ut alterius malitia alteri noceat, concludit etiam non debere pendere Sacramenta ab intentione ministri; quia tunc nocere posset ministri malitia suscipientibus Sacramenta, si nimirum ille occulte subtraheret intentionem.

Respondeo : Rationem illam concludere de probitate, non autem de intentione, ob duas causas. Primo, quia si Sacramenta penderent a probitate, sæpissime noceret unius malitia alteri, quia plurimi sunt mali, et non possent Sacramenta esse rata, quæ ab infidelibus, vel hæreticis, vel publicis peccatoribus aliquando urgente necessitate traduntur. At si pendeant ab intentione, rarissime nocebit malitia ministri suscipientibus; nam intentionem omnes habere possunt, nec est ratio cur nolint. Secundo, quia justum est, ut non pendeant Sacramenta ab ea qualitate ministri, quæ non est omnino necessaria ipsi ministerio, qualis est probitas; at non erat æque justum, ut non pendeant ab ea qualitate, sine qua minister non esset minister, qualis est intentio. Adde, quod si hæc ratio probaret, Sacramenta non pendere ab intentione serio tradendi Sacramenta, probaret etiam ea non pendere ab intentione faciendi actum illum externum, quam solam admittunt Catharinus et hæretici. Nam etiam hoc modo potest fieri, ut malitia ministri noceat suscipienti, ut si quis nolit dicere verba, aut infundere aquam eo tempore, quo non inveniatur alius, qui possit aut velit hoc facere.

Et per hoc solvitur etiam illa ratio Catharini, quod sit nimis durum, salutem hominum esse in arbitrio impii ministri : nam cogitur ipse quoque in aliquo casu id fateri. Neque debet videri durum, quod Deus permittit, ne destruat naturam hominis, alioqui etiam videretur durum, quod Deus reliquerit in arbitrio tyranni vitas multorum innocentium.

Ad auctoritatem Nicolai Papæ, Dico, eum non fuisse sollicitum de intentione, tum quia ea ordinarie adest, tum quia Ecclesia non judicat de internis.

Ad ultimum argumentum ex more humano, patet solutio ex nostra tertia ratione.

CONTROVERSIARUM

DE SACRAMENTIS IN GENERE

LIBER SECUNDUS

DE EFFECTU, NUMERO ET CÆREMONIIS SACRAMENTORUM.

QUARTA CONTROVERSIA DE EFFECTU SACRAMENTORUM.

PARTITIO HUJUS CONTROVERSIÆ.

Tres sunt hujus Controversiæ partes. *Prima :* An sacramenta novæ legis sint veræ causæ justificationis ex opere operato. *Secunda :* An id sit proprium Sacramentis novæ legis, an vero commune cum Sacramentis legis veteris. *Tertia :* An Sacramenta novæ legis imprimant animæ characterem.

Prima quæstio in quatuor capita dividetur. *Primum* explicabitur status quæstionis. *Secundo* adferentur sententiæ hæreticorum. *Tertio* confirmabitur veritas. *Quarto* solventur objectiones.

CAPUT I.

Quis sit status quæstionis de efficacia Sacramentorum.

Quod ad Primum attinet, explicandum est, quid sit, quod quæritur, cum disputatur de efficacia Sacramentorum ex opere operato. Nam id adversarii, ut odiosam reddant Catholicorum sententiam, perperam exponunt.

Sunt igitur hic Notanda quatuor. Primo, statum quæstionis non esse eum, quem ponit Calvinus lib. IV Instit. cap. 14, §. 17. his verbis : « Tantum hic quæritur, propriane, et intrinseca, ut loquuntur, virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet vices suas. » Hæc ille. At nemo unquam istam quæstionem disputavit : id enim esset petere, an Sacramenta sint causæ primariæ, quod nulli unquam venire in mentem potuit, nisi furioso. Id igitur solum quærimus, an sint instrumenta Dei, id est, an Deus per sacramenta nos justificet, non autem an Sacramenta sine Deo. Sicut nemo unquam quæsivit, an faber operetur, an serræ vices suas resignet; cum constet, serram sine fabro nihil agere.

Ex quo sequitur esse mendacium, et calumniam vanissimam hæreticorum, qui dicunt, nos abstrahere homines a Christo, et ab ejus passione, et alligare signis, quia docemus Sacramenta esse causas justificationis. Nam contra potius hoc ipso trahimus homines ad Christum, et ejus passionem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod dicimus Sacramenta esse Christi instrumenta, quibus ille nobis applicat meritum passionis suæ; nisi forte retrahere dicatur homines ab igne, qui dicit calorem esse instrumentum, quo ignis calefacit. Et tamen sic loquitur Calvinus ibidem lib. IV, cap. 14, §. 14 : « Qui justitiæ causam a Sacramentis ducit, miseras hominum mentes in terram, suapte sponte plus satis inclinatas, hac superstione alligat, ut in spectaculo rei corporeæ potius, quam in Deo ipso acquiescant. » Et similia Lutherus habet, et alii.

Secundo notandum, non esse controversiam de modo quo Sacramenta sint causæ, id est, an physice attingendo effectum, an moraliter tantum, et rursum si physice, an per aliquam qualitatem inhærentem, an per solam Dei motionem : ista enim ad quæstionem fidei non pertinent; sed solum generatim, an Sacramenta sint veræ, et propriæ causæ instrumentales justificationis, ut vere ex eo, quod quis baptizatur, sequatur, ut justificetur. Nam in hoc conveniunt omnes Catholici, ut Lutherus ipse fatetur in lib. de captiv. Babyl. cap. de Baptismo : « Arbitrati, inquit, sunt quamplurimi esse aliquam virtutem occultam spiritualem in verbo, et aqua, quæ operetur in anima recipientis gratiam Dei. His alii contradicentes statuunt, nihil esse virtutis in Sacramentis, sed gratiam a solo Deo dari, quia assistit ex pacto Sacramentis a se Institutis : omnes tamen in hoc concedunt Sacramenta esse efficacia signa gratiæ. » Hæc ille.

Et hoc sufficit ad fidem, et ad legitimum usum Sacramentorum; quomodo in miraculis Christi non requirebatur, ut homines, qui curandi essent, scirent in quo genere causæ fimbria Christi sanaret, satis erat, ut scirent; et crederent, tactum illius fimbriæ adferre sanitatem : neque opus erat, ut ipsi Apostoli, qui manus imponendo curabant, scirent, quomodo id fieret. Ita quoque non est necesse, ut vel ministri, vel qui suscipiunt Sacramenta, sciant, quomodo Sacramenta sint causæ justificationis.

Adde quod hoc est commune multis mysteriis fidei, ut tantum habeamus ex Scripturis, esse aliquid, et tamen ignoremus modum, ut Deum esse trinum, et unum : Christum esse Deum, et hominem : resurgere corpora eadem numero : Christum totum esse in Eucharistia etc. ita quoque in hac re satis est, probari posse ex fide Scripturarum, Sacramenta esse causas gratiæ : quomodo id fiat, difficillimum est intelligere, nedum explicare. Neque id mirum est. Nam si de rebus naturalibus, quas Deus fecit, quamquam sub sensum cadunt, non potest homo reddere rationem, ut ait Salomon, Eccles. VIII. quanto magis exacta ratio reddi non poterit de rebus supernaturalibus? Disputant tamen Scholastici de his rebus non inutiliter, ut ostendant variis modis posse defendi id, quod fides docet, et probabiliter multa dicunt; cæterum ea ad fidem non pertinent.

Quare non recte adversarii, ac potissimum Kemnitius in secunda parte Examinis cap. de efficacia Sacramenti, et cap. de opere operato : et Heshusius in lib. de 600 erroribus Pontificiorum tit. 15. qui est de Sacramentis, Scholasticorum opiniones de modo efficiendi Sacramentorum ita reprehendunt, atque oppugnant, quasi eas ad fidem Catholicæ Ecclesiæ pertinere credamus.

Tertio notandum est, quid sit conferre gratiam ex opere operato. Nam adversarii reprehendunt nomen, ut novum, et ipsam sententiam perperam exponunt. Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini sess. VII, can. 8. vocat monstra verborum, conferre gratiam ex opere operato. Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 115. dicit non servasse Concilium cum hoc verbum protulit, formam sanorum verborum, quam teneri jubet Paulus, II. Tim. I.

Sed non est cur de nomine magna contentio fiat. Nulla enim hic est novitas, nisi quod contra regulam Grammaticæ, operatum, passive accipitur. Sed neque hoc est novum. Nam etiam in epist. ad Hebr. c. XIII. contra regulam Grammaticæ passive accipitur (promeretur) cum legimus : *Talibus enim hostiis promeretur Deus* (1). Et S. Augustinus in Psalm. CXXXVIII. maluit dicere ossum ossi, quam os ossis, ut facilius intelligeretur : « Melius est, inquit, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi. »

Quod ad rem attinet, duo dicunt nos intelligere, per opus operatum, quæ tamen, et falsa sunt, et inter se pugnantia. Primo affirmant opus operatum significare opus meritorium, seu dignitatem operis ex parte ministri, vel recipientis. Primus Lutherus ita perperam exposuit in captivitate Babylonica cap. de Baptismo, ubi dicit, Papistas ex Sacramento fecisse præceptum, et ex fide opus. Quasi dicat, Papistæ putant, Sacramenta dare gratiam, quia qui suscipit Sacramentum, facit opus bonum a Deo præceptum. Deinde Calvinus lib. IV Inst. cap. 14, §. 26 : « Quidquid, inquit, de opere operato nugati sunt Sophistæ, non modo falsum est, sed pugnat cum Sacramentorum natura, quæ instituit Deus, et fideles vacui bonorum omnium, et inopes, nihil præter mendicitatem eo adferant. Unde sequitur ea recipiendo nihil istos agere, unde laudem mereantur, vel in hac actione, quæ eorum respectu mere passiva est, nullum illis posse opus adscribi. » Idem habet in Antidoto sess. VII, can. 8. ubi non aliter refellit, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, nisi quia absurdum est ex meritis hominum pendere efficaciam Sacramenti. Tandem Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 93 : « Fuerunt, inquit, qui virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo Sacramenta, vel celebrantur, vel suscipiuntur, constituerunt; ita ut Sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate, et merito operis, quod exercet, vel is, qui celebrat, vel qui suscipit. »

Hanc esse falsam expositionem, et testem ignorantiæ, vel malitiæ ipsorum patet ex eo, quod omnes Catholici opponunt opus operatum operi operantis, et per opus operantis intelligunt opus bonum, seu meritorium ipsius operantis. Deinde cum tam Catholici, quam Lutherani doceant contra Donatistas, Sacramentorum efficaciam non pendere a bonitate ministri, quomodo potuit cadere in mentem alicujus, ut Catholici crederent, Sacramenta conferre gratiam ex dignitate, et merito ministri? Neque enim dubitari potest, quin bonum opus, et meritum pendeat a bonitate operantis, nam : *Non potest arbor mala bonos fructus facere* (1), Matth. VII. Pari ratione cum omnes Catholici doceant Sacramenta conferre gratiam et sæpe primam gratiam, ita ut hominem ex impio justum faciant, quomodo potest fieri, ut credant Sacramenta conferre gratiam ex dignitate, et merito suscipientis? Nam si is, qui suscipit Sacramentum, posset bona opera, et meritoria facere ante susceptionem Sacramenti, non esset impius, sed justus.

Secunda expositio falsa, est, quod conferre gratiam ex opere operato sit conferre gratiam peccatori sine fide, et bono motu cordis ejusdem peccatoris, ita ut vis operis operati sit excogitata ad excludendam fidem, et pœnitentiam internam in negotio justificationis. Lutherus in Babylone cap. de Baptismo : « Hinc, inquit, impulsi sunt tantum tribuere Sacramentis novæ legis, ut ea statuerent prodesse etiam iis, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem, aut gratiam, » Calvinus in Antidoto sess. VII, can. 5 : « Fingunt, inquit, subesse vim magicam Sacramentis, quæ sit extra fidem efficax. » Et canon. 8 : « Si, inquit, conceditur illis, quod postulant, opere operato comparari gratiam in Sacramentis, separatur a fide pars meriti, ut per se valeat Sacramenti usus ad salutem. » Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 125 : « Pontificii, inquit, defendunt opinionem operis operati, quod scilicet per Sacramenta ita conferatur utentibus gratia, ut non requiratur bonus motus interior in suscipiente. » Similia habent Philippus in Confessione Augustana art. 13. et Apologia ejusdem, et Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum tit. 15.

At hæc expositio pugnat cum superiore. Nam si opus operatum est opus meritorium suscipientis, quomodo potest fieri, ut opus operatum excludat fidem, cum sine fide nullum bonum meritum possit intelligi? nam *sine fide impossibile est placere Deo* (2), Hebr. XI. Est præterea expositio falsa, et mera calumnia, ac mendacium. Nam ipsum Concilium Tridentinum sess. VI, cap. 6. diserte docet, initium justificationis fieri et fide, et pœnitentia, et idem omnes Theologi docent, ut supra cap. 2. ostendimus in refutatione mendaciorum.

Igitur ut intelligamus, quid sit opus operatum; Notandum est, in justificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta, multa concurrere; nimirum ex parte Dei, voluntatem utendi illa re sensibili; ex parte Christi, passionem ejus; ex parte ministri, potestatem, voluntatem, probitatem; ex parte suscipientis, voluntatem, fidem et pœnitentiam; denique ex parte Sacramenti, ipsam actionem externam, quæ consurgit ex debita applicatione formæ et materiæ. Cæterum ex his omnibus id, quod active, et proxime, atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis, est sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur, et hæc vocatur opus ope-

(1) Hebr. XIII, 16.

(1) Matth. VII, 18. — (2) Hebr. XI, 6.

ratum, accipiendo passive (operatum) ita ut idem sit Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis, a Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis : quod S. Augustinus lib. IV de Baptismo cap. 24. expressit illis verbis : «Ipsum per se ipsum Sacramentum multum valet.» Nam voluntas Dei, quæ Sacramento utitur, concurrit quidem active, sed est causa principalis. Passio Christi concurrit, sed est causa meritoria, non autem effectiva, cum non sit actu, sed præterierit, licet maneat objective in mente Dei. Potestas, et voluntas ministri concurrunt necessario, sed sunt causæ remotæ; requiruntur enim ad efficiendam ipsam actionem Sacramentalem, quæ postea immediate operatur. Probitas ministri requiritur, ut ipse minister non peccet Sacramenta ministrando, non tamen ipsa est causa gratiæ in suscipiente, nec juvat suscipientem per modum Sacramenti, sed solum per modum impetrationis et exempli. Voluntas, fides, et pœnitentia in suscipiente adulto necessario requiruntur, ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causæ activæ : non enim fides et pœnitentia efficiunt gratiam Sacramentalem, neque dant efficaciam Sacramentis, sed solum tollunt obstacula, quæ impedirent, ne Sacramenta suam efficaciam exercere possent; unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, sine his rebus fit justificatio.

Exemplum esse potest in re naturali. Si ad ligna comburenda, primum exsiccarentur ligna, deinde excuteretur ignis ex silice, tum applicaretur ignis ligno, et sic tandem fieret combustio; nemo diceret, causam immediatam combustionis esse siccitatem, aut excussionem ignis ex silice, aut applicationem ignis ad ligna, sed solum ignem, ut causam primariam, et solum calorem, seu calefactionem, ut causam instrumentalem.

Quarto, notanda est fraus et imperitia Kemnitii : Nam in 2. par. Examinis cap. de opere operato, fatetur quosdam ex Catholicis, ut Gropperum et Alphonsum recte exponere, quid sit opus operatum; sed addit, non ita sensisse reliquos Catholicos, neque ipsum Concilium Tridentinum, et ideo adhuc remanere integram controversiam. At miser Kemnitius neque hos, neque illos intelligere potuit, aut certum intelligere noluit : « Fingunt, inquit, nimirum Gropperus et Alphonsus, injuriam fieri Doctoribus Scholasticis, quasi opinione operis operati docuerint, Sacramenta alicui conferre gratiam sine fide gratiam accipienti, sed dicunt, nihil aliud ipsos disputatione de opere operato voluisse, quam Sacramentorum veritatem non esse ex ministri operantis dignitate, seu merito æstimandam, sed ex Dei auctoris institutione, potentia, et operatione.» Et infra : « Si hoc vellent Pontificii, quando de opere operato disputant, quia sententia vera est, nulla esset controversia. Sed nec olim Scholastici omnes hoc senserunt, et ne nunc quidem Pontificii hoc volunt, quando pro opinione operis operati dimicant, sed longe aliud monstrum sub exoticis illis verbis alitur, et Ecclesia obtruditur.» Hæc ille; In cujus verbis tria sunt falsa.

Primum, quod ait, Gropperum et Alphonsum fingere fieri Scholasticis injuriam etc. non enim id fingunt, sed verissime dicunt, ut sæpe probavimus, et probabimus iterum paulo post.

Secundum, quod ait, nullam fore controversiam, si omnes Catholici idem dicerent, quod Gropperus et Alphonsus. Nam revera idem dicimus omnes, et tamen controversia manet. Nam illi duo auctores non solum dicunt, Sacramenta non sumere efficaciam a dignitate ministri, et non excludere fidem, quod placet Kemnitio et nobis; sed etiam dicunt, Sacramenta habere veram efficaciam, seu efficientiam ad producendam gratiam ex institutione divina, quod Kemnitio placere non potest, cum ipse (ut mox videbimus) nullam tribuat Sacramentis efficientiam, nisi ad alendam fidem per modum objecti repræsentantis divinam promissionem.

Tertium, quod ait, neque olim Scholasticos, neque nunc Pontificios intelligere opus operatum, quomodo exponunt Gropperus et Alphonsus, nimirum ut non excludat fidem. Hoc autem esse mendacium, planum fiet ex refutatione argumentorum ejus.

Primum ergo id probat, quia Scholastici omnes dicunt, Sacramenta novæ legis dare gratiam ex opere operato; legis autem veteris dedisse ex opere operantis : At si opus operatum excluderet dignitatem ministri etiam Circumcisio dedisset gratiam ex opere operato : nihil enim nocebat circumcidentis malitia ministri. Non igitur ex sententia Scholasticorum opus operatum excludit tantum dignitatem ministri, sed etiam fidem, et motum internum suscipientis, quæ

pertinent ad opus operantis, et erant necessaria in lege veteri.

Respondeo primum : Aliquos Scholasticos, ut Gabrielem (quem paulo post citat Kemnitius) cum dicunt, Sacramenta vetera non contulisse gratiam ex opere operato, excipere Circumcisionem : proinde apud eos nihil valeret Kemnitii argumentum.

Secundo dico, opus operatum non solum excludere dignitatem ministri, sed etiam fidem, et motum internum ab efficientia gratiæ Sacramentalis. Nam, ut diximus, etiamsi ista requiruntur in adultis, tamen non sunt ista, quæ efficiunt gratiam, sed ipsum Sacramentum, ut instrumentum Dei. In Sacramentis autem legis veteris, non ipsum Sacramentum proprie operabatur gratiam, sed vel fides, et devotio suscipientis, vel totius Synagogæ, vel quid aliud, ut postea dicemus. Itaque argumentum Kemnitii probat, opus operatum ex sententia Scholasticorum excludere fidem et motum internum ab efficientia gratiæ Sacramentalis, non tamen probat, quod erat probandum excludere simpliciter fidem et motum internum, ita ut Sacramenta (ut ipsi calumniantur) conferant gratiam accipientibus ea sine fide, et sine interna conversione cordis.

Secundo probat ex Gabriele, qui in IV. dist. 1, q. 3. dicit, tunc esse opus operatum, cum non requiritur motus internus.

Respondeo : Corrupte citat Gabrielem : nam mox subjungit Gabriel, quo motu de congruo, vel de condigno mereatur gratiam. Non igitur Gabriel excludit motum internum disponentem ad gratiam, sed meritorium gratiæ. Nam etiamsi illa dispositio potest esse meritoria gratiæ de congruo, vel etiam augmenti gratiæ de condigno, si sit actus ex charitate procedens : tamen illa est gratia, quæ datur ob dispositionem; alia, quæ datur ex vi Sacramenti, ut idem auctor explicat in IV. dist. 4, quæst. 2, conclus. 4. ad primum.

Tertio probat ex Paludano, qui in IV. dist. 1, qu. 1, conclus. 2, probat. 4. dicit, non requiri in Sacramentis, ut homo se disponat, sed dispositionem effici ab ipso Sacramento, et hoc esse causare gratiam ex opere operato.

Respondeo : Non intellexit Kemnitius Paludanum. Non enim loquitur Paludanus de dispositione, quæ est motus internus suscipientis, ut fides, et pœnitentia, quos motus expresse dicit requiri in Sacramentis idem Paludanus dist. 4, quæst. 3. sed loquitur de quadam dispositione ultima, ad quam putat ipse continuo sequi gratiam, et eam dispositionem esse dicit characterem in tribus Sacramentis, in aliis ornatum quemdam animæ. Cum enim non posset Paludanus intelligere, quomodo Sacramentum efficeret gratiam, excogitavit illam sententiam, quod efficeret quamdam dispositionem, ad quam continuo sequeretur gratia. De qua re ad Scholasticos pertinet disputare.

Quarto probat ex Marsilio in IV. sentent. quæstion. 2, artic. 2. et Mesingero in VI cap. Joannis, qui distinguunt opus operatum contra devotionem internam operantis.

Respondeo : Distinguunt, non ut excludant omnino, sed ut excludant ab efficientia, ut diximus.

Quinto probat ex S. Thoma, Paludano, et Gabriele, qui dicunt, Missam prodesse etiam illis ex opere operato, qui non habent in corde pœnitentiam.

Respondeo : Loquuntur de sacrificio, non de Sacramento. Porro sacrificium prodest impœnitentibus per modum impetrationis, quia impetrat illis conversionem et pœnitentiam : quomodo etiam orationes nostræ, licet non tam efficaciter, id faciunt.

Sexto probat ex eo, quod multi Catholicorum probant, Sacramenta efficere gratiam ex opere operato, quia Baptismus prodest parvulis, non habentibus fidem, aut ullum internum motum. Ergo eodem modo in adultis excludunt fidem et motum interiorem : nam etiam in adultis volunt, Sacramenta vim habere ex opere operato.

Respondeo : Catholici efficacissime probant exempla parvulorum, Sacramentorum efficaciam non pendere ab ulla qualitate suscipientis. Nec tamen ideo sequitur, eos excludere in adultis fidem et pœnitentiam : nam hæc exquiruntur in adultis, ut dispositiones, quibus dispositionibus non egent parvuli, ut suo loco demonstrabitur.

Probat deinde Kemnitius, Concilium Trident. per opus operatum excludere voluisse fidem, et motum internum. Primo; Quia cum Scholastici varie exponant opus operatum, et alii excludi velint motum internum, alii nolint : Concilium canon 8. simpliciter admittens opus operatum, et non restringens ad hanc potius, quam ad illam expositionem, censetur omnes approbasse. Respondeo, Falsum est ab Scholasticis allis per opus operatum excludi motum internum. Deinde

si ita esset, Concilium nullam approbasset, sed solum in genere definivisset, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

Secundo; Quia Concilium can. 12. definit, Sacramenta non pendere ex dignitate ministri. Igitur in hoc can. 8. per opus operatum non intelligit, Sacramentum non pendere a dignitate ministri, quomodo opus operatum exponit Gropperus; sed aliquid aliud nimirum non requiri fidem suscipientis. Respondeo; Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, proprie non significare negationem, id est, non pendere a dignitate ministri, sed significare affirmationem, id est, Sacramenta vi sua efficere gratiam, ex qua sequitur negatio, id est, non pendere a dignitate ministrantis, vel suscipientis. Itaque Concilium can. 8. definivit illam affirmationem contra Lutheranos : deinde can. 12. definivit negationem contra Donatistas et Anabaptistas.

Tertio probat; Quia Concilium in isto can. 8. opponit opus operatum fidei : ergo intelligit excludi fidem per opus operatum. Respondeo; Si esset verum Antecedens, negari posse Consequentiam, Nam si Concilium opponeret opus operatum fidei, intelligeret excludi fidem ab efficientia gratiæ Sacramentalis, non autem excludi simpliciter. Sed tamen falsum est Antecedens, quia Concilium non opponit opus operatum fidei, sed soli fidei. Quod paulo infra annotavit etiam Kemnitius.

Præter hæc argumenta addit Kemnitius duo expressa mendacia, quibus claudit suam disputationem de opere operato. Nam non solum imposuit Theologis absurdam expositionem operis operati, sed etiam fingit, jam Theologos ab ipsis convictos, non audere amplius eam opinionem defendere : « Ipsi, inquit, Pontificii scriptores jam tergiversantur, nec manifeste audent suscipere defensionem hujus axiomatis, quod usus Sacramentorum sine fide salvet suscipientes. » Atqui hoc, ut ostendimus, non fuit unquam axioma Pontificiorum, sed mendacium Lutheranorum. Deinde ut homo solers, investigat etiam causas, cur in tam absurdum errorem Scholastici inciderint : et ponit duas causas. Unam, quod cum legerint apud Augustinum lib. III de Baptismo cap. 14. non interesse ad integritatem Sacramenti, qua fide sit imbutus, qui recipit Sacramentum, et non adverterint, Augustinum loqui de substantia Sacramenti, non de utilitate et fructu; inde putaverint, non requiri fidem ut Sacramenta prosint. Alteram, quod cum legerint apud eumdem Augustinum in epist. 23. parvules sine fide actuali salubriter percipere Sacramentum; quia non ponunt obicem contrariæ cogitationis; putaverint, eamdem esse rationem parvulorum et adultorum.

Sed frivolæ, imo etiam falsæ sunt istæ causæ. Nam omnes Theologi in IV. dist. 4. distinguunt Sacramentum a re Sacramenti; et docent, Sacramentum etiam sine fide et pœnitentia posse recipi, non autem rem Sacramenti, id est, gratiam. Præterea Concilium Tridentinum sess. VII, can. 13. de Baptismo, docet, Baptismum parvulis prodesse sine actuali ipsorum fide; et tamen sess. VI, cap. 6 et 8. et sess. XIV, cap. 4. et alibi, docet, in adultis necessario requiri fidem et pœnitentiam, ut justificari possint; et semper Ecclesiam Catholicam ita sensisse.

CAPUT II.

Sententia hæreticorum de efficacia Sacramentorum.

Quantum ad secundum, antiqua fuit hæresis Messalianorum, ante annos 1100. qui docebant, Sacramentis Baptismi, Eucharistiæ, et aliis non justificari homines, sed solis precibus. Ita refert Joannes Damascenus in lib. de hæres. : « Baptismum, inquit, hominem non perficere, nec divina Sacramenta accepta animi sordes expiare, sed solas preces, quæ ab illis recte fundantur. » Armeni quoque, et novi quidam Cathari, si Guidoni credimus, negabant, Sacramenta gratiam conferre.

Sed his omissis, Lutherani de hac re interdum ita scribunt, ut videantur a Catholicis non dissentire, interdum autem apertissime scribunt contraria. Semper tamen in eadem sententia manent, quæ est, Sacramenta non habere immediate ullam efficientiam respectu gratiæ, sed esse nuda signa: tamen mediate aliquid efficere, quatenus videlicet excitant, vel alunt fidem, quæ homines justificat; quod tamen ipsum, id est, excitare fidem, non faciunt nisi repræsentando. Volunt enim eodem modo concurrere ad justificationem Sacramenta, quo prædicatio verbi, nisi quod prædicatio adhibetur auribus, et per auditum excitat fidem, Sacramenta adhibentur oculis, et per visum excitant etiam fidem.

Hanc sententiam initio Lutherus et Philippus nude proponebant, atque aperte dicebant quod sentiebant, nimirum Sacramenta nihil efficere. Sunt autem loca notanda contra Kemnitium, qui impudentissime in 2. par. Exam. pag. 111. dicit, Lutherum serio et semper improbasse in Sacramentariis profanam illam sententiam : « Quod Sacramenta non sint organa, et causæ instrumentales gratiæ, sed solum instar picturæ commonefaciant, et excitent fidem. » Hæc ille.

Audiamus nunc Lutherum. Anno 1520, in lib. de captivit. Babylon. cap. de Baptismo: « Baptismus, inquit, neminem justificat, nec ulli prodest; sed fides in verbum promissionis, cui additur Baptismus; hæc enim justificat. » Et ibidem : « Idem Deus, qui nos nunc per Baptismum, et panem salvat, salvavit Abel per sacrificium, Noe per arcam, Abraham per Circumcisionem, et alios omnes per sua signa. » Et paulo infra numerat inter Sacramenta veteris legis, quæ non vult esse inferiora Sacramentis novæ legis, quoad efficaciam, signum datum Gedeoni in rore et vellere, et signum datum Manue in sacrificio; et signum oblatum Achaz ab Isaia c. VII : « Nostra et Patrum signa, seu Sacramenta habent annexum verbum promissionis, quod fidem exigit, et nullo opere alio impleri potest; ideo sunt signa, seu Sacramenta justificationis, quia sunt Sacramenta justificantis fidei, et non operis : unde et tota eorum efficacia est ipsa fides, non operatio. Qui enim iis credit, is implet ea, etiamsi nihil operetur. » Et infra : « Nec verum esse potest, Sacramentis inesse vim efficacem justificationis, seu esse ea signa efficacia gratiæ : hæc enim omnia dicuntur in jacturam fidei. » Item anno 1521. in assert. 1. articuli ita scripsit : « Nos dicimus, nec novi, nec veteris Testamenti Sacramenta, sed solam fidem justificasse. » Item anno 1523. in lib. contra Cochlæum : « Non potest ulla pars justificationis tribui Baptismo: alioqui si ulla parte justificaret, non liceret negare, Baptismum sine fide justificare : cum autem ei denegetur, soli fidei recte relinquitur. »

Philippus Melanchthon in locis editis anno 1522, cap. de signis, horrendum esse dicit errorem Scholasticorum, quod Sacramenta justificent; et addit : « Non justificant signa, ut Apostolus ait, Circumcisio nihil est : ita Baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est; sed testes sunt, καὶ σφραγῖδες divinæ voluntatis erga te. » Idem etiam in Apologia anno 1530 edita, ad art. 13. dicit, Sacramentum esse signum promissionis, ac veluti picturam verbi : et in libro contra Anabaptistas : « Sicut voluntas Dei ostenditur in verbo, seu promissione, ita etiam ostenditur in signo, tamquam in pictura. » Et infra : « Prodest et hoc moneri, Sacramenta non justificare. » Ubi vides illam ipsam similitudinem picturæ, quam tantopere execratur Kemnitius, et tamen profitetur se Apologiæ hujus sectatorem in ipso principio 2. part. Exam.

Lutherum et Philippum secuti sunt Sacramentarii, ex quibus Calvinus lib. IV Instit. cap. 14. §. 6. utitur eadem similitudine picturæ, et §. 17 : « Fixum, inquit, maneat, non esse alias Sacramentorum, quam verbi Dei partes : quæ sunt offerre nobis, ac proponere Christum, et in eo cœlestis gratiæ thesauros. » Et infra : « Cavendum præterea, inquit, ne in errorem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulo magnificentius a veteribus scripta sunt : ut scilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam, affixamque esse, quo ipsa per se Spiritus sancti gratiam nobis conferant, cum hoc tantum illis divinitus injunctum sit munus, testificari nobis ac sancire Dei in nos benevolentiam. » Et infra : « Sacramenta id sunt nobis a Deo, quod ab hominibus rerum lætarum nuntii, vel arrhæ in pactis sanciendis; utpote quæ non a se quidem largiantur aliquid gratiæ, sed renuntient, et ostendant, atque (ut sunt arrhæ et tesseræ) rata apud nos faciant, quæ divina largitate nobis donata sunt. » Et §. 18. utitur exemplo Iridis et velleris Gedeonis, atque aliis, quibus utebatur Lutherus.

Porro idem Lutherus in libris posterioribus convictus (ut verisimile est) argumentis Catholicorum, longe aliter scripsit. Nam in hom. 1. de Baptismo, quam anno 1535 edidit, circa principium 2. part. ita habet : « Ad hoc institutus est Baptismus, ut nobis serviat, nobis prosit, nobis donet, non aliquid carnale, vel corporale, sed æternam gratiam, æternam munditiam, et sanctitatem, æternam vitam. » Et in hom. 2. de Baptis-

mo, quam habuit anno 1540 : « Non potest, inquit, non id operari Baptismus, ad quod institutus est, videlicet regenerationem, et renovationem Spiritus sancti. » Et infra : « Tantam virtutem et energiam habet Baptismus, ut homo, qui in peccatis conceptus et natus est, regeneretur coram Deo, et qui ante ad mortem erat damnatus, jam sit filius Dei. Quis hanc gloriam et virtutem sacrosancti Baptismi sensibus, cogitatione, intellectu humano assequi et percipere potest? » Et infra : « Voluit Joannes his verbis significare Baptismum tam efficacem, ac tantæ virtutis esse, ut peccata abluere, mortem submergere et suffocare, et omnia vitia et sordes sanare et mundare posset. »

Hunc modum loquendi imitantur recentiores Lutherani, atque in primis Kemnitius. Nam in 2. par. Exam. pag. 98. ubi citasset aliquot Scripturas pro efficacia Sacramentorum contra Anabaptistas et Sacramentarios, ita subjungit : « Hæc manifestissima testimonia, quæ Sacramentis efficaciam tribuunt, et qualis ea sit, explicant, non sunt per tropos, pervertenda a simplici et genuina significatione, quam propria vocabulorum significatio præbet : et ita veteres hæc testimonia simpliciter, sicut sonant, intellexerunt. » Et pag. 101 : « Sacramenta sunt causæ instrumentales, ita quod per illa media, seu organa Pater vult gratiam suam exhibere, donare, applicare : Filius meritum suum communicare credentibus; Spiritus sanctus efficaciam suam exercere ad salutem omni credenti. » Hæc ille : qui certe Catholicissime loqui videtur. Calvinus quoque non raro ita loquitur, ut loquuntur Catholici. Nam in Antid. Conc. sess. VII, can. 3. sic ait : « Semper memoria repetendum est, Sacramenta nihil quam instrumentales esse conferendæ nobis gratiæ causas. » Et can. 6 : « Si qui sint, qui negent, Sacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus. »

Verumtamen nec Lutherus, nec Calvinus, nec Kemnitius recedit a prima illa sententia, quæ nihil revera tribuit Sacramentis efficientiæ. Nam cum dicunt, Sacramenta esse causas instrumentales, et conferre gratiam, et esse efficacia, semper intelligunt, mediante fide, ita ut ipsa nihil aliud agant, nisi excitare vel nutrire fidem, quæ sola justificat.

Nam idem Calvinus ibidem can. 3. explicat, quomodo Sacramenta sint causæ instrumentales gratiæ, ac dicit, tunc demum Sacramenta suum effectum habere, si fidei serviant. Et can. 8 dicit, eodem modo efficere in nobis gratiam Sacramenta, quo efficit verbum Dei prædicatum. At certum est, verbum Dei non efficere, nisi excitando vel nutriendo fidem. Denique Theodorus Beza (ut supra notavimus) in lib. de summa rei Sacramentariæ q. 2. ita explicat Calvini præceptoris sui sententiam : « Unde efficacia, inquit, illa Sacramentorum ? a Spiritus sancti operatione in solidum, non autem a signis, nisi quatenus externis illis objectis interiores sensus moventur. »

Kemnitius quoque pagina 101 et seq. explicans accurate, quemadmodum sint efficacia Sacramenta, tandem concludit esse efficacia, eo modo, quo ipsa promissio, seu promissionis verbum. Et pagina 102 : « Verbum, inquit, et Sacramenta monstrant nobis ubi fides debeat quærere, et ubi possit invenire Christum Mediatorem, Patrem et Spiritum sanctum. » Et pag. 105. explicans quomodo fides in Sacramentis justificet : « Non est sensus, inquit, quod fides gratiam accipiat sine medio aut organo verbi et Sacramentorum : objectum enim fidei est verbum et Sacramenta, imo in verbo et Sacramentis verum fidei objectum est Christi meritum, gratia Dei, et efficacia Spiritus : et fides ideo justificat, quia illa in verbo et Sacramentis apprehendit et accipit; et hoc sensu sicut fides verbi, ita etiam fides Sacramenti dicitur justificare. » Hæc ille.

Denique quibuscumque verbis Catholicorum utantur Lutherani, non possunt tamen ullo modo sentire, quod nos sentimus, Sacramenta esse veras et immediatas causas justificationis, nisi recedant a primo illo suo principio, sola fides justificat, quod hactenus non fecerunt.

CAPUT III.

Quod Sacramenta ex opere operato conferant gratiam, ex Scripturis probatur.

Probandum jam superest, Sacramenta esse veras causas instrumentales gratiæ; ac ne frustra laboremus, demonstrandum est simul, aliter esse causam Sacramenta, quam concionem. Nam ad omnia testimonia nostra respondere solent, Sacramenta esse veras causas gratiæ, sed excitando fidem, quomodo etiam verbum Evangelii dicitur a Paulo Roman. 1 : *Virtus Dei in salutem omni credenti* (1).

Adferemus sex argumentorum classes. Prima erit ex Scripturis Testamenti novi, ubi expresse id habetur. Secunda ex vaticiniis Prophetarum, et ex figuris Testamenti veteris. Tertia ex Conciliis. Quarta ex Patribus Græcis. Quinta ex Latinis. Sexta ex ratione.

Prima classis testimoniorum ex novo Testamento.

Primum testimonium est Matthæi III, Marci I, Lucæ III, Joannis I, ubi Joannes Baptista loquitur : *Ego baptizo vos aqua, ille vos baptizabit Spiritu sancto* (2). Quibus verbis non est dubium, tantum discrimen poni inter efficaciam Baptismi Joannis et Baptismi Christi, quantum est inter aquam et Spiritum. At Baptismus Joannis efficax erat ad alendam fidem, non minus quam Baptismus Christi; Nam in Baptismo Joannis erat externa ablutio, et verbum promissionis. Nam prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Luc. III. et prædicabat simul fidem Mediatoris, dicens, ut crederent in eum, qui venturus erat, Act. XIX.

Ad hoc argumentum Calvinus in cap. III. Matth. Respondet, eamdem fuisse efficaciam Baptismi Joannis et Christi : discrimen autem, quod ponit Joannes in aqua et Spiritu, dicit in eo consistere, quod Joannes erat minister externi ritus, Christus autem erat auctor internæ sanctificationis. At si ita est, non debuit Joannes dicere : Ego baptizo, ille baptizabit, sed : Ego baptizo, ille baptizat. Præterea si erat eadem vis utriusque Baptismi, cur Actor. XIX. Paulus jussit baptizari Christi Baptismo eos, quos audivit jam fuisse baptizatos Baptismo Joannis.

Respondet Calvinus in commentar. Act. XIX, non fuisse illos iterum baptizatos; sed tantum accepisse visibiliter donum Spiritus sancti, et hoc significari illis verbis : *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* At præterquam quod ista esset vitiosa æquivocatio, cum in tota ea narratione accipiatur nomen Baptismi pro Baptismo aquæ, et quod licebit, omnes Scripturas pervertere, si licet verba tam aperta alio torquere, ibidem mox adjungit Lucas : *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.* Non igitur illud : *Baptizati sunt*, (3) significat, Acceperunt donum Spiritus sancti visibiliter.

Respondet Calvinus, ista posteriora verba esse explicationem priorum. At non diceret Lucas : *Baptizati sunt; et cum imposuisset manus* etc. sed Baptizati sunt: Nam cum imposuisset manus etc. vel certe, Baptizati sunt, et imposuit illis manus etc. sic enim fieri solent explicationes. Illa autem phrasis: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu, et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus;* evidenter ostendit, duas fuisse actiones, et diverso tempore factas, Baptismum et manus impositionem. Denique conferatur hic locus cum alio ejusdem auctoris, nimirum Act. VIII, ubi similiter habetur Baptismus in nomine Domini Jesu, et impositio manuum, et erit luce clarius per Baptismum in utroque loco intelligi verum Baptismum.

Secundum testimonium Marc. ult. : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* (4) Hic tribuitur Baptismo vis salvandi, at non salvat nisi justificando et abluendo sordes peccatorum.

Neque potest responderi, quod salvet excitando fidem. Nam in primis hoc loco fides præcedit. Ineptum autem est dicere, primo poni effectum, deinde causam. Sicut enim absurdum esset dicere: Qui curatus fuerit et acceperit medicinam; ita absurdum esset dicere : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit*, si Baptismus est causa fidei. Unde quia audire verbum Dei est vere causa fidei, semper in Scriptura præcedit, ut Joan. V : *Qui audit verbum, et credit, habet vitam æternam.* Et Joan. VI : *Omnis qui audivit, et didicit, venit ad me* (5). Non ergo fides est effectus Baptismi, cum cum præcedat, sed potius dispositio ad illum.

Præterea ad hominem : Christus hoc loco non conjungit Sacramentum cum concione, ut adversarii faciunt; non enim dicit : Qui audierit verbum, et baptizatus fuerit; sed conjungit cum fide, quæ est effectus verbi.

(1) Rom. I, 16. — (2) Matth. III, 11; Marc. I, 8; Luc. III, 16; Joan. I, 26; Act. I, 5. — (3) Act. XIX, 5 et 6. — (4) Marc. XVI, 16. — (5) Joan. V, 24; VI, 45.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sicut ergo fides apud adversarios immediate justificat applicando merita Christi, non autem excitando aliquam aliam causam; cur non eodem modo fateantur Baptismum immediate justificare applicando Christi merita, cum Christus eodem modo loquatur de fide et de Baptismo?

Tertium testimonium Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (1). Hic locus aperte facit Baptismum aquæ causam novæ nativitatis; id enim significat præpositio, Ex, ut patet in omnibus similibus locutionibus.

Neque potest dici, quod renasci ex aqua sit renasci ex fide, quam excitat aqua. Nam Primo, debuisset potius Christus dicere : Nisi quis renatus fuerit ex verbo et Spiritu sancto, quam, Ex aqua et Spiritu sancto; cum principalior causa excitandæ fidei, sit verbum, quam aqua. Secundo, quia fuisset Christi sermo omnino inintelligibilis. Nam cum nihil dixerit antea de fide, quis divinare posset, cum modo tradere rationem excitandæ fidei? Tertio, esset falsa propositio : *Nisi quis renatus fuerit* etc. Nam si fides sola justificat, impertinens est ad salutem, unde fides excitetur, sive ex aqua, sive ex vino, sive ex alia re. Et constat multis modis, fidem excitari posse sine baptismo aquæ : concio enim abunde sufficit ad excitandam fidem.

Ad hunc locum non potuit aliter Calvinus respondere, nisi negando, hic agi de Baptismo, quod etiam ante illum negarunt Zwinglius et Bucerus. Itaque Calvinus in comment. et lib. IV Institut. cap. 16. §. 25. negat, intelligi debere de Sacramento Baptismi, sed de sola interna renovatione. Quocirca per aquam vult intelligi Spiritum sanctum, et hunc esse sensum : Nisi quis renatus fuerit ex aqua, id est, ex Spiritu sancto, qui instar aquæ mundat etc.

At primum; Omnes scriptores hactenus hunc locum intellexerunt de Baptismo; ut Justinus Apologia 2. Tertullianus in lib. de Baptismo, Cyprianus lib. III ad Quirinum c. 25. Ambrosius lib. III de Spiritu sancto cap. 11. Hieronymus in cap. XVI Ezechielis, item Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus in serm. de Baptismo; denique omnes interpretes hujus loci, Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Beda, Theophylactus, Euthymius, et alii.

Secundo; Si ita liceret ludere in Scripturis, possemus negare Baptismum aquæ. Nam ubique intelligemus nomine aquæ Spiritum sanctum, et eodem modo licebit pervertere omnia alia mysteria.

Tertio; Negari non potest, quin sit coacta et absurda, et Scripturis inusitata locutio. Nec valet exemplum, quod Calvinus profert ex Matth. III : *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (2). Ubi vult per ignem intelligi eumdem Spiritum sanctum, ut habet similitudinem cum igne. Nam per ignem rectissime potest intelligi externus ignis, qui descendit visibiliter super Apostolos in die Pentecostes, vel ignis tribulationis, vel ignis Purgatorii : quas expositiones attingit Beda in commentar. Luc. III. Præterea in hoc loco ignis postponitur Spiritui sancto, et non est ita absurdum, post unum vocabulum poni alterum, quo illud declaretur. At aquam Joan. III. Dominus præposuit Spiritui sancto; absurdissimum autem est, prius poni declarationem, deinde id, quod declarandum est. Neque negari potest, quin aqua si accipitur pro Spiritu sancto, ponatur ad declarandum effectum Spiritus sancti, qui est mundare.

Quarto; Si aqua hoc loco non poneretur, nisi ad explicandum effectum Spiritus sancti, male conjungeretur cum verbo renascendi; aqua enim, si tantum inspiciatur ejus significatio, non gignit, sed lavat, et refrigerat. Itaque vel dicere debuisset Dominus : Nisi quis mundatus fuerit aqua et Spiritu sancto, vel : Nisi quis renatus fuerit ex semine et Spiritu sancto. Non igitur aqua solum hoc loco declarat effectum Spiritus sancti, sed proprie significat aquam, ut concurrit Sacramentaliter ad spiritualem regenerationem.

Quartum testimonium Act. II : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Cui simile est illud Actor. XXII : *Et nunc quid moraris; baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius* (3). In his locis tribuitur Baptismo remissio peccatorum : nec potest dici id fieri, quod Baptismus excitet fidem. Nam quos Petrus alloquitur Act. II. jam crediderant, ut Lucas ibidem indicat. Audita enim Petri concione, compuncti sunt corde, et dixerunt : *Quid faciemus viri fratres*; Petrus autem non ait : Oportet credere, vel magis credere, sed : *Pœnitentiam agite etc.* Pari ratione Paulus, cui dixit Ananias Actor. XXII : *Baptizare, et ablue peccata tua*, jam crediderat, et pœnitentiam egerat triduo jejunans.

(1) Joan. III, 3. — (2) Matth. III, 11. — (3) Act. II, 38; XXII, 16.

Respondet Calvinus, tum in commentario Actorum, tum lib. IV Instit. cap. 15. §. 18. baptizari in remissionem peccatorum, seu abluere peccata Baptismo, nihil esse aliud, nisi accipere testimonium, seu sigillum acceptæ justificationis, idque ad fidem roboraudam, et confirmandam.

Sed (ut omittam, quod antea demonstravimus, Sacramenta non posse esse sigilla, vel certe esse falsa sigilla, cum non sciat minister, an ille cui applicat sigillum divinum, sit vere justificatus) quis non miretur novum istum tropum, quo abluere peccata, significat, accipere sigillum justificationis acceptæ? Inauditum est enim, ut actio significata, ponatur ad significandum signum; et quod actio futura ponatur ad significandam præteritam. Exempla esse possunt, si quis diceret : Bibe vinum, absurde id diceret, si significare vellet : Inspice hederam, quæ in hospitio pendet. Pari ratione, si Imperatori revertenti cum victoria, diceretur : Vince hostes, idque diceretur ad significandum : Accipe triumphum in signum præteritæ victoriæ, absurdissima esset locutio. Non enim recte dicitur : Vince hostes, ei, qui jam pugnavit, et vicit.

Quintum testimonium Act. VIII : *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus* : cui loco similis est ille II. Timoth. II : *Admoneo te, ut ressuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum* (1). Etsi enim hæc loca intelliguntur de Sacramentis Confirmationis et Ordinationis, quæ apud multos adversariorum non sunt proprie Sacramenta; tamen si Sacramenta, ut ipsi volunt, improprie dicta sunt, veræ causæ gratiæ, quanto magis Sacramenta proprie dicta? Porro in his locis apertissime impositio manuum asseritur causa gratiæ, ut patet ex illa particula, *Per*. Nec potest dici, manuum impositionem esse causam gratiæ, excitando fidem; Nam omnes isti, qui per impositionem manuum acceperunt gratiam Spiritus sancti, jam crediderant et baptizati erant.

Sextum testimonium, I. Corinth. X : *Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus* (2). Ubi participare de uno pane ponitur pro causa unius corporis. Quod in Græco est clarius : οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Omnes enim ex uno pane participamus. Quomodo autem sumus unum corpus, quia de uno pane participamus, nisi quia panis ille alit, et auget vitam hujus corporis? Nam in rebus corporalibus, quia idem cibus alit omnia membra ejusdem corporis, ideo rectissime probamus, aliqua membra esse membra ejusdem corporis, si ab eodem cibo alantur. Quare si tollas a Sacramento altaris veram causalitatem gratiæ, non poterit probari, quod simus unum corpus, quia eamdem Eucharistiam participamus. Similis est huic loco ille, I. Corinth. XII : *Etenim omnes nos in uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus* (3). Ubi Paulus probat, nos esse unum corpus, quia per Baptismum accepimus unum Spiritum. Quod argumentum nihil efficit, si Baptismus non confert Spiritum.

Septimum testimonium Ephes. V : *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Cui similis est locus ille Tit. III : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (4). Ubi apertissime dicimur mundari, et salvari lavacro aquæ, et per lavacrum : utrumque autem causam instrumentalem significat.

Respondet Calvinus in commentario horum locorum, Baptismum proprie dici lavacrum animæ, et esse symbolum efficax : quia Deus, dum hoc signum ostendit, simul etiam operatur, quod per illud significat.

At per accidens hoc modo conjungitur justificatio, quam solus Deus facit cum Baptismo : proinde non magis proprie dicimur mundari, et salvari per Baptismum, quam per quamlibet aliam actionem, quæ tunc simul fiat. Nec potest vere dici Baptismus lavacrum regenerationis, si per illam Deus non lavat nos, licet eodem tempore lavet nos. Si dicat, Deum nos mundare per Baptismum, quia ostendens illud symbolum, provocat fidem, quæ mundat : etiam dicere posset, homines inebriari per hederam, quæ pendet in hospitiis; quia illa hedera provocat ad emendum vinum, quod vinum postea inebriat.

(1) Act. VIII, 18; II. Tim. I, 6. — (2) I. Cor. X, 17. — (3) I. Cor. XII, 13. — (4) Eph. V, 25 et 26; Tit. III, 5.

Octavum testimonium est, I. Petr. III : *Quod nos similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum* (1). Hic habemus primum, Baptismo nos salvos fieri. Deinde, salvos fieri simili quodammodo, quo olim tempore Noe pauci quidam salvi facti sunt per aquam. Atqui aqua illa vere et efficienter salvavit eos, qui erant in arca, videlicet arcam in sublime attollens.

Denique, habemus discrimen inter Baptismata Judæorum, et nostrum : quod illa tollerent sordes carnis, nostrum purificet conscientiam. Sicut igitur Baptismata Judæorum vere tollebant sordes carnis, non tantum significando, sed etiam efficiendo ; ita et nostrum Baptisma vere lavat conscientiam, non tantum significando, sed etiam efficiendo.

CAPUT IV.

Secunda classis testimoniorum, vaticinia Prophetarum.

Primo, Isaias cap. I, ubi dixerat : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus ? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui.* Subjungit : *Lavamini, mundi estote* (2). Quæ verba S. Hieronymus, et S. Cyrillus in commentario et Cyrillus Hierosolymitanus in I. Catechesi, et Theodoretus in Psalm. L. et Basilius oratione 13. quæ est de Baptismo, exponunt ad litteram de Baptismo, qui succedit expiationibus illis veteribus. Quod autem Baptismus vim habeat mundandi, patet ex illis verbis : *Lavamini, mundi estote.* Est enim ac si diceret : Baptizamini, et eo modo mundi critis. Unde S. Hieronymus hunc locum ita enarrat : « Pro superioribus victimis et holocaustis Evangelii mihi placet religio ut baptizemini in sanguine meo per lavacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere. » Hæc ille : ubi illud, *Solum*, non excludit Deum, Christi meritum, fidem, et alia id genus, sed sacrificia et cæremonias Judaicas.

Secundo, Ezechielis cap. XXXVI : *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et dabo vobis cor novum etc.* (3). Hunc locum de Baptismo intelligunt Hieronymus et Theodoretus in commentar. et Cyprianus lib. I. epist. ult. et lib. IV, ep. 7. ubi notat S. Hieronymus, per aquæ Baptismi aspersionem non solum mundari peccata, sed etiam dari cor novum, et spiritum novum.

Tertio, Michæas cap. VII : « De Baptismi gratia, inquit Hieronymus in epist. 83. ad Oceanum, vaticinatur : Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. » Quomodo etiam hunc locum exponit Rupertus in comment. et Augustinus in comment. Psal. CXIII. At quod in mare mergitur, non solum significatur extingui, sed re ipsa vi aquarum extinguitur.

Quarto, Zacharias cap. XIII : *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatæ* (4). Hunc etiam locum Hieronymus et Rupertus in commentario exponunt de Baptismo, qui vim habet purgandi peccata.

Quinto, David Psal. L : *Asperges me Domine hyssopo etc.* (5). Sed de hoc paulo infra dicemus, in explicatione sextæ figuræ.

Figuræ Sacramentorum.

Prima est Genes. I : *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* (6) In Hebræo exprimitur, quorsum ferretur super aquas, nimirum ut eas fœcundas redderet : nam inde procreandi erant pisces, et aves, ut infra habetur : מְרַחֶפֶת incubabat, more gallinæ nidum suum foventis, et ova calore animantis, inquit Hieronymus in quæst. in Genes. Fuisse autem hanc figuram Baptismi, qui constat ex aqua et Spiritu sancto, docent Tertullianus in lib. de Baptismo. Hieronymus in epist. 83. ad Oceanum. Ut igitur aqua initio mundi a Spiritu sancto vitalem quamdam vim accepit, ut animalia procrearet ; sic et Baptismus a Spiritu sancto vim accepit procreandi novos homines : « Ne mirum sit, inquit Tertullianus, in Baptismo, si aquæ animare possunt. » Et ibidem Christianos vocat pisciculos, quod

(1) I. Petr. III, 21. — (2) Isai. I, 11 et 16. — (3) Ezech. XXXVI, 25. — (4) Zach. XIII, 1. — (5) Psal. L, 9. — (6) Gen. I, 2.

nascantur ex aquis. Qua etiam de causa litteræ capitales versuum Sybillinorum faciunt ΙΧΘΥΣ, id est, piscis, et significant « Jesus Christus Dei Filius Salvator. » Quod annotavit Augustinus lib. XVIII de Civ. Dei c. 23. et Prosper lib. II de prædictionibus cap. 29. et ante utrumque Optatus Milevitanus l. III. contra Parmenianum : « Hinc, inquit, est piscis, qui in Baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur, cujus piscis nomen secundum appellationem Græcam in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet, ΙΧΘΥΣ, quod est Latine Jesus Christus Dei Filius Salvator. » Et huc alludens S. Hieronymus in epist. 43 : « Bonosus, inquit, tamquam ΙΧΘΥΣ Filius aquosa petit. »

Secunda figura est Genes. VII. de diluvio salvante Noe, et reliquos, qui erant in arca, quam explicat S. Petrus epist. I, cap. 3. ut paulo ante diximus.

Tertia figura est Genes. XVII de Circumcisione, de qua B. Paulus Coloss. II sic ait : *Circumcisi estis Circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed Circumcisione Christi consepulti ei in Baptismo.* (1) At Circumcisio vere et efficienter carnem abscindebat, non autem erat solum testimonium abscissionis etc.

Quarta figura est Exod. XIV. submersio Ægyptiorum in mari rubro, et transitus filiorum Israel ; de qua sic loquitur B. Paulus I. Cor. X : *Omnes*, inquit, *in Mose baptizati sunt in nube et in mari.* Et infra dicit : *Hæc omnia contingebant illis in figuram* (2). Itaque mare rubrum figura fuit Baptismi ; nubes autem obumbrans, figura Spiritus sancti ; et sicut mare rubrum vere demersit Ægyptios, et liberavit Israelitas ; ita Baptismus vere delet peccata, et salvat animas. Vide Cyprianum lib. IV, epist. 7. Augustinum tract. 11. et 13. in Joannem, et Hieronymum in epist. 83. ad Oceanum.

Quinta figura est Exodi XVI. et XVII. de Manna pluente e cœlo, et aqua scaturiente ex petra : quæ figuræ erant Eucharistiæ corporis et sanguinis Domini, eodem Paulo ibidem I. Corinth. X. explicante. At Manna et aqua illa vere reficiebat, et recreabat corpora Israelitarum, et non erant testimonia vel sigilla. Igitur Eucharistia vere reficit animas ; alioqui erit melior figura, quam res figurata.

Sexta est Numeri XIX. de aqua lustrationis, quæ admistam habebat cinerem vaccæ rufæ, quam fuisse Baptismi figuram, scribit Augustinus in quæstionibus super Numeros cap. XXXIII. Ubi notandum ex eodem Augustino, tria fuisse necessaria in hac expiatione ; cinerem vaccæ rufæ, aquam et hyssopum, quo aqua aspergebatur : et quidem ciuis vaccæ Christi mortem et merita significat : aqua vero Baptismum, qui Christi merita applicat : hyssopus herba humilis, radices habens in petra, fidem significat, sine qua Baptismus adultis non datur, et si forte datur, non eis prodest. Sicut ergo in illa expiatione hyssopus non mundabat, sed aqua vim habens ex cinere vaccæ et hyssopo aspersa : sic in Baptismo non est fides, quæ proprie in Baptismo purgat peccata, sed aqua vim habens ex Christi passione, et fide suscepta. Ad has expiationes tum figurantem, tum figuratam respexit David, cum diceret Psalm. L : *Asperges me Domine hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor* (3). Petit enim eam purgationem, quam noverat figuratam, per expiationem aquæ, quæ hyssopo aspergebatur, ut exponit Theodoretus in commentario hujus loci.

Septima figura est Josue IV de transitu filiorum Israel per Jordanem ad terram promissionis, duce Josue ; quam fuisse figuram Baptismi, docent Ambrosius in illud Luc. I : *Ipse præibit in spiritu et virtute Eliæ*, et Augustinus in illud Psalm. CXIII : *Et tu Jordanis conversus es retrorsum* (4). Neque ullus dixerit, per aquas Jordanis, non transivisse illos Israel ad terram promissionis ; sed obsignatam promissionem transeundi.

Octava est IV. Reg. V. de Naaman Syro curato a lepra, lavacro Jordanis : de qua vide Ambrosium in IV. caput Luc. et lib. II. de Sacramentis cap. 4. Et certe aqua Jordanis, quæ vere curavit Syrum illum, non fuit sigillum promissionis.

Nona est Joan. V. de probatica piscina, quæ figura manifestissima est, et a Patribus multis celebrata, ut Tertulliano in lib. de Baptismo, Ambrosio lib. I. de Spiritu sancto cap. 7, Chrysostomo, Cyrillo, et Theophylacto in hunc locum Joannis. Et quidem

(1) Coloss. II, 11. — (2) I. Cor. X, 2 et 11. — (3) Psal. L, 9. — (4) Luc. I, 17 ; Psal. CXIII, 5.

Chrysostomus pulcherrime hanc figuram explicat, et addit : Deum voluisse variis figuris efficaciam Baptismi demonstrare, ne incredibilis videretur : « Futurum, inquit, erat Baptisma plenum maximæ potestatis et gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo vivum effecturum etc. » Et sane nisi ita esset, ut dicit Chrysostomus, præstantior fuisset figura re ipsa figurata.

Decima est Joannis IX. de cæco nato, quem Dominus illuminavit per aquam Siloe, de qua vide Ambrosium epist. 75. ad Bellicium, et Augustinum tract. 44. in Joannem.

Sunt autem duo notanda ad hæc loca Scripturæ. Primum, quod cum tam sæpe Scriptura, et vaticinia, et figuris, et expressis verbis loquatur de Sacramentis, tamen ne semel quidem dicat, vim Sacramentorum consistere in excitanda, vel alenda fide; sed semper explicet consistere in purgandis peccatis, et mundanda anima. Ex quo revera, si res serio perpendatur, evidenter colligitur, falsissimam esse hæreticorum sententiam. Nam quomodo credibile est, finem immediatum, et præcipuum Sacramentorum numquam in Scriptura haberi, cum finis mediatus tam sæpe inculcetur?

Secundo nota, quod si licet negare, Sacramenta vere et immediate sanctificare, cum tam aperte Scripturæ hoc doceant, eadem ratione negari poterit, fidem justificare, quod tamen adversarii passim affirmant. Nam nihil Scripturæ tribuunt fidei, quod non tribuant etiam Sacramentis; v. gr. Lucæ cap. VII. vers. ult. dicitur : *Fides tua te salvam fecit.* Et in I. epist. Petri cap. III. dicitur : *Vos salvos facit Baptisma.* Item de fide Joannis V : *Qui credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.* De Sacramentis Joannes VI: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De fide Act. XV : *Fide purificans corda eorum.* De Sacramentis Ephes. V : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* De fide ad Roman. III : *Arbitramur hominem justificari per fidem.* De Sacramentis ad Tit. III: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* De fide ad Roman. V : *Justificati ergo ex fide.* De Sacramentis, Joan III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto etc* (1).

CAPUT V.

Tertia classis argumentorum ex Conciliis.

Concilium Nicænum, quod nuper e Græco versum, editum est ab Alfonso Pisano in caput, quod inscribitur διατάγματα, doctrina de Baptismo, ante 8. canonem : « Baptisma nostrum, inquit, non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis; aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam. » Et infra : « Descendit quidem is, qui baptizabatur, peccatis obnoxius, servitutis corruptione detentus, ascendit autem ab ea servitute et peccatis liber, filius Dei, et hæres, et cohæres Christi. »

Concilium Constantinopolitanum I, in Symbolo : « Credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum. »

Concilium Milevitanum cap. 2 : « Parvuli; qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. » At certe in parvulis Baptismus non potest esse causa remissionis peccatorum excitando fidem.

Concilium Arausicanum II, canone 25 : « Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo adjuvante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint et debent, si fideliter laborare voluerint, adimplere. » Nota, non posse id exponi de excitatione fidei. Nam paulo infra idem Concilium dicit, a Deo prius fidem inspirari, ut Baptismi Sacramenta fideliter requiramus. Præterea etiamsi fides, secundum adversarios, justificet a peccatis, tamen non dat gratiam bene operandi. At Baptismus ex hoc Concilio dat gratiam bene operandi.

His addo Concilia recentiora, Florentinum, et Tridentinum.

(1) Luc. VII, 50; I. Petr. III, 21; Joan. V, 24; Joan. VI, 52; Act. XV, 9; Eph. V; Rom. III, 28; Tit. III, 5; Rom. V, 1; Joan. III, 3.

CAPUT VI.

Quarta classis, ex Patribus Græcis.

Jam ex Patribus Græcis; Justinus in Apologia ad Antoninum : « Remissionem ante commissorum peccatorum consequimur in aqua etc. » Et antea dixerat, neminem adduci ad Baptismum, nisi antea crediderit. Similia habet in Dialogo cum Triphone.

Clemens Alexandrinus lib. I. Pædagogiæ cap. 6 : « Multis, inquit, modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum : lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam, et salutarem lucem intuemur; perfectum autem dicimus, qui nihil deest. Quid enim ei desit, qui Deum novit etc. »

Origenes hom. 14. in cap. II. Lucæ : « Parvuli, inquit, baptizantur in remissionem peccatorum. » Et infra : « Et quia per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli. »

Cyrillus catechesi 3 : « Mortuus, inquit, in peccatis descendisti, et ascendis vivificatus in justitia etc. » Vide totam catechesim. Et in præfat. catecheseon : « Magnum est sane propositum hoc Baptisma; captivitatis liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, currus ad cœlum etc. »

Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 15. ponit objectionem hæreticorum; Si ideo Spiritus sanctus æqualis est Patri et Filio, quia in ipso baptizamur, etiam aqua erit æqualis Patri et Filio, quia in ipsa baptizamur. Respondet : « Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed ex præsentia Spiritus etc. »

Secundum adversarios dicere debuisset, aquam nihil facere, et sic statim objectionem solvisset. At Basilius fatetur, in aqua esse virtutem, sed ait, eam non inesse aquæ ex aquæ natura, sed ex vi Spiritus sancti. Vide etiam hom. 13. quæ est hortatio ad Baptismum, ubi clarissime idem habetur. Vide etiam Gregorium Nazianzenum orat. in sancta lumina, et orat. in sanctum lavacrum.

Gregorius Nyssenus in lib. de Baptismo : « Baptisma inquit, peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis, et regenerationis causa. » Et infra explicans, quomodo id fiat, multa exempla adducit earum rerum, per quas Deus miracula fecit, ut virgam Aaron, et alia; et subdit : « Atque hæc omnia cum materiæ sint inanimatæ, atque sensus expertes, posteaquam vim Dei accepissent magnis miraculis, media intercesserunt. Ac simili consequentia rationum etiam aqua cum nihil aliud sit, nisi aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quæ mente percipitur, hominem renovat regenerationem. Quod si quis mihi rursus dubitando, et ambigendo negotium exhibeat interrogans qua ratione aqua regenerct: dicam optimo jure ad eum : Ostende mihi modum nativitatis, quæ sit secundum carnem; dices fortasse : Semen causa hominis effectrix est. Audi igitur contra a nobis, quod aqua, quæ benedicitur, purgat et illuminat hominem. »

Ubi notandum est, non posse Gregorii sententiam trahi ad id, quod hæretici dicunt, Sacramenta operari, quia objective movent ad fidem. Nam Primo, comparat aquam Baptismi virgæ Aaronis, quæ miracula faciebat efficienter. Secundo, comparat femini, quod est causa hominis efficiens, ut ipse dicit. Tertio, negat aquam aliquid efficere, nisi recipiat vim quamdam supernaturalem : At ut moveat objective per modum signi, non requiritur ulla virtus supernaturalis. Denique quæstio, quam proponit : Quomodo possit aqua regenerare, nulla esset, si tantum objective operaretur.

Chrysostomus hom. 39. in Genes. extrema : « Nam id, inquit, quod illic operatur Circumcisio in depositione carnis : id agit hic Baptismus in depositione peccatorum. » Item hom. 24. in Joan. prolixe docet, esse credendum verbis Christi asserentis, aquam vim habere regenerandi, licet modus superet rationem. Et homil. 25 : « Quod, inquit, est matrix embrioni, hoc est fideli aqua. Siquidem in aqua fingitur, et formatur. Nam primum dictum est : Producant aquæ reptile animæ viventis : ex quo autem Jordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales, et spirituales aqua producit. » Vide eumdem hom. 33. in Joan. hom. I. in Acta hom. ad Neophytos, ubi enumerat decem effectus Baptismi, quos etiam in parvulis operatur, et inter tot effectus non venit

Chrysostomus pulcherrime hanc figuram explicat, et addit : Deum voluisse variis figuris efficaciam Baptismi demonstrare, ne incredibilis videretur : « Futurum, inquit, erat Baptisma plenum maximæ potestatis et gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo vivum effecturum etc. » Et sane nisi ita esset, ut dicit Chrysostomus, præstantior fuisset figura re ipsa figurata.

Decima est Joannis IX. de cæco nato, quem Dominus illuminavit per aquam Siloe, de qua vide Ambrosium epist. 75. ad Bellicium, et Augustinum tract. 44. in Joannem.

Sunt autem duo notanda ad hæc loca Scripturæ. Primum, quod cum tam sæpe Scriptura, et vaticinia, et figuris, et expressis verbis loquatur de Sacramentis, tamen ne semel quidem dicat, vim Sacramentorum consistere in excitanda, vel alenda fide; sed semper explicet consistere in purgandis peccatis, et mundanda anima. Ex quo revera, si res serio perpendatur, evidenter colligitur, falsissimam esse hæreticorum sententiam. Nam quomodo credibile est, finem immediatum, et præcipuum Sacramentorum numquam in Scriptura haberi, cum finis mediatus tam sæpe inculcetur?

Secundo nota, quod si licet negare, Sacramenta vere et immediate sanctificare, cum tam aperte Scripturæ hoc doceant, eadem ratione negari poterit, fidem justificare, quod tamen adversarii passim affirmant. Nam nihil Scripturæ tribuunt fidei, quod non tribuant etiam Sacramentis; v. gr. Lucæ cap. VII. vers. ult. dicitur : *Fides tua te salvam fecit.* Et in I. epist. Petri cap. III. dicitur : *Vos salvos facit Baptisma.* Item de fide Joannis V : *Qui credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.* De Sacramentis Joannes VI: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De fide Act. XV : *Fide purificans corda eorum.* De Sacramentis Ephes. V : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* De fide ad Roman. III : *Arbitramur hominem justificari per fidem.* De Sacramentis ad Tit. III: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* De fide ad Roman. V : *Justificati ergo ex fide.* De Sacramentis, Joan III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto etc* (1).

CAPUT V.

Tertia classis argumentorum ex Conciliis.

Concilium Nicænum, quod nuper e Græco versum, editum est ab Alfonso Pisano in caput, quod inscribitur διατάγματα, doctrina de Baptismo, ante 8. canonem : « Baptisma nostrum, inquit, non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis; aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam. » Et infra : « Descendit quidem is, qui baptizabatur, peccatis obnoxius, servitutis corruptione detentus, ascendit autem ab ea servitute et peccatis liber, filius Dei, et hæres, et cohæres Christi. »

Concilium Constantinopolitanum I, in Symbolo : « Credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum. »

Concilium Milevitanum cap. 2 : « Parvuli; qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. » At certe in parvulis Baptismus non potest esse causa remissionis peccatorum excitando fidem.

Concilium Arausicanum II, canone 25 : « Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo adjuvante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint et debent, si fideliter laborare voluerint, adimplere. » Nota, non posse id exponi de excitatione fidei. Nam paulo infra idem Concilium dicit, a Deo prius fidem inspirari, ut Baptismi Sacramenta fideliter requiramus. Præterea etiamsi fides, secundum adversarios, justificet a peccatis, tamen non dat gratiam bene operandi. At Baptismus ex hoc Concilio dat gratiam bene operandi.

His addo Concilia recentiora, Florentinum, et Tridentinum.

(1) Luc. VII, 50; I. Petr. III, 21; Joan. V, 24; Joan. VI, 52; Act. XV, 9; Eph. V; Rom. III, 28; Tit. III, 5; Rom. V, 1; Joan. III, 3.

CAPUT VI.

Quarta classis, ex Patribus Græcis.

Jam ex Patribus Græcis; Justinus in Apologia ad Antoninum : « Remissionem ante commissorum peccatorum consequimur in aqua etc. » Et antea dixerat, neminem adduci ad Baptismum, nisi antea crediderit. Similia habet in Dialogo cum Triphone.

Clemens Alexandrinus lib. I. Pædagogiæ cap. 6 : « Multis, inquit, modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum : lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam, et salutarem lucem intuemur; perfectum autem dicimus, qui nihil deest. Quid enim ei desit, qui Deum novit etc. »

Origenes hom. 14. in cap. II. Lucæ : « Parvuli, inquit, baptizantur in remissionem peccatorum. » Et infra : « Et quia per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli. »

Cyrillus catechesi 3 : « Mortuus, inquit, in peccatis descendisti, et ascendis vivificatus in justitia etc. » Vide totam catechesim. Et in præfat. catecheseon : « Magnum est sane propositum hoc Baptisma; captivitatis liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, currus ad cœlum etc. »

Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 15. ponit objectionem hæreticorum; Si ideo Spiritus sanctus æqualis est Patri et Filio, quia in ipso baptizamur, etiam aqua erit æqualis Patri et Filio, quia in ipsa baptizamur. Respondet : « Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed ex præsentia Spiritus etc. »

Secundum adversarios dicere debuisset, aquam nihil facere, et sic statim objectionem solvisset. At Basilius fatetur, in aqua esse virtutem, sed ait, eam non inesse aquæ ex aquæ natura, sed ex vi Spiritus sancti. Vide etiam hom. 13. quæ est hortatio ad Baptismum, ubi clarissime idem habetur. Vide etiam Gregorium Nazianzenum orat. in sancta lumina, et orat. in sanctum lavacrum.

Gregorius Nyssenus in lib. de Baptismo : « Baptisma inquit, peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis, et regenerationis causa. » Et infra explicans, quomodo id fiat, multa exempla adducit earum rerum, per quas Deus miracula fecit, ut virgam Aaron, et alia; et subdit : « Atque hæc omnia cum materiæ sint inanimatæ, atque sensus expertes, posteaquam vim Dei accepissent magnis miraculis, media intercesserunt. Ac simili consequentia rationum etiam aqua cum nihil aliud sit, nisi aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quæ mente percipitur, hominem renovat regenerationem. Quod si quis mihi rursus dubitando, et ambigendo negotium exhibeat interrogans qua ratione aqua regenerct: dicam optimo jure ad eum : Ostende mihi modum nativitatis, quæ sit secundum carnem; dices fortasse : Semen causa hominis effectrix est. Audi igitur contra a nobis, quod aqua, quæ benedicitur, purgat et illuminat hominem. »

Ubi notandum est, non posse Gregorii sententiam trahi ad id, quod hæretici dicunt, Sacramenta operari, quia objective movent ad fidem. Nam Primo, comparat aquam Baptismi virgæ Aaronis, quæ miracula faciebat efficienter. Secundo, comparat femini, quod est causa hominis efficiens, ut ipse dicit. Tertio, negat aquam aliquid efficere, nisi recipiat vim quamdam supernaturalem : At ut moveat objective per modum signi, non requiritur ulla virtus supernaturalis. Denique quæstio, quam proponit : Quomodo possit aqua regenerare, nulla esset, si tantum objective operaretur.

Chrysostomus hom. 39. in Genes. extrema : « Nam id, inquit, quod illic operatur Circumcisio in depositione carnis : id agit hic Baptismus in depositione peccatorum. » Item hom. 24. in Joan. prolixe docet, esse credendum verbis Christi asserentis, aquam vim habere regenerandi, licet modus superet rationem. Et homil. 25 : « Quod, inquit, est matrix embrioni, hoc est fideli aqua. Siquidem in aqua fingitur, et formatur. Nam primum dictum est : Producant aquæ reptile animæ viventis : ex quo autem Jordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales, et spirituales aqua producit. » Vide eumdem hom. 33. in Joan. hom. I. in Acta hom. ad Neophytos, ubi enumerat decem effectus Baptismi, quos etiam in parvulis operatur, et inter tot effectus non venit

illi in mentem, ut poneret, Excitare fidem; quem solum agnoscunt adversarii.

Cyrillus Alexandrinus lib. II. in Joannem cap. 42: « Quemadmodum, inquit, viribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter urit, quam ipse ignis : sic Spiritus sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem et potentiam. » Hæc ille. Ubi vides sic esse instrumentum Dei aquam in Baptismo, ut est calor in aqua calefacta instrumentum ignis ad calefaciendum.

Theodoretus in cap. X. ad Hebræos, in illud : « Aspersi corda a conscientia mala : In lege, inquit, utebantur aspersionibus, et corpus frequenter lavabant; qui autem ex novo Testamento vitam instituunt, per sanctissimum Baptismum animam expurgant, et a prioribus maculis liberam reddunt conscientiam. » Vide eumdem Theodoretum in Epitome divinorum decret. cap. de Baptismo; Damascenum lib. IV. de fide cap. 10. Theophylactum in III. et V. cap. Joannis, et Œcumenium in cap. X. ad Hebræos.

CAPUT VII.

Idem probatur ex Latinis.

Jam ex Latinis Tertullianus in lib. de Baptismo : « Prius, inquit, liquor, quo viveret, dedit, id est, aqua produxit animantia, ut in Baptismo mirum non sit, si aquæ animare noverunt. » Item lib. de resurrect. carnis probat, corpus resurrecturum, quia Sacramenta corpori adhibentur, ut ad animam transeat eorum effectus : « Caro, inquit, abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur. » Ubi enumerat varios effectus Sacramentorum; proinde non putat solum excitare fidem Sacramenta.

Cyprianus lib. II. epistol. 2. ad Donatum, scribit, se, antequam baptizaretur, vix potuisse adduci ut crederet, quod a Christianis de Baptismi virtute prædicabatur : quod videlicet repente hominem mutet, peccata abstergat, virtutes infundat : sed postea id verum esse experientia sua didicisse : « Difficile, inquit, ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret : Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio? » Et infra : « Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit : postquam cœlitus Spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum etc. » In quibus verbis duo notanda sunt. Primo : Si Sacramenta tantum objective moverent mentem ad credendum, ut adversarii dicunt non fuisset ulla causa, cur Cyprianus difficulter crederet effectum Baptismi : non enim est hic effectus magis difficilis, quam sit, quod verbum Dei prædicatum valeat ad excitandam fidem. Nota secundo; Cyprianum dicere, Baptismum repente et perniciter operari, et renovare hominem. At hoc non diceret, si crederet, Baptismum movere mentem solum objective : Nam tunc non repente, nec ordinarie haberet suum effectum. Aliqui enim ex eodem signo, ut etiam ex iisdem verbis, celerius moventur, aliqui tardius, aliqui numquam.

Item in lib. III. epist. 8. ad Fidum, docet, infantes baptizandos, etiam ante octavum diem (nimirum si vitæ periculum immineat) ut peccati remissionem accipiant. Quod idem jubet Siricius Papa in epist. 1. cap. 2. At si Baptisma solum excitat fidem, et prodest infantibus tantum ea ratione, quia cum adoleverint, recordabuntur etc. quorsum infantes morituros baptizari vult Cyprianus? Item in epist. 7. lib. IV. ad Magnum, dicit, quomodo venenum scorpii et serpentis in aqua extinguitur; ita Diabolum obluctari, et resistere Exorcistis ante Baptismum; At in Baptismo amittere omnem virtutem. Quæ certe omnia ridicula essent, si tantum objective Sacramenta operarentur. Vide etiam sermones de Baptismo Christi, de cœna Domini, et de unctione Chrismatis. Similia habet Gaudentius in I. tract. de Exodo.

Lactantius lib. VII. de divino præmio cap. 5: « Cum homo cœlesti lavacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, et incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus. »

Sylvester Papa (ut refert Nicephorus lib. VII. c. 33. cum Constantinum baptizaret, ita locutus est : « Hæc aqua divina virtute per invocationem Trinitatis concepta, sicut extra corpus hominis abluit, ita animum intra a sorde et inquinatione mundans, splendidiorem radiis solaribus efficit. »

Ambrosius lib. II. de pœnit. cap. 2: « Impossibile, inquit, videbatur, ut peccatum abluerat aqua. Et Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit : sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse, qui tantam nobis donavit gratiam. » Vide etiam librum I. de Sacrament. cap. 4. et 5. librum II. cap. 1. et 5. librum III. cap. 1. et librum de iis, qui initiantur mysteriis cap. 3. et 9. et lib. IX. super Lucam cap. 3. et lib. III. de Spiritu sancto cap. 11.

Hieronymus in epist. 83. ad Oceanum : « Quantam vim, inquit, habeat Baptisma, et aqua in Christo sanctificata gratiam, paulo post docebo. » Et infra, ubi plurima attulit testimonia et figuras : « Dies, inquit, me deficiet, si cuncta, quæ ad potentiam Baptismi pertinent, de Scripturis sanctis volnero digerere. » Vide eumdem in Dialog. contra Luciferianos, et lib. III. contra Pelagianos extremo.

Optatus lib. V. cont. Parmenianum, initio : « Baptisma, inquit, Christianorum Trinitate confectum, confert gratiam; si repetatur, facit vitæ jacturam. » Hæc ille. Ubi primum vides, aperte asseri, Sacramentum conferre gratiam. Deinde, quod hic auctor ait, Baptismum repetitum detrimentum adferre, clare demonstrat, non operari tantum objective excitando fidem; nam eo modo utiliter repeteretur. Vide ibidem multa de virtute Sacramentorum.

Augustinus lib. IV. de Baptismo, cap. 22 : « Invenio, inquit, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo decrat, posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. » Hæc ille. Si ergo aliquando martyrium, aliquando fides cum cordis conversione supplet vicem Baptismi, manifeste sequitur, non justificare excitando fidem, sed immediate applicando Christi merita, atque immediate justificando. Et ibidem cap. 24. probat, Sacramentum Baptismi multum parvulis prodesse, etiamsi illi careant fide; ex Circumcisione, quæ dabatur octavo die : « Cur ergo, inquit, ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterant corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia, et ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat? » Ubi Augustinus docet, Sacramentum non operari excitando fidem, sed vi sua efficiendo. Idem Augustinus lib. XIX. contra Faustum, cap. 11 : « Sacramentorum, inquit, vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta, sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. » Hæc ille. At si tantum excitarent fidem objective, non modo non inenarrabiliter valerent plurimum, sed vix aliquid valerent. Nam de concione nemo diceret, eam inenarrabiliter plurimum valere, cum sæpissime multis concionibus vix aliqui moveantur : et tamen fatetur Lutherus in libro contra Joannem Cochlæum, multo efficaciorem esse concionem Baptismo. Quod verissimum est, si agatur de efficacitate provocandi fidem. Idem Augustinus tract. 80 in Joann. : « Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat? » Et infra : « Mundatio, nequaquam fluxo, et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. »

Leo Papa in serm. 4. de Natali Domini : « Omni homini renascenti aqua Baptismatis, instar est uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. » Et serm. 5 : « Originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis : dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi, et obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem. » Hæc ille.

Auctor homiliæ de Sacramento corporis Domini, quæ habetur inter Eusebii Emisseni homilias, et in IX. tom. S. Hieronymi : « Ergo, inquit, ut ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo subsiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum : ita parem potentiam in spiritualibus Sacramentis verbis præbet virtus, et rei servit effectus etc. » Et ibidem ex vi Sacramenti Baptismatis, quo repente hominem mutat, ac renovat quoad animam, probat, non debere videri incredibile, si verbo Sacramentalia mutent substantiam panis in carnem Christi. Ubi sine dubio nullum habet locum

operatio illa objectiva ad provocandam fidem; neque enim in consecratione Eucharistiæ verba illa mutant panem excitando in eo fidem. Similem autem vim ponit hic auctor in consecratione respectu panis, et in Baptismo respectu animæ.

Gregorius lib. IX, epist. 39. ad Theodistam Patritiam, docet, in Baptismo omnia peccata ita vere dimitti, ut in mari rubro vere Ægyptii mortui sunt : « Qui ergo, inquit, dicit, peccata in Baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro, Ægyptios non veraciter mortuos. »

Denique S. Bernardus (ut recentiores omittam) in serm. de cœna Domini : « Duo, inquit, operatur in nobis Sacramentum Dominici corporis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini : quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. » Hæc ille : cujus verba non possunt trahi ad effectum nutriendæ fidei. Non enim S. Bernardus solum dicit, per Sacramenta remitti peccata, quod Lutherani fieri volunt, per fidem apprehendentem Christi justitiam, et Dei benevolentiam; sed etiam dicit, vim Sacramenti operari in nobis, ut non consentiamus peccatis, quod per solam fidem nec potest fieri, neque adversarii fieri dicunt.

Ad hoc argumentum ex Patribus varie respondent hæretici; Philippus in Apologia, art. 13. audacter sane ita loquitur : « Neque ulla littera ex veteribus scriptoribus proferri potest, quæ patrocinetur in hac re Scholasticis. »

Lutherus in lib. contra Cochlæum, agnoscit loca Augustini, quæ citaverat Cochlæus, et aliorum Patrum, sed more suo contemnit : « Quod si qui sunt, inquit, ex Patribus, qui senserunt, Sacramenta sua virtute justificare, esto etiam Augustinus, ut Cochlæus contendit, nihil moror, hominum sunt dicta, sibiipsis sæpius pugnantium, pleraque humano sensu extra Scripturas docentium. » Hæc ille. At certe credibilius est, tot sanctos Patres Scripturam intellexisse, quam unum Lutherum : quod ipse quoque concederet, nisi eum plane superbiæ spiritus excæcasset.

Calvinus respondet lib. IV Institut. c. 14. §. ult. Patres hyperbolice loqui : « Forte, inquit, miseros istos Sophistas decoperunt immodica illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur : quale est illud Augustini, quod veteris legis Sacramenta Salvatorem tantum promittebant, nostra vero dent salutem. Has et similes dicendi figuras, cum non adverterent hyperbolicas esse, et ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt. » Hæc ille. At hoc nimis ruinosum est effugium. Nam citati Patres, ut plurimum referunt ad omnipotentiam Dei hos mirabiles effectus : nulla autem est opus omnipotentia, ubi non veri ac proprii, sed hyperbolici sermones sunt. Præterea Patres ipsi aliquando monent, se non loqui hyperbolice, ut Chrysostomus homil. 4. ad baptizandos, ubi cum dixisset, Baptismo perfecte lavari, et mundari animas, monet se non ea dicere ambitionis gratia, id est, amplificandi, et eloquentiæ ostendendæ studio. Et Augustinus in ep. 23. circa finem, dicit, eos qui non credunt, posse fieri ut parvuli etiam sine fide actuali per ipsum Sacramentum salventur, infideles esse. Ex quo intelligimus, eam non hyperbolica encomia, sed dogmata fidei tradere. Denique si diceret Calvinus, unum, aut alterum ex Patribus Hyperbole usum in oratione laudatoria, posset tolerari. At quod omnes Græci et Latini, non modo in concionibus, sed etiam in libris dogmaticis, vel epistolis, vel commentariis Scripturarum hyperbolice loquantur, nullo modo credibile est.

Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 98. dicit, Scripturam aperte tribuere vim justificandi Sacramentis : nec esse ea loca per tropos detorquenda in alium sensum, et sic a Patribus esse intellecta; tamen postea exponit omnia de efficientia per excitationem fidei, quod jam refutavimus.

CAPUT VIII.

Sexto classis ex ratione.

Est autem observandum, ut facilius intelligatur efficacia rationum, duplicia esse verba, et signa cætera. Quædam enim sunt non ad alium finem instituta, quam ad significandum, quæ quidem theorica signa dici possunt. Alia sunt instituta ad significandum, et efficiendum aliquid, quæ ob id practica dici possunt. Differunt autem quod priora nihil immediate, et vi sua operentur, sed solum repræsentant objectum, et si forte sequitur effectus aliquis, non sequitur ex vi illius signi, sed aliunde : posteriora immediate operantur, et sua quadam virtute : v. gr. cum quis monet alium, adesse hostem, ille continuo fugit; cæterum illius fugæ non est causa immediata illa admonitio, sed apprehensio rei noxiæ; proinde admonitio signum fuit prioris generis. Pari ratione, qui viso signo hospitii currit ad hospitium, non movetur ab eo signo immediate, sed ab apprehensione rerum, quibus indiget, et quas illud signum repræsentat : proinde illud etiam non est proprie signum practicum, ut hic accipimus. Nam aliquando solemus vocare signa practica omnia illa, quæ referuntur ad opus, sive mediate, sive immediate; quomodo accipiebatur in disputatione de intentione ministri : Tunc enim vocabamus practica omnia verba imperativa : at hic ista vocamus theorica; practica autem dicimus, quæ præter significationem habent efficientiam, quomodo sigillum est vere signum practicum, quia non tantum repræsentat imaginem, sed etiam eam imprimit in cera.

Cognoscuntur autem hæc varia signa ex alio discrimine. Nam verba et signa theorica non adhibentur nisi intelligentibus : cum enim non operentur, nisi repræsentando aliquid menti, stultum esset ea signa adhibere, ubi non est usus mentis. At verba, et signa practica possunt adhiberi etiam rebus inanimis, et non modo non intelligentibus, sed ne sentientibus quidem; quomodo in Scripturis Josue imperavit Soli et Lunæ, Jos. X : *Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Hajalon.* Matth. VIII, Dominus imperabat mari et ventis; Matth. IX, Luc. VII, et Joan. XI imperavit mortuis; et Petrus Actor. IX : *Tabita*, inquit, *surge.* Matth. XVII : *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc etc.* (1) Sic etiam quod attinet ad alia signa, Moyses percussit petram, ut daret aquas, Exod. XVII. et Dominus misit digitos in auriculam surdi et muti, et tetigit etiam linguam ejus, ut eum curaret.

Controversia igitur est inter nos, et hæreticos, quod illi faciunt Sacramenta, signa prioris generis, dum affirmant ea non justificare, nisi excitando fidem : nos facimus generis posterioris. Quare si ostendere poterimus, Sacramenta esse signa posterioris generis, obtinuimus causam.

Sit ergo prima ratio. Sacramenta recte adhibentur non intelligentibus; ergo sunt signa posterioris generis, et vere justificant non excitando fidem more concionis, sed immediate efficiendo sanctitatem. Consequentia manifesta est ex dictis. Antecedens probatur, quia baptizantur rite infantes, surdi, amentes, dormientes. Exemplum insigne est apud Augustinum, lib. IV. confess. cap. 4. de quodam baptizato, dum vi morbi extra se positus esset, et omnino ignoraret, quid erga se fieret : cui tamen Sacramentum utilissimum fuit. Adde quod Concilium Carthaginiense IV, can. 76. Aurasicanum I, can. 12. Augustinus lib. I. de adulterinis conjugiis, c. 26. et 28. et Leo epist. 91. ad Theodorum, docent, Sacramenta Baptismi et Absolutionis, posse conferri etiam iis, qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi oppressi non habeant usum rationis, vel sensum : modo constet eos antea desiderasse ejusmodi Sacramenta. At certe istis non nisi ineptissime fieret concio, aut signa adhiberentur ad excitandam fidem.

Secunda ratio. Verba et signa Sacramentalia pendent ex divina institutione, neque ab hominibus propria auctoritate institui potuerunt : ergo non sunt mera signa, ut verba concionis, sed signa practica, et vim habentia aliquid supernaturale efficiendi. Antecedens conceditur ab adversariis, ut supra est demonstratum. Probatur consequentia; quia si verba, et signa Sacramentalia essent nuda signa ad excitandam mentem instituta, potuissent ab hominibus facillime institui, et eamdem vim habuissent. Non enim refert ad nudam significationem, quis illa instituerit, modo repræsentent idem objectum. Quid enim refert, quis posuerit signa in hospitiis? et numquid non eodem modo significant verba Hebraica a Deo scripta in tabulis, et verba Græca, vel Latina scripta ab hominibus? Nonne etiam modo eodem incitabant ad bellum tubæ, quas Deus fieri jusserat, Numer. X. et tubæ profanæ Ethnicorum? Eodem igitur modo, si Petrus aut Paulus, aut quivis alius instituisset Baptismum et Eucharistiam, eamdem vim haberent illa signa, quam modo habent. Quod

(1) Jos. X, 12; Act. IX, 40; Matth. XVIII, 19.

certe non potest dici secundum Catholicorum sententiam, qui volunt hæc Sacramenta non solum significare, sed etiam efficere id, quod ex se non potuissent.

Tertia ratio. Sacramenta non solum pendent a Deo in institutione, sed etiam in ipso usu : ipse enim est, qui per ministros suos baptizat, consecrat, absolvit etc. ergo non sunt nuda signa ad excitandam fidem instituta, ut conciones ; sed aliquid præterea efficiunt. Antecedens conceditur ab adversariis, et probatum est supra in quæstione de causa efficiente Sacramentorum, ex illo Joann. 1 : *Hic est, qui baptizat* (1), ex Chrysostomo homil. 83. in Matthæum, et Augustino tract. 5. in Joan. et ex aliis. Probatur consequentia. Nam ut verba, et signa cætera solum significent, et animum excitent repræsentando, nihil refert a quo procedant. Sive enim dominus, sive servus loquatur, idem semper verba eadem significant ; nec magis excitat signum tubæ ad bellum, si tuba infletur ab Imperatore, quam a tubicine. Ergo si signa Sacramentalia necessario pendent a Deo ut causa principali, quæ per ministros operetur : fateri coguntur, ea non solum significare, sed etiam aliquid efficere.

Quarta ratio. Sacramenta non solum pendent a Deo, ut institutore, et principali agente, sed etiam a Christi passione et morte, ut supra probavimus in principio quæstionis de causa efficiente Sacramentorum : propter quod Patres communi consensu docent, Sacramenta fluxisse a Christi latere perfosso. Unde etiam multi veterum docent, Christum baptizari voluisse, ut tactu suæ mundissimæ carnis daret aquis vim mundandi, ut Ambrosius lib. II. in Lucam, cap. 12. Nazianzenus orat. in sancta lumina, Chrysostomus homil. 25. in Joannem, Beda in cap. III. Lucæ, et alii, et ipse etiam Lutherus in homiliis de Baptismo idem fatetur. Ergo non operantur Sacramenta solum repræsentando objectum, more concionis, sed vere efficiendo : nam alioqui non eguissent Christi meritis, nec ullam eis virtutem Christus dedisset. Et sicut concio non recte diceretur manasse ex Christi latere, nec dicitur Christus dedisse ullam virtutem concioni ad significandum, quia id ex se habent verba ; ita non recte diceremus, Sacramenta prodiisse ex Christi latere, vel Christum eis vim ullam dedisse.

Quinta ratio, Sacramenta instituta sunt, ut nos certos reddant remissionis peccatorum, et gratiæ Dei ; ergo non solum operantur objective repræsentando more concionis, sed efficiendo reipsa quod significant. Antecedens admittitur ab omnibus, sed maxime ab adversariis. Catholici enim docent, ex Sacramentis gigni in nobis moralem quandam certitudinem remissionis peccatorum, non tamen infallibilem. Tametsi enim Sacramenta ex se infallibiliter efficacia sint, tamen potest fieri, ut nobis non sint efficacia ob nostram indispositionem. At adversarii volunt absolutam certitudinem gigni ex Sacramentis ; et nos reprehendunt, quasi jubeamus homines dubitare de efficacia Sacramenti : ut patet ex Luthero, in lib. de captivit. Babylon. cap. de Baptismo, ex Kemnitio in 2. par. Examinis, cap. de intentione ministri ; et ex aliis. Probatur consequentia ; nam si Sacramenta solum operarentur significando, et excitando fidem, nullam adferrent certitudinem. Penderet enim tunc Sacramentum a nostra fide, non a Christi institutione ; quod est tollere veram certitudinem efficaciæ Sacramenti, ut Lutherus fatetur in lib. contra Anabaptistas, edito anno 1528, ubi fuse persequitur, Sacramentum non debere pendere « fide dantis, vel accipientis, sed a sola Dei institutione, ne incerta reddatur ejus efficacia.

Nec potest responderi, Sacramenta adferre certitudinem infallibilem, quia infallibiliter excitent fidem ; quæ infallibiliter justificat : siquidem experimento contrarium didicimus. Quot enim sunt, qui baptizantur, et tamen non credunt ? et si concio, quæ est efficacior Sacramentis, ipso etiam teste Luthero in libro contra Cochlæum, non excitat fidem infallibiliter, ut experimur ; quanto minus Sacramenta infallibiliter fidem excitabunt ? Ergo si ullam certitudinem Sacramenta adferunt, id est, quia ex opere operato efficiunt quod significant.

Sexta ratio, Sacramenta contrario modo se habent ad fidem, ac verbum : non igitur eodem modo operantur. Probatur antecedens. Nam verbum Dei præcedit fidem, Sacramenta autem sequuntur, siquidem : *Fides ex auditu*, Rom (2). X, unde verbum prædicatur infidelibus, et hæreticis quibuscumque, ut incipiant credere. At Sacramenta requirunt fidem saltem in adultis, nec possunt

(1) Joan. I, 33. — (2) Rom. X, 17.

rectè conferri, nisi iis, qui prius credunt. Unde Actor. VIII, cum Eunuchus diceret : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari ?* respondit Philippus : *Si credis ex toto corde, licet* (1). Et semper in Ecclesia consuetudo fuit, ut qui Christiani esse vellent, primum fierent Catechumeni, et satis diu instruerentur, et non nisi instructi, et firmi, ac stabiles in fide baptizarentur. Justinus in Apolog. ad Antoninum explicans mores Ecclesiæ : « Quicumque, inquit, persuasi fuerint, et crediderint vera esse, quæ a nobis traduntur, et dicuntur, ac vivere se ita posse receperint ; orare jejunantes, et petere a Deo priorum peccatorum remissionem jubentur, nobis cum eis una et orantibus, et jejunantibus : deinde adducuntur a nobis, ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. » Hæc ille. Ex quo sequitur, non modo falsam, sed etiam ineptissimam esse hæreticorum sententiam.

Septima ratio, Sacramenta non minus sunt efficacia, si dentur lingua Græca, aut Latina, quam non intelligat, qui Sacramentum suscipit, quam si dentur lingua vulgari, quam omnes intelligant ; Ergo non operantur more concionis, sed habent effectum suum præter fidei excitationem. Consequentia patet, quia si operarentur more concionis, nihil efficerent, nisi darentur lingua vulgari. Antecedens probatur ; quia Lutherani, et Calvinistæ admittunt nostrum Baptisma, quod semper datur lingua Latina ; non enim rebaptizant a nobis baptizatos.

Octava ratio, si Sacramenta operarentur excitando fidem, non esset ulla causa cur adhiberentur hominibus doctis, qui legere possunt Scripturas, vel etiam imperitis, qui audiunt conciones : multo enim melius excitat fidem Scriptura, et concio, quam Baptismus, vel Eucharistia. Itaque præstaret loco Baptismi legere unum caput ex Bibliis. Adde, quod etiam imago Baptismi in tabula depicta posset idem facere, quod facit Baptismus ; nam facit visibilem promissionem, et excitat fidem ; et hoc præstat Baptismo, quod manet semper, cum Baptismus semel fiat, et transeat.

Nona ratio. Sacramenta non prosunt nisi suscipientibus, etiamsi multi alii præsentes sint, et audiant, et videant quæ geruntur : alioqui non esset opus, ut singuli baptizarentur, et communicarent corpori Domini, sed satis esset, ut unus baptizaretur, et communicaret coram tota multitudine : ergo non operantur more concionis, excitando fidem. Consequentia patet. Nam si operarentur more concionis, prodessent omnibus audientibus : omnes enim excitari possunt ad fidem, qui adsunt, dum pronuntiatur promissio Dei, et signo visibili ante oculos ponitur. Neque refert, quod Sacramentum solum dirigi videtur ad unum. Nam etiam concio potest dirigi ad unum, et tamen omnes audientes excitaret.

Præterea dum minister baptizat, ac dicit : Ego te baptizo, non vult dicere : Ego te abluo a peccatis (secundum Lutheranos) sed, Ego testificor tibi remitti peccata, ut Melanchthon exponit in locis, cap. de Baptismo, et Calvinus lib. IV. Instit. cap. 15. §. 15. et omnes alii exponere coguntur. Porro hæc testificatio non prodest ei, qui baptizatur, nisi quia interim cogitat et credit, Deum sibi esse propitium per Christum, ut ipsimet fatentur. Possunt autem omnes qui adsunt, idem cogitare et credere : siquidem promissio est communis, et quod uni dicitur, omnibus convenit. Non enim ideo illi, qui baptizatur, Deus est propitius, quia baptizatur (ex Lutheranorum sententia) sed ideo vera est testificatio Baptismi, quia Deus illi est propitius, modo per fidem apprehendat hanc Dei benevolentiam.

Decima ratio, si Sacramenta solum operarentur significando, nihil interesset inter nostra Sacramenta, et Sacramenta veteris legis : nam etiam illa significabant Christi gratium, et remissionem peccatorum, et excitare poterant fidem. Id autem esse falsum in sequenti quæstione demonstrabimus.

(1) Act. VIII, 36 et 37.

CAPUT IX.

Solvuntur objectiones ex scripturis depromptæ.

Solvenda sunt argumenta Lutheri, Philippi, Calvini, Kemnitii, et aliorum : quæ quidem partim sumuntur a Scripturis, partim a Patribus, partim a ratione.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut igitur a prima classe argumentorum incipiamus. Primum argumentum sumitur ex Habacuch II et Roman. I, et Hebr. X : *Justus ex fide vivit*, inquit Scriptura, non autem dicit, Justus ex Sacramentis vivit ; igitur Sacramenta non justificant, nisi excitando fidem. Confirmatur ex similibus locis, ut Roman. IV : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Et Roman. X : *Corde creditur ad justitiam* (1). Et non addidit Paulus : Et corpore suscipitur Sacramentum ad justitiam. Ita Lutherus in Babylone, cap. de Baptismo, et in assert. primi artic.

Respondeo : Primo non dicit Scriptura : Justus ex sola fide vivit, proinde relinquitur suus locus Sacramentis. Alioqui non solum Sacramenta, sed etiam Deus, et Christi meritum, et alia excluderentur, quæ neque ipsi Lutherani excludi volunt ; non enim ait Scriptura : Justus ex Deo vivit, aut ex Christi merito vivit.

Secundo, etsi his verbis Scriptura non dicit, justum ex Sacramentis vivere : tamen idem dicit aliis verbis. Nam cum ait, hominem per Baptismum regenerari, Joan. III. et Tit. III. quid aliud dicit, nisi Baptismum dare vitam ?

Tertio, verba illa Prophetica : *Justus ex fide vivit*, non significant ad litteram, Justum hominem fieri, aut reputari ex fide, ut Lutherani volunt : sed significant, justum ex fide quam habet, constanter expectare, quæ Deus promisit, et non frugi, aut deficere, etiamsi promissiones tardari videantur. Hunc esse verum sensum non dubitabit, qui expendet locum Habacuc, et Pauli ad Hebr. uterque enim tractat de patientia, et longanimitate : *Si moram fecerit*, inquit Propheta et ex eo Apostolus, *expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : Justus autem ex fide vivit* (2). Ad Confirmationem respondeo eodem modo. Nam Paulus tribuit justificationem fidei, sed non soli. Et præterea idem tribuit Scriptura in aliis locis Sacramento, ut Actor. II : *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et Actor. XXII : *Baptizare, et abluc peccata tua invocato nomine ipsius* (3).

Secundum argumentum ex Marc. ult : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur* (4) Lutherus locis citatis in primo argumento dupliciter ex hoc testimonio argumentatur. Primo sic : Qui credit et baptizatur, salvus est, qui non credit, damnatur, etiamsi baptizaretur : Igitur non Baptismus, sed fides salvat. Secundo, sic : Dominus ait : *Qui non crediderit, condemnabitur*; et non ait : Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur; igitur fides sola salvat, non baptismus.

Ad Primum respondeo, malam esse consequentiam. Solum enim ex illo antecedente colligi potest : Ergo non solus Baptismus salvat ; non autem, Ergo Baptismus non salvat. Alioqui ex eo, quod Paulus dicit, I. Corint. XIII, Fidem nihil prodesse sine charitate, possemus colligere : Ergo fides nihil prodest. Ad secundum dico, Dominum non dixisse : Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur ; non quia hoc non sit verissimum, cum idem Dominus dixerit, Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, (5) sed quia non erat opus hoc dicere, cum per se intelligeretur ex eo, quod dictum erat : *Qui non crediderit condemnabitur*, Qui enim non credit, consequenter non vult baptizari, et etiamsi vellet, nihil ei prodesset. At in affirmatione oportuit addere Baptismum fidei, quia non omnis qui credit, baptizatur. Similia sunt argumenta a genere ad speciem. Negative enim valet : non est animal, igitur nec homo ; affirmative non valet : est animal, igitur est homo.

Tertium argumentum sumitur ex Paulo, Rom. IV, sic enim ait Philippus in Apologia, art. 13 : Paulus reclamat » (nimirum contra Scholasticos, docentes Sacramenta ex opere operato justificare) et negat Abrahamum justificatum ex Circumcisione, sed Circumcisionem dicit esse signum propositum ad exercendam fidem nostram. Igitur eodem modo Sacramenta Christiana non justificant, nisi excitando fidem.

Respondeo Primo, non dicit Paulus, Circumcisionem fuisse signum propositum ad exercendam fidem, sed fuisse datam Abrahamo ut signaculum justitiæ fidei, id est, factum hoc privilegium Abrahamo, ut ipse primus haberet Sacramentum Circumcisionis; quia id meruerat ejus obedientia, et fides. Fuit enim hoc testimonium justitiæ fidei ipsius, ut supra monuimus, cap. 17. Itaque hic locus nihil facit ad rem. Nam Circumcisio soli Abrahæ fuit signaculum excitans fidem, sed testimonium fidei jam ante habitæ.

(1) Habac. II, 4 ; Rom. I, 7; Hebr. X, 38; Rom. IV, 3; X, 10. — (2) Habac. II, 3 et 4. — (3) Act. II, 38 ; XXII, 16. — (4) Marc. XVI, 16. — (5) Joan. III, 3.

Secundo, non est eadem ratio Circumcisionis, et Baptismi. Nam de Circumcisione Paulus dicit : *Circumcisio nihil est*, I. Corint. VII, de Baptismo autem ad Tit. III : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Sed de hoc postea (1).

Quartum argumentum est Zwinglii, in libro de vera et falsa religione, qui adfert illud Luc. V : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* « Pharisæi, inquit Zwinglius, intellexerunt, solum Deum, non autem sacramenta, posse justificare; » juxta illud Isa. XLIII : *Ego sum, qui deleo iniquitates.*

Respondeo : miram esse hæreticorum cæcitatem, qui malunt Pharisæis credere, quam Christo. Nam si Pharisæi dixerunt : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Christus ibidem paralyticum sanavit, ut ostenderet, se etiam ut hominem posse peccata dimittere : *ut autem sciatis*, inquit, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ; tunc ait paralytico : Tolle lectum tuum etc.* (2) Et præterea nonne Christus hominibus dixit, Joan. XX : *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis?* (3) Nec tamen ob id falsa erunt verba Isaiæ. Ipse enim loquitur de eo, qui propria auctoritate peccata dimittit, qui sine dubio solus Deus est.

Quintum argumentum est Kemnitii, ex c. V. ad Ephes. ubi Apostolus ait : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* ; ubi totam vim Baptismi tribuit Paulus verbo. Verbum autem operatur excitando fidem ; nam, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, Rom. X. Addit etiam Kemnitius illud, I. Pet. III : *Vos salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi* (4) ; ubi Baptisma dicitur salvare per resurrectionem, id est, per fidem resurrectionis.

Respondeo, ad Ephes. V, per verbum vitæ, non intelligi concionem, cujus effectus est fides, sed formam Sacramenti, id est, verbum consecratorium, et praticum, non concionale : Ita enim exponunt omnes interpretes, ut supra ostendimus in quæstione de forma Sacramenti. Porro, S. Petrus non dicit, Baptisma salvare per fidem resurrectionis, sed per resurrectionem, id est, ut Beda in hunc locum exponit, quia cum baptizamur, repræsentamus Christi resurrectionem, emergendo ex aquis ; et quia Baptismus facit justificando nos, ut in novitate vitæ ambulemus, quomodo Christus per resurrectionem novam vitam vivere cœpit, sicut etiam Paulus dicit, Roman. VI. Similis phrasis est Roman. IV, ubi Paulus dicit : *Christus traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (5) ; quod idem est, ac si diceret, per Christi passionem morimur peccato, per Christi resurrectionem justitiæ vita vivere incipimus : ubi sine dubio præpositio, *Per*, non significat causam meritoriam, sed causam exemplarem. Non enim Christus meruit resurgendo, cum fuerit extra viam et statum merendi.

(1) I. Cor. VII, 19; Tit. III, 5. — (2) Luc. V, 21 et 24. — (3) Joan. XX, 25. — (4) Eph. V, 26 ; Rom. X, 17; I. Petr. III, 21. — (5) Rom. IV, 25.

CAPUT X.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Primo objiciunt Augustinum, qui ait, non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare. Hanc sententiam sine nomine Augustini, ut proverbium vulgare, citat Martinus Lutherus in lib. de captivit. Babylonica, cap. de Baptismo, et in assert. artic. 4. sed in lib. contra Cochlæum citat nomine Augustini. Quod etiam facit Philippus in Apologia, art. 13. ubi postquam dixerat, non posse produci ullam litteram ex veteribus pro sententia Scholasticorum ; addit : « Imo in contrarium ait Augustinus, quod fides Sacramenti, non Sacramentum justificet. »

Respondeo, Augustinum nihil ejusmodi dicere expressis verbis, sed contrarium potius. Nam in epist. 23. ad Bonifacium dicit Augustinus, parvulos esse fideles, et salvari, si moriuntur post Baptismum, quia etiamsi non habent fidem, habent tamen fidei Sacramentum ; quod est idem, ac si diceret : Parvulos non salvat fides, sed Sacramentum fidei. Fortasse Lutherus collegit eam sententiam ex tract. 80. in Jo. ubi Augustinus ait, aqua Baptismi mundari cor, id faciente ver-

bo, non quia dicitur, sed quia creditur. Sed jam supra ostendimus in quæstione de forma Sacramenti, illud (quia creditur) non significare actum fidei, sed objectum. Quod si alicubi inveniretur disertis verbis ea sententia, sine dubio exponenda esset pro eo solo tempore, quo quis non potest habere Sacramentum : in ejusmodi enim necessitate sufficit fides Sacramenti cum voto ejusdem, ut Augustinus dicit, lib. IV de Baptismo, c. 22. sicut etiam e contrario in parvulis, qui non possunt habere fidem actualem, sufficit fidei Sacramentum; ut ex ep. 23. Augustini jam probavimus.

Secundo proferunt illa verba Augustini ex lib. quæstionum veteris et novi Testamenti, quæst. 59 : « Qui Baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis : nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem commutari credit. »

Respondeo Primo, librum citatum non esse Augustini, sed alicujus hæretici, qui multa docet, et contra fidem, et contra Augustinum, ut quod mulier non sit creata ad imaginem Dei, quæst. 21. quod Melchisedech fuerit Spiritus sanctus, q. 109. et quod Adam non habuerit Spiritum sanctum q. 123.

Secundo dico, testimonium allatum non esse contra nos, sed pro nobis. Nam auctor hic loquitur de causa formali, non de efficiente justificationis, ac dicit hominem immutari, et renovari non per externam lotionem, quasi nihil sit Baptismus noster, nisi mundatio carnis, ut olim Baptismata Judæorum; sed per fidem, quæ cum est perfecta et viva, formaliter mundat et justificat, juxta illud Petri, Actor. XV : *Fide purificans corda eorum* (1). Hanc autem fidem, id est, formalem justificationem hic auctor dicit dari in Baptismo : « Aqua, inquit, cernitur, sed qui non videtur, Spiritus operatur, ut fides in ipso sit. » Ubi non potest loqui de fide imperfecta, et inchoata, quæ secundum nos disponit ad justificationem, et quæ secundum Lutheranos, apprehendit justificationem : ista enim præcedere debet Baptismum. Loquitur igitur de fide perfecta, quæ infunditur in Baptismo, et quæ justificat formaliter. Quod idem definivit Concilium Trident. ses. VI, cap. 7.

Tertio profert Calvinus, lib. IV Inst. c. 14. alium locum Augustini, ex lib III. quæst. in Levitic. qu. 84, ubi Augustinus duo dicit. Primo, ministrum hominem solum præbere Sacramentum visibile, Deum autem præbere invisibilem gratiam. Secundo, ita separari hæc duo, ut in quibusdam sit Sacramentum sensibile sine gratia invisibili, ut in Simone Mago a Philippo baptizato; in quibusdam invisibilem gratiam sine Sacramento visibili, ut in bono latrone.

Ad Primum respondeo, duobus modis hominem ministrare Sacramenta. Uno modo faciendo quod potest ex naturali sua virtute. Alio modo applicando Sacramenta ut instrumenta a Deo mota, et elevata ad actionem supernaturalem faciendam. Primo modo vere dicimus, hominem non justificare, sed solum lavare corpus, aut aliquid hujusmodi; et sic loquitur Augustinus. Alio modo vere dicimus, hominem justificare, sed non alia actione, quam illa, qua Deus ipse utitur ad justificandum. Atque ad hunc modum exponendum est, quod ait S. Hieronymus in cap. IV Isaiæ, ubi dicit : « Homo aquam præbet, Deus autem Spiritum sanctum. » Ad secundum dico, illa posse separari; non quod Sacramentum sensibile non sit causa invisibilis gratiæ, sed quod possit impediri ejus effectus per obicem, vel indispositionem subjecti, et quod possit Deus sine Sacramento etiam dare gratiam suam.

Quarto solet adferri ex Augustino alius locus ex lib. XV Trinit. cap. 26. ubi dicit, solum Deum posse dare Spiritum sanctum, et ideo Apostolos non dedisse Spiritum sanctum, quibus manus imponebant, sed orasse, ut descenderet.

Respondeo : aliud esse dona Spiritus sancti, aliud ipsum Spiritum sanctum. Dona Spiritus sancti dant Sacramenta; ipsum Spiritum sanctum non potest proprie dare, nisi is, a quo ille procedit. Posset etiam dici, Spiritum sanctum ex auctoritate non dari, nisi a Deo, a quo procedit, tamen instrumentaliter dari etiam ab hominibus. Nam Act. VIII legimus, per manus Apostolorum datum fuisse Spiritum sanctum, quod etiam ibidem fatetur Augustinus.

Quinto proferunt ex Augustino lib. XIX. contra Faustum, cap. 16. illa verba : « Quid sunt, quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam verba visibilia? » Hinc enim colligi putant, Sacramenta non justificare, nisi more

(1) Act. XV, 9.

concionis, aut picturæ, quæ solum repræsentando agit.

Respondeo : Augustinum eo loco assignare unum Sacramenti effectum, id est, significationem, sed non propterea negare cæteros, quos alibi sæpe posuit. Cur autem eo loco solum de significatione agat; causa fuit, quia disputabat de Sacramentis in genere, id est, de Sacramentis utriusque Testamenti : proinde ponere debuit effectum communem omnibus Sacramentis. Cur autem appellaverit Sacramenta visibilia verba, illa fuit causa, quia disputabat contra Manichæos, qui reprehendebant mutationem Sacramentorum veterum in nova : ac dixerat necessario mutanda fuisse verba post Christi adventum; nam cum veteres dicerent, Christus veniet, morietur, resurget; nos dicere debemus : Venit, mortuus est, resurrexit. Inde collegit etiam Sacramenta mutanda fuisse, ne jam falso significarent. Ut autem similitudo aptissima demonstraretur, dixit : « Quid sunt Sacramenta (nimirum quoad significationem) nisi visibilia verba? »

Sexto profert Kemnitius alium locum Augustini, ex lib. XXI. de civit. Dei, cap. 25. ubi B. Augustinus reprehendit eos, qui sentiebant non posse damnari eos, qui Sacramenta percipiunt Baptismi, et cœnæ Domini, licet nec fidem, nec bonam vitam teneant. Isti enim videntur omnino sensisse Sacramenta justificare ex opere operato, ita ut vi sua justificarent, non per fidem.

Respondeo : Augustinus merito illos reprehendit, quia illi non solum credebant, Sacramenta justificare ex opere operato, sed credebant non posse amitti gratiam, et salutem semel acceptam in Sacramento per quæcumque peccata postea accedentia; quæ sententia non est nostra, sed potius Martini Lutheri, qui in lib. de captivit. Babylon. cap. de Baptismo, ait : « Vides quam dives sit homo Christianus, seu baptizatus, qui etiam volens, non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere? »

Septimo solet objici Bernardus, qui in serm. de cœna Domini sic ait : « Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis. »

Respondeo : non comparat Bernardus Sacramenta cum libro, baculo, et annulo, ratione efficientiæ, sed solum ratione diversitatis Sacramentorum. Nam alioqui ibidem docet, Sacramenta conferre gratiam, ut supra citavimus.

Ultimo proferunt Tertullianum, qui in lib. de Pœnitentia vocat Baptismum fidei obsignationem : quomodo etiam loquitur Basilius, lib. III. in Eunomium, et lib. de Spiritu sancto, cap. 12.

Sed ad hæc respondimus supra cap. 17. ubi ostendimus, Baptismum vocari sigillum fidei, non quia excitet fidem, sed quia per Baptismum testatur is, qui baptizatur, se credere, et etiam Ecclesia baptizans dat illi publicum testimonium ipsius fidei. Sed quamquam Patres id vere tribuant Baptismo, non tamen negant habere etiam alios effectus præstantiores; imo etiam eos asserunt, ut supra ostendi.

CAPUT XI.

Solvuntur objectiones ex ratione depromptæ.

Prima ratio est Lutheri in Babyl. cap. de Baptismo, et Philippi in Apologia, art. 13. et aliorum. In omni Sacramento requiritur verbum promissionis : ubi est promissio, ibi necessario exigitur fides, quæ promissionem accipiat : ergo fides est, quæ immediate operatur, et justificat. Confirmat Lutherus, quia multi per fidem salvantur sine Sacramento, ut qui non habent a quo baptizentur : et contra, qui Sacramentum habent sine fide, damnantur. Igitur in Sacramento fides est, quæ justificat, non Sacramentum.

Respondeo : tribus modis peccare hoc argumentum, quod tamen est communissimum apud adversarios. Primum enim, verbum promissionis requiritur quidem in institutione Sacramenti, at non requiritur in ipso usu Sacramenti : id quod patet. Nam qui baptizant non dicunt : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, quæ est promissio; sed dicunt : Ego te baptizo in nomine Patris etc. Et qui consecrant Eucharistiam, non dicunt : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* sed : *Hoc est corpus meum.* Et qui absolvunt, non dicunt : *Quorum remiseritis peccata :* sed : Ego absolvo te. Porro hic agimus de usu Sacramenti, non de institutione : agimus enim de effectu Sacramenti;

bo, non quia dicitur, sed quia creditur. Sed jam supra ostendimus in quæstione de forma Sacramenti, illud (quia creditur) non significare actum fidei, sed objectum. Quod si alicubi inveniretur disertis verbis ea sententia, sine dubio exponenda esset pro eo solo tempore, quo quis non potest habere Sacramentum : in ejusmodi enim necessitate sufficit fides Sacramenti cum voto ejusdem, ut Augustinus dicit, lib. IV de Baptismo, c. 22. sicut etiam e contrario in parvulis, qui non possunt habere fidem actualem, sufficit fidei Sacramentum; ut ex ep. 23. Augustini jam probavimus.

Secundo proferunt illa verba Augustini ex lib. quæstionum veteris et novi Testamenti, quæst. 59 : « Qui Baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis : nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem commutari credit. »

Respondeo Primo, librum citatum non esse Augustini, sed alicujus hæretici, qui multa docet, et contra fidem, et contra Augustinum, ut quod mulier non sit creata ad imaginem Dei, quæst. 21. quod Melchisedech fuerit Spiritus sanctus, q. 109. et quod Adam non habuerit Spiritum sanctum q. 123.

Secundo dico, testimonium allatum non esse contra nos, sed pro nobis. Nam auctor hic loquitur de causa formali, non de efficiente justificationis, ac dicit hominem immutari, et renovari non per externam lotionem, quasi nihil sit Baptismus noster, nisi mundatio carnis, ut olim Baptismata Judæorum; sed per fidem, quæ cum est perfecta et viva, formaliter mundat et justificat, juxta illud Petri, Actor. XV : *Fide purificans corda eorum* (1). Hanc autem fidem, id est, formalem justificationem hic auctor dicit dari in Baptismo : « Aqua, inquit, cernitur, sed qui non videtur, Spiritus operatur, ut fides in ipso sit. » Ubi non potest loqui de fide imperfecta, et inchoata, quæ secundum nos disponit ad justificationem, et quæ secundum Lutheranos, apprehendit justificationem : ista enim præcedere debet Baptismum. Loquitur igitur de fide perfecta, quæ infunditur in Baptismo, et quæ justificat formaliter. Quod idem definivit Concilium Trident. ses. VI, cap. 7.

Tertio profert Calvinus, lib. IV Inst. c. 14. alium locum Augustini, ex lib III. quæst. in Levitic. qu. 84, ubi Augustinus duo dicit. Primo, ministrum hominem solum præbere Sacramentum visibile, Deum autem præbere invisibilem gratiam. Secundo, ita separari hæc duo, ut in quibusdam sit Sacramentum sensibile sine gratia invisibili, ut in Simone Mago a Philippo baptizato; in quibusdam invisibilem gratiam sine Sacramento visibili, ut in bono latrone.

Ad Primum respondeo, duobus modis hominem ministrare Sacramenta. Uno modo faciendo quod potest ex naturali sua virtute. Alio modo applicando Sacramenta ut instrumenta a Deo mota, et elevata ad actionem supernaturalem faciendam. Primo modo vere dicimus, hominem non justificare, sed solum lavare corpus, aut aliquid hujusmodi; et sic loquitur Augustinus. Alio modo vere dicimus, hominem justificare, sed non alia actione, quam illa, qua Deus ipse utitur ad justificandum. Atque ad hunc modum exponendum est, quod ait S. Hieronymus in cap. IV Isaiæ, ubi dicit : « Homo aquam præbet, Deus autem Spiritum sanctum. » Ad secundum dico, illa posse separari; non quod Sacramentum sensibile non sit causa invisibilis gratiæ, sed quod possit impediri ejus effectus per obicem, vel indispositionem subjecti, et quod possit Deus sine Sacramento etiam dare gratiam suam.

Quarto solet adferri ex Augustino alius locus ex lib. XV Trinit. cap. 26. ubi dicit, solum Deum posse dare Spiritum sanctum, et ideo Apostolos non dedisse Spiritum sanctum, quibus manus imponebant, sed orasse, ut descenderet.

Respondeo : aliud esse dona Spiritus sancti, aliud ipsum Spiritum sanctum. Dona Spiritus sancti dant Sacramenta; ipsum Spiritum sanctum non potest proprie dare, nisi is, a quo ille procedit. Posset etiam dici, Spiritum sanctum ex auctoritate non dari, nisi a Deo, a quo procedit, tamen instrumentaliter dari etiam ab hominibus. Nam Act. VIII legimus, per manus Apostolorum datum fuisse Spiritum sanctum, quod etiam ibidem fatetur Augustinus.

Quinto proferunt ex Augustino lib. XIX. contra Faustum, cap. 16. illa verba : « Quid sunt, quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam verba visibilia? » Hinc enim colligi putant, Sacramenta non justificare, nisi more

(1) Act. XV, 9.

concionis, aut picturæ, quæ solum repræsentando agit.

Respondeo : Augustinum eo loco assignare unum Sacramenti effectum, id est, significationem, sed non propterea negare cæteros, quos alibi sæpe posuit. Cur autem eo loco solum de significatione agat; causa fuit, quia disputabat de Sacramentis in genere, id est, de Sacramentis utriusque Testamenti : proinde ponere debuit effectum communem omnibus Sacramentis. Cur autem appellaverit Sacramenta visibilia verba, illa fuit causa, quia disputabat contra Manichæos, qui reprehendebant mutationem Sacramentorum veterum in nova : ac dixerat necessario mutanda fuisse verba post Christi adventum; nam cum veteres dicerent, Christus veniet, morietur, resurget; nos dicere debemus : Venit, mortuus est, resurrexit. Inde collegit etiam Sacramenta mutanda fuisse, ne jam falso significarent. Ut autem similitudo aptissima demonstraretur, dixit : « Quid sunt Sacramenta (nimirum quoad significationem) nisi visibilia verba? »

Sexto profert Kemnitius alium locum Augustini, ex lib. XXI. de civit. Dei, cap. 25. ubi B. Augustinus reprehendit eos, qui sentiebant non posse damnari eos, qui Sacramenta percipiunt Baptismi, et cœnæ Domini, licet nec fidem, nec bonam vitam teneant. Isti enim videntur omnino sensisse Sacramenta justificare ex opere operato, ita ut vi sua justificarent, non per fidem.

Respondeo : Augustinus merito illos reprehendit, quia illi non solum credebant, Sacramenta justificare ex opere operato, sed credebant non posse amitti gratiam, et salutem semel acceptam in Sacramento per quæcumque peccata postea accedentia; quæ sententia non est nostra, sed potius Martini Lutheri, qui in lib. de captivit. Babylon. cap. de Baptismo, ait : « Vides quam dives sit homo Christianus, seu baptizatus, qui etiam volens, non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere? »

Septimo solet objici Bernardus, qui in serm. de cœna Domini sic ait : « Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis. »

Respondeo : non comparat Bernardus Sacramenta cum libro, baculo, et annulo, ratione efficientiæ, sed solum ratione diversitatis Sacramentorum. Nam alioqui ibidem docet, Sacramenta conferre gratiam, ut supra citavimus.

Ultimo proferunt Tertullianum, qui in lib. de Pœnitentia vocat Baptismum fidei obsignationem : quomodo etiam loquitur Basilius, lib. III. in Eunomium, et lib. de Spiritu sancto, cap. 12.

Sed ad hæc respondimus supra cap. 17. ubi ostendimus, Baptismum vocari sigillum fidei, non quia excitet fidem, sed quia per Baptismum testatur is, qui baptizatur, se credere, et etiam Ecclesia baptizans dat illi publicum testimonium ipsius fidei. Sed quamquam Patres id vere tribuant Baptismo, non tamen negant habere etiam alios effectus præstantiores; imo etiam eos asserunt, ut supra ostendi.

CAPUT XI.

Solvuntur objectiones ex ratione depromptæ.

Prima ratio est Lutheri in Babyl. cap. de Baptismo, et Philippi in Apologia, art. 13. et aliorum. In omni Sacramento requiritur verbum promissionis : ubi est promissio, ibi necessario exigitur fides, quæ promissionem accipiat : ergo fides est, quæ immediate operatur, et justificat. Confirmat Lutherus, quia multi per fidem salvantur sine Sacramento, ut qui non habent a quo baptizentur : et contra, qui Sacramentum habent sine fide, damnantur. Igitur in Sacramento fides est, quæ justificat, non Sacramentum.

Respondeo : tribus modis peccare hoc argumentum, quod tamen est communissimum apud adversarios. Primum enim, verbum promissionis requiritur quidem in institutione Sacramenti, at non requiritur in ipso usu Sacramenti : id quod patet. Nam qui baptizant non dicunt : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, quæ est promissio; sed dicunt : Ego te baptizo in nomine Patris etc. Et qui consecrant Eucharistiam, non dicunt : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* sed : *Hoc est corpus meum.* Et qui absolvunt, non dicunt : *Quorum remiseritis peccata :* sed : Ego absolvo te. Porro hic agimus de usu Sacramenti, non de institutione : agimus enim de effectu Sacramenti;

operatur autem Sacramentum, dum eo utimur. Quare argumentum non est ad propositum, et falsum assumit. Secundo, etiamsi in usu requireretur semper promissio, et consequenter fides, non inde posset concludi, fidem esse, quæ immediate justificat : diceremus enim, fidem requiri ut conditionem, et ut quæ applicaret homini Sacramentum. Sicut autem medico offerente pharmacum, et promittente sanitatem, requiritur in ægroto fides, quæ accipiat serio illam promissionem, et medico assentiatur; non tamen est ea fides, quæ sanat ægrotum, sed pharmacum licet sine fide pharmacum acceptum non fuisset : ita quoque etc. Tertio, etiamsi et promissio requireretur, et fides in Sacramento justificaret : non tamen inde concludi posset, quod illi concludunt, solam fidem agere, Sacramentum autem nihil efficere : sed concluderetur, utrumque esse necessarium, et unum sine altero non sufficere.

Ad confirmationem Respondeo, fidem, et Sacramentum paria in hac re videri posse. Nam sicut in necessitatis articulo potest salvari aliquis sine Sacramento in re, modo habeat votum ejus, et fidem, ac pœnitentiam : ita e contrario salvantur parvuli sine fide actuali per solum Sacramentum. Et sicut in adultis, qui habet Sacramentum, et non vult credere damnatur; ita qui habet fidem et non vult Sacramentum percipere, damnatur. Ex quo intelligimus utrumque requiri, cum haberi potest, et utrumque justificare, sed diverso modo. Nam Sacramentum active justificat, ut instrumentum Dei : fides, et pœnitentia justificant, ut dispositiones, et secundum aliquos, ut causæ meritoriæ de congruo. Neque est eadem gratia (ut supra diximus) quæ datur vi Sacramenti, et quæ datur sine Sacramento ob dispositionem, vel meritum de congruo fidei, et pœnitentiæ.

Secunda ratio est Zwinglii in libro de vera et falsa religione, cap. de Sacramentis. Solus Deus novit corda hominum; igitur solus ipse potest ea mundare : non ergo Sacramenta justificant. Confirmatur, quia si Sacramenta ex opere operato justificarent, Deus esset obligatus Sacramentis, quippe qui non posset non justificare eum, qui Sacramentum percipit.

Respondeo : argumentum probat, Sacramenta non esse causas principales; non autem non esse instrumentales. Non enim est necesse ut Sacramentum noverit cor, ve conscientiam, sed satis est, si Deus noverit, qui per Sacramentum operatur.

Ad confirmationem dico, Deum non esse alligatum Sacramentis, sed contra Sacramenta esse alligata Deo; nam Deus potest sine Sacramentis justificare, Sacramenta sine Deo non possunt. Quod autem Deus non possit non justificare eum, qui accipit fideliter Sacramenta, non ideo fit, quia sit alligatus Sacramentis, sed quia est alligatus (si sic loqui licet) veritati suæ, non enim potest non esse fidelis in promissis suis. Adde, quod hæc omnia argumenta, si quid concluderent, concluderent etiam Christi sanguine, vel fide in Christum, non posse homines justificari. Nam Christi sanguis non scrutatur corda, nec penetrat ad animam magis, quam Sacramenta : et sicut absurdum videtur adversariis Deum alligari aliquo modo Sacramentis, ita absurdum videri debet alligari Christi sanguini, aut nostræ fidei. Et tamen adversarii nihil sæpius docent, quam nos Christi sanguine, et fide in ipsum justificari.

Tertia ratio Calvini lib. IV Instit. cap. 14. §. 14. qui dicunt Sacramenta justificare, abstrahunt homines a Deo, et faciunt ut in spectaculo rei corporeæ acquiescant, non in ipso Deo.

Respondeo Primo, si argumentum aliquid valeret, probaret non debuisse Deum in Testamento veteri proponere serpentem æneum, quem qui aspicerent sanarentur; imo nec debuisse Deum incarnari, ne in spectaculo rei corporeæ homines acquiescerent.

Secundo respondeo, contrarium sequi ex nostra doctrina. Nam cum dicamus, Sacramenta ex se non habere virtutem, sed Deum esse, qui per illa operatur, hoc ipso trahimus homines ad Deum; quomodo qui a Christo curabantur, vel per tactum fimbriæ, vel etiam per sputum, et lutum non acquiescebant in fimbria, et sputo ac luto, sed agnoscebant, et laudabant Christi virtutem.

Quarto ratio est Kemnitii loco citato in 2. parte Examinis, cap. de efficacia Sacramenti; Eodem modo justificant verbum Dei, et Sacramenta; sed verbum justificat solum excitando fidem, igitur et Sacramenta solum justificant excitando fidem. Majorem propositionem probat Primo, quia Scriptura, sicut dicit Sacramenta justificare, sic etiam dicit verbum justificare, Roman. I : *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti* (1). Secundo probat, quia in justificatione per Sacramenta concurrunt duæ quasi manus, una est Dei offerentis gratiam, altera est hominis illam accipientis; manus Dei est verbum, et Sacramentum; manus hominis est fides. Ergo nec verbum, nec Sacramentum quidquam prodest, nisi fide accipiatur, et si quid prodest, ideo prodest, quia fide accipitur. Heb. IV : *Non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei* (2).

Respondeo : falsum esse, verbum et Sacramentum eodem modo justificare; imo, ut supra diximus, ita diverso modo justificant, ut unum, id est, verbum præcedat fidem, alterum, id est, Sacramentum, sequatur fidem.

Ad primam probationem respondeo Primo, per Evangelium eo loco intelligi posse non concionem, sed mysteria ipsa Evangelii, ut incarnationem, passionem, Sacramenta etc. Secundo, si accipiatur Evangelium pro concione, dico ibidem explicari, quomodo Evangelium salvet. Nam subjungit Apostolus : *Justitia enim Dei revelatur in eo ex fide in fidem* (3). At nusquam Scriptura ita exposuit modum salvandi Sacramentorum. Tertio dico, Scripturam, et verbo, et Sacramento tribuere vim justificandi, sed nusquam dicere eodem modo justificare; neque licet ex eo quod legimus, verbum, et Sacramentum justificare, continuo colligere, ergo eodem modo justificant : Alioqui liceret etiam concludere, eodem modo justificare verbum, quo justificat Deus, vel fides, vel Christi passio; hæc enim omnia dicuntur in Scripturis justificare : et tamen non admitteret Kemnitius, ista eodem modo justificare.

Ad Secundam respondeo, verbum et Sacramenta dici posse manum Dei, per quam ad nos venit gratia et justitia : sed non eodem modo. Manus enim multa officia habere potest; nam et porrigit aliquid, et etiam operatur. Porro verbum dici potest manus, quia offert salutem, non autem quia reipsa operatur, vel applicat; contra vero Sacramentum dicitur manus, quia applicat reipsa Christi meritum, operatur gratiam. Hujus differentiæ signum evidens est, quod verbum non prædicatur, nisi intelligentibus, nec prodest, nisi intelligatur, et credatur : at Sacramentum exhibetur, et prodest etiam non intelligentibus, ut infantibus, et amentibus. Pari ratione fides dici potest manus nostra, non, ut vult Kemnitius, quia apprehendat promissionem, et ipsa sola hoc modo justificet; sed quia removet obstacula, et disponit animam, ubi est necessaria talis dispositio. Alioqui non solum non prodesset Baptismus infantibus, et amentibus, sed nec adultis, et sanis, si in ipso momento Baptismi paululum distraherentur animo, tunc enim fides non apprehendit promissiones.

Argumentum postremum Zwinglii est : Fieri non potest, ut Sacramenta, quæ sunt res crassæ et materiales, ad animam penetrent, igitur non purgant sordes peccati, quæ in anima resident.

Confirmari potest hoc argumentum, Primo; quia si ullo modo Sacramenta possent operari in animam, id fieri deberet per actionem, quam habent in corpora, ut Augustinus dicit de aqua, quæ corpus tangit, et cor abluit : at sæpe Sacramenta ne ipsum quidem corpus attingunt. Nam cum quis absolvitur, non est necesse, ut sonus verborum, aut manus sacerdotis pertingat ad pœnitentem. Pari ratione Matrimonium potest fieri solis nutibus, vel inter absentes. Denique non est necesse, ut verba consecrationis realiter panem consecrandum attingant : possunt enim ea verba dici tam submisse, et in tanta distantia, ut aer motus non perveniat ad panem. Denique de ipso Baptismo idem probari potest; nam virtus debet esse in verbis.

Secundo; Justificatio est opus nobilius, et difficilius, quam sit creatio mundi, ut Augustinus docet tract. 72. in Joan. Et patet, quia in justificatione reperitur creatio gratiæ, quæ est res quædam divina, et supernaturalis : at nulla creatura potest esse instrumentum creationis, ut S. Thomas docet, 1. par. quæst. XLV. art. 5.

Tertio; Justificatio fit in momento : Sacramenta in momento operari non possunt; ergo non possunt justificare. Probatur Minor. Nam non potest operari aliqua causa, nisi quando est : actio autem Sacramentalis, cum sit successiva, in instanti esse non potest. Explico : res successivæ non habent esse, nisi dum fiunt, consistunt enim in quodam fluxu. Quare non est assignare ullum instans, in quo sit res successiva, vel etiam ulla pars

(1) Rom. I, 16. — (2) Hebr. IV, 2. — (3) Rom. I, 17.

ejus, sed tantum est assignare instans in quo est quiddam indivisibile continuativum rei successivæ, quod quidem continuativum non est res successiva, nec pars ejus : res enim successivæ, essentialiter requirunt extensionem quamdam. Igitur intelligi nequit rem successivam agere; nisi successive, et proinde in tempore, cum ipsa in nullo instanti sit, et non possit id quod non est, vel quando non est, agere.

Quarto; Vel est in Sacramentis aliqua virtus superaddita divinitus, vel non. Si non est, ergo non possunt attingere affectum supernaturalem : est enim inintelligibile, quod aliqua res maneat prorsus, sicut antea erat, et nihil accipiat, et tamen possit facere, quod antea non poterat. Si est, vel est virtus corporalis, vel spiritualis. Si corporalis, non poterit efficere rem spiritualem, neque agere in rem spiritualem, proinde nihil proderit; nam ideo virtus superaddita requiritur, quia Sacramentum non potest agere in animam, quæ est spiritus, nec potest producere gratiam, quæ est spiritualis. Si autem virtus spiritualis est, non igitur poterit esse in Sacramento corporali. Non enim accidens spirituale, et indivisibile in subjecto corporali, et extenso recipi potest; omne enim, quod recipitur, per modum recipientis recipitur.

Præterea Quinto; Ista virtus vel esset tota in qualibet parte Sacramenti, vel pars ejus in una parte Sacramenti, et pars in altera. Non primum, quia tunc sequeretur illam non pendere a subjecto in esse, nec proprie inhærere; quare esset substantia, non accidens. Item etiam prolato quovis verbo, statim produceretur effectus, quod nemo concedit. Non etiam secundum, quia tunc esset corporea, et præterea prolato primo verbo periret pars virtutis, prolato secundo periret altera pars : et sic virtus illa, vel tota, vel maxima ex parte periret, antequam effectus inciperet produci. Quare supervacanea erat illa virtus in partibus Sacramenti præcedentibus effectum.

Sexto; Vel ista virtus est in verbis tantum, aut in elemento tantum, aut in utroque. Si in verbis tantum, quomodo Eucharistia sumpta justificat? Si in elementis tantum, quomodo verba consecrationis Eucharistiæ operantur? Si in utroque, vel erit eadem virtus, et hoc non potest esse, cum non possit unum accidens esse in duobus subjectis : vel erunt duæ virtutes, et tunc erunt in uno Sacramento duæ virtutes, quod videtur absurdum. Si dicas : Erunt duæ partiales. Contra, quia tunc deberent concurrere simul ad opus; at aliquando accidit, ut una pars Sacramenti longo tempore adhibeatur post aliam, ut cum unus hodie confitetur, et cras absolvitur.

Denique inintelligibile est (ut Kemnitius dicit) quid sit ista virtus, quando adveniat, quando desinat esse etc.

Ad hæc argumenta posset tripliciter responderi. Primo posset, si quis vellet confiteri ignorantiam circa hujusmodi nodos; et tamen satisfacere hæreticis, imo etiam ora illorum obstruere. Nam tenemur quidem rationem reddere ejus, quæ in nobis est spei, I. Pet. III. sed id facere tenemur ex principiis fidei, non ex Metaphysica. Nam S. Augustin. lib. III. de peccatorum meritis, et remiss. cap. 4. « Ego, inquit, loquens de argumentis contra modum traductionis peccati originalis, « etiamsi istorum argumenta solvere non valeam, video tamen inhærendum esse divinis litteris etc. » Et in epist. 29. ad Hieronymum, dicit se, cum interrogatur quomodo peccatum Adæ propagetur in posteros, respondere solitum : « Hoc, ut alia multa, me ignorare confiteor. » Et tamen non propterea deerat defensioni fidei : imo acerrime eam propugnabat, ostendens credendum esse, peccatum originale propagari in posteros, licet modum ignoremus, quia id Scriptura docet, et traditio, atque usus Ecclesiæ.

Secundo posset quis respondere, Sacramenta esse veras causas justificationis, sed Morales, non Physicas : quomodo vera causa est homicidii, qui illud fieri jubet, licet ipse hominem, qui occiditur, non attingat. Sed quamquam hæc responsio salva fide defendi potest, quam tuentur ex recentioribus Ledesmius in IV. dist. I. quæst. 3. art. 1. et Canus in relectione de Sacramentis; et idem sensisse videntur antiqui Scholastici multi, ut Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Okam, Marsilius, Gabriel, in IV. dist. 1. vel 2. qui docent, Sacramenta vere justificare, et tamen velunt solum Deum producere gratiam ad præsentiam Sacramentorum, ita ut non sint Sacramenta causæ Physicæ, nisi, sine quibus non fieret affectus : tamen puto longe probabiliorem, et tutiorem sententiam, quæ dat Sacramentis veram efficientiam; quia Patres passim docent, Sacramenta non agere, nisi prius a

Deo virtutem, seu benedictionem, seu sanctificationem accipiant; et referunt effectum Sacramenti ad omnipotentiam Dei; et conferunt cum veris causis efficientibus, ut supra vidimus. Secundo, quia non esset differentia inter modum agendi Sacramentorum, et signorum magicorum. Tertio, quia tunc non esset homo Dei minister in ipsa actione Sacramentali, sed homo præberet signum actione sua, et Deus alia actione, viso eo signo infunderet gratiam, ut cum unus ostendit syngraphum mercatori, et ille dat pecunias. At Scripturæ docent, Deum esse, qui baptizat per hominem, ut supra ostendimus.

Tertio igitur responderi potest, cum S. Thoma 3. quæst. LXII. art. 4. quod Sacramenta sint causæ efficientes, etiam Physicæ, sed instrumentales, virtus autem divinitus indita non sit aliqua nova qualitas inhærens spiritualis, vel corporalis, sed sit solum motus, sive usus Dei. Per hoc enim quod Deus utitur hac actione Sacramentali ad gratiam producendam, elevat eam, et facit eam attingere effectum supernaturalem, quam non posset attingere, si a quocumque alio moveretur.

Ad cujus rei intelligentiam notanda sunt quatuor. Primum est, multum interesse inter instrumenta quibus utitur Deus, et quibus utuntur homines. Sunt autem quinque differentiæ. Prima est, quod homo eget duplici applicatione : una, qua se applicet instrumento, ut accipiendo securim in manu; altera, qua applicet instrumentum operi; prior motio est in ipso homine, posterior est in instrumento. Deus autem non eget priori applicatione; est enim immutabilis, et præsentissimus omnibus rebus, proinde etiam applicatus. Quare motio illa, qua Deus movet Sacramenta, est sola applicatio Sacramenti ad opus, et est in ipso Sacramento, non in Deo.

Secunda est, quod homo eget instrumento naturaliter apto ad illud opus; non enim posset homo secare lignum serra, nisi illa ferrea, et acuta esset. Deus autem non indiget ista aptitudine instrumenti : non enim ipse juvatur instrumento, cum possit se solo omnia facere, sed utitur instrumento, quia placet illi, vel honorare creaturam, vel certe in eo potentiam suam ostendere; ut si quis de industria scribere vellet calamo parum idoneo. Ex quo sequitur non esse necessarium, ponere in Sacramentis aliquam inhærentem qualitatem, quæ illud formaliter perficiat, sed satis est, si Deus Sacramento uti velit; non enim ipse indiget instrumento apto.

Tertia est, quod quando homo utitur instrumento, necesse est, ut præter motionem ipsius hominis, qua instrumentum movetur, ipsum etiam instrumentum per naturalem suam virtutem concurrat, et operetur id, quod sibi proprium est. Verbi gr. cum utitur faber securi ad faciendam cathedram, non satis est moveri securim artificiose, sed necesse etiam est, ut securis scindat : et cum uritur natura calore ad nutritionem, requiritur ut calor calefaciat, quod est sibi proprium; mediante enim illa actione, natura utitur calore ad convertendum cibum in carnem. At cum Deus utitur aliquo instrumento, non est necesse, ut instrumentum per naturalem suam virtutem aliquid operetur in subjecto; et si forte operatur, illa operatio non est causa effectus divini, ut talis operatio, sed solum ut res, quam Deus ad hoc faciendam adhibere voluit. Hinc videmus in usu multorum Sacramentorum non reperiri ullam actionem propriam et naturalem eorum, ut patet de Absolutione, de Matrimonio, de consecratione Eucharistiæ. In aliis reperitur actio propria, ut lotio, aut unctio, sicut dixi, illa quatenus naturalis actio, non est causa, sed, ut res quædam. Ex quo sequitur, ut motio, seu usus Dei in Sacramentis non solum sit virtus agentis instrumento impressa, sed sit tota virtus et ratio, per quam agunt. Id enim, quod est in securi acies, et vis agentis illi impressa, id totum est in Sacramentis sola motio Dei.

Quarta differentia sequitur ex his duabus, quod homo non potest uti qualibet re pro instrumento sui operis : Deus autem potest, et revera utitur rebus diversissimis ad rem eamdem producendam.

Quinta differentia sequitur etiam ex præcedentibus, quod homo non potest uti instrumento, nisi quod tangat rem, in qua est producendus effectus. Quia instrumentum debet operari circa subjectum suam propriam et corporalem actionem : actio autem corporalis non fit sine contactu. Deus autem potest etiam per id, quod est in uno loco, agere in aliam rem ab eo loco remotissimam, quandoquidem non eget operatione propria illius rei.

Secundo notandum est, omnes concedere

posse Deum uti quibuslibet instrumentis, quamtumvis ineptis, modo tamen illa instrumenta prius ipse faciat apta. At certe id non est necesse, sed potest Deus instrumento inepto, manente inepto, efficere quidquid voluerit, quomodo potest optimus scriba calamo inepto ita dextre uti, ut per eum rectissime formentur litteræ. Exemplum habemus Joan. V. ubi Angelo descendente, et movente aquam, per eam aquam ita motam curabantur omnes languores. Fuisse autem hanc figuram Baptismi, supra docuimus. Quare Patres imitati hunc modum loquendi, sæpe dicunt, Sacramenta non operari, nisi prius in ea descendat Spiritus sanctus. Vide Tertullianum in lib. de Baptismo, Ambrosium lib. I. de Spiritu sancto, cap. 7. et Chrysostomum in cap. V. Joannis, et ibidem Theophylactum et Theophilum Alexandrinum lib. I. Paschali. Pari ratione cum Deus voluit mundum convertere per Evangelii prædicationem, poterat eligere homines eloquentes, aut certe homines rudes, continuo eloquentissimos reddere: sed noluit hoc modo uti, sed elegit homines rudes, et qui simpliciter, impolite, et inornate loquerentur, et per eos mundum convertit.

Tertio notandum est virtutem Sacramentalem aliquando esse in elemento, aliquando in verbo, aliquando in utroque. Nam actio Sacramentalis proprie est actio ministri dantis Sacramentum, non actio suscipientis, susceptio enim est opus nostrum. Sacramentum autem non est opus nostrum, sed Dei. Itaque actio ministri est illa, qua Deus utitur tamquam instrumento ad justificandum. Quando ergo minister utitur rebus et verbis, ut in Baptismo, Confirmatione, et Unctione extrema, tunc etiam Deus utitur rebus et verbis, et proinde virtus Dei est in utrisque: et oportet illa duo simul concurrere, alioqui nihil fieret. At cum minister non utitur, nisi verbis, materia autem Sacramenti se tenet ex parte suscipientis, aut certe non adhibetur a ministro ad agendum: tunc virtus non est nisi in verbis, ita fit in Sacramento Absolutionis, et Matrimonii, et in consecratione Eucharistiæ; non enim adhibet minister peccata pœnitentis ad eum absolvendum, nec panem ad aliquid consecrandum, sed verba ad consecrandum panem. Et hinc est quod non repugnat Sacramento Pœnitentiæ, ut uno die dicantur peccata, et alio die absolvatur pœnitens, virtus enim operativa non est in peccatis, sed in sola absolutione. In consecratione tamen Eucharistiæ requiritur præsentia panis, non quod in pane sit virtus operativa: sed quia nisi esset panis præsens, non esset materia, in qua ageret Sacramentum: in Absolutione enim etiamsi non sit Confessio, quia jam præteriit, est tamen homo, in quem cadit Absolutio. Denique aliquando minister utitur solo elemento, ut cum porrigit Eucharistiam, et tunc virtus est in solo elemento.

Quarto notandum est, gratiam justificantem non proprie creari, nec tamen educi de potentia naturali animæ, sed educi de potentia obedientiali, seu capacitate naturali: proinde S. Thomam non pugnare secum, cum dicit, non posse creaturam instrumentaliter concurrere ad creationem, et tamen Sacramenta concurrere ad productionem gratiæ in anima. Explico; illud dicitur proprie creari, quod fit independenter a subjecto: illud contra dicitur educi, quod dependet a subjecto, in fieri, in esse et operari. Itaque anima rationalis vere creatur, licet fiat in corpore, quia non pendet a corpore necessario, ut patet, quia separata esse et operari potest, et prius natura est in se ipsa subsistens, quam corpori infundatur. At gratia est qualitas quædam spiritualis, quæ pendet omnibus modis a subjecto, ut patet; quare educitur. Sed non educitur de potentia naturali, quia non est in homine talis potentia; alioqui gratia esset res naturalis: ubi enim est potentia naturalis, ibi est actus naturalis. Neque obstat, quod gratia non possit fieri, nisi a Deo; nam etiam anima non potest creari nisi a Deo, et tamen est res naturalis, quia materia est in potentia naturali ad animam. Itaque gratia non dat esse naturale, sed supernaturale homini. Est tamen in homine capacitas naturalis ad gratiam; naturaliter enim convenit homini posse recipere gratiam, ut Augustinus docet de prædestinatione Sanctorum, cap. 5. et potest ea capacitas dici etiam potentia obedientialis, quia licet non sit talis, ut naturaliter possit concurrere etiam passive ad productionem gratiæ, (tunc enim esset potentia naturalis) tamen est talis, ut ex ea possit fieri quidquid Deus voluerit, et hæc dicitur potentia obedientialis.

Neque repugnat hæc eductio gratiæ de potentia obedientiali ei, quod dicunt Theologi, et ipsum Concilium Tridentinum sess. VI, cap. 7. gratiam infundi: infusio enim

opponitur acquisitioni, non eductioni. Sic enim distinguitur scientia infusa et acquisita, non quod non utraque educatur de potentia intellectus, sed quod una acquiratur proprio labore, altera a solo Deo sine labore donetur. Et si recte dicitur infusa scientia rerum naturalium, quam Deus donavit Adamo et Salomoni sine labore ipsorum, licet educta fuerit de potentia naturali: quanto rectius dicetur gratia infundi, quæ a solo Deo datur, et non respondet ei potentia naturalis?

Ex his ad argumentum Zwinglii Respondeo, negando consequentiam. Nam res corporea et crassa potest agere in animam non ex natura sua, sed ex virtute Dei. Augustinus tract. 88. in Joan. non timuit dicere: « Aqua corpus tangit, et cor abluit. » Et ignis verus et corporeus, animas et dæmones tenere et cruciare potest: imo etiam experimur corporis affectionibus, miro modo afici animos nostros, qui tamen spiritus sunt. Et quomodo hæc ipsa nostra corpora animas retinent tamquam in carcere; nec enim potest anima, cum voluerit, a corpore recedere, et tamen corpus corpus est, et anima spiritus est.

Ad primam confirmationem jam responsum est, non egere contactu id quod non agit per actionem suam propriam et naturalem.

Ad secundam dico primo, locum Augustini non esse ad rem. Nam Augustinus cum dicit, majus esse justificare impium, quam creare cœlum et terram, non vult dicere, esse difficilius infundere gratiæ habitum in anima, quam creare cœlum; sed vult dicere (ut ipse ibidem se explicat) esse opus majoris misericordiæ justificare impium, quam creare cœlum; et etiam esse opus nobilius, quia cœlum et terra transibunt, salus electorum non transibit. Idcirco ibidem dicit, fideles cooperari Deo in justificatione sua, proinde fideles concurrere ad opus majus, quam sit creare cœlum et terram. Secundo, non est improbabile posse creaturam concurrere, ut merum instrumentum Dei, ad veram creationem. S. autem Thomas loco notato id negat de creatura, quæ concurrat disponendo subjectum per propriam actionem. Tertio, jam ostendi gratiam proprie non creari.

Ad tertiam confirmationem posset dici non dari ultimum ullo modo intrinsecum in successivis: et ideo justificationem fieri in ultima parte sensibili, non in ultima simpliciter, quæ nulla est. Vel dicendum, justificationem fieri in instanti illo, in quo finitur actio Sacramentalis. Tametsi enim actio desinat negative quoad suas partes, id est, per primum non esse, tamen desinit affirmative, id est per ultimum sui esse, quantum ad terminum suum. Ut enim in linea non potest assignari ultima pars, potest tamen assignari ultimum punctum, quo terminatur linea: ita in tempore et motu. At (inquiunt) tunc non est actio Sacramentalis. Respondeo tunc maxime esse, eo modo, quo res successiva esse potest. Res enim successive numquam est per suas partes in re existentes, sed semper habet quiddam indivisibile, quod vel est initium, vel finis, vel continuativum rei successivæ: et per illud dicitur esse; et tunc perfecte dicitur esse, quando illud indivisibile terminat actionem. Id patet in tempore: non enim dicitur esse una hora, nisi quando finitur. Idem patet in oratione, quæ perfecte significat cum profertur ejus terminus.

Ad quartam jam dixi, virtutem illam esse corporalem, quia est motus rei corporalis, licet dici possit spiritualis, ratione causæ, et effectus.

Ad quintam dico, virtutem illam esse partim in una parte Sacramenti, partim in alia: proinde paulatim perire, prout pereunt partes Sacramenti. Nec tamen supervacaneæ fuerunt. Nam illa particula operatur in virtute omnium præcedentium. Sicut etiam oratio perfecta significat, cum profertur ultima vox; quæ tamen nihil efficeret, nisi aliæ præcessissent: et terminus motus acquiritur per ultimum mutatum esse, quod tamen nihil posset, nisi cætera præcucurrissent.

Ad sextam jam respondi, virtutem nunc esse in verbis, nunc in elemento, nunc in utroque etc.

Ad ultimam dico, rem illis difficillem videri, quia imaginantur spiritualem qualitatem in re corporali debere constitui: sed qui sentiunt, non esse necessariam ejusmodi qualitatem, nullas in hac re patiuntur angustias.

CAPUT XII.

Explicatur controversia de differentia Sacramentorum legis novæ et veteris.

Sequitur altera quæstio de effectu Sacramenti; utrum videlicet justificare ex opere operato sit proprium Sacramentis novæ legis, an commune cum Sacramentis legis veteris. Quatuor erunt partes hujus quæstionis. Exponemus enim primo sententiam hæreticorum. Secundo sententiam Catholicorum. Tertio probabimus veritatem. Quarto solvemus objectiones.

Quantum ad primum, convenit inter omnes Catholicos et hæreticos, sex ut minimum esse differentias inter Sacramenta legis novæ et veteris. Prima, quod nunc sint alii ritus externi, quam tunc erant, ut notum est. Secunda, quod nunc sint pauciora Sacramenta, quam tunc erant. Tertia, quod sint nostra faciliora, ut patet de Circumcisione et Baptismo, et aliis. Quarta, quod nostra sint nobiliora saltem ratione auctoris, quia nostra ab ipso Christo immediate instituta et promulgata, Mosaica vero a Mose, si non instituta, certe promulgata sunt. Quinta, quod illa fuerint figuræ nostrorum. Sexta, quod illa essent data ad tempus, id est, usque ad adventum Messiæ : nostra duratura sint, quamdiu mundus durabit. Colliguntur hæc omnia ex Augustino in epist. 118. ad Januarium, lib. III de doctr. Christiana, c. 9. et lib. XIX contra Faustum, cap. 13. in Psalm. LXXIII.

Quæstio autem est, utrum præter has differentias, discrimen sit in effectu principali, qui est justificare a peccato. Hæretici hujus temporis nullum fere ponunt discrimen, quamquam inter se non satis conveniunt.

Ac primum Anabaptistæ, Carolstadiani et Zwingliani, qui (ut supra ostendimus) nihil tribuunt Sacramentis nostris, nisi ut discernant fideles ab infidelibus, vel sint quasi professio fidelitatis, vel admoneant bonorum operum, coguntur plus tribuere Sacramentis veteribus, quam nostris. Melius enim discernit Judæum a non Judæo Circumcisio, quæ semper manet, et cerni potest, quam Baptismus, qui semel exhibetur, et transit. Et eadem ratione melius admonet fidelitatis et bonorum operum Circumcisio, quam Baptismus, cum illa sit permanens, crassior et sensibilior etc.

Lutherus autem, qui vult Sacramenta nostra excitare fidem, idem tribuit Sacramentis veteribus. Unde sic ait in lib. de Babylonica captivitate, cap. de Baptismo : « Error est Sacramenta novæ legis differre a Sacramentis veteris legis, penes efficaciam significationis, id est, quod nostra efficaciter significent faciendo, quod figurant, non illa. » Et idem repetit in assert. 1. articuli.

Est autem notandum, Lutherum distinguere duo genera signorum veterum in libro de Babyl. Captivit. cap de Baptismo : Quædam enim fuisse dicit, quæ haberent annexam verbum promissionis, ac proinde exigerent fidem, ut signum iridis datum Noe, signum roris in vellere Gedeonis, signum in reversione solis datum ab Isaia Regi Ezechiæ, et alia. Atque hæc dicit fuisse vera Sacramenta, et æqualia nostris, quoad efficaciam. Alia vero fuisse dicit, quæ non haberent annexam promissionem, ut omnes illas cæremonias legales, quibus expiabantur homines, vestes, ædes etc. atque has dicit non fuisse proprie Sacramenta, et esse longe inferiora nostris Sacramentis. Unde in hom. 1. de Baptismo non procul ab initio 2. partis graviter invehitur in Anabaptistas, qui non plus tribuerent nostro Baptismo, quam lotionibus Judaicis; quasi ipse multum tribuat Baptismo, qui iridem illi æquare non veretur. Porro ex hac distinctione Lutheri colligitur alius error; vel potius paradoxum ipsius, qui non vult esse Sacramenta ea, quæ ab omnibus veteribus dicuntur Sacramenta, ut lotiones Judaicas, agnum Paschalem, sacrificia, et similia; et contra, ea vult esse Sacramenta, quæ a nullo, nec per somnium quidem, vocata sunt Sacramenta, ut iridem, vellus Gedeonis, umbram horologii Achaz, et similia.

Jam Calvinus convenit cum Luthero, quod Sacramenta veteris legis eodem modo justificarent, quo nostra, nimirum alendo fidem. Nam lib. IV Institut. cap. 14. §. 23 : « Hoc dogma, inquit, Scholasticum, quo tam longum discrimen inter veteris ac novæ legis Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud, quam Dei gratiam adumbraverint, hæc vero præsentem conferant, penitus explodendum est, » et similia habet in Antidoto Concilii Tridentini, sess. VII, can. 2. Dissentit tamen a Luthero Calvinus in duobus. Primo, quod existimat Sacramenta novæ legis uberiorem gratiam dare quam vetera, quia nimirum clarius excitant fidem, et proinde major fides magis justificat. « Neque tamen negamus, inquit in Antidoto, loco citato, quin uberior sub Christi regno percipiatur gratia. » Lutherus autem omnino æquat Sacramenta illa nostris. Secundo, Lutherus (ut ostendimus) non omnes cæremonias Judaicas, sed tantum eas, quæ habent annexas promissiones, vult esse Sacramenta et nostris æqualia. At Calvinus omnes illas cæremonias habet pro Sacramentis, quæ darent gratiam, licet non ita copiosam, ut nostra. Nam lib. IV Instit. cap. 14. §. 21. purificationes Judæorum numerat inter Sacramenta; et §. 26. idem prolixius docet. Et licet uterque erret, minus absurde Calvinus docet, quam Lutherus.

Kemnitius in Examine Concilii partim Lutherum, partim Calvinum sequitur. Nam pag. 60 et 70. admittit Lutheri distinctionem de duplici genere signorum veterum : pag. autem 74. admittit cum Calvino uberiorem gratiam dari in Sacramentis novis, quam in veteribus : cum utroque autem convenit in damnanda Ecclesiæ doctrina. Atque hæc de sententia hæreticorum.

CAPUT XIII.

Explicantur sententiæ Catholicorum.

Quantum ad secundum, Catholici omnes conveniunt, Sacramenta veteris legis, quæ proprie Mosaica dicuntur, non contulisse gratiam ex opere operato. Id enim docent omnes Theologi in IV. dist. 1. et idem definivit Concilium Florentinum in instruct. Armenorum; et Concilium Tridentinum, quamvis brevius et obscurius, quia non erat necesse, cum jam res esset definita, sess. VII, can. 2.

Est autem hic notandum, ista concilia non definivisse (ut calumniatur et mentitur Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 58 et 59.) veteres Patres non habuisse gratiam Dei ex merito Christi, aut eam habuisse sine ullo organo, seu medio applicante Christi merita. Concilia enim nihil horum dicunt, sed tantum afferunt, hoc esse discrimen inter Sacramenta legis veteris, et novæ, quod nostra conferunt gratiam, illa solum eam significabant. Non est autem consequens, veteres Patres non habuisse gratiam, aut habuisse sine organo applicante Christi merita. Nam etiamsi non habuerunt eam per Sacramenta, tamen habuerunt per fidem, ut etiam nunc adulti per fidem et contritionem veram justificantur, antequam reipsa ad Sacramentum accedant.

Etsi autem Catholici in hoc principio conveniant inter se, et discrepent ab hæreticis hujus temporis; tamen sunt etiam apud eos duæ quæstiones, de quibus breviter dicam, quæ sint opiniones, cum id sit necessarium, partim ad controversiam propositam explicandam, partim ad refellendas hæreticorum calumnias.

Una igitur quæstio est de Sacramentis veteribus Circumcisione excepta, an saltem justificarent ex opere operantis. Duæ sunt autem opiniones. Prima Magistri in 4. dist. 1. qui id negat : ait enim Sacramenta illa non justificasse, etiamsi in fide et charitate susciperentur, quia data erant, ut essent oneri, non ut justificarent. Secunda est communis Theologorum, justificasse omnia illa Sacramenta ex opere operantis, id est, ex fide, et devotione suscipientis : et hæc sententia est verissima. Nam est generaliter vera sententia Apostoli ad Rom. II : *Factores legis justificabuntur.* Quamquam ista justificatio non est proprie Sacramentalis, sed est communis omnibus bonis operibus, quæ in charitate fiunt; nec est justificatio prima, sed secunda. Quod autem Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 58. vociferatur, hanc sententiam directe, et quasi adversa fronte pugnare cum Paulo, qui Rom. IV. ex professo docet, Abrahamum non esse justificatum ex operibus, ex mera imperitia nascitur. Nam Paulus loquitur de operibus, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrii, quibus operibus et nos fatemur, neminem justificari. Theologi autem cum dicunt, Sacramenta vetera justificasse ex opere operantis; loquuntur de opere, quod oritur ex gratia Dei. Vocant enim opus operantis fidem, charitatem, obedientiam, quæ sunt omnia Dei dona, cum sine speciali Dei auxilio non habeantur : de qualibus operibus Paulus Rom. II : *Factores legis justificabuntur.*

Et Jacobus cap. II: *Abraham nonne ex operibus justificatus est?* (1)

Altera quæstio est de Circumcisione, quæ non est proprie Sacramentum Mosaicum, sed legis naturæ: unde Joan. VI: *Circumcisio non est ex Mose, sed ex Patribus.* (2) Porro de Circumcisione duæ sunt opiniones. Prima opinio est Alexandri par. 4. quæst. VII. memb. 7. art. 4. Bonaventuræ, Scoti, et Gabrielis, in IV. distinct. 1. qui admittunt Circumcisionem ex opere operato contulisse justificationem: Pugnant autem cum hac sententia multa argumenta. Primo Scripturæ, quæ cum dicunt, Sacramenta vetera fuisse egena elementa, non excludunt Circumcisionem, imo de illa maxime loquuntur, ut postea videbimus. Secundo Concilia, Florentinum, et Tridentinum, quæ solis Sacramentis nostris tribuunt vim justificandi. Neque valet, quod quidam dicunt, Concilia ista cum negant, Sacramenta veteris legis justificasse, loqui tantum de Sacramentis Mosaicis, id est, a Mose promulgatis, non autem de Circumcisione, quæ erat Sacramentum legis naturæ datum Abrahæ, non Mosi, hoc, inquam, non valet. Nam Concilia intendunt explicare excellentiam Sacramentorum novæ legis; quæ quidem excellentia non minus obscuratur, si Sacramenta legis naturæ sint nostris æqualia, quam si id tribuatur Sacramentis legis scriptæ. Præterea cum Deus in lege gradatim processerit, et legem imperfectiorem dederit in statu naturæ, quam in statu legi scriptæ; et in hoc statu imperfectiorem, quàm in statu Evangelii: idem sine dubio fecit in Sacramentis: proinde si Sacramenta Mosaica non justificabant, multo minus Sacramenta legis naturæ.

Hic tamen est hoc Annotandum, hanc sententiam primam non favere hæreticis hujus temporis, licet aliquod Sacramentum antiquum cum nostris æquaverit. Nam hæretici cum paria faciunt Sacramenta vetera nostris, non vetera extollunt, sed nostra deprimunt, ac dejiciunt; hæc autem prima sententia non dejicit nostra, sed extollit antiqua.

Secunda sententia est S. Thomæ 3. par. quæst. LXX. art. 4. et discipulorum S. Thomæ, Capreoli, Soti, Ledesmii, et aliorum, in IV. dist. 1. vel 2. qui docent, Circumcisionem vi sua non justificasse, sed justificasse tamen, quatenus fidei protestatio erat, et fidem applicabat. Itaque volunt ii auctores, justificatos fuisse veteres ex merito passionis Christi, ut nos justificamur, sed hoc meritum nobis applicari per Sacramenta, Hebræis autem per solam fidem; quæ tamen fides requirebat ut conditionem, sine qua non operabatur, Sacramentum Circumcisionis. Hæc sententia sine dubio probabilior est: sed quia non est nobis propositum, nisi fidem adversus hæreticos propugnare, his omissis, ad tertium caput transeamus.

CAPUT XIV.

Probatur nullum Sacramentum legis naturæ, aut scriptæ, justificasse ex opere operato.

Nunc probanda est veritas. Probabimus autem, nullum Sacramentum legis naturæ, aut scriptæ justificasse ex opere operato, sive eo modo, quo justificat Sacramentum novæ legis, contra omnes hæreticos hujus temporis, et aliquo modo etiam contra eos, qui Circumcisioni tribuunt justificationem ex opere operato.

Ac primum quidem argumentum sumitur ex divinis litteris: nam et Prophetæ, et Apostoli miro consensu docent, Sacramenta vetera non justificasse, cum de nostris contrarium asserant.

Primus locus ex Prophetis, Psalm. XXXIX: *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti.* Ubi Scriptura non negat, Deum velle sacrificia, cum ipse ea fieri jusserit, sed negat ea velle ad expiandum peccatum. Secundus locus Psal. L: *Si voluisses sacrificium* (nimirum ad peccatum expiandum) *dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus etc.* (3) Ubi Scriptura opponit sacrificium contritioni, et de uno negat, quod de altero affirmat, quod non faceret, si utrumque concurreret ad justificationem: neque enim recte diceretur nunc, Deus non vult Baptismum, sed contritionem. Tertius locus Isaiæ I: *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? quis quæsivit hæc de manibus vestris?* Quartus locus

(1) Rom. II, 13; Jac. II, 21. — (2) Joan. VII, 22. — (3) Psal. XXXIX, 7; L, 18.

Hierem. XI: *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* ubi de sacrificio pro peccato loquitur. Et certe de Baptismo non diceret: Numquid Baptismus auferet a te malitias? Quintus locus Amos V: *Quod si obtuleritis mihi holocausta, et munera vestra, non suscipiam, et vota pinguium non respiciam* (1) Porro si Sacrificia non justificabant, multo minus justificabant aliæ cæremoniæ: nullæ enim cæremoniæ habent clariores promissiones de remissione peccatorum, quam sacrificia.

Jam ex verbis Apostolorum idem probari potest. Primus locus est Rom III: *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas Circumcisionis? Multum quidem per omnem modum. Primum, quia credita sunt illis eloquia Dei,* ubi illud, *Primum* (etiam Calvino et Petro Martyre testibus in commentario) non est nota ordinis, quasi vellet Paulus multas utilitates Circumcisionis adferre; sed significat potissimum, seu præcipuum; non enim adfert alias utilitates. Solum ergo, auctore Paulo, Judæi circumcisi præstabant Gentibus incircumcisis, quod illi habuerint Dei legem et oracula; non ergo Circumcisio justificabat. Nam alioqui præstitissent Judæi Gentibus etiam justitia, quod præcipue Paulus refutare intendit; unde paulo post subjungit: *Quid ergo præcellimus eos? nequaquam. Causati enim sumus,* (id est, causam attulimus et ostendimus) *Judæos et Græcos omnes sub peccato esse.* Ubi Paulus etiam si dixerat, Judæos præstare Gentibus ob Circumcisionem, quia fuerint illis credita eloquia Dei: tamen nunc negat, Judæos præstare Gentilibus, quia non præstant, quod attinet ad justificationem, de qua agebatur; omnes enim tam circumcisi, quam incircumcisi peccatores sunt. Quibus verbis clarissime docet, Circumcisionem non justificasse. Non enim vult dicere, nullum fuisse justum ante Christi adventum, cum constet: Patriarchas et Prophetas et multos Gentiles fuisse justos, ut Melchisedech, Job, et alios. Sed vult dicere, non fuisse justos ex eo, quod essent circumcisi vel incircumcisi, sed ex eo, quod in Christum venturum crederent. Ibidem addit Apostolus: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.* Quis autem neget, Circumcisionem fuisse opus legis? Ibidem: *An Judæorum,* inquit, *Deus tantum? nonne et Gentium? imo et Gentium, quoniam unus est Deus, qui justificat Circumcisionem ex fide, et præputium per fidem* (2); Quasi dicat, Deus est omnium Deus, quomodo igitur credibile est, eum dedisse remedium contra peccatum solis Judæis? Possumus nos hinc etiam aliter argumentari: An masculorum Deus tantum? nonne et feminarum? Quis ergo credat, Deum dedisse remedium, quod solis masculis prodesset?

Secundus locus est Rom. IV, ubi Apostolus ex professo probat, Abrahamum non in Circumcisione, sed in præputio fuisse justificatum: ut inde admoneat, Circumcisionem non esse datam, ut justificaret. Si enim is, cui primo data est, non fuit ex ea justificatus, quanto minus alii ex ea justificandi erunt?

Tertius locus I. Corinth. VII: *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est;* (3) ubi ita Paulus Circumcisionem ut præputium despicit, cum agitur de justificatione.

Quartus locus est Galat. IV: *Quomodo iterum convertimini ad infirma, et egena elementa, quibus iterum servire vultis?* (4) Quorum elementorum nomine intelligit Circumcisionem, de qua præcipue loquitur in ea epistola, et simul etiam alias cæremonias legales: et sane non dicerentur infirma et egena, si justificarent. Ibidem dicit, Judæos tamquam parvulos sub elementis hujus mundi servientes fuisse; nos autem viros esse perfectos: quæ sane differentia non esset vera, si Sacramenta nostra non haberent aliam vim, quam illa Judæorum.

Quintus locus Gal. VI: *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura* (5). Ubi videmus opponi novam creaturam tam Circumcisioni, quam præputio; quod esset ineptum, si Circumcisio efficeret novam creaturam.

Sextus locus Philip. III, ubi Paulus dicit, se arbitrari detrimentum, justitiam quæ est ex lege, et hoc aliquoties repetit: quod certe non diceret, si ex ulla legali cæremonia justificatus fuisset. Unde ibidem Circumcisionem per contemptum concisionem vocat: «Videte, inquit, concisionem.» Nam (ut exponit Chrysostomus) circumciditur, quod aperte expolitur resecatis superfluis; conciditur, quod temere et præter artem scinditur in frustra. Ibidem Apostolus ait,

(1) Isai. I, 11; Jerem. XI, 15; Amos. V, 22. — (2) Rom. III, 1, 2, 9, 20, 28, 29 et 30. — (3) I. Cor. VII, 19. — (4) Galat. 4, 9. — (5) Galat. VI, 15.

se non habere fiduciam in carne, et per fiduciam in carne, exponit ipse, fiduciam in Circumcisione, aliisque id genus rebus.

Septimus locus Coloss. II, ubi omnia Sacramenta vetera dicuntur umbra futurorum, corpus autem Christi. Quod si nostra eamdem vim haberent, adhuc essemus in umbra. Ibidem : *Circumcisi*, inquit, *estis circumcisione non manu facta, in exspoliatione corporis carnis, sed Circumcisione Christi consepulti ei in Baptismo* (1). Ubi Paulus circumcisionem vocat manu factam, et proinde Baptismum non manu factum, quia principalis baptizans est Deus. Item nihil tribuit Circumcisioni, nisi carnem exspoliare, et eam Baptismo opponit : Notandum autem est, in textu Græco haberi : *In exspoliatione corporis peccatorum carnis ;* et proinde conjungendam hanc partem (In exspoliatione etc.) cum illa (circumcisi estis) non cum illa (Circumcisione manu facta) ut sensus sit : Circumcisi estis in exspoliatione corporis peccatorum, non Circumcisione manu facta, sed Circumcisione Christi spirituali consepulti ei in Baptismo. Ex quo textu sumitur idem argumentum, sed alio modo. Nam (ut exponunt Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus) Paulus docet, Circumcisionem Judaicam fuisse denudationem unius pelliculæ, nostra autem Circumcisio est expoliatio totius corporis peccatorum.

Octavus est Heb. VII : *Reprobatio*, inquit Apostolus, *fit præcedentis mandati propter infirmitatem et inutilitatem* (2). Loquitur autem de mandatis cæremonialibus, quorum præcipuum erat de Circumcisione.

Nonus locus Heb. IX, ubi cæremonias veteres dicit fuisse justitias carnis, et sanctificasse quidem inquinatos, sed solum ad emundationem carnis.

Decimus locus Heb. X, ubi dicit legem umbram habuisse, non ipsam imaginem rerum, nec potuisse accedentes perfectos facere ; nec potuisse auferre peccata, et mundare conscientiam : et Deum hostias et oblationes noluisse, nec ei placuisse ; quod intelligi debet in ordine ad justificationem ex opere operato, nam alioqui negari non potest, quin ei placuerint, ex obedientia et devotione offerentis. Nam vocantur odor suavissimus Domino, Levit. I.

Sed videamus, quid ad hæc loca adversarii respondeant. Lutherus et Lutherani respondent, Scripturas cum negant, Sacramenta vetera justificare, debere intelligi de illis, quæ non habent annexam promissionem.

At loca a nobis adducta, loquuntur expresse de Circumcisione, quam omnes concedunt habuisse annexam promissionem. Deinde nullæ cæremoniæ Judaicæ habuerunt promissionem magis expressam, quam sacrificia et ablutiones. Nam Levit. IV, V et VI, promittitur remissio peccatorum offerenti sacrificium. Et rursus Levit. XX, XXI et XXII, promittitur sanctificatio iis, qui abluuntur aqua, ut lex præcipit : et tamen Apostolus Heb. X disertis verbis dicit impossibile esse sacrificiis et ablutionibus Judaicis remitti peccata.

Kemnitius in Exam. 2. par. pag. 63. post solutionem Lutheri, proponit aliam, quæ est etiam Calvini lib. IV Instit. cap. 14. §. 23 et 25. et Martyris in cap. VII, 1. ad Cor. quod videlicet Scriptura cum reprehendit tamquam inutilia Sacramenta vetera, non loquatur de illis secundum se, sed ut perperam intelligebantur a Judæis, id est, de nudis cæremoniis, remota promissione, et fide in Christum. Verissimum enim est, Sacramenta illa nihil valuisse accipientibus ea sine fide.

At contra ; nam primo, non est quæstio inter nos, et hæreticos, an Sacramenta illa ex fide prodessent. Id enim fatemur omnes, et hoc est quod Scholastici dicunt, et illi male reprehendunt, Sacramenta vetera fuisse utilia ex opere operantis. Sed quæstio est, an præterea ex divina institutione fuerint utilia, ut Sacramenta. Illa enim utilitas ex opere operantis, non est proprie Sacramentorum, sed communis omni bono operi.

Secundo, Sacramenta sine promissione et fide nihil prodesse, non tantum convenit Sacramentis veteribus, sed etiam novis, ut ipsi adversarii docent : et tamen Paulus ita distinguit nova a veteribus ut dicat, nostra salvare, regenerare, mundare, justificare, Ephes. V. Tit. III, I. Corinth. I, vetera autem esse elementa egena, nihil valere, et nihil esse, I. Corinth. VII, Gal. V, Heb. X, et alibi.

Tertio Apostolus in his locis dicit, illas cæremonias fuisse inutiles ad justificandum, ubi dicit, fuisse umbras et figuras rerum nostrarum, Coloss. II, I. Corinth. X, Hebr. X. Ergo Apostolus vult, Sacramenta illa fuisse inutilia ad justificandum, non solum ut falso exponebantur a Judæis, sed etiam secundum se, et ut erant Sacramenta a Deo instituta. Non enim ut exponebantur perperam a Judæis, figuræ dici poterant, sed solum ut erant Sacramenta a Deo instituta. Non enim illis figuræ erant, qui nihil de Christo cogitabant, sed solum illo ritu acquiescebant.

(1) Coloss. II, 11. — (2) Hebr. VII, 18.

Denique, si Paulus solum dicere vellet, Sacramenta vetera sine fide nihil prodesse : non conferret cum præputio, nec diceret : *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est*, I. Corinth. VII, et Gal. VI : *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium* (1). Præputium enim non solum sine fide nihil est, et nihil valet, sed absolute nihil est et nihil valet.

Calvinus præter hanc solutionem adhibet alias tres. Una est lib. IV Instit. cap. 14, §. 22. quod Paulus loquatur de Sacramentis veteribus, non absolute sed comparative ; ac præsertim Colos. II. ubi vocantur umbræ illa Sacramenta. Dicit enim Calvinus, Paulum non voluisse extenuare efficaciam illorum Sacramentorum, sed magnificare efficaciam nostrorum, quæ dant uberiorem gratiam, quam illa.

At contra ; nam si solum differrent nostra a veteribus, quod nostra darent majorem gratiam, illa minorem, Paulus non recte diceret, illa nihil esse, et nihil valere ; nec conferret cum præputio Circumcisionem ; neque etiam distingueret illa ut umbram a corpore. Umbra enim non est corpus minus sed nullum ; nec habet aliud, nisi similitudinem corporis. Imo Heb. X. ita extenuat ea Sacramenta, ut dicat, non fuisse imagines, sed umbras. Nam imago habet positivam, et realem corporis similitudinem : umbra autem habet similitudinem privativam, et quæ revera nihil est.

Altera solutio Calvini est ibidem §. 24. quod Paulus loquatur de Sacramentis veteris legis pro eo tempore, quo jam erant per Christum abrogata.

At contra. Nam Rom. II, Paulus dicit : *Circumcisio quidem prodest, si legem observes* (2). Ubi indicat se loqui de eo, quod conveniebat Circumcisioni, cum adhuc vigeret. Nam post abrogationem non prodest, sed obest, ut idem Paulus dicit Galat. III. Vult ergo Paulus dicere, Circumcisionem, quando vigebat, fuisse utilem, non quidem quod ipsa justificaret, sed quia circumcisi habebant legem Dei, et poterant facilius quam alii nosse Dei voluntatem, ut idem Paulus explicat cap. III : *Quæ utilitas Circumcisionis? multum per omnem modum etc.* (3) Item I. Cor. VII, ubi dicit, Circumcisionem nihil esse, loquitur pro tempore, quo vigebat ; nam paulo ante dixerat : *Circumcisus vocatus est? non adducat præputium. In præputio vocatus est? non circumcidatur* (4). Et est sensus perinde esse, utrum quis ex Judaismo ad fidem Christi veniat, an ex Gentilismo. Itaque loquitur de illis, qui fuerant circumcisi vigente lege, et postea ad fidem Christi venerant, et illos monet ne glorientur præter cæteros, ob Circumcisionem olim acceptam, quia nihil est. Præterea Gal. IV dicit, antiquos Patres sub elementis mundi hujus fuisse servientes. Item Philip. III dicit, se non habere fiduciam in carne, id est, non magnifacere (ut ibidem exponit) quod fuerit circumcisus octavo die ; ac proinde contemnit Circumcisionem, quam acceperat, cum ea vigeret. Item Coloss. II et Heb. X vocat umbras, et figuras. Non autem erant umbræ, et figuræ, nisi ante abrogationem. Item Heb. VII dicit, abrogata illa fuisse ob infirmitatem et inutilitatem. Denique Heb. X ex professo docet, impossibile fuisse, ut sacrificiis, et lotionibus illis expiarentur peccata, et propterea Christum venisse, ut perficeret quod illa non poterant.

Tertia solutio est ejusdem ibidem, §. 25. ubi dicit, cæremonias legis vocari umbratiles, non quod nihil habeant solidi, sed quia earum complementum usque ad Christum quodammodo suspensum erat. Addit etiam, quod vocantur umbræ, non esse accipiendum de efficacia, sed de modo significandi : quia nimirum significabant res futuras, nostra significant res præteritas.

At contra. Primo, ista solutio plane destruit textum. Nam Paulus non solum umbratiles facit eas cæremonias, sed ipsam umbram appellat. Secundo, si ideo solum fuissent umbratiles, quia complementum erat suspensum usque ad Christum, id est, quia repræsentabant aliquid, quod nondum aderat ; nostra etiam umbratilia dici possent. Nam repræsentant resurrectionem et gloriam futuram. Tertio, impudentissime asse-

(1) I. Cor. VII, 19 : Galat. VI, 15. — (2) Rom. II, 25. — (3) Rom. III, 1 et 2. — (4) I. Cor. VII, 18.

ritur, Paulum non agere de efficacia, sed solum de modo significandi. Nam illa verba : *Nihil est, nihil valet, elementa egena, infirma, inutilia, non posse expiare peccata*, et similia, non possunt nisi de efficacia exponi. Denique, Apostoli quæstio cum Judæis de efficacia erat, et de justificatione, non de modo significandi. Neque enim tam stulti erant Hebræi, ut non intelligerent, Sacramenta vetera significasse res futuras, si Messiam venturum credebant. Atque hæc de primo argumento.

CAPUT XV.

Idem probatur ex Patribus.

Probandum est hoc discrimen etiam ex Patribus, tum ut res sit magis confirmata, tum quia Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 56. et sequentibus usque ad 60. conatur ostendere, unum tantum locum nos habere, eumque ex Augustino, quem tamen ipsum eripere nobis conatur. Proferemus igitur auctores veteres, Hebræos, Græcos, Latinos viginti, præter Augustinum.

I. Philo in lib. de Circumcisione, exponens omnes causas Circumcisionis, quas a majoribus se accepisse fatetur, neque clare dicit, neque obscure insinuat, eam institutam fuisse in remedium peccati.

II. Joseph lib. I. antiq. cap. 12. non aliam causam Circumcisionis reddit, nisi ut posteritas Abrahæ ab aliis Gentibus discerneretur. Et tamen si quis nosse potuit, quorsum esset instituta Circumcisio, isti maxime, qui Hebræi erant, et doctissimi, et vixerant etiam eo tempore quo adhuc lex vigebat.

III. Justinus in Dialogo cum Triphone, ante medium : « Quin etiam, inquit, ex eo, quod non possunt feminæ circumcidi, intelligitur signi causa datam esse Circumcisionem, non pro opere justitiæ. » Et toto fere Dialogo hoc probat, Circumcisionem non justificasse, sed datam solum, ut discernerentur Judæi ab aliis.

IV. Dionysius Areopagita in lib. de Hierarchia Ecclesiastica, cap. 5. par. 1. docet, Ecclesiam esse mediam inter synagogam et cœlestem patriam; quod synagoga carnalia Sacramenta, et umbras, ac figuras habuerit; cœlestis Hierusalem habeat nudam veritatem sine ullis signis corporalibus : Ecclesia nostra cum utraque communicet, quod habeat signa corporalia, et simul spiritualia dona.

V. Irenæus lib. IV, cap. 30 : « Circumcisionem, inquit, non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ. » Et infra : « Et quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine Circumcisione credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Vide eumdem in eodem libro c. 28, 29, 32 et 34.

VI. Origenes lib. II contra Celsum dicit, Christianos merito dimisisse Circumcisionem, Sabbata, et similia, quod res carnales, et corporales essent, et transisse ad legem Dei spiritualem. Item homil. 3. in Genes. ubi explicat Circumcisionis præceptum, opponit carnalem illam Circumcisionem Judæorum, Circumcisioni spirituali Christianorum : proinde vult tantum interesse inter Sacramenta illorum, et nostra, quantum interest inter carnem, et spiritum.

VII. Eusebius Cæsariensis lib. I demonst. Evangelicæ, cap. 10. et lib. I hist. cap. 1. pulchre docet, cur data fuerint primis illis parentibus Sacramenta carnalia, et sacrificia, tamquam elementa quædam, et adumbrationes rerum spiritualium.

VIII. Eusebius Emissenus sive quicumque est auctor illarum homiliarum, Homil. in Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ in illud : *Faciamus hic tria tabernacula*. « Primum, inquit, tabernaculum est synagoga; secundum Ecclesia; tertium cœlum. Primum in umbra fuit, et figura; secundum in figura et veritate; tertium in sola veritate. In primo via ostenditur; in secundo invenitur; in tertio possidetur. Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta synagogæ medicinam tantum docent, et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina, et remissio peccatorum. »

IX. Athanasius orat. in illud: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, circa finem, fuse docet Circumcisionem nihil fuisse aliud nisi umbram, et figuram Baptismi, qui est vera, et spiritualis Circumcisio.

X. Epiphanius hær. 8. quæ est Epicureorum : « Illic, inquit, Circumcisio fuit carnalis, quæ deserviit tempori usque ad magnam Circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui circumcidit nos a peccatis. »

XI. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 14 : « Qui veritatem, inquit, umbræ comparans, cumque figuris conferens ea, quæ figuris significantur, universam pariter Evangelicam dispensationem elevare aggreditur. » Et infra : « Quid, inquit, confers lavacra cum lavacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia, et veritatem, inter umbras et imagines, et inter ea, quæ revera sunt. »

XII. Joannes Chrysostomus hom. 27. in Gen. : « Attende, inquit, quod Deus Circumcisionem pro lege statui voluit, non quod ad animæ salutem efficere hoc possit aliquid, sed ut Judæi pueri hoc gratitudinis indicium circumferrent; quasi signum, et sigillum, et ne liceret eis commisceri gentium commissionibus. Hinc B. Paulus signum hoc vocat dicens : Et signum dedit Circumcisionis sigillum; nam ad justitiam ipsa Circumcisio nihil conducit. » Vide eumdem hom. 39 et 40. in Gen. hom. de proditione Judæ, hom. 7. in epist. ad Rom. et hom. 14. in epist. ad Heb.

Idem docent XIII. Cyrillus lib. X. in Julianum ultra medium. XIV. Theodoretus; quæst. 67. in Genes. et lib. VII ad Græcos. XV. Damascenus lib. IV de fide, c. 10, 14 et 26. XVI. Theophylactus in cap. II ad Rom. XVII. Œcumenius in cap. IV ad Rom.

Jam ex Latinis XVIII. Tertullianus in lib. contra Judæos, cap. 1 : « Si circumcisio, inquit, purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit, vel posteaquam deliquit, si purgat Circumcisio? » Et infra : « Providens Deus, quod hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus. » Ibidem probat ex Prophetis, sacrificia et Sacramenta Judæorum non justificasse, ubi etiam illa vocat carnalia, et nostra spiritualia.

XIX. S. Cyprianus lib. I. contra Judæos, cap. 8. opponit carnalem Circumcisionem Judæorum, spirituali Circumcisioni Christianorum, et addit Adamum, Henoch, Noe, et Melchisedech justos fuisse sine Circumcisione : « Quia, inquit, signaculum seminis nihil proficit. » Idem lib. III, epist. 8. ad Fidum, dicit carnalem Circumcisionem, adveniente spirituali, tamquam umbram luce adveniente evanuisse.

XX. S. Ambrosius in epist. 72. ad Irenæum : « Signum, inquit, Circumcisio corporalis, veritas Circumcisio spiritualis : illa membrum amputat, ista peccatum. » Idem: « Si tamen idem, in cap. IV ad Rom. : « Non ergo, inquit, Circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum; quod signum ideo accipiebant filii Abrahæ, ut scirentur ejus filii esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, ut æmuli essent paternæ fidei. » Vide eumdem lib. I de Abraham, cap. 4. ubi ex professo agit de Circumcisione, et lib. I de Sacramentis, cap. 4 et 6. et lib. de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 8 et 9.

XXI. S. Hieronymus in cap. III ad Gal. reddit causam cur fuerit Circumcisio instituta, et ne verbulo quidem indicat, fuisse in remedium peccati : « Quia, inquit, ex semine Abrahæ erat Christus oriundus, et ab Abraham, usque ad Christum multa erant sæcula transitura, providens Deus, ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, et paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam Circumcisionis cauterio denotavit. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circumcisus : soli quippe sine gentis alterius commistione vivebant. Statim ut Jordanis ripam transgressus est populus, Circumcisio necessario futura ex commistione Gentium providit errori. Quod autem a Jesu duce secundo scribitur populus circumcisus, significat in eremo cessare Circumcisionem, quæ in Ægypto rationabiliter exercebatur; et a Domino nostro Jesu Christo spirituali Circumcisione credentes esse mundandos. » Idem in cap. I Isaiæ dicit, Deum respuere cæremonias Judaicas, et placere ei lavacrum Baptismi : « Quod solum, inquit, potest purgare peccata. »

Denique S. Augustinus in Psalm. LXXIII: « Sacramenta, inquit, non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem : Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. »

Ad hunc solum locum respondent Kemnitius et Calvinus. Kemnitius in Exam. pag. 59. et 60. respondet Augustinum loqui de Sacramentis veteribus, quæ non habebant annexam promissionem, sed erant mera signa, juxta Lutheri distinctionem.

Non valet solutio, quia Augustinus loquitur in genere de Sacramentis veteribus, et maxime de sacrificiis, et dicit omnia esse mutata, quia non dabant salutem. Præterea

ritur, Paulum non agere de efficacia, sed solum de modo significandi. Nam illa verba : *Nihil est, nihil valet, elementa egena, infirma, inutilia, non posse expiare peccata*, et similia, non possunt nisi de efficacia exponi. Denique, Apostoli quæstio cum Judæis de efficacia erat, et de justificatione, non de modo significandi. Neque enim tam stulti erant Hebræi, ut non intelligerent, Sacramenta vetera significasse res futuras, si Messiam venturum credebant. Atque hæc de primo argumento.

CAPUT XV.

Idem probatur ex Patribus.

Probandum est hoc discrimen etiam ex Patribus, tum ut res sit magis confirmata, tum quia Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 56. et sequentibus usque ad 60. conatur ostendere, unum tantum locum nos habere, eumque ex Augustino, quem tamen ipsum eripere nobis conatur. Proferemus igitur auctores veteres, Hebræos, Græcos, Latinos viginti, præter Augustinum.

I. Philo in lib. de Circumcisione, exponens omnes causas Circumcisionis, quas a majoribus se accepisse fatetur, neque clare dicit, neque obscure insinuat, eam institutam fuisse in remedium peccati.

II. Joseph lib. I. antiq. cap. 12. non aliam causam Circumcisionis reddit, nisi ut posteritas Abrahæ ab aliis Gentibus discerneretur. Et tamen si quis nosse potuit, quorsum esset instituta Circumcisio, isti maxime, qui Hebræi erant, et doctissimi, et vixerant etiam eo tempore quo adhuc lex vigebat.

III. Justinus in Dialogo cum Triphone, ante medium : « Quin etiam, inquit, ex eo, quod non possunt feminæ circumcidi, intelligitur signi causa datam esse Circumcisionem, non pro opere justitiæ. » Et toto fere Dialogo hoc probat, Circumcisionem non justificasse, sed datam solum, ut discernerentur Judæi ab aliis.

IV. Dionysius Areopagita in lib. de Hierarchia Ecclesiastica, cap. 5. par. 1. docet, Ecclesiam esse mediam inter synagogam et cœlestem patriam; quod synagoga carnalia Sacramenta, et umbras, ac figuras habuerit; cœlestis Hierusalem habeat nudam veritatem sine ullis signis corporalibus : Ecclesia nostra cum utraque communicet, quod habeat signa corporalia, et simul spiritualia dona.

V. Irenæus lib. IV, cap. 30 : « Circumcisionem, inquit, non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ. » Et infra : « Et quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine Circumcisione credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Vide eumdem in eodem libro c. 28, 29, 32 et 34.

VI. Origenes lib. II contra Celsum dicit, Christianos merito dimisisse Circumcisionem, Sabbata, et similia, quod res carnales, et corporales essent, et transisse ad legem Dei spiritualem. Item homil. 3. in Genes. ubi explicat Circumcisionis præceptum, opponit carnalem illam Circumcisionem Judæorum, Circumcisioni spirituali Christianorum : proinde vult tantum interesse inter Sacramenta illorum, et nostra, quantum interest inter carnem, et spiritum.

VII. Eusebius Cæsariensis lib. I demonst. Evangelicæ, cap. 10. et lib. I hist. cap. 1. pulchre docet, cur data fuerint primis illis parentibus Sacramenta carnalia, et sacrificia, tamquam elementa quædam, et adumbrationes rerum spiritualium.

VIII. Eusebius Emissenus sive quicumque est auctor illarum homiliarum, Homil. in Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ in illud : *Faciamus hic tria tabernacula*. « Primum, inquit, tabernaculum est synagoga; secundum Ecclesia; tertium cœlum. Primum in umbra fuit, et figura; secundum in figura et veritate; tertium in sola veritate. In primo via ostenditur; in secundo invenitur; in tertio possidetur. Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta synagogæ medicinam tantum docent, et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina, et remissio peccatorum. »

IX. Athanasius orat. in illud: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, circa finem, fuse docet Circumcisionem nihil fuisse aliud nisi umbram, et figuram Baptismi, qui est vera, et spiritualis Circumcisio.

X. Epiphanius hær. 8. quæ est Epicureorum : « Illic, inquit, Circumcisio fuit carnalis, quæ deserviit tempori usque ad magnam Circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui circumcidit nos a peccatis. »

XI. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 14 : « Qui veritatem, inquit, umbræ comparans, cumque figuris conferens ea, quæ figuris significantur, universam pariter Evangelicam dispensationem elevare aggreditur. » Et infra : « Quid, inquit, confers lavacra cum lavacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia, et veritatem, inter umbras et imagines, et inter ea, quæ revera sunt. »

XII. Joannes Chrysostomus hom. 27. in Gen. : « Attende, inquit, quod Deus Circumcisionem pro lege statui voluit, non quod ad animæ salutem efficere hoc possit aliquid, sed ut Judæi pueri hoc gratitudinis indicium circumferrent; quasi signum, et sigillum, et ne liceret eis commisceri gentium commissionibus. Hinc B. Paulus signum hoc vocat dicens : Et signum dedit Circumcisionis sigillum; nam ad justitiam ipsa Circumcisio nihil conducit. » Vide eumdem hom. 39 et 40. in Gen. hom. de proditione Judæ, hom. 7. in epist. ad Rom. et hom. 14. in epist. ad Heb.

Idem docent XIII. Cyrillus lib. X. in Julianum ultra medium. XIV. Theodoretus; quæst. 67. in Genes. et lib. VII ad Græcos. XV. Damascenus lib. IV de fide, c. 10, 14 et 26. XVI. Theophylactus in cap. II ad Rom. XVII. Œcumenius in cap. IV ad Rom.

Jam ex Latinis XVIII. Tertullianus in lib. contra Judæos, cap. 1 : « Si circumcisio, inquit, purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit, vel posteaquam deliquit, si purgat Circumcisio? » Et infra : « Providens Deus, quod hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus. » Ibidem probat ex Prophetis, sacrificia et Sacramenta Judæorum non justificasse, ubi etiam illa vocat carnalia, et nostra spiritualia.

XIX. S. Cyprianus lib. I. contra Judæos, cap. 8. opponit carnalem Circumcisionem Judæorum, spirituali Circumcisioni Christianorum, et addit Adamum, Henoch, Noe, et Melchisedech justos fuisse sine Circumcisione : « Quia, inquit, signaculum seminis nihil proficit. » Idem lib. III, epist. 8. ad Fidum, dicit carnalem Circumcisionem, adveniente spirituali, tamquam umbram luce adveniente evanuisse.

XX. S. Ambrosius in epist. 72. ad Irenæum : « Signum, inquit, Circumcisio corporalis, veritas Circumcisio spiritualis : illa membrum amputat, ista peccatum. » Idem: « Si tamen idem, in cap. IV ad Rom. : « Non ergo, inquit, Circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum; quod signum ideo accipiebant filii Abrahæ, ut scirentur ejus filii esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, ut æmuli essent paternæ fidei. » Vide eumdem lib. I de Abraham, cap. 4. ubi ex professo agit de Circumcisione, et lib. I de Sacramentis, cap. 4 et 6. et lib. de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 8 et 9.

XXI. S. Hieronymus in cap. III ad Gal. reddit causam cur fuerit Circumcisio instituta, et ne verbulo quidem indicat, fuisse in remedium peccati : « Quia, inquit, ex semine Abrahæ erat Christus oriundus, et ab Abraham, usque ad Christum multa erant sæcula transitura, providens Deus, ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, et paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam Circumcisionis cauterio denotavit. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circumcisus : soli quippe sine gentis alterius commistione vivebant. Statim ut Jordanis ripam transgressus est populus, Circumcisio necessario futura ex commistione Gentium providit errori. Quod autem a Jesu duce secundo scribitur populus circumcisus, significat in eremo cessare Circumcisionem, quæ in Ægypto rationabiliter exercebatur; et a Domino nostro Jesu Christo spirituali Circumcisione credentes esse mundandos. » Idem in cap. I Isaiæ dicit, Deum respuere cæremonias Judaicas, et placere ei lavacrum Baptismi : « Quod solum, inquit, potest purgare peccata. »

Denique S. Augustinus in Psalm. LXXIII: « Sacramenta, inquit, non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem : Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. »

Ad hunc solum locum respondent Kemnitius et Calvinus. Kemnitius in Exam. pag. 59. et 60. respondet Augustinum loqui de Sacramentis veteribus, quæ non habebant annexam promissionem, sed erant mera signa, juxta Lutheri distinctionem.

Non valet solutio, quia Augustinus loquitur in genere de Sacramentis veteribus, et maxime de sacrificiis, et dicit omnia esse mutata, quia non dabant salutem. Præterea

cum Augustinus dicit, illa Sacramenta fuisse promittentia Salvatorem, videtur maxime loqui de illis, quæ habent annexam promissionem. Quomodo enim non habebant annexam promissionem, si promittebant Salvatorem.

Secundo, respondet cum Calvino lib. IV, c. 14. §. 26. Instit. Augustinum non loqui de efficacia Sacramentorum, sed de significatione; et hoc solum velle interesse inter illa et ista, quod illa significabant Christum venturum, ista significant eum jam exhibitum, et datum.

At contra; nam Augustinus non dicit, nostra significare Salvatorem, sed dare salutem. Præterea ibidem ait : « Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. » At hæc ad efficaciam, non ad significationem pertinent. Denique idem Augustinus in aliis locis aperte ponit discrimen quoad efficaciam. Epist. 19. ad Hieronymum : « Cur non dicam, inquit, præcepta illa veterum Sacramentorum, nec bona fuisse, quia eis non justificantur homines? Umbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, qua justificamur. » Hæc ille. Quid clarius? Nonne idem prorsus dicit Augustinus, quod postea definivit Concilium Florentinum? lib. XIX contra Faustum, cap. 13 : « Instituta sunt, inquit, alia Sacramenta virtute majora, utilitate meliora. » Hæc ille. Igitur nostra excellunt antiquis, utilitate, et virtute; non sola significatione, tract. 41. in Joan. : « In sacrificiis, inquit, non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum, » quæst. 25 in lib. Num. : « Si, inquit, per se attendantur Sacramenta vetera, nullo pacto possunt mederi : si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum. » Hæc de testimoniis Patrum.

CAPUT XVI.

Idem probatur rationibus in Scriptura fundatis.

Prima ratio. Sacramentum, ut justificare possit, debet habere annexam promissionem absolutam gratiæ. Nullum tale erat in lege veteri; igitur nullum eorum justificabat. Major propositio est certissima apud adversarios. Nam id asserit Lutherus in assert. 1. art. Philippus in locis anni 58. tit. de Sacramentis, Calvinus lib. IV Instit. cap. 14. §. 3. denique Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 42. ponit in ipsa definitione Sacramenti, quod habeat promissionem gratiæ, et gratiæ non cujuscumque, sed remissionis peccatorum. Denique coguntur hoc admittere, cum velint Sacramenta justificare excitando fidem : fides enim apud eos non justificat, nisi apprehendendo promissionem indulgentiæ.

Minor propositio probatur primo, ex Apostolo Hebr. VIII : *Melius*, inquit, *sortitus est ministerium quanto et melioris Testamenti mediator est, quod in potioribus repromissionibus sanctum est.* Et infra, explicans quæ sint istæ promissiones meliores novi Testamenti, profert illud Hierem. XXXI : *Propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum non recordabor amplius.* » (1)

Secundo, ex Augustino tract. in Psalm. LXXII, ubi dicit, promissiones Testamenti veteris, et novi esse diversas, ut ipsa etiam Sacramenta sint diversa : tunc enim promittebantur res terrenæ, nunc autem cœlestes.

Tertio, probatur ex ipso Luthero. Nam in lib. de capt. Babyl. cap. de Eucharistia, ita loquitur : « Vetus Testamentum per Moysem datum promissio erat, non remissionis peccatorum, seu rerum æternarum, sed temporalium, nempe terræ Chanaan, per quam nemo renovabatur spiritu, unde et irrationabilem pecudem in figura Christi, oportebat occidi, in cujus sanguine idem Testamentum confirmabatur, ut qualis sanguis, tale Testamentum; qualis hostia, talis promissio. » Hæc ille : ubi præbet nobis contra se argumentum plane insolubile. Nec potest responderi, loqui eum de Sacramentis, quæ non habent annexam promissionem nam expresse meminit promissionis. Et præterea paulo post ponit exempla in iride, vellere Gedeonis, horologio Achaz, et similibus, ac dicit, ista signa habuisse tantum promissiones terrenas, et tamen in sequenti capite, quod est de Baptismo, hæc ipsa signa vult esse proprie Sacramenta, et nostris æqualia.

(1) Hebr. VIII. 6; Jerem. XXXI, 34.

Porro Calvinus negat hanc minorem propositionem. Nam lib. IV Instit. c. 16. §. 4. dicit, unam esse, et eamdem promissionem Sacramentorum veterum et novorum. Probatur igitur hæc minor. Quarto ex singulis, quæ apud illos dicuntur Sacramenta. Lutherus enim Sacramenta vocat, sacrificium Abel, iridem, vellus Gedeonis, horologium Achaz : At nullum eorum habet promissionem remissionis peccatorum. Nam de sacrificio Abel nihil legimus, nisi placuisse Deo, postquam factum fuerat. Iris habuit promissionem solius temporalis salutis : unde Genes. IX dicitur, data in fœdus non tantum hominibus, sed etiam bestiis terræ, et omni reptili. Similiter in vellere Gedeonis, et in horologio Achaz, facta sunt signa ad confirmandam promissionem victoriæ contra hostes temporales. De aliis Sacramentis, ut de Circumcisione, de sacrificiis pro peccato, de manna, mari rubro, et cæteris idem ostendam in solutione argumentorum.

Secunda ratio. Lex ipsa vetus tota in hoc distinguitur a nova, quod illa non justificat, hæc justificat : ergo fieri non potest, ut Sacramenta vetera, quæ erant pars quædam illius legis, justificarent. Probatur antecedens. Nam primo dicitur, Joan. I : *Lex per Moysem data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est* (1). Quomodo hoc est verum, si Sacramenta Mosaica gratiam conferebant? Secundo, II. Cor. III. illa vocatur littera occidens, nova, spiritus vivificans. At cur non erat, etiam illa spiritus vivificans, si ejus Sacramenta justificabant? Tertio, Gal. IV. dicitur illa in servitutem generasse, nostra libertatem attulisse; At cur hoc, si etiam illa gratiam conferebat, quæ liberat a servitute peccati? Quarto, denique illud dicitur vetus Testamentum, quia ad veterem hominem pertinet, nec renovare novit; nostrum dicitur novum, quia renovat, ut docet August. lib. III. contra duas epistolas Pelagian. cap. 4. unde et Apostolus ad Titum III vocat Baptismum lavacrum renovationis. Neque tamen hinc sequitur, non fuisse justificationem a peccatis in sanctis hominibus Testamenti veteris : erat enim, sed non per Testamentum vetus, aut per ejus Sacramenta, sed per Testamentum novum, ad quod illi pertinebant, et ad cujus participationem fide, ac desiderio pertingebant.

Tertia ratio. Promissio in Sacramentis, quæ sunt instituta ad justificandum, non potest impleri nisi fide recipiatur, ut adversarii dicunt. At promissiones annexæ Sacramentis veteribus implebantur, etiamsi homines non crederent; non igitur Sacramenta illa erant instituta ad justificandum. Probatur minor. Nam promissio Dei annexa arcui cœlesti, qui Luthero est verum Sacramentum, fuit de non dissipanda unquam amplius terra aquis diluvii. Quæ promissio impletur, et implebitur etiamsi homines non credant. Sic etiam promissio annexa Circumcisioni fuit, ut fieret Abraham pater multarum Gentium, et daret posteris ejus terram promissionis, ut patet Genes. XVII. et Rom. IV, quæ sine dubio implenda erat, etiamsi Hebræi non crederent. Ita quoque omnia sacrificia habebant annexam promissionem de Christi morte futura pro expiatione peccatorum : id enim significabant omnes illæ mactationes; quæ promissio implenda fuit, sive crederent homines, sive non crederent. Unde Apostolus Rom. III : *Numquid*, inquit, *incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax* (2).

Quarta ratio. Nostra Sacramenta dicuntur in Scripturis salvare, regenerare, justificare, ut supra probavimus. Nihil tale usquam legitur de Sacramentis veteribus, ut patebit ex solutione argumentorum : igitur temere asseruntur paria, quoad efficaciam.

CAPUT XVII.

Solvuntur objectiones.

Argumenta adversariorum sunt quinque. Primum est ex cap. XVII. Genes. ubi Deus sic loquitur de Circumcisione : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (3). Ex hoc loco sumunt argumentum tam Catholici, qui putant Circumcisionem justificasse ex opere operato, quam hæretici, qui non agnoscunt discrimen inter Sacramenta novi, ac veteris Testamenti.

Ac primum Catholici Augustinum secuti in lib. XVI. de civit. Dei, c. 17. ita argu-

(1) Joan. I, 17. — (2) Rom. III, 3 et 4. — (3) Gen. XVII, 14.

mentantur; Deus minatur omni masculo Hebræorum, etiam infanti, perpetuum interitum, nisi fuerit circumcisus; ergo per Circumcisionem liberabantur masculi ab æterna morte.

Calvinus autem lib. IV Instit. c. 16, §. 3. et 4. ita argumentatur. In Circumcisione eadem est promissio, quæ in baptismo, nimirum remissionis peccatorum, et vitæ æternæ: igitur non differunt nisi externo ritu, seu signo. Probat antecedens. Nam Genes. XVII, ubi instituitur Circumcisio, dixit Deus Abrahæ: *Ego ero Deus tuus, et seminis tui post te* (1). « Quibus verbis, inquit Calvinus, vitæ æternæ promissio continetur: quemadmodum interpretatur Christus, qui resurrectionem inde probavit, Matthæi XXII, quod dicatur Deus, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob: non est enim Deus mortuorum, sed viventium. Itaque idem est dicere, Ero Deus tuus, et Dabo tibi vitam æternam. Sed primus ingressus ad Deum est per remissionem peccatorum; ergo promisit Deus etiam remissionem, peccatorum, cum ait: Ero Deus tuus, et seminis tui. » Confirmat argumentum Calvinus ex eo, quod Apostolus ad Ephes. II. dicit, Gentiles, qui erant incircumcisi fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, et alienos a promissionibus. Ergo ista omnia consequebantur homines per Circumcisionem.

Respondeo ad argumentum Catholicorum, vim totam illius argumenti pendere ex duabus vocibus, quæ habentur in editione Græca, qua utebatur S. Augustinus. Græci enim sic legunt locum citatum: *Et incircumcisus masculus, cujus non circumcidetur caro præputii in die octavo, peribit anima illa de populo suo;* ubi illa verba: *In die octavo*, sunt addita a Græcis: non enim habentur in codicibus Hebraicis, nec in paraphrasi Chaldaica, nec in Latina vulgata editione. Porro ob illa duo verba: *In die octavo*, S. Augustinus coactus est hunc locum exponere de parvulis, ac dicere, Deum minari pœnam parvulis carentibus Circumcisione, et hinc ulterius coactus est verba sequentia: *Quia pactum meum irritum fecerunt*, exponere de peccato originali, et de pacto facto cum Adamo de non comedendo ligno scientiæ boni, et mali, quod solum parvuli prævaricari potuerunt: et hinc ultimo coactus est illa verba: *Peribit anima illa*, exponere de morte æterna, quæ debetur peccato originali. Vide Augustinum lib. XVI. civit. c. 27. lib. II de peccato originali, c. 30. et 31. et lib. II de nuptiis, et concupiscentia, cap. 11. At si removeamus a textu duo illa verba *(In die octavo)* ut vere removenda sunt, totum argumentum concidet. Nam non cogemur exponere hunc locum de parvulis, imo cogemur exponere solum de adultis, ut hic sit sensus: Masculus Hebræus, qui noluerit circumcidi, aut filium suum circumcidere noluerit, peribit de populo suo, quia inobediens fuit præcepto a me dato de Circumcisione. Ex qua sententia non magis sequitur, Circumcisionem justificare, quam quodcumque legis præceptum; millies enim Deus minatur mortem non servantibus præcepta.

Esse autem illum sensum ejus loci, ostenditur tribus modis. Primo, ex illis verbis: *Qui pactum meum irritum fecit.* Nam etsi S. Augustinus hoc exposuerit de pacto facto cum Adamo, tamen luce clarius est hoc debere exponi de pacto facto cum Abraham de circumcidendis masculis. Nam in illo capite octies nominatur pactum Dei, et semper accipitur pro pacto Circumcisionis. Et quid clarius illa expositione ipsius Dei in eodem capite: *Hoc est pactum meum, quod observabitis; circumcidetur ex vobis omne masculinum?* Proinde causa comminationis hoc loco non est peccatum originale, sed peccatum actuale, id est, transgressio præcepti de Circumcisione, cujus peccati soli adulti capaces sunt.

Secundo, idem probatur ex illa pœna: *Peribit anima ejus de populo suo.* Non enim ista verba significant mortem æternam, seu gehennam, sed pœnam aliquam temporalem. Nam id significat illud: *De populo suo;* non enim dicit, peribit absolute, sed peribit de populo, id est, separabitur a populo suo, seu per mortem corporalem, seu per quamdam veluti excommunicationem. Vox enim Hebraica כרת proprie exscindere significat. Et ponitur hæc pœna in Scriptura passim contra omnes, qui aliquam cæremoniam omisissent, ut patet Exodi XII et XXXI, Levit. VII, XVII, XVIII, XIX, XX et XXIII, Num. XV et XIX, in quo ultimo loco dicitur, peritura anima illius de populo suo, qui tetigerit cadaver, et se aqua non abluerit: quæ certe omissio non videtur crimen dignum æterna morte.

(1) Gen. XVII, 7.

Tertio probatur ex cap. IV Exodi, ubi Dominus Mosem occidere voluit, quia filium suum non circumciderat. Ubi clare videmus, pœnam illam esse mortem corporalem, et in eum latam, qui adultus sit, et capax peccati actualis, non in infantes. Et quamquam S. Augustinus quæst. 11. in Exodum, et lib. IV de Baptismo, c. 24. conatur ostendere filium Mosis, non ipsum Mosem in periculo fuisse ob incircumcisionem; tamen res clarissima est. Nam si Deus minaretur mortem parvulo, si non circumcidatur octavo die; quid profuisset filio Mosis Circumcisio illa facta post octavum diem? Deinde textus apertissimus est: *Cumque esset*, inquit, *in itinere in diversorio Moses, occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum.* Quem eum? nisi Mosem, de quo loquebatur in proximis verbis. Præterea sequitur: *Tulit ergo Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui.* Si illud: *Voluit occidere eum*, de filio Mosis intelligeretur, dixisset Scriptura: Circumcidit præputium ejus, non autem filii sui. Præterea addit Sephora, et dixit Mosi: *Sponsus sanguinum tu mihi es* (1), id est, jam te sponsum meum amissura eram, nisi te sanguine filii mei redemissem. Quare S. Hieronymus in comment. cap. V ad Galat. non dubitat, quin Moses in periculo fuerit hoc loco, non filius ejus.

Ad argumentum Calvini; nego Circumcisioni fuisse annexam promissionem remissionis peccatorum, et vitæ æternæ. Id enim repugnat. Primo, Apostolo et Augustino, qui, ut supra vidimus, docent meliores esse promissiones Testamenti novi, quam veteris. Secundo, repugnat primæ institutioni Circumcisionis. Nam primum imperata est ipsi Abrahæ, et ei primo facta est promissio: ipse autem justissimus erat ante Circumcisionem, ut patet ex Genes. c. XII et sequentibus ex Paulo Rom. IV. Non ergo promissio erat de remissione peccatorum. Tertio, repugnat isti ipsi cap. XVII Genes. ubi solum legimus, Deum promissione Abraham quando illi injuriat Circumcisionem, propagationem posteritatis, et terram Palestinæ: *Ponam*, inquit, *fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis*, et paulo post: *Ego sum, et ponam pactum meum tecum, eritque pater multarum gentium.* Et infra: *Daboque tibi, et semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan* (2). Et idem docet Apostolus Rom. IV. Verum quidem est, promissionem hanc terrenam, figuram fuisse promissionis spiritualis, et cœlestis, quæ danda erat iis, qui non carne, sed corde circumciderentur: et hoc etiam intelligebant Patriarchæ et Prophetæ, et alii viri perfecti illius temporis, ut dicit Apostolus ad Hebr. XI, et Tob. senior. II, Job. XIII, tamen ad litteram, promissio terrena erat annexa carnali Circumcisioni, et hæc sola ad vetus Testamentum pertinebat; et contrarium asserere, quod facit Calvinus, nihil est aliud, quam ex lege Evangelium facere, et omnia confundere.

Ad probationem Calvini ex illo: *Ero Deus tuus*, Respondeo, his verbis non significari promissionem vitæ æternæ, vel remissionis peccatorum, sed tantum, ut exponit Chrysost. in comment. hujus loci, promissionem cujusdam peculiaris protectionis; qualis debetur populo peculiari, qualis fuit Israeliticus, ut in Deuteronomio passim repetitur. Hoc autem modo Deus non tantum erat Deus bonorum, sed etiam malorum, modo essent de populo Israel. Proinde non significant promissionem remissionis peccatorum illa verba: alioqui Deus non fuisset Deus, nisi justorum. Adde, quod ista verba non tam sonant promissionem Dei, quam obligationem populi. Idem enim est: *Ero Deus tuus et seminis tui*, ac si dixisset: Non habebitis alium Deum quam me; juxta illud Hierem XXIV: *Ego ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.* Et illud Gen. XXVIII: *Si fuerit Dominus mecum, et dederit mihi panem ad manducandum, erit mihi Dominus in Deum* (3).

« At, inquit Calvinus, Deus non est mortuorum Deus, sed viventium; ut Christus ait: Ergo, Ero Deus tuus, significat promissionem vitæ æternæ. » Respondeo, Christi verba nihil aliud significare, nisi Deum non esse Deum eorum, qui non sunt, sed eorum, qui sunt, sive sint boni, sive mali; sive beati, sive damnati. Nam probare volebat contra errorem Sadducæorum, animas mortuorum hominum esse immortales, et ideo non extingui cum corpore, sed revera permanere, et vivere: id vero probavit optime ex verbis Dei ad Mosem Exod. IV: *Ego sum Deum Abraham, Deus Isaac, et Deus Ja-*

(1) Exod. IV, 24 et seq. — (2) Gen. XVII, 2, 4 et 8. — (3) Jerem. XXIV, 7; Gen. XXVIII, 20 et 21.

cob (1). Cum enim illi jam mortui essent, quantum ad corpus, nisi viverent, quantum ad animam, non diceretur, Deus esse Deus eorum; non enim Deus est Deus eorum, qui nihil sunt.

Ad illud ex epist. ad Ephes. Respondeo, Gentiles fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, et sine promissionibus, non quia carebant Circumcisione, sed quia carebant vera fide, et notitia veri Dei, et idola pro Deo colebant. Aliqui enim etiam inter Gentiles, qui Deum verum agnoscebant, ut olim Job, et postea Cornelius Centurio, et alii nonnulli, non erant sine Deo, sine Christo, et sine spe, etiamsi circumcisi non essent.

Argumentum secundum sumitur ex Levit. cap. IV, V, et VI, ubi sic legimus : *Anima quæ peccaverit, et contempta Domino, negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, et inficians etiam perjeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, convicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra, et quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat; pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum Sacerdoti juxta æstimationem mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur ei pro singulis, quæ faciendo peccavit.* Hic aperte videmus promitti remissionem cujuscumque peccati, etiam perjurii, quod inter gravissima numeratur, offerenti sacrificium. Et confirmatur argumentum. Nam si hæc cæremonia a Deo instituta cum tam insigni promissione remissionis peccatorum non justificat, inepte Catholici colligunt ex epist. Jacobi cap. V, Extremam unctionem justificare. Nam eodem modo loquitur Jacobus : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei* (2).

Respondeo, Sacrificia vetera valuisse ad expiationem peccati, quoad pœnam temporalem, et quoad immunditiam legalem, non quoad culpam, et pœnam gehennæ, nisi quatenus signa quædam erant protestantia fidem in Christum, ut docent communiter Theologi in IV. sent. distinct. 1. et S. Thomas in 1. 2. quæst CIII. articul. 2. et Alphonsus Tostat in cap. I Levit. quæst. 19.

Potest autem id probari multis modis. Primo, quia Scriptura non instituit sacrificia pro omnibus peccatis, sed solum pro peccatis ignorantiæ, præsertim contra cæremonias legis, ut patet Levit. IV et V, et etiam pro peccatis circa damnum proximi, in rebus externis, et pro perjurio ex cupiditate habendi res alienas prolato, ut patet Levitic. VI. Pro aliis peccatis gravioribus, ut pro blasphemia, homicidio, adulterio, idololatria, nullum invenitur sacrificium. Neque obstat, quod Levitic. VI dicitur, sacrificio arietis expiari omne id peccatum, quo peccare solent homines. Nam loquitur de omni peccato circa ablationem rei alienæ, non de omni peccato simpliciter, alioqui frustra capitibus superioribus ponerentur varia sacrificia pro variis peccatis. Igitur si sacrificia non expiabant omnia peccata, sed solum quædam, sine dubio non expiabant quoad culpam, sed solum quoad pœnam temporalem, vel immunditiam legalem. Nam Deus numquam remittit unum peccatum quoad culpam et pœnam æternam, quin remittat omnia; et hinc etiam apparet differentia inter promissiones istas veteris Testamenti, et promissiones Sacramenti Extremæ unctionis. Jacobus enim absolute de omnibus dicit : *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Secundo id probatur, quia sacrificia vetera, ut notat S. Thomas loco citato, non placebant Deo ex se, sed ex devotione et obedientia offerentium; ut patet : Quis Proverb. XV, victimæ impiorum dicuntur abominales Domino; Eccles. XXXIV : *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.* Isaiæ I, Ubi Dominus dixerat se nolle sacrificia Israelitarum; subjungit : *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Malach. II dicit Deus malis sacerdotibus : *Maledicam benedictionibus vestris.* Et I. Reg. XV : *Numquid vult Deus sacrificium, et non potius, ut obediatur voci Domini?* Denique Genes. IV: *Respexit Deus ad Abel et ad munera ejus; ad Cain et ad munera ejus non respexit* (3) : Unde Gregorius lib. XXII moral. cap. 12. « Iram Judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. » Et infra : « Idcirco non Abel ex muneribus,

(1) Exod. IV, 5. — (2) Jac. V, 14 et seq. — (3) Eccl. XXXIV, 23; Isai. I, 15; Malach. II, 2; I. Reg. XV, 22; Gen. IV, 4 et 5.

sed ex Abel munera oblata placuerunt. » Hinc ergo colligimus, sacrificia non valuisse ad expiationem peccati. Nam vel qui offerri jubebat, justus erat, vel injustus : si justus, non egebat remissione peccatorum; si injustus, nihil valebat ejus sacrificium, ut jam ostendimus. Dices, valere poterat injusto ex merito Sacerdotis offerentis. At non possunt merita unius conferre alteri primam gratiam certo, et infallibiliter. Hic autem ponitur promissio absoluta de remissione peccatorum; ergo oportet intelligere de remissione, quoad pœnam temporalem tantum.

Tertio, Ezechielis cap. XVIII, cum de remissione peccatorum agitur, nusquam fit mentio sacrificiorum. Imo Prophetæ cæteri, et Paulus diserte docent, non posse sacrificiis expiari culpas animorum. Ne igitur Scripturæ inter se pugnent, cogimur fateri, in Levitico non agi, nisi de expiatione legalis immunditiæ, vel remissione temporalis pœnæ.

Argumentum tertium sumitur ex I. Corinth. X, ubi Apostolus loquens de manna Hebræorum, et de aqua scaturiente ex petra, sic ait : *Eamdem escam spiritualem manducaverunt, et eumdem potum spiritualem biberunt* (1). Hoc argumentum magni facit Calvinus lib. IV Instit. cap. 14. §. 23 : « Nihilo splendidius de illis, inquit, loquitur Apostolus, quam de his : cum docet, Patres eamdem nobiscum escam spiritualem manducasse, et escam Christum interpretatur. Quis inane ausit facere signum illud, quod veram Christi communionem Judæis exhibebat? » Et infra : « Ergo, inquit, primum in Sacramentis pares nobis facit, nec ullam prærogativæ particulam nobis relinquit. » Idem argumentum urgent Petrus Martyr in Comment. I. Corinth. X. et Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 67.

Porro argumentum hoc quatuor habet difficultates. Nam primo, urgent particulam (*Eamdem*). Si enim eamdem escam Judæi veteres manducaverunt in manna, quam nos in Eucharistia, certe ejusdem erant virtutis manna et Eucharistia. Secundo, urgent particulam (*Spiritualem*). Si enim esca illa, et ille potus spiritualia erant, certe spiritualem effectum habebant, proinde non erant nuda signa corporalia. Tertio, urgent statum causæ. Nam (ut ipsi dicunt) Apostolus volebat admonere Christianos, ne nimium confiderent in perceptione Sacramentorum, et ut non crederent, sibi esse omnia salva, quia Baptismum et Eucharistiam percipierent, nisi etiam perseverarent in bonis operibus : id vero Apostolus facit exemplis antiquorum, quibus parum profuerunt similia Sacramenta, cum non abstinuerint se a peccatis. Oportet igitur Sacramenta illorum et nostra ejusdem esse dignitatis et efficaciæ, si Pauli argumentum aliquid valere debet. Quarto, confirmant ex Augustino, qui de isto loco Pauli disputans tract. 26. in Joannem, dicit, Sacramenta Judæorum et nostra fuisse in signis diversa; in re quæ significatur paria; diversa specie visibili, paria virtute spirituali.

Respondeo; Calvinum et Kemnitium secum apertissime pugnare. Nam in primis Calvinus et Kemnitius loco notato volunt, manna et aquam de petra scaturientem, imo et transitum maris rubri, Sacramenta fuisse apud Judæos, et Sacramenta justificantia, ut apud nos Baptismus et Eucharistia. At ipsi idem supra negarunt, ista esse Sacramenta. Nam Calvinus lib. IV. Institut. cap. 14. §. 19. dicit, Sacramenta, de quibus agimus, esse cæremonias ordinarias, non aliquid quod semel, aut iterum factum est. Et Kemnitius in Examine 2. par. pag. 41. posuit in definitione Sacramenti, ut sit cæremonia quæ duret, quamdiu religio durat. Constat autem, tales non fuisse mannam, aquam de petra, et transitum maris : illa enim nec cæremoniæ fuerunt, nec nisi ad breve tempus durarunt. Deinde Calvinus hoc loco dicit, ita esse paria Sacramenta vetera nostris, ut nulla prærogativæ particula nostris relinquatur, et tamen supra eodem cap. 14. §. 22. dixerat, nostra esse excellentiora, eo quod uberiorem gratiam conferant. Porro Kemnitius in alia re graviore secum pugnat. Nam hoc loco admittit cum Calvino, Eucharistiam nihilo esse præstantiorem, quam fuerit manna Judæorum; et non advertit, Calvinum ista argumenta proferre ad probandum, in Eucharistia non esse corpus Domini, nisi tropice, quomodo fuit in manna, cujus contrarium docent Lutherani, et ipse Kemnitius in hac ipsa 2. part. Exam. pag. 332.

Sed his omissis, ad primam partem argumenti respondeo; cum Scriptura dicit : *Eamdem escam manducaverunt;* non velle

(1) I. Cor. X, 3 et 4.

dicere, eamdem esse escam nostram et illorum, sed eamdem illorum omnium; est enim sensus : Omnes Judæi eamdem escam manducarunt, et tamen non omnes placuerunt Deo. Id quod probatur : nam primo, illa non erant Sacramenta, nostra sunt Sacramenta, ut jam ostendimus. Secundo, illa erant communia etiam bestiis : nam etiam bestiæ biberunt ex aqua scaturiente ex petra, et transierunt mare rubrum; et canes, et gallinæ, et similia animantia domestica, manna in cibum sumpserunt; et id non casu aliquo, aut malitia alicujus, quomodo etiam fieri posset, ut signa Eucharistiæ a bestiis vorarentur : sed ex instituto et voluntate Dei. Deus enim aquam de petra eduxit, ut biberent homines et jumenta : et mare aperuit, et pluit manna, ut transirent, et viverent homines et jumenta. Tertio, quia nulla legitur promissio facta comedenti manna, aut bibenti aquam illam, aut transeunti per mare rubrum : nostra autem Sacramenta habent amplissimas promissiones. Hic plane in angustias rediguntur.

Petrus Martyr in comment. I. Corinth. X. conatur extricare se; et postquam petiit, ubinam sint promissiones annexæ mari rubro et mannæ, ita respondet : « Existimo ea esse, quæ in Exodo et in Numeris legimus. In Exodo quippe admonebantur, ut attenderent visuri magnalia Dei. Idemque invenies de manna scriptum, si omnia diligenter percurreris. » Hæc ille. At ista testimonia sunt inopiæ et miseriæ adversariorum. Si enim aliquid haberent, notarent locum Scripturæ, non nobis injungerent, ut quæramus. Porro diligenter quæsivi, et non inveni, nisi has promissiones. Exod. XIV. filiis Israel transituris mare rubrum dicitur a Mose : *State, et videte magnalia Dei. Ægyptios enim, quos nunc videtis, non videbitis ultra in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Hæc autem promissio temporalis est, et continuo impleta occisis in mari rubro Ægyptiis, ut ibidem legimus. Rursus Exod. XVI. exhibetur manna populo, et coturnices, nec ulla promissio additur, nisi illa dicatur promissio : *Vespere comeditis carnes, et mane saturabimini panibus.* Denique Exodi XVII. et Num. XX. educitur aqua de petra : sed nulla est ibi promissio, nisi ista : *Cum eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, et jumenta ejus* (1).

Vidit Petrus Martyr, has esse terrenas promissiones; et idcirco ne penitus causa cecidisse videatur, ex istis ipsis promissionibus elicere conatur promissionem remissionis peccatorum. Utitur autem hac ratiocinatione : Extremum malorum, et radix omnium aliorum est peccatum; igitur cum petimus ab aliquo malo liberari, quodcumque illud sit tacito sensu petemus a peccato liberari. Igitur eodem modo, quæcumque bona Deus promittit aut exhibet, inniuntur reconciliationi cum eo, et gratiæ ac favori ejus. At certe facilius esset, ex petra elicere aquam, quam ex his locis Scripturæ elicere promissionem reconciliationis. Nam etiamsi peccatum Adæ fuit occasio omnium malorum, tamen non sunt ita connexæ afflictiones hujus vitæ cum peccatis, ut non possint esse separatæ. Sæpe enim peccant homines, et tamen non puniuntur in hac vita : sæpe non peccant, et affliguntur, ut patet de S. Job et Tobia, et aliis, qui non propter peccata, sed ad exercitium virtutis affligebantur. Et contra in rebus bonis, sæpe Deus dat affluentiam rerum temporalium iis, quibus non est daturus gratiam suam, et vitam æternam, vel ut remuneret eorum bona opera moralia, vel aliis de causis; et non dat bona temporalia iis, quibus daturus est vitam æternam, ut patet Luc. XVI. exemplo divitis et mendici; et in Scripturis passim de Nabuchodonosor, de Cyro, et aliis, quibus Deus subjecit orbem terræ, cum tamen ejus amici non essent. Vide Augustinum lib. V. de Civit. Dei cap. 12. et 15. Itaque errat Martyr apertissime, cum dicit, quælibet bona quæ Deus dat, inniti reconciliationi cum Deo, et gratiæ ipsius. Nec sequitur; Deus promisit populo Judæorum victoriam de hostibus, vel abundantiam cibi et potus; ergo promisit remissionem peccatorum, et vitam æternam. Vide Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 14. ubi probat, nullam fuisse spiritualem promissionem in transitu maris rubri, mannæ, aquæ etc. ac dicit, eos universam Evangelicam dispensationem extenuare, qui signa illa nostris æquant : « Quæ, inquit, peccatorum remissio, quæ vitæ renovatio in mari? quod donum spirituale datum est per Moysen? quæ illic peccati mortificatio? »

Ad secundam partem argumenti dico,

(1) Exod. XIV, 13; XVI, 12; Num. XX, 8.

Manna et aquam de petra scaturientem vocari cibum et potum spiritualem, non propter effectum, sed propter causam, et propter significationem. Propter causam quidem, quia utrumque productum erat per miraculum opera Angelorum; ut indicant hoc loco Chrysostomus et Theophylactus. Unde Psal. LXXVII manna dicitur panis Angelorum? *Panem Angelorum manducavit homo.* Et certe non dicitur panis Angelorum, quia eo vescantur Angeli, sed quia eum fecerunt Angeli. Et de aqua explicat idem Apostolus, cur diceretur potus spiritualis : *Bibebant, inquit, de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus* (1). Ubi non ipsam aquam quam bibebant, vocat spiritualem; sed petram, quæ erat causa illius aquæ; et monet, veram causam illius aquæ non fuisse petram corporalem et visibilem, quæ fixa humi jacebat, sed quamdam aliam invisibilem petram, id est, Christi Dei providentiam, quæ eos numquam deserebat. Quare cum dicit Apostolus : *Bibebant de spirituali petra*, non est sensus (ut putavit Calvinus) quod biberent spiritualem petram, id est, Christum, sed quod biberent aquam ex petra spirituali, id est, Christo, tamquam ex causa efficiente profluentem. Quocirca non comparat Apostolus aquam cum Christo, sed petram, quæ erat causa aquæ. Confirmatur hæc tota expositio ex Joan. VI : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (2). Ubi Dominus apertissime docet, non fuisse manna Judæorum cibum spiritualem, quoad effectum, ut est Eucharistia : qui enim manna manducarunt, mortui sunt.

Respondet Calvinus lib. IV Instit. c. 14, §. 25. et Martyr loco citato, Christum se accommodasse crassæ Judæorum opinioni, qui manna nihil aliud nisi cibum ventris esse cogitabant. Itaque Christum non asseruisse, se daturum meliorem cibum, quam fuerat manna revera, sed quam fuerat manna secundum crassam Judæorum opinionem. At contra. Nam vel Judæi recte sentiebant, manna fuisse cibum corporalem tantum, vel non recte : si recte, igitur nostra Eucharistia est longe melior, cum sit cibus spiritualis : si non recte, igitur Dominus approbavit illorum errorem, et non sincere, imo nec vere locutus est. Siquidem etiam ipse asserit, cibum illum fuisse corporalem tantum, cum ait : *Patres vestri manducaverunt manna, et mortui sunt.* Et clarius paulo ante : nam cum gloriarentur, patres suos manducasse manna in deserto : et hunc panem quasi cœlestem jactarent, Christus dixit : *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum* (3), id est, (ut recte exponit Cyrillus lib. III. in Joan. c. 34. et Chrysostomus hom. 44. in Joan.) manna non erat revera panis cœlestis, sed terrenus, licet de cœlo, id est, ex aere descenderit; panis autem vere cœlestis est iste, quem nunc Pater dat vobis.

Adde quod Chrysostomus hom. 45. in Joan. nobiscum sentit : « Animadverte, inquit, quam faciat hujus panis et mannæ differentiam, ab utriusque scilicet fine : quod enim manna nihil magnum præberet, addit : Patres nostri manducaverunt etc. » Item Cyrillus lib. IV. in Joan. cap. 11. de manna Judæorum, ita Christum loquentem inducit : « Ego sum panis vivus; ille figura, imago, umbraque solummodo fuit. »

Ad tertiam partem argumenti respondeo, scopum Apostoli non esse ostendere, non esse nimium confidendum in Sacramentis, sed potius non esse abutendum Sacramentis. Nam si vellet ostendere non esse nimirum confidendum in Sacramentis, idque exemplo Judæorum, ut Circumcisionem, et agnum Paschalem, et similia. Ipse autem accepit alia quædam, quæ sunt quidem figuræ Sacramentorum nostrorum, non tamen sunt ipsa Sacramenta, ut supra ostendimus. Præterea id patet ex ipso contexto. Nam c. VIII. hortabatur Christianos, ne manducarent idolothyta; ne eo modo offenderent infirmos : deinde cap. IX ostendit exemplo suo, oportere non offendere infirmos : tum cap. X. redit ad quæstionem de idolothytis, et probat non esse ea comedenda, quia nimis turpe sit, a mensa Domini transire ad mensam dæmoniorum; id enim est signum magnæ ingratitudinis in Christum, et magnæ irreverentiæ erga Sacramenta ipsius. Ad hoc igitur ostendendum profert exempla Judæorum. Proinde non requiritur (ut vult Calvinus) ut parem vim tribuamus mari rubro et Baptismo, mannæ et Eucharistiæ. Nam quo sunt illa inferiora, eo argumentum Pauli est fortius. Si enim Judæi puniti sunt, quod contempserint figu-

(1) Psal. LXXVII, 25; I. Cor. X, 4. — (2) Joan. VI, 49 et 52. — (3) Joan. VI, 49 et 32.

ras Sacramentorum nostrorum, et ingrati fuerint Deo, a quo illa beneficia acceperant; quanto justius puniendi sunt Christiani, qui contemnunt Sacramenta ipsa, et ingrati sunt Deo, a quo acceperunt beneficia longe majora?

Ad quartam partem argumenti respondeo, S. Augustinum nusquam dicere Sacramenta nostra, et vetera esse paria, quoad efficaciam, sed tantum quoad significationem, seu rem significatam, quia nimirum eumdem Christum omnia significant. Vide Augustinum non solum tract. 26 et 45. in Joannem, quæ loca adversarii citant; sed etiam in Psalm. LXXII et LXXVII, et tract. 11. in Joannem, et hom. 27. ex lib. 1. homiliarum: ubique enim hoc repetit, diversa fuisse signa, sed unam rem significatam, id est, Christum. Illa autem verba, quæ Calvinus citat ex tractat. 26. in Joannem: « Diversa sunt specie visibili, paria virtute spirituali; » non integre et bona fide adducta sunt. Sic enim Augustinus loquitur: « Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali, » id est, diversa erant signa, tamen quoad vim spiritualem significandi, eadem erant, quia idem significabant: quod clarius paulo ante dixerat his verbis: « In signis diversa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt. » Nec poterat Augustinus ullo modo dicere, quod ei Calvinus tribuit, Sacramenta vetera nostris æqualia esse, quoad efficaciam, cum in Psalm. LXXII dixerit nostra esse salubriora et feliciora, et lib. XIX contra Faustum c. 13. nostra dixerit esse virtute majora, utilitate meliora.

Unum est hic observandum, Augustini expositionem, qui per eamdem escam spiritualem I. Corinth. X. intelligit significari, eadem esse Sacramenta vetera et nova, quoad vim significandi, et inde illam escam dictam esse spiritualem, non esse quidem contra nos, ut jam ostendimus: tamen non esse necessario sequendam. Nam si per escam spiritualem intelligeremus escam spiritualiter intellectam, ut vult Augustinus, tunc soli justi eam manducassent. Id quod fatetur Augustinus, et ideo notat Paulum dixisse: *Patres nostri eamdem escam spiritualem manducaverunt* (1); non autem Patres vestri, quia loquebatur solum de justis, qui sunt nobis similes. Christum autem Joannis VI, dixisse: *Patres vestri manducaverunt manna* (2), non, Patres nostri; quia loquebatur Dominus de malis Judæis, qui non manducaverunt illam escam spiritualiter. At hoc repugnat Apostoli verbis, qui ait: *Patres nostri omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt*, et per, *Omnes*, intelligit non omnes justos tantum, sed omnes absolute tam bonos, quam malos, qui in deserto illo fuerunt. Nam subjungit: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*: et paulo ante dixerat: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt* (3). At certe non tantum boni, sed etiam mali sub nube fuerunt, et mare transierunt. Verior igitur est Chrysostomi et Cyrilli expositio, et aliorum interpretum, quos supra secuti sumus. Nec mirum esse debet, si anteponimus in hujus loci explicatione Chrysostomum Augustino. Nam ille scripsit commentaria ex professo in epistolam hanc B. Pauli: hic autem obiter explicuit hunc locum in commentariis in Joannem.

Argumentum quartum sumit Kemnitius ex Paulo Coloss. II: *Circumcisi estis Circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis* (4). « Paulus, inquit Kemnitius, pag. 66, permutatis vocabulis Circumcisionis et Baptismi, significat nos, qui in novo Testamento per Baptismum habemus exspoliationem corporis peccatorum carnis, accepisse, et habere idem, quod circumcisi in veteri Testamento per Circumcisionem acceperunt. »

Respondeo, hoc argumentum nihil concludere. Nam etiamsi Paulus Baptismum vocat Circumcisionem, quia Circumcisio fuit figura Baptismi; tamen non inde sequitur, eumdem fuisse effectum utriusque, imo sequitur non esse eumdem, cum non possit esse vis eadem figuræ, et rei figuratæ. Unde idem Apostolus Circumcisionem Judaicam vocat manu factam, nostram autem negat esse manu factam, quia qui principaliter baptizat, Deus est, non homo. Neque tribuit Paulus effectum Circumcisionis Baptismo. Nam exspoliare corpore a peccatorum, id est, a toto corpore obnoxio peccatis, et reddere hominem plene spiritualem tribuit Paulus soli Circumcisioni Christianæ, id est, Baptismo. Circumcisio enim Judaica non totum corpus, sed unam particulam circumcidebat.

(1) I. Cor. X, 3. — (2) Joan. VI, 49. — (3) I. Cor. X. 5 et 1. — (4) Coloss. II, 11.

Argumentum quintum est Kemnitii pagina 67. ex Paulo ad Hebr. XIII: *Christus Jesus heri, et hodie, ipse et in sæcula* (1).

Respondeo, argumentum si quid concludit, tantum concludere Sacramenta vetera idem significare, quod nostra significant, nimirum Christum, qui erat in Testamento veteri latens in figuris et vaticiniis. At ne hoc quidem concludit. Nam Apostolus loquitur de fide, et doctrina, non de Sacramentis: vult enim credi, Christum esse æternum, non temporalem, ut somniabant hæretici.

CAPUT XVIII.

De Charactere.

Sequitur tertia quæstio de effectu Sacramentorum, quæ est de charactere: An scilicet Sacramenta aliqua imprimant in anima indelebilem characterem. Tria dicemus. Primo, quid adversarii sentiant de charactere. Secundo, quæ sit sententia ac doctrina Catholicorum de charactere. Tertio, demonstrabimus ex Scriptura, Patribus, et rationibus hanc veritatem. Ex quibus argumenta adversariorum evanescent.

Quoad primum Joannes Wiclefus lib. IV Trialogi, c. 15. (teste Thoma Waldensi tom. II de Sacramentis, c. 109.) characterem Sacramentalem affirmat nec Scriptura, nec ratione posse probari. Idem hoc tempore docent omnes hæretici, ac in primis Joannes Calvinus in antidoto Concilii sess. VII, can. 9. et Martinus Kemnitius in II. part. Exam. pagina 129 et seq. et Tilmannus Heshusius in lib. de erroribus Pontificiorum lit. V.

Argumenta sunt tria, quibus utitur Kemnitius. Primum, quod in Scripturis, et Patribus de charactere isto mirum silentium sit. Quod argumentum etiam Calvini est; et ex his, quæ dicemus, per seipsum corruet.

Secundum est, quod inter ipsos etiam Scholasticos nihil sit certum; id quod ex Gabriele probat. Et hoc etiam argumentum paulo post evanescet.

Tertium, quod primus auctor, sive excogitator characteris fuerit Innocentius III Papa; qui multa mala partim decrevit, partim etiam fecit, ac inter alia Othonem Imperatorem creari curavit, ac postea eumdem excommunicavit, ac deposuit. In quo argumento duo sunt mendacia. Unum, quod Innocentius III excogitaverit primus characterem; quod mendacium est. Nam idem Innocentius cap. Majores, extra de Baptismo, refert opinionem quorumdam dicentium, eos, qui inviti baptizantur, recipere tantum characterem, ut illi, qui baptizantur ficti. Non ergo ipse primus excogitavit characterem. Alterum, quod idem Pontifex malus fuerit: fuit enim unus ex laudatissimis Pontificibus. Nam ut omittam opera ejus, libros de contemptu mundi, sermones et epistolas, quæ pietatem spirant: laudatur ab omnibus historicis, ut optimus, et doctissimus. Ac ut omittam Italicos, Blondum, Platinam, et alios, solum audiamus testimonium duorum Germanorum.

Albertus Krantzius homo Germanus, et qui ante Lutheranas contentiones scripsit, proinde nec odio, nec amore ducebatur lib. IX Metropolis cap. 1: « Laudabilia, inquit, multa scripsit, multa constituit, » et lib. XII, c. 2: « Præfuit, inquit, Innocentius III Pontifex, cui parem multa doctrina, rerum magnificentia ætas illa non habuit. » Idem lib. VII Saxoniæ, c. 37. scribit, Othonem Imperatorem rebellem Ecclesiæ fuisse, et ideo nihil ei prosperum successisse, et tandem in morte summum dolorem, et contritionem ob id peccatum habuisse, adeo, ut etiam juberet ab infimis famulis domus suæ in signum pœnitentiæ collum sibi pedibus conculcari: quæ certe pœnitentiæ non Papam, sed Imperatorem errasse docet.

Abbas Urspergensis, item Germanus, et qui tempore Innocentii vixit, et non bene erga eum affectus fuit, quod studeret Philippo Imperatori, cui Papa adversabatur; et denique quem solum Kemnitius citat contra Innocentium, iste, inquam, auctor rectissime de illo sensit. Nam ubi scribit de Philippo Imperatore, dicit, non esse credendum, quod Papa voluntatem suam Deo præferre voluerit, licet Philippo adversaretur, quod est dicere Papam non malo animo, sed ex aliqua falsa informatione non favisse Philippo. Et infra loquens de excommunicatione Othonis dicit, Othonem contra juramentum Domino Papæ factum invasisse hostili-

(1) Hebr. XIII, 8.

ter, et sibi usurpare voluisse terras S. Petri. Item addit Papam pro bono pacis omnes injurias tolerare voluisse, et tamen ne sic quidem potuisse flecti Othonis obstinationem. Ibidem dicit Papam ut fortem virum, et in Domino confidentem tria ardua negotia peregisse, nimirum Othonis depositionem; expeditionem pro auxilio terræ sanctæ, et Concilium generale maximum, et Ecclesiæ utilissimum.

CAPUT XIX.

De charactere sententia Catholicorum.

Quantum ad secundum, sententiam Catholicorum aliquot propositionibus complectemur: quibus comprehendam solutiones omnium quæstionum; quas Kemnitius attingit, et de quibus dicit nihil esse certum.

Prima: « Signum aliquod spirituale animæ imprimitur in quibusdam Sacramentis, quod character appellatur. » Hæc est omnium Catholicorum in IV. dist. 6. et habetur expresse in Conciliis generalibus, Florentino in Instructione Armenorum, et Tridentino sess. VII. canon. 9. Est autem notandum, Theologos aliquos, ut Durandum in IV. dist. 4. quæst. 1. et Scotum dist. 6. quæst. 9. et Gabrielem ibidem quæst. 2. admittere quidem characterem, sed quædam docere, quæ videntur facere pro Kemnitio. Primo Durandus dicit characterem non esse aliquid reale distinctum ab anima, sed esse solum respectum rationis: tamen ibidem dicit, characterem non esse debere negari, et hoc omnes Theologos dicere. Igitur Durandi dubitatio non est de charactere, an sit, sed quid sit. Porro cæteri omnes fatentur characterem esse aliquid reale distinctum ab anima. Scotus dubitat de ratione probandi characterem, ac dicit non posse probari ex aliquo manifesto Scripturæ testimonio, vel etiam ex Patribus: tamen ob Ecclesiæ auctoritatem non dubitat esse certissimum dari characterem. Gabriel dubitat etiam, an Ecclesia id definierit, tamen dicit, esse præsumptuosum negare characterem: his enim verbis utitur in fine primi dubii. Cæteri omnes non solum Ecclesiæ auctoritate, sed etiam Scripturis et Patribus, docent characterem probari posse. Nulla ergo fuit inter Scholasticos quæstio, nisi de modo probandi characterem.

Nomen autem characteris acceperunt Scholastici ab Augustino, qui hoc nomine passim utitur: alii enim veteres ante Augustinum, signum, aut signaculum vocant, non characterem; res tamen eadem est. Character enim Græco vox est et formam significat, seu figuram, et habetur in Codice Græco hoc nomen in Scripturis Hebr. I. et in Codice Latino Apocalyp. XIII. licet non de Sacramentis, sed de aliis rebus in his locis agatur.

Secunda propositio: « Character non est relatio, sed absoluta qualitas. » Hæc est communis, Scoto et Durando exceptis. Durandus loco citato, docet characterem esse ens rationis, id est, respectum advenientem ex deputatione ad certum officium, qualis est relatio in Doctoribus, Prætoribus etc. Quæ sententia vix distinguitur ab hæresi hujus temporis, et videtur expresse damnata in Conciliis, quæ si Durandus videre potuisset, sine dubio aliter docuisset. Hæretici enim non negant, neque negare possunt, quin sit aliqua relatio rationis in ministris, quæ non est in aliis, qui non sunt deputati ad ministrandum. Proinde Concilium Tridentinum cum dicit anathema negantibus characterem, et intendit errorem aliquem damnare, sine dubio damnat eos, qui negant realem characterem. Scotus vult esse realem relationem: sed certe vix id defendi potest. Nam character omnium consensu producitur per actionem Sacramentalem: relationes autem non producuntur, sed consurgunt ad productionem fundamenti proximi. Præterea quod esset fundamentum hujus relationis? num anima? At tunc in omnibus hominibus esset character. Num fides, aut gratia? At sine his character esse potest. Scio Scotum quoddam genus relationis constituere, ad quod actio esse possit. Sed non est mihi propositum ista latius disputare; neque desunt, qui sententiam illam Scoti accurate refutaverint. Certe nomen ipsum characteris, nonne aliud, quam relationem significat? Denique modus loquendi Patrum, qui dicunt characterem imprimi, et infigi, eoque nos consecrari, et consignari, absolutam rem nominant. Est igitur character qualitas absoluta, ex qua tamen consurgit relatio similitudinis ad Christum, cui configuramur per characterem.

Tertia propositio: « Character tria habet officia, aptum facere ad cultum divinum, configurare Christo, et distinguere ab aliis. » Explico: Primum officium est aptum facere. Est enim character potestas quædam spiritualis et supernaturalis, partim activa, partim passiva. Nam tria sola Sacramenta imprimunt characterem, Baptismus, Confirmatio, Ordo. Character Baptismatis est passiva potestas: facit enim hominem aptum ad suscipienda omnia alia Sacramenta, et sine ipso nulla Sacramentorum aliorum susceptio est rata. Character Ordinis est activa potestas ad ministranda aliis Sacramenta. Character Confirmationis habet utrumque: Nam et facit aptum ad alia Sacramenta suscipienda, et facit etiam aptum ad profitendam fidem. Videtur tamen magis principaliter esse activus, quam passivus, character iste Confirmationis. Nam sine isto charactere tenent reliqua Sacramenta, quod non esset, si iste character esset principaliter passivus, sicut character Baptismi. Est tamen hic notandum, istam potentiam non videri Physicam, sed moralem. Non enim character attingit affectum, sed tantum operari dicitur, quia ubicumque est talis character, Deus ex pacto adest, et concurrit ad effectum supernaturalem producendum, quod non facit, ubi non est talis character.

Secundum officium oritur ex primo. Quia enim ista potentia derivatur a Christo, et est quædam quasi participatio potestatis Christi, qui, ut summus Sacerdos, habet omnem potestatem in Sacramentis, ideo character configurat nos Christo, et similiores illi facit, quam sint alii, qui non habent characterem.

Tertium officium oritur ex secundo. Quia enim per characterem Christo configuramur speciali quadam ratione, inde fit ut distinguantur isti ab aliis, ut sacerdotes a laicis, et laici confirmati a non confirmatis et baptizati a non baptizatis. Atque hinc intelligitur cur Theologi dicant, characterem esse Sacramentum, et rem Sacramenti, cum signum externum it Sacramentum tantum, gratia autem sit res tantum. Nam character est effectus Sacramenti sensibilis, et sic dicitur res: et simul est signum, quod homo sit consecratus Deo, et Christi miles etc. imo etiam gratiæ, quæ vel adest, vel adesset, nisi poneretur obex.

Quarta propositio: « Character Sacramentalis in sola anima est, tamquam in subjecto. » Nota, convenire omnes characterem esse in anima inhæsive. Accidens enim non inhæret in accidente, sed in substantia: tamen potest accidens unum esse in alio duobus modis. Primo, quia mediante illo est in substantia; quomodo accidentia corporalia sunt in quantitate. Secundo, quia perficit operationem alicujus alterius accidentis, quomodo fides dicitur esse in intellectu, spes et charitas in voluntate. Hoc modo characterem aliqui ponunt in intellectu, ut necessarium ad exercendos actus intellectus. Alii ponunt in voluntate: quia putant disponere ad charitatem, quæ est in voluntate. Alii ponunt simpliciter in substantia animæ, et hoc videtur verius, quia non est habitus, vel potentia operativa. Unde Concilia Florentinum, et Tridentinum dicunt, imprimi in anima.

Quinta propositio: « Character indelebilis est. Hæc habetur in Conciliis notatis, et ab omnibus conceditur. Ratio a posteriori est, quia constat, Sacramenta quæ imprimunt characterem, non posse repeti. A priori multæ rationes adducuntur, sed potissima est, quia character non habet contraria, et est in subjecto incorruptibili. Non enim est sicut habitus fidei, aliarumque virtutum, qui per actus contrarios tolluntur: sed est sicut potentia secundum quosdam, vel sicut forma, seu figura secundum alios. Accedit quod character est quædam consecratio animæ: consecratio autem tamdiu durat, quamdiu durat res consecrata.

Sexta propositio: « Tria solum Sacramenta imprimunt characterem, Baptismus, Confirmatio, Ordo. » Hæc etiam habetur in Conciliis prædictis, et ab omnibus conceditur, et ratio a posteriori eadem est, quæ superioris conclusionis. A priori difficile est, et minime necessarium, reddere rationem. Illa potissimum adduci solet, quod in his tribus accipit homo novam potestatem, ac deputatur novo ministerio per novam consecrationem, et quodammodo statum mutat; et proinde accipit novum signaculum. Nam in Baptismo transit homo a Diabolo ad Christum, et adscribitur in ejus familiam, et accipit potestatem participandi Sacramenta, aliaque bona Ecclesiæ Christi. In confirmatione adscribitur ad militiam Christi, ut gerat vexillum ejus in fronte, et accipit robur, et potentiam, ut ex officio pugnet contra dæmones. In Sacramento Ordinis adscribitur in numerum ducum, et præposito-

rum hujus militiæ, et accipit potestatem distribuendi aliis bona Domini sui. In aliis Sacramentis non fit mutatio status, nec deputatur homo novo ministerio, nec accipit novam potestatem; sed vel aliter spiritualiter, ut in Eucharistia, vel accipit medicamentum contra morbos, et vulnera peccatorum, ut in Sacramento Pœnitentiæ, vel accipit antidotum contra reliquias peccatorum, ut in Extrema unctione, vel denique accipit remedium contra concupiscentiam, ut in Matrimonio.

Septima propositio : « Nec Circumcisio, nec ullum Sacramentum veteris legis imprimebat characterem in anima. » Ita S. Thomas 3. part. quæst. LXIII. artic. 1. Contrarium sentit Scotus de Circumcisione in IV. dist. 6. quæst. 9. ad 1. sed verior est sententia S. Thomæ. Nam Circumcisio imprimebat in corpore characterem, et eo modo figura erat Baptismi, qui characterem in anima impressurus erat. Præterea character nobis imprimitur ad suscipienda vel ministranda opera supernaturalia : nulla autem opera Sacramentorum legis veteris erant supernaturalia. Denique Scotus quia docuerat, Circumcisionem ex opere operato conferre gratiam, non sine causa tribuit etiam impressionem characteris Circumcisioni. At nos, qui docemus Circumcisionem nullam vim habuisse ex se, nisi ad præcidendam carnem : debemus etiam consequenter negare vim imprimendi spiritualem characterem.

Octava propositio : « Nullus in Christo character fuit creatus. » Est enim S. Thomæ 3. part. quæst. LXIII. art. 5. Et ratio est, quia character est quædam participatio sacerdotii Christi, igitur solum est in illis, qui habent hoc sacerdotium per participationem. Item signari charactere, est ovium, servorum, militum, denique subditorum, qui recipiuntur ab aliquo majore ad aliquod ministerium; Christus autem est Pastor, Dux, Dominus etc. Item Christus non accepit ulla Sacramenta novæ legis præter Eucharistiam, ergo nec eorum characteres. Denique nos egemus charactere, ut Deus nobiscum quasi ex pacto concurrat ad actiones Sacramentales; At Christus non eget, ut ullus cum eo ex pacto concurrat, cum sit ipse causa principalis ut Deus, et instrumentalis conjuncta ut homo. Non enim facit ullus pactum secum, aut cum suo brachio de concursu.

(1) II. Cor. I, 21 et 22.

CAPUT XX.

Probatur character ex Scripturis.

Quantum ad Tertium, probandum est ex divinis litteris, characterem esse. Ubi interim Observandum est, non esse mirandum, si non inveniantur tot testimonia, et tam expressa de charactere, ut inveniuntur de gratia. Nam gratia est effectus principalis, character secundarius, item gratia est effectus omnium Sacramentorum, character aliquorum tantum; proinde vera ratio Sacramenti potest sine charactere consistere. Denique notitia gratiæ magis necessaria est, quam characteris. Non desunt tamen loca Scripturæ, ex quibus character colligi possit, præsertim adjuncta explicatione Patrum, et Ecclesiæ, sine qua nullum dogma Ecclesiasticum omnino certo statui potest.

Primum testimonium est II Corinth. I : *Qui unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (1). Hic tres effectus ponuntur Sacramenti confirmationis, in quo proprie ungimur, et signamur tum exterius, tum interius. Primo unctio, quæ sine dubio fit per gratiam gratum facientem. Ut enim oleum sanat morbos, reddit robusta membra, illustrat, consolatur etc. ita gratia justificans facit. Secundo est signum, seu obsignatio quædam, qua consecramur Deo, et deputamur ad ejus cultum, et per hanc intelligimus characterem, quem Patres passim signum et sigillum vocant. Tertio pignus spiritus, id est, testimonium bonæ conscientiæ, quod sequitur justificationem, et est quasi arrhabo figuræ gloriæ. Nihil enim in hoc mundo jucundius testimonio bonæ conscientiæ : hæc est enim pax, quæ exsuperat omnem sensum. Neque potest responderi per hoc signum intelligi ipsum Sacramentum externum, quo obsignantur promissiones, ut adversarii volunt; tum quia Paulus loquitur de obsignatione cordis, non corporis, ut etiam de unctione interna, et testimonio interno; tum etiam quia Paulus dicit nos obsignari, non promissiones. Alioqui etiam oporteret dicere inungi promissiones : nam eodem modo loquitur Paulus de signo, et de unctione. Vide Ambrosium lib. I. de Spiritu sancto cap. 6. Haymonem et Theodoretum in hunc locum.

Secundus locus est Ephes. I : *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis* (1). Ubi nota illud (credentes) in Græco esse temporis præteriti πιστεύσαντες, id est, postquam credidistis. Quocirca loquitur de Baptismate, quod datur post fidem; ac dicit in Baptismate dari obsignationem virtute Spiritus sancti. Et ita exponunt de signaculo, quod accipitur in Baptismo Græci et Latini, Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, Haymo, Beda, Anselmus, et alii. Nec possumus dicere hic agi de obsignatione promissionum ad excitandam fidem, quandoquidem hæc signatio datur post fidem.

Tertius locus est Ephes. IV : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis;* ubi per *diem redemptionis* (2), intelligit diem regenerationis per Baptismum, ut Haymo, et Œcumenius annotarunt. Neque obstat particula illa, *in diem*, quia Apostolus solet usurpare præpositionem εἰς, quæ conjungitur accusativo, pro præpositione ἐν, quæ conjungitur dativo apud Græcos, et ablativo apud Latinos : ut II Tim. ult. : *Salvabit me in regnum suum cœleste* (3), id est, in regno suo cœlesti.

Hæc omnia loca Calvinus in commentario exponit de obsignatione promissionum, quam Deus in cordibus facit, ut fides magis confirmetur. Sed repugnat modus loquendi Apostoli, qui semper dicit, non obsignari, esset enim nimis impropria, et innsitata locutio, obsignari hominem, pro eo quod est, obsignari promissiones homini factas.

His accedant figura, et vaticinium Testamenti veteris. Nam Circumcisio fuit figura Baptismi omnium consensu. Circumcisio autem non solum præcidebat carnem, quo significabatur justificatio a peccato, sed etiam relinquebat in corpore quoddam veluti cauterium, quo discernebantur Judæi a non Judæis. Quod cauterium si quid significabat, certe significabat characterem, quem in anima gerunt Christiani, quo discernemur in æternum a non Christianis. Vaticinium habetur Isai. LXVI. ubi loquens Dominus de vocatione gentium : *Omnes gentes*, inquit, *et linguæ venient, et videbunt gloriam meam, et ponam in eis signum etc.* (4) Quamvis enim per hoc signum possit intelligi signum crucis, aut aliquid aliud, tamen nihil repugnat si dicamus intelligi characterem : præsertim cum videamus Paulum loqui de signo quodam spirituali interno, et oporteat Scripturam exponere per Scripturam, cum id fieri potest.

Aliqui addunt aliam figuram ex Exod. XII. ubi signantur postes, et superliminaria sanguine agni, et vaticinium Ezech. IX : *Signa Thau in frontibus gementium, et dolentium* (5). Sed hæc loca non sunt ad rem. Nam exponuntur a Patribus de signo crucis, quod inscribitur in fronte, et recte : nam Ezechiel nominat frontem, et idem significat superliminare, quod est in porta domus id, quod est frons in homine. Unde etiam in Apoc. VII. ubi habetur similis obsignatio, etiam nominatur frons, donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et præterea in utroque loco dicuntur salvari omnes signati, et nulli non signati salvari : quod certe non convenit characteri; multi enim cum charactere damnabuntur, et multi sine charactere salvabuntur. At omnes salvantur, qui signantur Christi cruce sanguine, id est, quibus applicatur meritum crucifixi, cujus figura est signum crucis; et nulli salvantur quibus hoc meritum non applicatur. Vide de his locis Cyprianum tract. contra Demetrianum. Hieronymum in cap. IX Ezechiel. Gaudentium tract. 5. in Exodum.

(1) Eph. I, 13 et 14. — (2) Eph. IV, 30. — (3) II. Tim. IV, 18. — (4) Isai. LXVI, 18 et 19. — (5) Ezech. IX, 4.

CAPUT XXI.

Idem probatur ex Patribus.

Dionysius Areopagita lib. de Eccles. hierarch. cap. 2. part. 1. dicit Baptismum formare hominem ad alia suscipienda Sacramenta. Illam formationem vocamus nos characterem. Idem par. 3. de eo qui baptizatur, ita loquitur : « Hunc, inquit, divina Majestas in sui consortium intus admittit, eique

rum hujus militiæ, et accipit potestatem distribuendi aliis bona Domini sui. In aliis Sacramentis non fit mutatio status, nec deputatur homo novo ministerio, nec accipit novam potestatem; sed vel aliter spiritualiter, ut in Eucharistia, vel accipit medicamentum contra morbos, et vulnera peccatorum, ut in Sacramento Pœnitentiæ, vel accipit antidotum contra reliquias peccatorum, ut in Extrema unctione, vel denique accipit remedium contra concupiscentiam, ut in Matrimonio.

Septima propositio : « Nec Circumcisio, nec ullum Sacramentum veteris legis imprimebat characterem in anima. » Ita S. Thomas 3. part. quæst. LXIII. artic. 1. Contrarium sentit Scotus de Circumcisione in IV. dist. 6. quæst. 9. ad 1. sed verior est sententia S. Thomæ. Nam Circumcisio imprimebat in corpore characterem, et eo modo figura erat Baptismi, qui characterem in anima impressurus erat. Præterea character nobis imprimitur ad suscipienda vel ministranda opera supernaturalia : nulla autem opera Sacramentorum legis veteris erant supernaturalia. Denique Scotus quia docuerat, Circumcisionem ex opere operato conferre gratiam, non sine causa tribuit etiam impressionem characteris Circumcisioni. At nos, qui docemus Circumcisionem nullam vim habuisse ex se, nisi ad præcidendam carnem : debemus etiam consequenter negare vim imprimendi spiritualem characterem.

Octava propositio : « Nullus in Christo character fuit creatus. » Est enim S. Thomæ 3. part. quæst. LXIII. art. 5. Et ratio est, quia character est quædam participatio sacerdotii Christi, igitur solum est in illis, qui habent hoc sacerdotium per participationem. Item signari charactere, est ovium, servorum, militum, denique subditorum, qui recipiuntur ab aliquo majore ad aliquod ministerium; Christus autem est Pastor, Dux, Dominus etc. Item Christus non accepit ulla Sacramenta novæ legis præter Eucharistiam, ergo nec eorum characteres. Denique nos egemus charactere, ut Deus nobiscum quasi ex pacto concurrat ad actiones Sacramentales; At Christus non eget, ut ullus cum eo ex pacto concurrat, cum sit ipse causa principalis ut Deus, et instrumentalis conjuncta ut homo. Non enim facit ullus pactum secum, aut cum suo brachio de concursu.

(1) II. Cor. I, 21 et 22.

CAPUT XX.

Probatur character ex Scripturis.

Quantum ad Tertium, probandum est ex divinis litteris, characterem esse. Ubi interim Observandum est, non esse mirandum, si non inveniantur tot testimonia, et tam expressa de charactere, ut inveniuntur de gratia. Nam gratia est effectus principalis, character secundarius, item gratia est effectus omnium Sacramentorum, character aliquorum tantum; proinde vera ratio Sacramenti potest sine charactere consistere. Denique notitia gratiæ magis necessaria est, quam characteris. Non desunt tamen loca Scripturæ, ex quibus character colligi possit, præsertim adjuncta explicatione Patrum, et Ecclesiæ, sine qua nullum dogma Ecclesiasticum omnino certo statui potest.

Primum testimonium est II Corinth. I : *Qui unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (1). Hic tres effectus ponuntur Sacramenti confirmationis, in quo proprie ungimur, et signamur tum exterius, tum interius. Primo unctio, quæ sine dubio fit per gratiam gratum facientem. Ut enim oleum sanat morbos, reddit robusta membra, illustrat, consolatur etc. ita gratia justificans facit. Secundo est signum, seu obsignatio quædam, qua consecramur Deo, et deputamur ad ejus cultum, et per hanc intelligimus characterem, quem Patres passim signum et sigillum vocant. Tertio pignus spiritus, id est, testimonium bonæ conscientiæ, quod sequitur justificationem, et est quasi arrhabo figuræ gloriæ. Nihil enim in hoc mundo jucundius testimonio bonæ conscientiæ : hæc est enim pax, quæ exsuperat omnem sensum. Neque potest responderi per hoc signum intelligi ipsum Sacramentum externum, quo obsignantur promissiones, ut adversarii volunt; tum quia Paulus loquitur de obsignatione cordis, non corporis, ut etiam de unctione interna, et testimonio interno; tum etiam quia Paulus dicit nos obsignari, non promissiones. Alioqui etiam oporteret dicere inungi promissiones : nam eodem modo loquitur Paulus de signo, et de unctione. Vide Ambrosium lib. I. de Spiritu sancto cap. 6. Haymonem et Theodoretum in hunc locum.

Secundus locus est Ephes. I : *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis* (1). Ubi nota illud (credentes) in Græco esse temporis præteriti πιστεύσαντες, id est, postquam credidistis. Quocirca loquitur de Baptismate, quod datur post fidem; ac dicit in Baptismate dari obsignationem virtute Spiritus sancti. Et ita exponunt de signaculo, quod accipitur in Baptismo Græci et Latini, Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, Haymo, Beda, Anselmus, et alii. Nec possumus dicere hic agi de obsignatione promissionum ad excitandam fidem, quandoquidem hæc signatio datur post fidem.

Tertius locus est Ephes. IV : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis;* ubi per *diem redemptionis* (2), intelligit diem regenerationis per Baptismum, ut Haymo, et Œcumenius annotarunt. Neque obstat particula illa, *in diem*, quia Apostolus solet usurpare præpositionem εἰς, quæ conjungitur accusativo, pro præpositione ἐν, quæ conjungitur dativo apud Græcos, et ablativo apud Latinos : ut II Tim. ult. : *Salvabit me in regnum suum cœleste* (3), id est, in regno suo cœlesti.

Hæc omnia loca Calvinus in commentario exponit de obsignatione promissionum, quam Deus in cordibus facit, ut fides magis confirmetur. Sed repugnat modus loquendi Apostoli, qui semper dicit, non obsignari, esset enim nimis impropria, et innsitata locutio, obsignari hominem, pro eo quod est, obsignari promissiones homini factas.

His accedant figura, et vaticinium Testamenti veteris. Nam Circumcisio fuit figura Baptismi omnium consensu. Circumcisio autem non solum præcidebat carnem, quo significabatur justificatio a peccato, sed etiam relinquebat in corpore quoddam veluti cauterium, quo discernebantur Judæi a non Judæis. Quod cauterium si quid significabat, certe significabat characterem, quem in anima gerunt Christiani, quo discernemur in æternum a non Christianis. Vaticinium habetur Isai. LXVI. ubi loquens Dominus de vocatione gentium : *Omnes gentes*, inquit, *et linguæ venient, et videbunt gloriam meam, et ponam in eis signum etc.* (4) Quamvis enim per hoc signum possit intelligi signum crucis, aut aliquid aliud, tamen nihil repugnat si dicamus intelligi characterem : præsertim cum videamus Paulum loqui de signo quodam spirituali interno, et oporteat Scripturam exponere per Scripturam, cum id fieri potest.

Aliqui addunt aliam figuram ex Exod. XII. ubi signantur postes, et superliminaria sanguine agni, et vaticinium Ezech. IX : *Signa Thau in frontibus gementium, et dolentium* (5). Sed hæc loca non sunt ad rem. Nam exponuntur a Patribus de signo crucis, quod inscribitur in fronte, et recte : nam Ezechiel nominat frontem, et idem significat superliminare, quod est in porta domus id, quod est frons in homine. Unde etiam in Apoc. VII. ubi habetur similis obsignatio, etiam nominatur frons, donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et præterea in utroque loco dicuntur salvari omnes signati, et nulli non signati salvari : quod certe non convenit characteri; multi enim cum charactere damnabuntur, et multi sine charactere salvabuntur. At omnes salvantur, qui signantur Christi cruce sanguine, id est, quibus applicatur meritum crucifixi, cujus figura est signum crucis; et nulli salvantur quibus hoc meritum non applicatur. Vide de his locis Cyprianum tract. contra Demetrianum. Hieronymum in cap. IX Ezechiel. Gaudentium tract. 5. in Exodum.

(1) Eph. I, 13 et 14. — (2) Eph. IV, 30. — (3) II. Tim. IV, 18. — (4) Isai. LXVI, 18 et 19. — (5) Ezech. IX, 4.

CAPUT XXI.

Idem probatur ex Patribus.

Dionysius Areopagita lib. de Eccles. hierarch. cap. 2. part. 1. dicit Baptismum formare hominem ad alia suscipienda Sacramenta. Illam formationem vocamus nos characterem. Idem par. 3. de eo qui baptizatur, ita loquitur : « Hunc, inquit, divina Majestas in sui consortium intus admittit, eique

lucem suam perinde ac signum aliquod tradit. »

Cyrillus Hierosolymitanus in præfatione Catecheseon, describens Baptismum per effectus ejus, vocat regenerationem, remissionem peccatorum, signaculum sanctum et indelebile. Item catechesi 4 : « Spiritus sanctus, inquit, tempore Baptismi animam tuam obsignat; » et catechesi 16 : « Hic, inquit, ad hodiernam usque diem obsignat animas in Baptismo. » Vide etiam catechesim 17.

Basilius orat. 13, quæ est exhortatio ad Baptismum : « Deus, inquit, sub se militantibus dat tesseras etc. » Et infra : « Quomodo vendicabit te Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnoverit signaculum? » Et infra : « Thesaurus non obsignatus facile diripitur a furibus : ovis non signata citra periculum insidiis appetitur; » et infra definiens Baptismum per suos effectus, vocat signaculum inviolabile.

Gregorius Nazianzenus orat. in sanctum lavacrum, simili phrasi dicit Baptismum esse sigillum, quo conservantur fideles, et quo tamquam signo cognoscimur esse Dei possessio.

Chrysostomus homil. 2. in ep. ad Ephes.: « Porro idem, inquit, charactere Spiritus sancti nos insignivit. » Et infra : « Signati sunt etiam Israelitæ, sed Circumcisionis nota, ut pecora; nos autem ut filii signati sumus Spiritu sancto. » Et homil. 14. nos dicit esse signatos, ut gregem Dominicum.

Epiphanius hær. 8. quæ est Epicureorum postquam dixerat Circumcisionem fuisse carnalem abscissionem, et carnale signaculum, subjungit de Baptismo : « Circumcidit nos a peccatis, et obsignat in nomen Dei, » et hæresi 30. vocat Baptismum signaculum Christi.

Ambrosius lib. I. de Spiritu sancto, c. 6 : « Spiritu, inquit, signamur, ut splendorem, atque imaginem ejus, et gratiam tenere possimus : quod est utique spirituale signaculum. » Item de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 7 : « Repete, inquit, quia accepisti signaculum spirituale. »

Augustinus lib. VI. de Baptismo, cap. 1. dicit in generali Concilio hoc approbatum : « Satis, inquit, eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate, originalis consuetudo firmata est, et ovem, quæ foris errabat, et Dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius, quam improbari. » Vide eumdem epist. 23, 50 et 240, tract. 5 et 6. in Joan. lib. II. contra epist. Parmen. c. 13, lib. II. contra litteras Petiliani, cap. ult. lib. I. contra Cresconium, cap. 30, tract. 5. in epist. Joan. Similia vide apud Theodoretum in cap. I, II. ad Corinth. Haymonem, Primasium, Anselmum, Theophylactum, Œcumenium, in I et IV. ad Ephes. Damascenum lib. IV. de fide, cap. 10.

Ad hæc loca solum responderi posset, a Patribus non vocari characterem, seu signaculum id, quod nos dicimus, sed externum symbolum. Nam Augustinus in serm. de gestis cum Emerito tria dicit, quæ videntur valde favere huic solutioni. Primo dicit, exterius characterem cognosci, et agnitum approbari. Secundo dicit, quod si Donatus in nomine Donati baptizaretur, Donati characterem infigeret. At certe Donati character in anima infixus nullus esse potest. Tertio dicit, characterem esse ipsam invocationem Trinitatis, quæ fit in Baptismo : « Attendo, inquit, fidem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : Iste est character Imperatoris mei : de isto charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, præcepit, dicens : Ite, baptizate gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. »

Respondeo, characterem apud Augustinum, et alios Patres, non posse esse externum symbolum, seu Sacramentum. Nam primo Patres dicunt, hoc signaculum esse in anima, non in corpore, ut Cyrillus; vel esse spirituale, ut Ambrosius, vel opponunt cauterio Circumcisionis, quod erat in corpore, ut Epiphanius, et Chrysostomus; vel denique esse quamdam consecrationem, ut Augustinus lib. II. contra Epist. Parmeniæ, cap. 13. Et certe anima consecratur proprie, non corpus, juxta illud Tertulliani lib. de resurrectione carnis : « Caro ungitur, ut anima consecretur. » Secundo dicunt, hærere, et manere, quod non convenit symbolo externo, quod non mansit, nisi dum fieret. Augustinus lib. II. contra epistol. Parmeniani cap. 13 : « Non minus, inquit, hærent Sacramenta Christiana, quam nota corporalis, cum videamus nec apostatas carere illis, quæ propterea illis resipiscentibus non

restituuntur, quia amitti non potuerunt. » Idemque habent alii Patres, qui dicunt esse sigillum indelebile, ut Cyrillus, Nazianzenus, et alii. Quæ etiam spectant allatæ Augustini locutiones locis citatis, ubi dicit characterem infigi, imprimi, portari, et alia, quæ non possunt quadrare in actionem transeuntem. Tertio, si symbolum externum diceretur a Patribus character, vel signaculum, omnia Sacramenta imprimerent characterem : omnia enim sunt externa symbola obsignantia promissionem, ut ipsi dicunt. Cur ergo nullus unquam Patrum per Eucharistiam dixit imprimi characterem?

Ad loca autem Augustini contra allata; Respondeo, characterem posse exterius videri, et cognosci, non in se, sed in sua causa. Cum enim cognoscimus aliquem rite baptizatum, simul cognoscimus illi infixum characterem, quia hic est effectus, qui semper, et necessario sequitur illam causam. Et quod hoc satis sit, patet; nam etiam actum externum non videmus, postquam transiit : quare nec de externo symbolo Augustinus recte dicere potuisset, illud videri, et agnosci, quando veniunt ad Ecclesiam, qui fuerant ab hæreticis baptizati.

Ad illud de charactere Donati dico, Augustinum loqui ex hypothesi, non absolute : vult enim dicere, si Donatus in nomine suo posset Sacramenta conferre, characterem suum imprimeret. Alioqui non ignorabat Augustinus, Baptismum in nomine Donati collatum non modo non imprimere characterem in anima, sed neque esse Sacramentum externum.

Ad ultimum dico, invocationem Trinitatis, et ipsum totum externum symbolum dici posse characterem, non impressum, sed imprimentem. Ut enim eadem imago est in sigillo, et in cera, sed imago sigilli est character imprimens, in cera est character impressus : ita Sacramentum externum, ac præcipue forma Sacramenti est character imprimens, cum ad ejus collationem mox sequatur character in anima, et ex vi, et impressione Sacramenti sequatur.

CAPUT XXII.

Idem ostenditur ratione.

Prima ratio sumitur ex divina liberalitate et consuetudine. Deus enim in hoc differt ab hominibus quod homines cum hominibus injungunt aliquod officium, non tribuunt eis aliquid internum, quo fiant apti ad illud officium; et cum diligunt aliquem, non faciunt bonum, et pulchrum, sed diligunt, quia talis est; et cum volunt se ab aliis diligi, aut sibi credi, aut in se sperari, non tribuunt eis vim aliquam internam, qua diligant, sperent, aut credant. Deus autem cum diligit, diligendo facit bonum, et pulchrum, infundendo gratiam : et cum vult sibi credi, in se sperari, se diligi, infundit habitum fidei, spei, et charitatis. Igitur eodem modo credibile est, cum Deus aliquem deputat et consecrat ad Sacramenta, vel danda, vel recipienda, vel alia ministeria, id non facial per simplicem deputationem, ut homines facere solent, sed infundendo certas qualitates, quibus illi fiant apti, et idonei ad talia officia, vel ministeria; et eas qualitates vocamus characteres.

Secunda ratio. Baptismus ex communi sententia, exceptis Anabaptistis, aliquid Sacramentale confert, etiamsi detur, et percipiatur sine fide; Eucharistia, et Absolutio nihil conferunt; igitur aliquem effectum Sacramentalem habet Baptismus, præter gratiam. Et idem argumentum fieri posset de Confirmatione, et Ordine. Probatur antecedens; Nam qui baptizatur ab infidelibus, et communicat cum eis in infidelitate, dicitur vere, et proprie baptizatus, si servatus sit debitus ritus, et forma verborum cum intentione; neque id negant Lutherani et Calvinistæ : At qui absolvitur sine fide, non vere est absolutus; qui sumit Eucharistiam sine fide, non vere communicat corpori Domini, secundum Calvinum : et secundum Catholicos sumit quidem ore verum corpus Domini, sed nihil recipit in anima nisi peccatum. Manet igitur ex Baptismo effectus aliquis Sacramentalis, qui non est gratia, cum gratia sine fide non detur, nec est ipsa actio exterior, quia illa reperitur etiam in Eucharistia, et Absolutione; est igitur aliquid aliud permanens in

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
PRECOLOMBINO - CENTRAL DE BIBLIOTECAS

anima, et hoc vocamus characterem. Alioqui reddant adversarii rationem, cur sine fide homo vere baptizetur, et non vere absolvatur, aut communicet corpori Domini. Et hæc fuit antiqua quæstio Donatistarum, qui non putabant Baptismum habere alium effectum, quam dare gratiam, et ideo inanem putabant esse, cum sine fide percipiebatur.

Tertia ratio. Baptismus non potest repeti, si fuerit semel rite collatus, ut etiam Confirmatio, et Ordo : cætera possunt repeti, ut notum est de Eucharistia et Absolutione. Sed vera causa non potest assignari hujus discriminis, nisi character; igitur necesse est fateri imprimi per Sacramenta quædam characterem. Major propositio est recepta ab omnibus, etiam hæreticis hujus temporis, exceptis Anabaptistis. Minor probatur; Nam in primis si ponatur character, perspicua erit ratio discriminis. Ideo enim quædam Sacramenta non possunt repeti, quia semel data semper manent in suo effectu : alia repetuntur, quia non manent nec in se, nec in suo effectu; gratia enim, quæ est effectus solus aliorum Sacramentorum, facile potest amitti, et sæpe amittitur. Præterea etiamsi aliquando non amittatur, tamen augeri potest, et sic Sacramentum potest repeti, ut gratia augeatur. At character non potest augeri per iterationem Sacramenti ejusdem. Adde, quod gratia non est Sacramentum, sed effectus Sacramenti tantum : character autem Sacramentum est, et Sacramenti effectus. Hæc igitur ratio recte ostendit, cur Sacramenta illa non repetantur, et alia repetantur, ut Concilium Florentinum et Tridentinum docent. Si autem hæc ratio non admittatur, nulla alia sufficiens reddi potest: quod ostendo ex refutatione earum, quæ adferantur a Calvino et Kemnitio.

Calvinus lib. IV Institut. cap. 18, §. 19. dicit, Baptismum non posse repeti, quia est ingressus in Ecclesiam, et initiatio quædam fidei : unde sicut unus est Deus, in quem credimus, et una Ecclesia, in quam ingredimur; ita unus Baptismus.

Hæc ratio non est solida. Primo, quia qui baptizantur ab hæreticis, et eis credunt, non intrant in Ecclesiam, nec initiantur ad fidem, ut patet, cum apud hæreticos, neque sit Ecclesia, neque fides : ergo possent isti iterum baptizari. Secundo, qui in Ecclesia Catholica baptizantur, et postea per hæresim, aut apostasiam ab illa discedunt, iterum debent, si salvi esse velint, intrare in Ecclesiam, et initiari ad fidem; cur ergo non possunt iterum baptizari? Quare ratio Calvini solum aliquid probaret, si homo baptizatus non posset exire extra Ecclesiam, nec perdere fidem; quæ tamen falsa esse constat. Tertio, non minus intramus in Ecclesiam, et initiamur ad fidem per verbum, quam per Baptismum, sed verbum repeti potest, ut magis confirmemur in fide, et Ecclesiæ fortius adhæreamus, cur ergo non poterit etiam repeti Baptismus? Quarto, Ordinatio non est initiatio fidei, neque ingressus in Ecclesiam, et tamen repeti non potest, ut Augustinus docet lib. I de Baptismo cap. 1.

Jam vero Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 133. ponit unam rationem non suo nomine, sed Gabrielis, quod videlicet divina institutio sit causa, cur quædam Sacramenta iterari possint, quædam non possint. At hæc ratio parum valet : non enim sine magna ratione Deus prohiberet rem tam utilem repeti. Qui ergo non possunt ullam causam assignare, cur Deus prohibuerit, temere dicunt Deum prohibuisse. Unde enim ipsi sciunt Deum id prohibuisse? nam Scripturæ id non aperte dicunt. Quod si confugias ad Patrum, et Conciliorum traditionem; illa utrumque simul docet, nimirum Deum id voluisse, quia Sacramenta quædam imprimunt characterem, alia non imprimunt.

Ipse autem Kemnitius pag. 136. remittit nos ad alium locum, ubi pollicetur se ex divinis litteris solidissimas rationes redditurum. Id vero præstat postea pag. 238, 239 et 240. examinans Canonem 11. de Baptismo. Ibi autem ponit quatuor rationes, quas fatetur non esse adeo solidas : deinde alias quatuor solidissimas.

Prima igitur ex non solidis est, quia Baptismus significat Christi mortem : Christus autem semel tantum mortuus est. Hæc non valet; nam Eucharistia etiam significat Christi mortem, I. Corinth. XI. et tamen repeti potest; et sacrificia Judæorum significabant omnia Christi mortem, et tamen frequentissime repetebantur. Dicent, non esse hæc similia. Nam per Baptismum nos ipsi commorimur Christo : morimur enim peccato, ut ille mortuus est corporaliter. Contra; nam vel vis rationis Kemnitii sumitur ex eo, quod Christi mors, quæ una fuit, per Baptismum repræsentatur; vel quia nos ipsi morimur peccato. Si primum dixerint, ratio nihil concludit, quia quod semel fit, potest sæpius

repræsentari, ut patet in comœdiis, ubi repræsentantur res semel gestæ : et quantum ad hoc, per accidens est, quod nos etiam morimur in Baptismo. Si dicant secundum, tunc etiam ratio illa nihil concludit, quia potest idem homo sæpius commori Christo; si nimirum sæpius peccet, et sæpius cum pœniteat peccatorum. Præterea Ordinatio non est repræsentatio mortis Christi, et tamen repeti non potest. Non igitur vera causa prohibens repetitionem, est repræsentatio mortis Christi.

Secunda ratio ex non solidis est, quia Joan. XIII, dicitur : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus* (1). Hæc non valet, quia loquitur de eo, qui revera est mundus. Unde qui post Baptisma iterum factus est immundus, non prohibetur ex hoc testimonio iterum baptizari.

Tertia ratio ex non solidis est, quia ad Heb. VI. dicitur : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, renovari iterum ad pœnitiam* (2). ubi per illuminationem intelligitur Baptisma. Hæc non valet, quia loquitur Paulus de illis, qui semel sunt illuminati, et renovati, id est, justificati, ut patet ex illis verbis : *Iterum renovari*. Quare possent ii saltem secundo baptizari, qui in primo Baptismo non fuerunt justificati.

Quarta ratio non solida est, quia Ephes. IV, dicitur : *Unum Baptisma* (3). Hæc non est solida, quia unum Baptisma dicitur, quia solum Christi Baptisma salutare est, idque uno certo ritu celebratur. Nam alioqui etiam dicitur una fides ibidem; et I. Cor. XII. unus panis dicitur Eucharistia : et tamen repetimus fidei confessionem; et Eucharistiæ sumptionem. Et si quis fidem amittat, potest et debet eam iterum acquirere, et tamen non potest Baptismum iterum accipere.

Prima ratio solidissima est, quia pactum Dei nobiscum in Baptismo initum, perpetuum est. Non enim sequitur illam vulgarem regulam Deus : « Frangenti fidem, fides frangatur eidem. » Sed semper ipse servat pactum suum etiamsi nos infideles simus. Rom. III : *Numquid infidelitas illorum, fidem Dei evacuabit? absit* (4). Quare cum peccamus post Baptismum, non est opus novo pacto, sed satis est recurrere ad illud primum jam initum semel in Baptismo.

Hæc ratio minus est solida, quam superiores. Nam Primo, Heb. VI, Paulus negat posse hominem peccantem post Baptismum redire ad pactum Baptismi. Ideo enim non ait; Impossibile est iterum baptizari, sed : *Impossibile est iterum renovari*, id est, non potest homo amplius ea facilitate redire ad amicitiam Dei, et remissionem totius culpæ, et pœnæ, ut quondam in Baptismo, sed eget jam laboriosa pœnitentia, jejuniis, lachrymis etc. proinde eget alio pacto Dei multo magis severo, quam esset illud primum.

Secundo, cum quis sine fide baptizatur, non facit Deus pactum cum illo ullum : pactum enim est inter duos consentientes. Unde etiam Kemnitius dicit, per Baptismum non solum offerri, sed etiam exhiberi, applicari, et dari gratiam. At certe non applicatur, nec datur ei, qui non credit : igitur saltem possent rebaptizari secundum istam rationem illi, qui sine fide Baptismum acceperunt, quod falsum esse ipsi quoque concedunt.

Tertio, sicut Baptismus est pactum, ita etiam verbum Dei, ac præsertim secundum adversarios, qui dicunt eodem prorsus modo se habere in justificatione verbum et Sacramentum. At verbum quotidie repetitur.

Quarto, Eucharistia non minus continet pactum Dei, quam Baptismus, et tamen repeti potest.

Denique falsum est, pactum Dei esse perpetuum illi, qui Deo fidem frangit, ita ut promissio servanda sit, qualemcumque se præbeat is, cui promissio facta est. Nam promissiones Dei sunt conditionatæ : promittit enim se fore partem, et sponsum in Baptismo, si nos perseveremus esse filii, et sponsæ, alioqui dicit idem Deus, Hierem. XVIII: *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et dispergam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego pœnitentiam, quod cogitavi, ut facerem ei : et subito loquar de gente, et de regno, ut ædificem, et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei* (5). Quod autem Kemnitius adducit ex Rom. III: *Numquid infidelitas eorum fidem Dei evacuabit* (6)? intelligitur de promissionibus absolutis, qualis erat de Messia mittendo : sed non talis est promissio in Baptismo. Nam, ut minimum,

(1) Joan. XIII. 10. — (2) Hebr. VI. 4. — (3) Eph. IV. 5. — (4) Rom. III, 3. — (5) Jerem. XVIII. 7 et seq. — (6) Rom. III, 3.

pendet ex fide recipientis, ut ipsi docent, proinde non est absoluta.

Secunda ratio solidissima, Kemnitii est, quia de Baptismo nusquam scriptum est, ut repetatur : de aliis scriptum est, ut de Eucharistia, I. Corinth. XI : *Quotiescumque feceritis*. Et de Pœnitentia, Matth. XVIII: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies* (1). At neque hæc ratio multum valet. Nam ut omittam, quod locus Matthæi non intelligitur de Sacramento Pœnitentiæ, sed de condonatione injuriarum, possumus Kemnitio respondere, quod respondit Lutherus Carolstadio, in lib. contra cœlestes Prophetas, de nomine Sacramenti non esse quidem scriptum, ut Baptismus repetatur, sed neque esse scriptum, ut non repetatur. Et sicut Augustinus lib. VII Trinit. cap. 4. dicit de nomine trium personarum : « Dicimus in Deo tres personas, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit; » ita et nos possemus rebaptizare, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit, et res est bona, et utilissima Baptismus, si non esset periculum sacrilegii ob characterem jam impressum.

Tertia ratio solidissima est, quia non habemus exemplum in Scripturis Anabaptismi; et præterea Circumcisio, quæ est figura Baptismi, tantum semel recipiebatur. At hæc est similis superiori. Nam in Scriptura non habemus etiam exemplum alicujus, qui fuerit prohibitus baptizari; imo secundum adversarios habemus exemplum Anabaptismi. Nam Actor. XIX. Paulus jussit baptizari eos, qui fuerant a Joanne Baptista baptizati : et secundum Lutheranos omnes, et ipsum Kemnitium, eadem erat vis, et efficacia Baptismi Christi, et Joannis. Stigitur solum exempla Scripturæ quæramus, oporteret omnino rebaptizare. Deberent itaque adversarii aperire oculos, et intelligere post Baptisma Joannis potuisse rebaptizari, quia illud non habuit effectum in anima indelebilem, ut habet Christi Baptisma. Si respiciamus exempla Patrum, deberent Lutherani omnino rebaptizare. Nam Cyprianus, et alii Africani, necnon plurimi in Asia rebaptizabant : resistebat autem illis Romana Ecclesia, quæ nolebat rebaptizari, ut patet ex Eusebio lib. VII hist. Quare adversarii non sequuntur potius Africanos, et Asiaticos Patres in hac re, quam Romanam Ecclesiam; ut in aliis omnibus rebus facere solent? Quod autem de Circumcisione Kemnitius profert, pro nobis est. Nam ideo Circumcisio non repetebatur, quia imprimebat in carne indelebilem characterem.

Quarto ratio solidissima est, quia per Baptismum nascimur spiritualiter. Una autem tantum est nativitas spiritualis, ut una est nativitas corporalis. Unde Nicodemus, Joan. III : *Quomodo potest*, inquit, *homo nasci, cum sit senex* (2). Et recte judicabat de nativitate corporali. Hanc rationem Kemnitius furatus est Catholicis : eam enim habet S. Thomas 3. par. q. LXVI, art. 9. Sed hoc interest inter Catholicos, et Kemnitium, quod Catholici ea utuntur, ut congruentia quadam; et simul notant veram causam, quæ est impressio characteris. Quam solam, ut veram, et solidam posuit Concilium Florentinum et Tridentinum, supra citatum. At Kemnitius explosa vera causa, amplectitur istam congruentiam, ut solidissimam rationem.

Ostendam igitur et hanc rationem non esse solidam. Nam in primis homo non solum per Baptismum, sed etiam per fidem, et verbum Dei generatur spiritualiter, ut adversarii concedunt, et patet ex Paulo, I. Corinth. IV : *Per Evangelium ego vos genui* (3); et tamen fidei actus, et conciones sæpe repetuntur. Præterea Secundo, etiamsi generatio corporalis una tantum sit naturaliter, tamen supernaturaliter potest repeti, imo reipsa repetetur in resurrectione, quam Dominus vocat regenerationem, Matth. XIX. Cum ergo Baptismus sit generatio supernaturalis, quid prohibet eum repeti? Tertio, etiamsi generatio corporalis nullo modo posset repeti, tamen non eadem est ratio spiritualis generationis. Nam ut mors corporalis una tantum est, ita nativitas corporalis. At mors spiritualis multiplex est, ut patet : cur igitur non possit etiam multiplex esse spiritualis generatio? Quarto, Ordinatio non est generatio, et tamen non potest repeti. Denique, qui sine fide baptizantur, revera non regenerantur, et tamen rebaptizari non possunt: et contra, qui sunt regenerati ante Baptismum per fidem, et contritionem, et desiderium Baptismi, nihilominus postea baptizantur, ut patet de Cornelio, Actor. X. Non igitur illa est ratio.

(1) I. Cor. XI, 25 et 26; Matth. XVIII, 22. — (2) Joan. III, 4. — (3) I. Cor. IV, 15.

CONTROVERSIA V.

De numero et ordine Sacramentorum.

Controversia V, quæ est de numero Sacramentorum, quatuor habebit partes. Nam Primo exponemus hæreticorum sententias. Secundo probabimus Ecclesiæ Catholicæ veritatem. Tertio refellemus argumenta adversariorum. Quarto addemus per modum appendicis aliquid de ordine Sacramentorum.

CAPUT XXIII.

Quid hæretici sentiant de numero Sacramentorum.

Quoad Primum, adversarii inter se multum dissentiunt de numero Sacramentorum, quibus omnibus viam stravit Lutherus in lib. de captiv. Babylon. Nam in eo libello anno 20 edito, multa docuit. Initio libri dicit, unum tantum esse Sacramentum, si secundum usum Scripturæ loquendum sit. Ibidem tamen dicit, neganda esse septem Sacramenta, et tria pro tempore ponenda, Baptismum, Panem, et Pœnitentiam. In fine libri dicit, si rigide loqui velimus, duo esse Sacramenta, Baptismum et Panem. In medio libri cap. de Confirmatione dicit, se non damnare septem Sacramenta, sed tantum negare ea ex Scripturis probari posse. At non bene hoc cohæret cum initio libri, ubi dicit, neganda esse septem, et tria ponenda : non enim aliud est damnare, aliud negare septem Sacramenta. Ex hac inconstantia Lutheri natæ sunt variæ Lutheranorum atque aliorum hæreticorum sententiæ, quas breviter enumerabo.

Prima igitur est, unum tantum esse Sacramentum, quamvis plura sint Sacramentalia signa. Ita Lutherus loco citato. Sed non habuit in hac opinione sectatores : omnes enim alii plura ponunt, et secundum usum Scripturæ ea ponere se putant.

Secunda opinio est eorum, qui tantum duo numerant Sacramenta proprie dicta, Baptismum et Eucharistiam. Hanc, ut dixi, Lutherus indicavit, in lib. de capt. Babyl. Idem sensit Philippus in locis anni 21. et 22. cap. de signis, ubi solum ista duo agnoscit. Item Illyricus in Confessione Antuerpiensi, cap. 11. de Sacramentis, et cap. 18. de Absolutione. Nicolaus Selneccerus in 2. par. suæ pædagogiæ, cap. de Sacramentis, et Kemnitius in 2. par. Examinis, cap. de numero Sacramentorum, pag. 12 et sequentibus.

Tertio opinio est eorum, qui tria Sacramenta numerant, Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam. Hæc est communior, et magis recepta apud Lutheranos. Nam in primis Lutherus etiamsi rigide duo tantum esse voluerit, in lib. de capt. Babyl. tamen etiam tria esse dixit ibidem, et hoc semper postea repetivit, ut anno 23. in lib. ad Prægenses de instituendis ministris, et anno 34. in lib. de Missa privata, et denique anno 45. qui fuit penultimus vitæ ipsius, in assertionibus contra Lovanienses. Sic enim habet assertio 33 : « Pœnitentiam cum virtute clavium Absolventium Sacramentum libenter confitemur : habet enim promissionem, et fidem remissionis peccatorum propter Christum. » Idem habent fere omnes Catechismi Lutheranorum, ut Catechismus Philippi, Brentii, et aliorum. Item libri rituales, seu agendæ ipsorum, et denique Apologia Confessionis Augustanæ, art. 13

Ubi notandum est, Illyricum, et Kemnitium non posse defendi a perjurio, et defectione a Confessione Augustana. Nam ut refert Tilmannus Heshusius, in lib. de præsentia Corporis Christi in cœna, jurant omnes apud Lutheranos in verba Confessionis et Apologiæ, qui promoventur ad gradus, vel pastoratum. Sed respondent Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, cap. 18. et Kemnitius in 2. part. Examinis pag. 44 et 903. Apologiam Confessionis largo modo appellasse Pœnitentiam Sacramentum, non quod sit vere et proprie Sacramentum. At solutio non valet; nam Apologia habet hæc verba : « Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent Dei mandatum, et quibus est addita promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie Sacramenta. » Et paulo post applicans definitionem : « Vere igitur, inquit, sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ, ; nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiæ. » Hæc ibi. Præterea ideo solum Kemnitius non vult

Absolutionem esse proprie Sacramentum, quia non habet ritum a Deo præceptum. At Apologia profitetur Absolutionem habere ritum a Deo præceptum : igitur ex sententia Apologiæ Absolutio est verissimum Sacramentum.

Quarta opinio est Zwinglii in lib. de vera et falsa religione. Nam cap. de Sacramentis, duo esse docet Sacramenta, Baptismum, et Cœnam, tamen cap. de Matrimonio, addit etiam Matrimonium. Verum est quidem non libenter a Zwinglio Matrimonium vocari Sacramentum, sed causa non est, quod putet, Sacramenti definitionem non convenire Matrimonio, sed quia timet, ne Sacramenti vocabulo obscuretur et inquinetur dignitas Matrimonii : dicit enim esse vocabulum multo illustrius Matrimonii, seu conjugii, quam Sacramenti.

Quinta opinio est Calvini, qui tria Sacramenta numerat, sed non eadem cum Luthero et Zwinglio : vult enim Sacramenta esse Baptismum, Cœnam Domini, et Ordinationem. Etsi enim lib. IV Institut. c. 18. §. 19 et 20. duo tantum esse dicat Sacramenta, Baptismum et Cœnam, tamen paulo post, c. 19. § 31. sicut et antea, cap. 14. § 20. etiam Ordinationem inter vera Sacramenta numerat, ac monet, se, cum tantum duo esse dicit, loqui de Sacramentis ordinariis et toti Ecclesiæ communibus. Hinc etiam in Antidoto Concilii Tridentini, sess. VII, can. 1. quatuor tantum Sacramenta rejicit a numero Sacramentorum; Confirmationem, Pœnitentiam, Unctionem extremam, et Matrimonium. Proinde tria reliqua admittit.

Sexta opinio composita ex Lutheranismo et Calvinismo, est aliorum, qui quatuor Sacramenta recipiunt, Baptismum, Cœnam, Pœnitentiam, et Ordinationem. Hæc est Philippi, qui licet cum Luthero primo posuerit, duo tantum Sacramenta, et postea tria : tamen in locis editis anno 36 et 52 et 58, quæ fuit ultima editio, habet hæc verba in cap. de numero Sacramentorum : « Mihi maxime placet etiam addi Ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad ministerium Evangelii; quia hæc etiam mandato Evangelico præcipitur, et addita est promissio etc. » ac toto cap. fuse probat Ordinationem esse Sacramentum, ac proinde quatuor esse Sacramenta. Eamdem sententiam habet Lucas Lossius in Catechismo, edito anno 57, nam in eo, quem ediderat anno 54, tantum tria posuerat.

Septima opinio composita ex Lutheranismo, Calvinismo et Zwinglianismo non aperte sed obscure fuit Philippi. Nam in locis ultimo editis anno 58, licet quatuor tantum faciat Sacramenta, tamen propendebat maxime ad quintum addendum, id est, Matrimonium cum Zwinglio : Fatetur enim Matrimonium esse signum rei sacræ, et habere mandatum divinum, et habere annexam promissionem. Unum tantum dicit ei deesse, quod fuerit ante Christum. At hoc non debuit eum impedire, quominus Matrimonium faceret Sacramentum : nam Baptismus Joannis ex sententia ipsius fuit verissimum Sacramentum, et idem cum nostro Baptismo, et tamen fuit ante Christum. Sicut igitur Baptismum vult esse Sacramentum, quia a Christo receptum et confirmatum, cur non eadem ratione et Matrimonium?

Octava opinio est, sex esse Sacramenta. Hanc tribuit Lindanus in tabulis analyticis Gulielmo Postello in sua Panthenosia : qui tamen vir postea Catholice obiit.

Nona opinio est, septem esse Sacramenta. Licet enim fide Catholica nos teneamus septem esse Sacramenta, illis tamen hæc sententia, opinio, non fides esse potest : qui enim in uno articulo hæreticus est, fide simpliciter caret. Est igitur opinio hæc aliquorum Lutheranorum; quibus placuit, quod Lutherus initio dixerat, se non damnare septem Sacramenta; licet ibidem etiam dixerit, se negare septem Sacramenta. Scribit Joannes Sleidanus, lib. XX hist. biennio post obitum Lutheri, id est, anno 48, in quodam Lipsiensi Conciliabulo determinatum fuisse, Confirmationem et Extremam unctionem esse ritus conferentes gratiam, atque adeo septem Sacramenta recipienda esse. In quo Conciliabulo interfuisse Theologos multos Wittembergenses, ac Lipsienses, et cum iis Philippum Melanchthonem; ac tum primum cœpisse hos molles Lutheranos appellari, scribit Surius in sua historia anni 48. Unde Matthias Illyricus in libro qui inscribitur, Adhortatio Illyrici, ad constantiam in agnita Jesu Christi religione, et Augustana Confessione; quæritur, quod in Lipsiensi Interim (sic enim appellatur) septem Papistarum Sacramenta restituantur. Et præfatione septimæ Centuriæ, Hæresiarchas appellare non dubitat principes mollium, seu politicorum Lutheranorum.

Ex his colligere licet primo, miram fuisse inconstantiam Lutheri et Philippi, præcipuorum patrum Lutheranorum, idque in re gravissima. Secundo, non posse apud adversarios verum Ecclesiam esse. Nam nota præcipua veræ Ecclesiæ apud eos est consensus in doctrina Sacramentorum. Ita enim habet Lutherus in lib. de notis Ecclesiæ, et Confessione Augustana, et Apologia art. 7. Ipsi autem ita conveniunt, ut adhuc non potuerint Sacramenta communi consensu enumerare. Quod si quisque eorum ad se solum trahat Ecclesiam, mirum, si non pudeat eum suæ paucitatis. Hinc etiam Tertio, colligitur, non posse diu durare ejusmodi hæreses. Nam omne regnum in seipso divisum, desolabitur. Unde Lutherus ipse hoc annotavit in Psalm. V : « Nulli, inquit, hæretici victi sunt vi, aut astu, sed mutua dissensione; nec aliter cum eis pugnat Christus, quam misso inter eos spiritu vertiginis et dissensionis, sicut inter Sichimitas, Jud. IX, et inter Babylonicæ turris operarios, Genes. XI, et in nova lege, inter Arianos, Donatistas et Pelagianos. » Hæc ille. Quod idem multo ante scripsit Hilarius, lib. VII de Trinitate.

CAPUT XXIV.

Ex Scripturis, et Patribus probatur veritas Catholica de numero septenario Sacramentorum.

Quantum ad Secundum, sententia Catholicorum una est, ac semper fuit, septem esse proprie dicta Sacramenta, quæ probanda est tripliciter. Primo, ex testimoniis Scripturæ, et Patrum, quæ quidem non numerant Sacramenta, tamen reipsa omnia ista septem Sacramenta vera et propria esse testantur. Secundo, ex testimoniis aliis Conciliorum et Doctorum, quæ præcise numerum istum septenarium ponunt. Tertio, rationibus seu congruentiis quibusdam.

Quantum ad Primum genus testimoniorum, notanda sunt tria. Primo, non debere adversarios petere, ut ostendamus in Scripturis, aut Patribus nomen septenarii numeri Sacramentorum. Nam nec ipsi ostendere possunt nomen binarii, vel ternarii, vel quaternarii : Scriptura enim, et Patres non scripserunt Catechismum, ut modo facimus propter hæresum multitudinem, sed tantum tradunt res ipsas variis in locis. Neque est hoc proprium Sacramentis, sed commune aliis multis rebus. Nam Scriptura refert Christi miracula, et numquam numerat quot sint : tradit articulos fidei, et nusquam dicit, quot sint. Apostoli postea ediderunt symbolum duodecim articulorum certis de causis. Sic etiam ex Scriptura non potest sciri, quot sint libri Canonici : sed Concilia postea ediderunt Canonem, et certum numerum, quem ex traditione didicerant.

Secundo notandum, non debere etiam adversarios petere, ut ostendamus in Scripturis nomen Sacramenti attributum Confessioni, aut Ordinationi, et similibus. Nam non disputamus de nomine, sed de re : et nec ipsi ostendent hoc nomen tributum Baptismo, aut Eucharistiæ, sed soli Matrimonio, quod tamen fere omnes hæretici negant esse verum Sacramentum. Et contra invenimus nomen Sacramenti in Scripturis tribui multis rebus, quæ omnium consensu non sunt Sacramenta, de qualibus nunc agimus; ut Ephes. I propositum vocandi Gentiles ad fidem, dicitur Sacramentum voluntatis Dei. Et I. Timoth. III, Sacramentum pietatis dicitur incarnatio Verbi. Et Apocalyp. XVII dicitur, Sacramentum mulieris, signum quoddam impressum in fronte mulieris, quæ Babylonium repræsentabat.

Tertio notandum, id omnino sufficere, si ostendamus ex Scripturis, et Patribus, definitionem Sacramenti convenire ritibus non paucioribus, nec pluribus, quam septem. Licet autem non convenianus in explicanda definitione Sacramenti (ut supra fuse ostendimus lib. I in secunda controversia), tamen convenimus in definitione quadam generali, nimirum quod Sacramenta sint ritus, seu signa externa et sensibilia, quæ ex divina institutione annexam habeant promissionem gratiæ justificantis. His notatis accedamus ad probationem.

Quod Baptismus sit Sacramentum.

Ac primum de Baptismo nulla quæstio est. Est enim ritus expressus : *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*, Ephes. V, et institutio, ac mandatum, Joan. III : *Nisi quis renatus.* Et Matth. ult. : *Baptizantes eos.* Et promissio gratiæ, Marc. ult. : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Tit. III : *Salvos*

nos fecit per lavacrum (1). Idem docent omnes Patres supra citati in quæstione de effectu Sacramentorum.

Quod Eucharistia sit Sacramentum.

De Eucharistia etiam nulla quæstio est; habetur enim ritus, Matth. XXVI et I. Cor. XI: *Accepit panem, gratias agens, fregit*, etc. Et institutio, ac mandatum ibidem: *Hoc facite*, et Joan. VI: *Nisi manducaveritis* etc. Et promissio gratiæ, Joan. VI: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (2). Idem etiam Patres docent, Augustinus epist. 118. cap. 1. ubi cum dixisset, Christum instituisse Sacramenta numero paucissima, significatione præstantissima, observatione facillima, ponit loco exempli Baptismum et Eucharistiam.

Quod Confirmatio sit Sacramentum.

De confirmatione habemus ritum externum, manuum impositionem, Actor. VIII et XIX. Habemus effectum gratiæ ibidem. Nam per manus Apostolorum dabatur Spiritus sanctus, eadem phrasi qua dictum est, Tit. III, de Baptismo: *Per lavacrum regenerationis salvos nos fecit* (3). Institutio et mandatum non habetur expresse in Scriptura; tamen colligitur evidenter ex locis citatis. Numquam enim Apostoli ita confidenter et ordinarie imposuissent manus ad gratiam Spiritus sancti communicandam, nisi Dominus id præcepisset. Non enim ignorabant non posse ullum hominem instituere cæremoniam, ad quam sequeretur gratia Spiritus sancti. Nam etiam Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 13. et Apologia Confessionis Augustanæ art. 13. et Calvinus lib. IV Institut. cap. 19. §. 2. affirmant, non posse ullum hominem efficere, ut externum symbolum contineat certam promissionem gratiæ. Proinde oportet vel Apostolos fuisse temerarios, quod nemo diceret, vel habuisse Christi mandatum. Fuisse autem cæremoniam illam ordinariam et necessariam, et non satis fuisse orare Deum pro adventu Spiritus sancti, ex eo colligitur, quod Apostoli primarii Petrus et Joannes tantum laboris et itineris susceperunt, ut irent ex Hierosolyma Samariam, ad imponendas manus iis, quos Philippus Diaconus baptizaverat. Nam orare poterant pro illis manentes Hierosolymæ.

Est autem Notandum, impositionem manuum conjunctam fuisse cum unctione et signo crucis: simul enim hæc fiunt, dum crucis signum Chrismate pingitur in fronte confirmandorum, idque ministerio manus Episcopalis. Unde Dionysius lib. de Ecclesiast. hierarch. cap. 2. part. 3. et cap. 4. part. 3. meminit aperte Chrismatis in hoc Sacramento. Et Tertullianus lib. de resurrect. carnis, ubi ponit Confirmationem in eodem ordine cum Baptismo et Eucharistia: « Caro abluitur, inquit, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur, etc. » Et de præscriptionibus hæreticorum, docens diabolum imitari Sacramenta Christiana, ponit exemplum in his duobus: « Tingit, inquit, et ipse quosdam utique credentes, et fideles suos; signat illic in fronte milites suos. » Et in lib. de Baptismo: « Dehinc, inquit, manus imponitur per benedictionem, provocans et invitans Spiritum sanctum. » Ubi vides Tertullianum antiquissimum auctorem omnia tria ponere, unctionem, signum crucis in fronte, et manus impositionem.

Item Cyprianus lib. I. epist. 12. et lib. II. epist. 1. modo vocat unctionem, modo manus impositionem, et præterea vocat aperte Sacramentum. Nam sic ait lib. II. epist. 1. de Baptismo,, et Confirmatione loquens: « Tunc plene sanctificari, et esse Filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur. » Augustinus lib. II. contra litteras Petiliani cap. 104: « Sacramentum, inquit, Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. »

De Pœnitentia.

Joan. XX: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic habemus, Primo ritum, nimirum externum, et judicialem absolutionem, quæ est signum interioris, quæ fit a Deo per verbum externum, tamquam instrumentum.

(1) Eph. V, 26; Joan. III, 3; Matth. XXVII, 19; Marc. XVI, 16; Tit. III, 5. — (2) Matth. XXVI, 26; I. Cor. XI, 23 et 24; Joan. VI, 54 et 55. — (3) Tit. III, 5.

Secundo habemus promissionem gratiæ: *Remittuntur eis.* Tertio habemus mandatum ibidem: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). Unde Apostolus II. Corinth. V: *Deus*, inquit, *dedit nobis ministerium reconciliationis.* Et infra: *Pro Christo legatione fungimur* (2).

Ambrosius lib. I de Pœnitentia cap. 7: « Quid interest utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vendicent? unum in utroque ministerium est. Sed dices, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nonne Dei nomen operatur? »

Cyrillus lib. XII in Joannem cap. 56. comparat reconciliationem pœnitentium cum Baptismo.

Augustinus lib. V de Baptismo c. 20. numerat cum Baptismo, Eucharistia, et Confirmatione, etiam Reconciliationem, per manus impositionem, et in Psalm. CXLVI. in illud: *Qui alligat contritiones eorum* (3), disertis verbis Sacramentum appellat reconciliationem pœnitentium: « Quæ sunt, inquit, ista alligamenta? temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ. Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem. » Et infra: Hæc Sacramenta esse dicit Eucharistiam, et manus impositionem Præpositi in Pœnitentiam, quæ in cœlo non erunt.

De Extrema unctione.

Jacobi V. habemus ritum: *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Item promissionem: *Et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis fuerit, dimittentur ei* (4). Denique mandatum colligitur evidenter ex eo, quod Apostolus non auderet ita absolute promittere tantum effectum, nisi a Domino id accepisset, ut supra ostendimus etiam testimonio Apologiæ, Calvini, et Kemnitii.

Ex Patribus, Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium cap. 8. loquens de oleo sancto infirmorum: « Pœnitentibus, inquit, istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur quomodo unum genus putatur posse concedi? »

Bernardus in vita S. Malachiæ, scribit eum vocatum, ut feminam morituram inungeret, sed dum differtur unctio, illam expirasse; Malachiam autem vehementer doluisse, quod sine gratia Sacramenti hujus obiisset; itaque tandiu orasse, ac flevisse, donec eam a mortuis revocavit, et tum demum eam unxisse, et eam omnino convaluisse: « Unxit eam, inquit, sciens in hoc Sacramento remitti peccata. »

De ordinis Sacramento.

Habemus ritum externum, manus impositionem, I. Timoth. IV. Item promissionem gratiæ ibidem: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Et II. Timoth. I: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Denique institutio, et mandatum, Ephes. IV: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores etc.* (5) Et præterea, unde sciebat Apostolus datam esse Timotheo gratiam per impositionem manuum, si a Deo non didicerat, eo signo conferri gratiam?

Augustinus lib. II cont. epist. Parmeniani cap. 13. loquens de Baptismo, et Ordinatione: « Utrumque, inquit, Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur. Itaque in Catholica Ecclesia, utrumque non licet reiterare. » Similia habet lib. I de Baptismo cap. 1.

De Matrimonio.

Habemus nomen ipsum Sacramenti, Ephes. V: *Sacramentum hoc magnum est.* Item ritum externum, id est, contractum visibilem inter virum et feminam: de hoc enim Apostolus dicit, quod sit magnum Sacramentum, ut exponit Chrysostomus, et Hieronymus in hunc locum, qui etiam Nazianzenum citat, et omnes alii. Habemus etiam institutionem divinam, Matth. XIX: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Denique gratiam annexam colligimus ex hoc ipso loco Pauli. Nam conjunctio viri, et feminæ, significat conjunc-

(1) Joan. XX, 23 et 21. — (2) II. Cor. V, 18. — (3) Psal. CXLVI, 3. — (4) Jac. V, 14 et 15. — (5) I. Tim. IV, 14; II. Tim. I, 6; Eph. IV, 11.

tionem Christi cum Ecclesia. Illa autem conjunctio duplex est; una per naturæ conformitatem, quæ facta est in incarnatione, et hæc Christum conjugit non solum cum Ecclesia, sed etiam cum toto genere humano : altera est per gratiam, et charitatem, et hæc est, cum sola Ecclesia; et ratione hujus dicitur Christus sponsus, et Ecclesia sponsa, juxta illud II. Cor. XI: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (1). Igitur Matrimonium viri, et feminæ, ut possit significare utramque unionem Christi cum Ecclesia, oportet ut non solum sit inter conjuges unio quædam naturalis, et carnalis, qualis etiam inter Gentiles reperitur, sed etiam unio spiritualis ex gratia, et charitate proveniens. Proinde Sacramentum hoc gratiam istam confert, ut significatio sit perfecta. Quare Paulus Ephes. V, sæpe monet viros, ut diligant uxores, sicut Christus Ecclesiam, et feminas monet, ut viris subjectæ sint, sicut Ecclesia subjecta est Christo : et rationem reddit, quia hæc eorum conjunctio, Sacramentum est Christi, et Ecclesiæ.

Jam ex Patribus, Augustinus passim hoc docet, lib. de bono conjugali, cap. 18 : « In nostrorum, inquit, nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri. » Et cap. 24 : « Bonum nuptiarum per omnes gentes, et omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis : quod autem ad populum Dei attinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam intercedente repudio alteri nubere. » Atque hoc loco sufficiant : nam in disputatione de singulis Sacramentis plura adferemus.

Lotionem pedum non esse Sacramentum.

Nunc superest demonstrare, non esse plura Sacramenta, quam septem prædicta. Et quidem multa ita dicuntur a veteribus Sacramenta, præter ista septem. Nam Alexander I Papa in epist. 1. vocat aquam benedictam Sacramentum. Augustinus lib. XIX contra Faustum cap. 14. et in Psal. CXLI. signum crucis vocat Sacramentum, et in Psal. LXV. ac lib. IV de symbolo cap. 1. vocat Sacramenta cæremonias, quæ fiunt ante Baptismum, ut exorcismos, et similia, et lib. II de peccatorum meritis, et remiss. cap. 26. vocat Sacramentum panem quemdam benedictum, qui dabatur Catechumenis. Denique Ambrosius lib. III de Sacramentis cap. 1. et Cyprianus in serm. de ablutione pedum, et Bernardus in serm. de cœna Domini contendunt ablutionem pedum, quam Dominus instituit, Joan. XIII, Sacramentum esse. Sed ex his omnibus nihil est, quod habeat difficultatem, præter ultimum. Nam in primis nec aqua benedicta, nec signum crucis, nec panis benedictus, nec exorcismi, et aliæ cæremoniæ Baptismum præcedentes in Scripturis inveniuntur : proinde non possunt adversarii ea pro Sacramentis habere. Deinde illa omnia dantur etiam ante Baptismum, ut ex iisdem locis Augustini constat; At Baptismus omnium consensu est omnium Sacramentorum primum, et quasi janua. Denique nihil eorum habet promissionem gratiæ gratum facientis, neque constat an a Christo instituta sint, an ab Apostolis, cum tamen vera Sacramenta a solo Christo instituri potuerint.

De lotione pedum videtur major difficultas. Nam habemus Joan. XIII. ritum externum, ipsam pedum lotionem : item promissionem gratiæ : *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Item mandatum Dei : *Exemplum dedi vobis*. Item : *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*. Item esse mysterium, indicant illa verba : *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea* (2). Denique testimonia illa Patrum, Ambrosii, Cypriani, Bernardi; cujus testimonium adducit Kemnitius pag. 32. ad probandum Sacramenta esse plura, quam septem, si testimoniis Patrum standum sit.

Respondeo tamen, lotionem illam pedum, nihil habuisse commune cum Sacramentis proprie dictis, et solum posse dici Sacramentum largo modo, quemadmodum Sacramenta dicuntur omnia, quæ mysticum sensum habent, et figuræ sunt, ac typi aliarum rerum. Nam fuit revera lotio illa signum Christi humilitatis, et charitatis. Item fuit signum puritatis, qua debent homines ad Eucharistiam accedere : ideo enim immediate ante Eucharistiæ institutionem Christus hoc fecit. Denique fuit etiam signum, et figura quædam purgationis, quam eramus habituri per Christi passionem, ut Cyrillus hoc loco exponit.

Non fuisse autem Sacramentum proprie

(1) Eph. V, 32; Matth. XIX. 6; II. Cor. XI, 2. — (2) Joan. XIII, 8, 15, 14 et 7.

dictum, patet Primo, quia non habemus promissionem gratiæ justificantis; illud enim : *Nisi lavero te, non habebis partem mecum*, ad litteram non promittit gratiam, sed minatur pœnam ob inobedientiam, ut exponunt hoc loco Chrysostomus, et Cyrillus, et Basilius lib. I de Baptismo cap. 2. Si enim Petrus obstinate recusasset illam lotionem, periisset in æternum : non quia illi deerat lotio pedum, sed quia peccaverat contra Christum, et deerat illi obedientia. Mystice tamen significare potest, ut exponit hoc loco Augustinus, etiam justos indigere, ut Christus eos quotidie lavet a peccatis venialibus, quæ sunt veluti sordes, quæ pedibus adhærent ob humanam conservationem. Sed hoc non sufficit ad Sacramentum efficiendum, quia hic agitur de lotione peccatorum venialium, quæ non eget nova gratia gratum faciente. Unde Dominus ait : *Qui lotus est, non eget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (1), id est, mundus est simpliciter, et absolute, cum sit justus : tamen adhuc eget lotione a peccatis venialibus. Et præterea non habemus ex hoc loco ipsam lotionem pedum reipsa tollere peccata venialia, alioqui deberemus quotidie lavare pedes : sed solum lotionem illam unam, qua Dominus pedes lavit discipulorum fuisse figuram internæ lotionis, quam accepimus a Christo. Non igitur ipsa pedum lotio est Sacramentum proprie dictum.

Secundo non habemus mandatum, seu institutionem hujus ritus frequentandi, quod requiritur in omni Sacramento : alioqui peccarent fere omnes homines, qui non utuntur ista cæremonia. Et licet fuerit hæc cæremonia usitata olim in quibusdam Ecclesiis statim post Baptismum, tamen non fuit unquam ab omnibus recepta, nec ab ipsa Romana Ecclesia, ut testatur Ambrosius loco citato. Neque obstat illud mandatum : *Exemplum dedi vobis*. Item : *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*. Et : *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Num hoc mandatum præcipit humilitatem, et charitatem, ut exponunt Chrysostomus, et Cyrillus, non autem ipsam materialem lotionem pedum, ut patet ex praxi Ecclesiæ; numquam enim Christiani putarunt se habere speciale mandatum de lotione pedum.

Ad loca illa Patrum facile est respondere. Nam Ambrosius vocat Sacramentum, et mysterium, quia in ipsius Ecclesia servabatur, ut sacra cæremonia, et ut aliquid Sacramentale : tamen non putabat ipse esse hanc lotionem proprie dictum Sacramentum, ut patet tum ex eo, quod fatetur non remitti peccata lethalia per eam lotionem, sed quasdam reliquias peccati originalis : tum etiam quia dicit se non reprehendere Ecclesiam Romanam, ubi hæc cæremonia non erat in usu; quod certe non diceret, si putaret esse verum Sacramentum. Porro Cyprianus, et Bernardus, si attente legantur, non dicunt ipsam lotionem pedum materialem, esse Sacramentum, quo homines sanctificentur : sed solum dicunt illam unicam lotionem pedum Apostolorum a Christo factam, fuisse Sacramentum; quia per eam significabatur aliquid sacrum, quod in nobis quotidie fieri debet, id est, expiatio peccatorum venialium, quæ fit in nobis quotidie a Christo per orationem, jejunia, humilitatem, et exercitia pietatis erga proximos, quibus vacamus. Et sane si putarent lotionem pedum esse Sacramentum, oporteret nos quotidie ex eorum sententia lavare invicem pedes : id enim ipsi dicunt, hoc Sacramentum esse quotidianarum culparum expiationem.

(1) Joan. XIII, 10.

CAPUT XXV.

Septem esse Sacramenta, probatur ex posterioribus Conciliis, et Doctoribus.

Secunda probatio sumitur ex testimoniis, quæ præcise ponunt numerum septenarium, quæ testimonia tria sunt. Primum est omnium Theologorum, et proinde totius Ecclesiæ ab annis ut minimum 400. Nam Magister Sentent. lib. IV, dist. 2. et omnes inde Theologi septem Sacramenta esse tradiderunt. Neque vero Magister aliquid novum scripsit, sed quod invenit in usu Ecclesiæ; quod argumentum maximi ponderis esse debet. Nam si falsum esset, quod dicimus errasset tota Ecclesia per annos 400 perniciosissime. Nam si Sacramenta essent pauciora, magna impietas fuisset, et superstitio, et magna deceptio animarum, habuisse tamdiu pro Sacramentis ea, quæ Sacramenta non erant. Si vero essent plura, fuisset magna im-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

pietas, tamdiu contempsisse vera Dei Sacramenta, et magnum detrimentum animarum. Secundo, magis perniciosus est error circa Sacramenta, quam circa alia dogmata : nam reliqua fere speculativa sunt, et earum ignoratio multos simplices excusat. At Sacramentorum cognitio ad praxim pertinet, et ad praxim singulorum hominum. Tertio, sincerus Sacramentorum usus ad notas Ecclesiæ pertinet ex sententia omnium hæreticorum hujus temporis. Quare si in 400 annis erratum est in Sacramentis tam graviter, consequenter dicere debent, Ecclesiam periisse de orbe terrarum : non enim invenient facile qui aliter senserint hoc tempore de Sacramentis. Nam ipsi etiam Hussitæ, et Waldenses, qui fere soli erant hæretici, cum Lutherus apparuit, septem Sacramenta recipiebant. De Hussitis patet in Conc. Constant. sess. XV, art. 8. de Waldensibus, id testatur Lutherus in lib. ad eos scripto.

Secundum testimonium est Concilii Florentini in institutione Armenorum, ubi septem Sacramenta asseruntur, et explicantur. Ubi Notanda sunt duo mendacia Kemnitii. Is enim in 2. par. Exam. pag. 33. dicit, septenarium numerum Sacramentorum apud Græcos tentatum, Armenis vero obtrusum fuisse : et addit, Armenos a sancto Bartholomæo Apostolo ad fidem conversos, post mille, et eo amplius annos septenarium numerum Sacramentorum a Romano Pontifice tandem accepisse. Ubi mentitur. In primis enim dicit, hunc numerum tentatum a Concilio apud Græcos, quasi dicere velit, conatos fuisse Patres id persuadere Græcis, sed non potuisse. At in toto Concilio, nihil omnino de numero Sacramentorum cum Græcis actum esse, ex ipso Concilio, quod exstat Græce, et Latine, perspicuum est. Imo instructio hæc Armenis data est toto approbante Concilio, paulo ante ejus dissolutionem, ut ibidem legimus in decreto Eugenii IV, ubi hæc ipsa institutio habetur. Ex quo intelligimus, Græcos idem omnino cum Latinis semper sensisse de numero Sacramentorum : aliqui Græci non tam facile sine ulla quæstione instructionem approbassent. Quod etiam confirmari potest testimonio Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, qui in ea censura quam edidit ad errores Lutheranorum, septem Sacramenta ab ipsis etiam Græcis numerari recipique testatur. Sic enim loquitur cap. 7. in ea item Catholica Ecclesia septem divina Sacramenta esse, Baptismum, Sacri unguenti unctionem, sacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Pœnitentiam, Extremam unctionem.

Secundo mentitur Kemnitius, cum dicit, obtrusum fuisse Armenis hunc numerum Sacramentorum, cum eum ignorassent per annos mille, et amplius. Nam (ut in decreto Eugenii legimus) ante unionem Armenorum cum Latinis, collationes factæ sunt inter eos de fide Trinitatis, et Incarnationis, et Sacramentorum, et inspecti libri utriusque nationis, et tum demum præscripta formula instructionis : Quare non obtrusa fuit, sed post maturam discussionem, ab eis accepta : et sane non tam facile accepissent, nisi vidissent conformem esse antiquis libris, et ritibus Ecclesiæ suæ. Adde quod in eadem instructione traditur Armenis doctrina de tribus personis divinis, et de duabus Christi naturis. Ut igitur Kemnitius dicit, obstrusum illis numerum septem Sacramentorum, cur non dicit etiam obtrusum numerum personarum divinarum, et naturam Christi.

Tertium testimonium est Concilii Tridentini sess. 7. canon. 1. ubi additur anathema negantibus septem esse vera et propria Sacramenta : quod testimonium etiamsi nullum haberemus aliud, deberet sufficere. Nam si tollamus auctoritatem præsentis Ecclesiæ, et præsentis Concilii, in dubium revocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, et tota fides Christiana. Semper enim hæc fuit consuetudo apud Christianos, ut exortas controversias definirent Episcopi, qui tunc vivebant. Et præterea omnium Conciliorum veterum, et omnium dogmatum firmitas pendet ab auctoritate præsentis Ecclesiæ. Non enim habemus testimonium infallibile, quod Concilia illa fuerint, et legitima fuerint, et hoc aut illud definierint, nisi quia Ecclesia, quæ nunc est, et errare non potest, ita sentit, et docet. Quod enim historici quidam meminerint eorum Conciliorum, non potest parere fidem, nisi humanam, cui potest subesse falsum.

CAPUT XXVI.

Idem probatur ex congruentiis.

Catholici Doctores confirmare solent septenarium Sacramentorum numerum variis congruentiis. Prima est a similitudine vitæ spiritualis, et corporalis. Siquidem in vita corporali quædam requiruntur ex parte hominum singulorum, quædam ex parte totius Reipublicæ. Ex parte hominum singulorum requiruntur tria per se, generatio, augmentatio, et nutritio; et duo per accidens, remedium contra morbos, si contingat hominem ægrotare : et remedium contra reliquias morbi, ut perfecte convalescat. Ex parte Reipublicæ requiruntur duo. Primo parentes, qui propagent vitam corporalem hominum. Secundo Principes, et Magistratus, qui eam ordinent, et regant. Eodem igitur modo in vita spirituali. Primo, requiritur regeneratio, quæ est per Baptismum. Secundo, augmentatio, per Confirmationem. Tertio, nutritio, per Eucharistiam. Quarto, remedium, contra morbos, si contingat regeneratum peccare, per pœnitentiam. Quinto, remedium contra reliquias peccatorum, per Unctionem extremam. Sexto, ex parte Reipublicæ, Matrimonium, quo propagentur homines ad cultum Dei deputandi. Septimo, Ordo sacer, quo regantur, et gubernentur.

Secunda ratio ex numero peccatorum, et vulnerum. Nam Baptismus est præcipue contra originale. Pœnitentia contra actuale mortale, Unctio extrema contra reliquias peccatorum, Confirmatio contra infirmitatem, Eucharistia contra malitiam, Matrimonium contra concupiscentiam, Ordo contra ignorantiam.

Tertia ratio ex numero virtutum, Baptismus respondet fidei, Confirmatio spei, Eucharistia charitati, Pœnitentia justitiæ, Unctio extrema fortitudini, Ordo prudentiæ, et Matrimonium temperantiæ.

Quarta ratio ex celebritate numeri septenarii in expiationibus. Vide Exod. XXIX, Lex. IV, et VIII, XIII, XIV, XV, XVI, XXIII, Num. XIX. Deut. XV, II Paralip. XXIX. Job ult. ubi semper videbis in expiatione offerri septem animalia, vel septem diebus, vel septies aspergi sanguinem etc. Unde etiam IV Reg. V, Naaman septies jussus est lavari ad purgandam lepram. Vide S. Thomam in IV. dist. 2. quæst. 1. 3. par. quæst. LXV. art. 1. et contra Gentes lib. IV. cap. 58.

Sed Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 16. 17. et 18. tria dicit de his rationibus. Primo affirmat, esse fundamenta principalia, et demonstrationes nostræ sententiæ : « Hæc sunt, inquit, demonstrationes, hæc fundamenta, quibus septenarius numerus Sacramentorum in Ecclesiam invectus et receptus fuit a scriptoribus Scholasticis. » Secundo dicit, has demonstrationes nihil valere, quia alioqui probaremus etiam septem fuisse Sacramenta in lege veteri : nam etiam tunc erant virtutes, et peccata, et vita spiritualis, et corporalis. Tertio dicit, si ex numeris celebratis in scriptura numerus Sacramentorum desumi debeat, posse probari tria esse Sacramenta, vel etiam duodecim, aut plura, quia multi sunt numeri celebres, et sacri in Scripturis.

Sed hæc levia sunt. Nam in primis nullus Theologorum dixit, ista esse fundamenta, et demonstrationes, sed solum congruentias supposita fide. Id enim Scholastici facere solent, ut ea, quæ ex fide habemus, ostendant etiam non repugnare rationi, sed illi potius esse conformia. Nec tamen argumentum Kemnitii concludit, oportuisse numerum etiam in veteri lege esse Sacramenta septem. Nam Sacramenta vetera (ut supra ostendimus) non erant instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali, nec ad remedium peccati, excepta Circumcisione; sed solum ad significanda mysteria Christiana, et alios quosdam fines : nostra autem sunt instituta in remedium peccati, et ad justificandum, et perficiendum hominem in vita spirituali, ut ex Scripturis apertissime deducitur. Itaque congruentiæ illæ rectissime se habent, si applicentur nostris Sacramentis, non autem si applicentur veteribus. Denique illa ratio Kemnitii de variis numeris in Scriptura celebribus, nihil concludit. Nam ratio Catholicorum sumitur ex numeris, quæ significabant expiationem peccatorum, non autem ex quibuscumque numeris. Porro in Scriptura, ita frequens est numerus septenarius in expiationibus, ut tota Scriptura clamare videatur, futurum aliquando fuisse tempus, quo septem insignia, et efficacissima remedia darentur a Deo in expiationem peccatorum.

CAPUT XXVII.

Solvuntur objectiones.

Restat ut objectiones adversariorum diluamus, quæ sunt partim ex Scriptura, partim ex Patribus, partim ex ratione. Primum igitur ex Scriptura tria proferunt argumenta. Primum negativum, quia Scripturæ nusquam tradunt septem esse Sacramenta. Secundum affirmativum, quia Scripturæ duo tantum Sacramenta esse docent. Nam Joan. XIX. ex latere Christi fluxerunt sanguis et aqua, id est, (ut exponunt Chrysostomus, Cyrillus, et Theophylactus eum locum, et Damascenus lib. IV. de fide cap. 10. et Augustinus lib. II. de symbolo cap. 6. et tract. 9. in Joannem, et alii.) Eucharistia et Baptismus. Tertium, quia Scripturæ non solum non ponunt septem, et ponunt tantum duo, sed etiam negant esse septem. Nam Apocal. XVII. Angelus vocat Sacramentum bestiam, quæ septem capita habebat; ex quo significari videtur septenarium numerum Sacramentorum ad Antichristum pertinere, qui per eam bestiam designatur. Hæc sunt argumenta Kemnitii ex Scriptura, quæ ipse habet in 2. par. Exam. pag. 18. et 30. Sed hæc levia sunt.

Ad Primum supra respondimus, Scripturam neque septem, neque duo, neque tria, usquam expresse numerare.

Ad Secundum, locus ille Joannis non male ita exponi potest, ut significentur per sanguinem, et aquam, Eucharistia, et Baptismus, ut exponunt fere Græci omnes, sed non propterea excluduntur cætera Sacramenta. Solum enim duo posita sunt, quia sunt illa magis communia, et magis principalia, et ex illis poterat idem judicium de cæteris fieri. Sicut etiam Hebr. VI. Paulus duo tantum ponit Sacramenta, Baptisma, et manuum impositionem, id est, Confirmationem: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum* (1). Ubi per manuum impositionem intelligunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, et alii Confirmationem, quæ dabatur post Baptismum, nec meminit Eucharistiæ, quæ simul dabatur (ut etiam modo datur cum baptizantur adulti) cum Baptismo, et Confirmatione.

Dico tamen Secundo, non esse necessarium sequi illam expositionem Græcorum de sanguine, et aqua. Alii enim æque magni expositores aliter exponunt. Cyrillus, Catechesi 3. et Hieronymus in epist. 83. ad Oceanum, intelligunt per sanguinem, et aquam, significata esse duo Baptismata, unum in sanguine, id est, Martyrium, aliud in aqua. Ambrosius lib. X. in Lucam cap. 105. et Leo epist. 4. et Augustinus, ac Beda in cap. XIX Joannis, intelligunt per sanguinem, redemptionis pretium, per aquam, Baptismum. Et hæc videtur maxime litteralis expositio, ut nimirum intelligamus ex Christi latere fluxisse, Baptismum, qui omnem suam vim habet ex Christi sanguine. Nam ideo non dixit: Exivit aqua, et sanguis, ut ordo postulabat, si ageretur de Baptismo, et Eucharistia, cum Baptismus præcedat Eucharistiam; sed dixit: *Exivit sanguis, et aqua*, id est, pretium, et applicatio illius pretii. Quod etiam confirmatur ex illo 1 Joan. V: *Hic est, qui venit per aquam, et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, et sanguine* (2). Ubi videtur ipsemet Joannes explicare mysterium, quod posuerat, Joan. XIX. et simul ostendere differentiam inter Baptismum Christi, et Joannis, quod Joannes venerit in aqua solum, id est, Baptismum attulerit non efficacem. At Christus attulerit Baptismum efficacissimum, cum aquam dederit sanguini admistam.

Ad Tertium respondeo, blasphemum esse Kemnitium, cum Sacramenta Christi capita bestiæ esse dicit. Nam cogitur, velit nolit, ea etiam Sacramenta numerare inter capita bestiæ, quæ ipse habet pro veris Sacramentis, nimirum Baptismum, et Eucharistiam: hæc enim sunt ex numero illorum septem. Adde, quod Joannes non dicit septem illa capita esse septem Sacramenta, sed unum Sacramentum: proinde, (si licet nugari) id magis quadraret in Lutherum, qui unum Sacramentum esse dixit, et plura signa Sacramentalia. Denique ipsemet Joannes septem illa capita septem reges interpretatur. Ex quo ruit totum ædificium blasphemiæ Kemnitianæ.

(1) Hebr. VI, 1 et 2. — (2) Joan. XIX, 34; I. Joan. V, 6.

Jam ex Patribus. Primo, Calvinus lib. IV. Instit. cap. 19. §. 3. dicit, veteres cum loquuntur proprie de Sacramentis, duobus contentos esse, Baptismo, et Eucharistia. Id probat ex Augustino lib. III. doctrin. Christianæ cap. 9. et epist. 118. Addit Calvinus probationem. Nam Augustinus solet, ut plurimum quærere mysteria in numeris: « Imo, inquit Calvinus, in observandis numeris curiosior esse solet, quam necesse foret: et tamen de isto numero septenario Sacramentorum nihil unquam scripsit. »

Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 25. et sequentibus, tria asserit ex Patribus. Primo, si proprie loquamur de Sacramentis, vetustissimos Patres non agnovisse nisi duo, Baptismum, et Eucharistiam. Id probat ex Justino, Apologia 2. ex Irenæo, ex Tertulliano lib. I. et 4. in Marcionem, et de corona militis, item ex Cyrillo in Catechesibus, ex Ambrosio, in lib. de Sacramentis, et de iis, qui initiantur mysteriis; qui duo auctores ex professo tractant de Sacramentis, et tamen non ponunt nisi duo.

Secundo, affirmat Patres recentiores ponere plura Sacramenta, quam duo, sed pauciora, quam septem, proprie loquendo de Sacramentis. Id probat ex Dionysio, quem dicit a nobis fingi esse Areopagitam, qui in Ecclesiastica hierarchia, quatuor tantum Sacramenta exponit, Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, et Ordinem. Item ex Gregorio can. multi sæcularium 1. q. 1. apud Gratianum, qui tria ponit, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam. Item ex Rabano, et Paschasio de cœna Domini. Denique ex incerto Auctore, qui sub nomine Cypriani, scripsit de operibus Cardinalibus Christi. Is enim in sermonibus de cœna Domini, de ablutione pedum, et de Chrismate, pauciora ponit, quam septem.

Tertio affirmat, Patres, cum largo modo de Sacramentis loquuntur, plura numerare, quam septem; et probat ex variis locis Augustini. Ex quibus omnibus colligitur, neque proprie, neque improprie loquendo Sacramenta esse septem apud veteres, sed vel pauciora, vel plura.

Respondeo primum ad hæc omnia, nullum ex Patribus scripsisse unquam Sacramenta non esse septem: aut esse tantum duo, vel tria, sed solum ad suum propositum mentionem fecisse aliquorum Sacramentorum, de aliis nihil dixisse. Non autem pugnant cum Theologis, qui septem asserunt Sacramenta, ii qui neque septem esse negant, neque dicunt tantum esse duo, vel tria. Adde quod iidem Patres in multis locis unius tantum Sacramenti mentionem faciunt: in aliis locis nullius. Quare secundum Kemnitii Dialecticum, oporteret colligere unum esse Sacramentum, aut etiam nullum. Satis igitur esse debet, quod Patres in variis locis, aut certe varii Patres ejusdem ætatis omnium septem Sacramentorum alicubi meminerint, ut nos supra ostendimus. Hac solutione præmissa respondeo etiam ad singulos Patres.

Ac primum ad Augustini testimonia a Calvino citata, dico, Augustinum in illis duobus locis non dicere esse tantum duo, sed ponere duo, loco exempli. Id quod patet ex iisdem locis. Nam lib. III doctrinæ Christianæ, c. 9. sic habet Augustinus: « Pauca pro multis, eademque facta facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus, et Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini. » Ubi vides particulum (sicuti) aperte indicare ista esse exempla. Sic etiam in epist. 118. ubi Augustinus dixit, nos habere Sacramenta numero paucissima, significatione præstantissima, observatione facillima, subjungit: « Sicuti est Baptismus, et communicatio corporis Domini, etsi quid aliud in divinis litteris commendatur. » Ubi etiam vides exempla esse, et indicare etiam plura esse, quam duo; quod clarius repetit in Psalm. CIII, concione 1. in illa verba: *Qui tegit aquis superiora ejus* (1). « Respice, inquit, ad munera ipsius Ecclesiæ, munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis. » Et in epist. 119. ad eumdem Januarium, c. 7 : « Ad celebrationem, inquit, Sacramentorum utimur de sensibilibus rebus, aqua, frumento, vino, et oleo. » Ubi vides numerari materias omnium Sacramentorum, excepta Pœnitentia, et Matrimonio, quæ duo non habent ullam materiam consecratam.

Adde quod Augustinus etsi in quibusdam locis non meminerit, nisi duorum, tamen alibi expresse ponit plura; et præsertim de Confirmatione, et de Ordine affirmat illa esse Sacramenta, sicut est Baptismus, lib. II

(1) Psal. CIII, 3.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
BIBLIOTECA

contra litteras Petiliani, c. 104. et lib. II contra epist. Parmeniani, c. 13. Mentitur igitur Calvinus impudenter, cum dicit, Augustinum duobus tantum Sacramentis esse contentum.

Ad Confirmationem retorqueo argumentum in auctorem. Nam si S. Augustinus tantum duo Sacramenta esse credidit, et erat curiosior, quam oporteret in mysteriis numerorum; cur non indicavit, quæ mysteria lateant in binario numero Sacramentorum? Præterea non est verum, S. Augustinum tam curiosum fuisse, ut dicit Calvinus, in mysteriis numerorum. Non enim ignorabat esse duodecim articulos fidei, tres virtutes Theologicas, decem præcepta decalogi, et alia id genus multa, de quorum tamen numerorum mysteriis, nihil Augustinus scripsit. Sic igitur neque scripsit de mysteriis septenarii numeri Sacramentorum, ne Calvinus nimis eum curiosum in his rebus appellaret.

Venio ad loca citata a Kemnitio. Ad locum Justini Respondeo, Justinum in Apologia illa tantum meminisse duorum Sacramentorum, quia id requirebat argumentum illius operis: respondet enim iis, quæ objiciebantur a Gentilibus. Gentiles autem duo quædam objiciebant. Primo, quod Christiani essent athei, quia non colebant Deos. Secundo, quod in suis conventiculis multa turpia, et scelerata agerent, ac præcipue, quod humanas carnes vorarent, et ideo ad suam Synaxim non admitterent ullos præter suos. De quibus calumniis vide etiam Tertullianum in Apologetico, Athenagoram in Apologia, et Minutium in Octavio. Justinus igitur ad illa duo respondet, et ideo in maxima parte Apologiæ tractat de fide, ac docet, Christianos non esse atheos, cum colant tres divinas personas, et præterea venerentur Angelos etc. Deinde in altera parte tractat de Synaxi, et obiter meminit Baptismi, ut doceat solis baptizatis licere interesse Synaxi; et breviter exponit quid Christiani agant singulis Dominicis diebus in sua Synaxi, ubi necessario disserere debuit de Eucharistia, quia hoc mysterium præcipuum est in Synaxi, et de hoc potissimum male audiebant Christiani; putabantur enim vesci carnibus alicujus pueruli. De aliis Sacramentis non fuit opus, ut quidquam diceret, quia illa partim erant ignota Gentilibus, partim sine calumnia exercebantur.

Ad Irenæum Respondeo, Irenæum numquam instituisse disputationem de Sacramentis, sed pro locorum oppertunitate modo meminisse unius, modo alterius. Nam lib. I, c. 9. tractat de Eucharistia, refellens deliramenta Marci cujusdam circa Eucharistiam, c. 18. tractat de Baptismo refellens deliramenta aliorum ejus temporis hæreticorum circa Baptismum. Rursus lib. IV, c. 32, 33 et 34. tractat de sacrificiis legis veteris et novæ, et ideo simul agit etiam de Eucharistia. Item lib. I, c. 2. tractat de pœnitentia, et lib. III, c. 4. meminit Confessionis. Neque obstat, quod non vocet Pœnitentiam Sacramentum: nam nec Baptismum, aut Eucharistiam vocat Sacramenta.

Ad Tertullianum idem dici posset; non enim instituit usquam disputationem de Sacramentis: sed præterea perspicue distinguit in libro de resurrectione carnis quatuor diversa, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, Ordinationem. Neque valet glossa Kemnitii, quod Tertullianus Chrisma, et manus impositionem non faciat nova Sacramenta, sed velit esse cæremonias Baptismo annexas. Nam Tertullianus distinguit illa quatuor, et tribuit singulis proprios effectus. Et præterea, si de cæremoniis Baptismi ageret, non poneret manus impositionem post Eucharistiam.

Sed videamus loca a Kemnitio adducta. Primo, adfert librum primum in Marcionem. Sed locus ille pro nobis est: non enim dicit in eo libro usquam duo esse Sacramenta, sed dicit in Sacramentis Deum uti voluisse aqua, pane, et oleo; quæ sunt materiæ, quæ consecrantur in quinque Sacramentis. Nec meminit Tertullianus aliorum duorum, quia solum volebat ostendere, Deum nostrum esse verum Creatorem elementorum, et aliarum rerum sensibilium, contra Marcionis errorem, qui id negabat. Id autem probat egregie; quia si res istas creasset alius Deus, non eis uteretur Deus noster in Sacramentis suis.

Secundo, adducit librum quartum contra Marcion. ubi in margine ad num. 51. est annotatio B. Rhenani: « Baptismus, et Eucharistia, duo Sacramenta primitivæ Ecclesiæ. » Quæ annotatio Kemnitium decipit: non enim eo loco Tertullianus dicit tantum esse duo ista Sacramenta, sed reprehendit Marcionem, quod ad hæc Sacramenta non admitteret, nisi eos, qui damnabant conjugium.

Tertio, adducit librum de corona militis,

ubi etiam non nominantur, nisi Baptismus, et Eucharistia. Sed non advertit Kemnitius in eo libro non agi de Sacramentis, sed de cæremoniis Ecclesiæ, quæ non habentur ex Scriptura, sed ex traditione. Unde ibi enumerat varias traditiones circa hæc Sacramenta; et ne putaremus non esse alia Sacramenta, vel alias cæremonias, addit: « Harum, et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem postulas Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi obtenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. »

Ad Cyrillum, et Ambrosium dico duo. Primo, falsum esse eos duo tantum Sacramenta agnoscere; uterque enim in libris a Kemnitio citatis, meminit Chrismatis, tamquam Sacramenti a Baptismo, et Eucharistia distincti; ut patet ex Cyrillo Catech. 3. et ex Ambrosio, lib. III. de Sacramentis, cap. 2. et de iis qui mysteriis initiantur, cap. 7.

Secundo, dico non esse mirum, si isti auctores in his libris de tribus tantum Sacramentis tractant: scribunt enim ex professo ad Catechumenos, et eos instruunt de his rebus, quæ fiunt tempore Baptismi. Porro cum baptizantur adulti, tria Sacramenta eodem die illis ministrantur, Baptismus, Confirmatio, et Eucharistia: id quod certum est, tum ex praxi, quæ hodie est in Ecclesia, tum ex libris citatis Ambrosii, ubi totum ordinem Baptismi, et rerum consequentium describit. Unde Amphilochius in vita S. Basilii, ita de illius Baptismo scribit: « Baptizavit, inquit, Episcopus Maximinus Basilium, et Eubulum, atque ungens eos sancto Chrismate, tradidit eis vivificam communionem. »

Ad Dionysium Arcopagitam dico, eum tantum dissercre in eo libro de Hierarchia Ecclesiastica, ut ipsum nomen indicat, ac de solemnibus actionibus Hierarchiæ, id est, Episcopi. Itaque tractat de Baptismo, et Eucharistia, quæ solemni ritu Episcopus administrare solet. Item de Consecratione olei, de Ordinatione clericorum, quæ a solis Episcopis fieri possunt: cætera tria omisit. Nam extrema unctio, privatim a presbytero confertur: Matrimonium non eget, quod essentiam suam, ministerio Sacerdotum, tametsi præsentia Parochi ex decreto Concilii Tridentini omnino requiratur: et benedictio, quam novis nuptis dare solet Ecclesia, a presbytero privatim celebretur. Denique Pœnitentiam solemniter quidem olim Episcopi imponebant, et deinde in sancta hebdomada pœnitentes absolvebant: sed videtur id cœpisse post Apostolorum mortem, cum peccata multiplicari cœpta essent. Quare hoc potius est argumentum antiquitatis horum librorum. Nec tamen ignoravit Dionysius Sacramentum Pœnitentiæ, cum ejus meminit in epist. ad Demophilum.

Ad Gregorium dico, verba illius Canonis non videri Gregorii, nec enim in ejus operibus inveniuntur: exstant autem apud Isidorum, lib. VI Etymologiarum, c. 19. sed cujuscumque sint, non ponit ille auctor, nisi exempla quædam.

Rabanus in libris de institutione Clericorum, tractat de Sacramentis omnibus, quæ conveniunt Clericis, lib. I, c. 6. de Ordine, ibidem, c. 24. de Baptismo, Confirmatione, et Eucharistia, lib. II, c. 29. de Pœnitentia, ibidem, c. 41. de Extrema unctione. Matrimonium solum omisit, quia ad Clericos non pertinet.

Paschasius in libro de cœna Domini, quid mirum, si non tractet nisi de Eucharistia, cum hoc solum requirat argumentum illius libri? Denique Cyprianus, seu quicumque sit auctor sermonum de operibus Cardinalibus Christi, non meminit omnium Sacramentorum; quia solum explicat mysteria, quæ Ecclesia recolit vel celebrat in die Cœnæ Domini; quæ sunt Eucharistia, ablutio pedum, reconciliatio pœnitentium, et confectio Chrismatis. Vide sermones de cœna Domini, de ablutione pedum, et de Chrismate. Ad alia loca Kemnitii nihil opus est respondere: fatemur enim Sacramenta largo modo sumpta esse plura quam septem.

Ultimo loco Kemnitius argumentatur ex ratione, ac probat duo tantum esse Sacramenta, quia duobus tantum convenit definitio Sacramenti. Sed ut hoc possit efficere, fingit sibi novam definitionem, eamque longissimam; tot enim particulas in ea posuit, quot sufficere videbantur ad excludenda quinque Sacramenta. Sed hanc definitionem nos supra diligenter refutavimus in disputatione de definitione Sacramenti.

CAPUT XXVIII.

De ordine, et comparatione Sacramentorum novæ legis inter se.

Unum hoc superest ad finem quæstionis de numero Sacramentorum, ut eorum etiam ordinem ostendamus. Est enim unus ex Lutheranorum erroribus, non esse unum Sacramentum alio præstantius : ita enim loquitur Lutherus in lib. de instituendis ministris ad Pragenses : « Unum Sacramentum altero dignius esse non potest, cum eodem verbo Dei omnia constent. » Quod idem majori ratione dicere coguntur Calvinistæ, qui cum in Eucharistia non ponant Christi corpus, nisi tropice, non est ulla ratio, cur eum Baptismo anteponant. Sed nec Lutheranirationem habent, cur Eucharistiam anteponant Baptismo. Etsi enim fatentur in pane esse verum Christi corpus, tamen idem corpus Christi coguntur eodem modo ponere in aqua Baptismi, cum ubique illud ponant. Sicut etiam non est ratio, cum eumdem effectum utrique Sacramento tribuant, nimirum obsignare promissiones ad alendam fidem.

Contra hunc errorem posuit Concilium Tridentinum sess. VII, can. 3. in quo dicitur anathema iis, qui septem Sacramenta novæ legis paria faciunt. Circa quem Canonem, et totam hanc rem, pauca quædam notanda sunt. Primum est, Calvinum in Antidoto, et Kemnitium in Examine II. par. pag. 75. et sequentibus, omnino dissimulasse statum quæstionis præsentis, et rem totam ad jocum, et calumnias vertisse. Nam uterque dicit hunc canonem a se maxime servari, cum ipsi non faciant paria septem Sacramenta, imo tantum discrimen ponant inter Baptismum, et Eucharistiam ab una parte, et cætera quinque ab altera, ut priora duo Christi institutionem esse dicant, reliqua vero hominum inventa. Sed hoc (ut dixi) est dissimulare statum quæstionis. Concilium enim cum dicit anathema iis, qui septem Sacramenta faciunt paria, non vim facit in numero septenario, sed in ratione Sacramenti : hic enim est sensus canonis : Si quis Sacramenta novæ legis, quæ in I. can. septem esse diximus, paria facit, ita ut non sit unum alio dignius, anathema sit. Esse autem hunc sensum patet, tum quia Concilium suis canonibus Lutheranorum errores damnat; error autem Lutheranorum non est, quod parem faciant Baptismo Confirmationem, aut aliud ejusdem generis eorum, quæ ipsi non habent pro Sacramentis, sed quod inter Baptismum, et Eucharistiam discrimen dignitatis non ponant; tum etiam id patet ex ipso Concilio. Nam infra sess. XIII, c. 3. asserit Eucharistiam excellere omnibus aliis Sacramentis, quam corporationem non facit Concilium in aliis.

Nota secundo, Kemnitium dissimulata vera causa hujus canonis, alias quasdam ponere, nimirum quod Concilium renovare voluerit antiquam contumeliam, quod scilicet Chrisma præstet Baptismo. Item quod Ordinis Sacramentum antecellat cæteris, quia secum adfert pingues præbendas. Denique quod Ordinis Sacramentum tanto sit excellentius conjugio, ut simul cum eo manere non possit. Sed ista omnia meræ calumniæ, ac meræ nugæ sunt auctoribus suis dignissimæ. Nam Concilium, ut dixi, præcipue intendit damnare errorem Lutheranorum de paritate Baptismi et Eucharistiæ : atque ad hoc respondere debuissent isti censores. Neque dicimus Sacramentum Ordinis pugnare cum Matrimonii Sacramento, sed actum Matrimonii habere aliquid indecens in sacerdote. Nam si laici continere debent ab uxore ad tempus causa orationis I. Corinth. VII. certe actus conjugii impedit orationem, et multo magis sacrificium. Alioqui veros conjuges, sed continentes, ordinamus sacerdotes.

Nota tertio, Sacramenta septem, licet sint ejusdem generis, et proinde omnia vera, et proprie Sacramenta : tamen differre specie, et secundum varias rationes nullum esse, quod alicui alteri non præstet. Nam Baptismus excellit omnibus, quoad effectum remittendi peccata : nam remittit peccatum originale, quod nullo alio Sacramento remittitur : item remittit omnia actualia, et omnem pœnam eis debitam, quod non faciunt Sacramenta cætera.

Confirmatio excellit omnibus, et ipsi etiam Baptismo (etiamsi nolint Lutherani) quoad effectum gratiæ ad bene operandum. Nam in eo Sacramento confertur plenitudo Spiritus sancti, et est Confirmatio quædam perfectio, et consummatio Baptismi : præsupponit enim totum effectum Baptismi, et superaddit gratiam copiosiorem. Unde Apostolis dicitur Luc. ult : *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (1). Et ante Confirmationis effectum, quam acceperunt in die Pentecostes, licet baptizati essent, timidissimi erant, ita ut omnes in passione fugerent; postea vero accepto Spiritu sancto, facti sunt robustissimi. Quare Cyprianus lib. II. epistol. 1. et Cornelius in epist. ad Fabium apud Eusebium lib. VI. hist. cap. 33. non timuerunt dicere non esse plane sanctificatos, nec perfectos Christianos, qui carent Sacramento Chrismatis; etiamsi hanc vocent Calvinus et Kemnitius veterem contumeliam.

Eucharistia excellit omnibus, quoad ipsam substantiam Sacramenti. Nam cætera constant ex re sensibili, et virtute quadam agendi sibi a Deo communicata per motum : at Eucharistia non solum virtutem quamdam operativam, sed ipsum Christum auctorem illius virtutis vere continet.

Pœnitentia excellit cæteris necessitate, solo Baptismo excepto, cum quo est illi hæc excellentia communis.

Extrema unctio aliquo modo excellit Pœnitentiæ, quoad effectum gratiæ, sicut Confirmatio Baptismo. Nam præsupponit totum effectum pœnitentiæ, et superaddit gratiam copiosiorem, quæ non solum posset delere omnia peccata si adessent, sed etiam tollit reliquias peccatorum.

Ordo excellit omnibus, excepta Confirmatione, ratione ministri; nam solum ab Episcopo conferri potest. Imo etiam videtur excellere in hac re Confirmationi. Nam Confirmatio aliquando ex dispensatione confertur a simplici sacerdote : Ordines autem sacri, ac præsertim Sacerdotium, numquam nisi ab Episcopis conferuntur. Præterea Ordo cæteris præstat, quoad aliquid sibi proprium, quia constituit homines in gradu sublimiore, quam sint cæteri Christiani, non (ut nugatur Kemnitius) quia præbendas pingues secum adfert.

Denique Matrimonium excellit significatione : significat enim Christi unionem cum Ecclesia : Unde ab Apostolo magnum Sacramentum appellatur Ephes. V.

Nota quarto, simpliciter Eucharistiam omnibus excellere : nam ejus excellentia est in ipsa Sacramenti substantia. Et præterea est hoc Sacramentum consummatio omnium Sacramentorum, unde etiam post singula conferri solet, quando ea traduntur adultis : de qua re alibi dicendum erit.

Nota quinto, ordinem, quem servat Concilium in Sacramentis numerandis, non esse ordinem dignitatis, sed primo poni quinque, quæ ad omnes pertinent, deinde duo, quæ non ad omnes : et quidem in primis quinque servari ordinem temporis, quo ex natura sua sumi deberent. Primo enim datur Baptismus. Secundo Confirmatio. Tertio Eucharistia : hic enim ordo servatur cum baptizantur adulti, et est ordo naturalis. Quarto datur Pœnitentia, si contingat peccare post Baptismum. Quinto Extrema unctio in fine vitæ. Post ista quinque, quæ sunt omnibus communia, ponuntur alia duo, quæ non conveniunt omnibus, Ordo, et Matrimonium; et quidem prius Ordo, quam Matrimonium, quia Ordo est excellentior : hic enim non debuit haberi ratio temporis, cum non conjungantur hæc duo Sacramenta in uno homine, nisi per accidens.

(1) Luc. XXIV. 49.

CONTROVERSIA VI.

De cæremoniis Sacramentorum in genere.

De ritibus singulorum Sacramentorum suis locis agemus; hic tantum de ritibus in genere disputandum est. Quam postremam controversiam disputare instituimus, tum quia res dignissima est, quæ sciatur, tum etiam ut nullus sit canon Concilii Tridentini de Sacramentis in genere, quem non defenderimus; hactenus enim omnes defendimus, præter ultimum, qui dicit anathema iis qui cæremonias Ecclesiæ, vel contemnunt, vel sine peccato prætermitti posse putant.

Erunt autem quatuor partes hujus quæstionis. Prima de nomine, definitione, et partitione cæremoniarum. Secunda de statu causæ, et hæreticorum erroribus, et mendaciis. Tertia de explicatione, et probatione veritatis. Quarta de objectionibus adversariorum.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
BIBLIOTECA GENERAL DE TEOLOGÍA

CAPUT XXIX.

De nomine, definitione, et partitione cæremoniarum.

Quod ad primum attinet, notanda sunt quædam pro statu causæ intelligendo. Primum est, quid sit cæremonia. Est autem cæremonia actus externus religionis, qui non aliunde habet laudem, nisi quia fit ad Dei honorem. Religio enim, quæ est nobilissima moralium virtutum, tres habet actus, ut quævis alia virtus. Primo, actum internum elicitum, qui est velle Deo debitum honorem, et cultum dare. Secundo actum externum interno respondentem, qui est quælibet externa actio, quæ non aliunde est bona, et laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum, ut sacrificium, genuflexio, et similia. Tertio, actum imperatum, id est, actum cujusvis virtutis, qui a religione ordinetur ad Dei honorem. Hoc modo jejunia, eleemosynæ, et alia id genus dici possunt actus religionis, quando fiunt ad colendum Deum, licet alioqui sint etiam actus aliarum virtutum. De hoc tertio actu dixit S. Jacobus cap. 1. religionem esse visitare pupillos, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo; et S. Augustinus in Enchirid. cap. 3. dixit, Deum coli fide, et spe, et charitate. Ex his tribus actibus, primus nullo modo est cæremonia; tertius non est etiam cæremonia, nisi quatenus imperatur a religione, secundus est proprie, et simpliciter cæremonia, et de eo tractamus hoc loco.

Quod autem ad nomen attinet: Cæremoniæ apud Hebræos dicuntur חקים quod nomen proprie significat non tam ipsam externam actionem, quam legem, seu statutum, quo actio illa præcipitur. Unde etiam in novo Testamento cæremoniæ Judaicæ nomine legis appellari solent, ut Matth. XI: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem.* Galat. V: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ* (1). Eam vocem Græci reddunt ubique per δικαιώματα, id est, justificationes, quia erant ritus ad hominem justificandum, et purgandum institutæ. Latinus interpres fere semper vertit cæremoniam in Testamento veteri vocem Hebræam חקים. Nomen autem hoc Latinum vel dictum est ab oppido Cære, ut volunt Livius lib. V. et Valerius Maximus lib. I. cap. 1. quod in eo oppido Sacra Romana servata sint, quo tempore Galli Romam diripuerunt; vel forte rectius dictum est a carendo, ut sit cæremonia, quasi cæremonia. ut vult S. Augustinus lib. II. retractat. cap. 37. et Gellius lib. IV. cap. 9. et Macrobius lib. II. Saturnal. cap. 3. eo quod quædam cæremoniæ in abstinendo, et carendo positæ sunt, qualis erat apud Judæos carere usu carnis suillæ, et omnia fere vota Nazaræorum, et aliorum, qui vini, et aliarum multarum rerum usu, et voto carebant.

Sed ad partitionem veniamus. Quinque sunt partitiones cæremoniarum. Prima partitio sumitur a fine seu effectu. Quædam enim instituuntur ad justificandum, ut Sacramenta, et de his modo non agimus: quædam ad alios quosdam effectus spirituales, ut ad dæmones coercendos, ut exorcismi, aqua benedicta etc. quædam ad solum ornatum, et significationem, ut vestis alba neophytorum, lumina cereorum etc. et de his agimus.

Secunda partitio sumitur a causa efficiente, id est, ab institutore. Quædam enim sunt ab ipsa natura quodammodo institutæ, quæ naturales dici possunt: quale est respicere in cœlum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus cum Deum oramus: ista enim natura ipsa docet, unde etiam communes sunt etiam Gentilibus, et quibuscumque sectis. Quædam sunt a Deo institutæ, ut multæ in Testamento veteri, et Sacramenta quædam in novo; atque hæ divinæ cæremoniæ appellantur. Quædam denique sunt ab Apostolis, vel eorum successoribus institutæ, quæ dicuntur Ecclesiasticæ. Et similis est partitio verborum; sunt enim cæremoniæ quædam verba visibilia. Videmus enim quasdam voces esse naturales, ut sunt eæ, quibus varios effectus exprimimus; nam omnes eodem modo plorant, suspirant, rident etc. alias a Deo institutas, ut Genes. I. nomen cœli, terræ, maris, et alibi nomina aliquorum magnorum virorum; denique alias ab hominibus institutas, ut Genes. II. Adam imposuit nomina animantibus.

Tertia partitio sumitur a causa formali. Quædam enim cæremoniæ sunt immediate

(1) Matth. XI, 13; Galat. V, 3.

cultus Dei, ut sacrificium, oratio, adoratio etc. quædam disponunt ad colendum Deum, ut jejunia, cœlibatus, vitæ asperitas etc. quædam sunt instrumenta divini cultus, ut templa, aræ, calices etc.

Quarta partitio a causa materiali, seu ab objecto materiali. Quædam enim cæremoniæ versantur circa personas; ut exorcismi, insufflationes, aspersio cineris etc. quædam circa locum, ut consecratio templi; quædam circa tempus, ut dies festi, vigiliæ, Quadragesima, et sic etiam sunt tempora determinata Sacramentorum celebrationi: quædam circa modum, ut quod Latine Sacramenta ministrentur; denique quædam circa res ipsas, ut benedictiones aquæ, olei, vestium, palmarum etc.

Quinta partitio sumitur ab accidentibus, ut quod aliæ sint universales, aliæ particulares, ut jejunium Sabbati temporibus S. Augustini servabatur Romæ, non Mediolani; et contra lotio pedum post Baptisma, servabatur Mediolani, non Romæ. Vide Augustinum epist. 118. et Ambrosium lib. de Sacramentis III. c. 1. Item aliæ temporales, ut abstinentia a sanguine, et suffocato, Actor. XV. aliæ perpetuæ, ut ritus Sacramentorum. Denique aliæ in præcepto, aliæ liberæ; de quibus vide Augustinum epist. 118.

CAPUT XXX.

De statu causæ.

Jam ut statum causæ intelligamus, observanda sunt tria. Primo non pauca esse, in quibus adversarii nobiscum conveniunt. Primo enim fatentur aliquas cæremonias necessarias esse ad Sacramentorum administrationem, præter cæremonias, quibus continetur Sacramentorum essentia. Secundo eas cæremonias esse adhibendas, quæ habent in Scriptura mandatum, vel exemplum, ut orationes, gratiarum actiones, exhortationes, psalmodiam: ista enim fuisse in usu Apostolorum, patet ex 1 Corinth. XIV. et I Timot. II. Tertio fatentur posse Ecclesiam statuere de his cæremoniis, quæ habentur in Scripturis, certum ordinem, et modum, quo servari debent, ne sit confusio. Ita Lutherus in lib. de piis cæremoniis, et in lib. de formula Missæ. Calvinus lib. IV. Institut. cap. 10. §. 14. Kemnitius in Examine, 2. par. pag. 174. Denique idem probant tot agendæ, quas singulæ fere Ecclesiæ ipsorum ediderunt.

Secundo observandum est, multa ab adversariis reprehendi in doctrina de cæremoniis Catholicorum, sed omnia esse ipsorum mendacia, non dogmata nostra: quocirca sunt hæc omnia notanda, et separanda, ut verus causæ status appareat.

Igitur Kemnitius in 2. par. Examin. pag. 157. et sequentibus, hæc omnia nobis tribuit. Primo, quod Concilium Tridentinum approbaverit quoscumque ritus ab hominibus excogitatos, licet absurdissimos. Idem habet Calvinus in Antidoto hujus canonis. At falsum est: nam Concilium non approbat, nisi ritus receptos ab Ecclesia universali, quos etiam ita approbat Augustinus epist. 118. ut dicat contra eos disputare esse insolentissimæ insaniæ.

Secundo, quod asseramus retinendos ritus, qui pugnant cum Dei verbo. Tertio, quod Papa possit immutare Christi instituta. Quarto, quod sit peccatum mortale, et anathemate dignum, mutare vel minimum in his cæremoniis. Idem habet Calvinus in Antidoto. Quinto, quod anteponamus humanas cæremonias divinis præceptis. Idem habet Calvinus lib. IV. Institut. cap. 10. et Confessio in Apolog. August. artic. 15. et ult. Sexto, quod putemus sine his ritibus humanis non habere Sacramenta veritatem, et efficaciam. Quod sane est mendacium impudentissimum: et idem tamen mendacium est apud Tilmannum Heshusium lib. de 600 erroribus Pontificiorum, tit. 10. errore 13. Septimo, quod singulis cæremoniis tribuamus vim aliquam spiritualem. Octavo, quod aliquibus cæremoniis tribuamus efficaciam Sacramentorum, ut cereo Paschali. Simile quid habet Lutherus in ult. homil. de Baptismo, ubi dicit Catholicos putare aquam benedictam, et similes res consecratas, esse Sacramenta: quamvis contrarium idem Lutherus dicat in lib. de captivit. Babylon. cap. de ordine. Nono, quod præferamus cæremonias nostras ipsis Christi Sacramentis. Idem habet Calvinus in Antidoto, ubi impudentissime mentitur, nos anteponere salem, et oleum, et sputum aquæ Baptismi. Decimo, quod Tertullianus, et Cyprianus ex errore Montanistarum docuerint, exorcismos, et unctionem habere spirituales effectus. At

nihil tale docuisse Montanistas usquam legimus : sed in Patribus omnibus passim id legimus. Undecimo, quod Cyprianus et Cornelius tribuerint Unctioni effectum Baptismi, et quod postea, teste Magistro Sententiarum, correctæ fuerint istæ opiniones, et nunc tamen a Concilio Tridentino iterum renoventur. Sed ista omnia mendacia sunt. Nam Cornelius, et Cyprianus non loquuntur de cæremoniis Ecclesiasticis, sed de Sacramento Confirmationis ; et ei tribuunt non effectum Baptismi, sed alium proprium. Neque apud Magistrum exstat ullum verbum de correctione hujus sententiæ : solum enim corrigitur error Cypriani de Anabaptismo lib. IV, sentent. distinct. 6.

His addunt alii quod sentiamus præcipuum Dei cultum in his cæremoniis consistere. Ita Calvinus lib. IV Institut. c. 10, §. 9. et 12. item Confessio Augustana art. 26. qui est de discrimine ciborum. Item per has cæremonias homines justificari, et in Christi locum quodammodo successisse. Ita Calvinus loco citato §. 13. et Apologia Confess. artic. 15. Sed hæc omnia mendacia sunt, et ad statum quæstionis non pertinent. Fatemur enim omnes Catholici cæremonias Ecclesiasticas non esse præcipuum cultum ; nec ab iis pendere essentiam, et efficaciam Sacramentorum ; nec habere vim justificandi, ut habent Sacramenta, proinde inferiora esse Sacramentis, nec esse approbandos ritus qui pugnant cum verbo Dei ; nec esse nimis multiplicandas, ita ut sua multitudine obruant quodammodo religionem, cui servire debent. Ut enim agricolæ cupiunt in vitibus præter uvas etiam pampinos, quibus ornentur, et adjuventur uvæ ; sed si nimium pampini crescant, et impediant potius, quam juvent, eos resecant : ita faciendum esse in ejusmodi ritibus, docet Augustinus epist. 119. cap. 19. In his ergo cum adversariis convenimus.

Nota tertio, totam controversiam consistere in sex capitibus. Primum est, an sint aliquæ cæremoniæ a Christo, vel Apostolis institutæ, quæ non habeantur in Scriptura, sed ex traditione sola cognoscantur. Secundum est, an cæremoniæ, quæ non sunt Sacramenta, habeant vim aliquam spiritualem, ut coercendi dæmones. Tertium est, an Ecclesia possit instituere novas cæremonias. Quartum, an possit eas ita instituere, ut teneantur fideles, in conscientia eas servare, etiam citra scandalum. Quintum, an ejusmodi cæremoniæ sint res bonæ, et meritoriæ, et pars aliqua divini cultus. Sextum, an lingua Latina Sacramenta celebranda, et ministranda sint.

Ad hæc omnia Catholici respondent affirmative, ad eadem capita, solo excepto tertio, omnes fere Lutherani, et Calvinistæ respondent negative : de tertio inter se non conveniunt. Lutherus enim in lib. de formula Missæ, et in libro de piis, cæremoniis et Confessio Augustana art. 15. et 26. et Philippus in locis titulo de cæremoniis, et Illyricus in Apologia pro Confessione Antuerpiensi, cap. 10, et communiter Lutherani, fatentur posse Ecclesiam instituere aliquas cæremonias ad eruditionem, et splendorem, et ordinem Ecclesiæ ; modo absit obligatio, et opinio cultus. At Calvinus lib. IV Instit. c. 10, § 11. contendit id non licere ullo modo, et idem sentire videtur Brentius in Confessione Wirtembergensi, c. de cæremoniis. Dicit enim, posse Ecclesiam instituere dispositionem concionum, lectionum, festorum, et aliarum rerum, quæ secundum mandata, vel exempla Scripturarum celebrantur : sed non licere comminisci novos ritus ad adumbrandam veritatem, jam in Evangelio patefactam ; quales sunt interdiu accendere cereos, uti vexillis, seu crucibus, ad significandam victoriam Christi etc. Idem denique satis aperte docet Kemnitius, pagin. 166. Nam posteaquam dixit arduam quæstionem esse, an hominibus permissum sit, aliquos ritus quocumque consilio superaddere iis, quos Dei Filius instituit : subjungit, divinæ institutioni nihil addendum, aut detrahendum esse ; et eos qui addunt, id videri facere, quasi cæremoniæ a Christo institutæ, non sint satis idoneæ, et sufficientes.

CAPUT XXXI.

Explicatur, et defenditur veritas.

Nunc ut veritas explicetur, et probetur, adferemus aliquot propositiones. Prima : « Cæremonias aliquas Christus, vel Apostoli instituerunt, quas ex nulla Scriptura, sed ex sola traditione habemus. » Hæc probanda est fusius, cum de singulis agetur ; nunc breviter probatur ex eo, quod Sacramentum

Chrismatis sacrosanctum est, sicut Baptismi Sacramentum, ut Augustinus affirmat lib. II, cap. 104. contra litteras Petiliani : at Sacramenta solus Deus instituere potest ; igitur Sacramentum Chrismatis Christus instituit : et tamen nusquam habemus in Scriptura mentionem Chrismatis. Item I. Corinth. XI Apostolus ait : *Cætera cum venero, disponam* (1). Et tamen nihil postea scripsit de ritu Sacramenti Eucharistiæ, de quo ibi agebat : neque credibile est eum non præstitisse, quod promiserat, aut ejus leges postea interiisse. Quare B. Augustinus affirmat epist. 118. inter alias Apostolorum leges unam fuisse, ut Eucharistiam jejuni susciperemus ; idque cum aliis ritibus, quos Ecclesia servat Apostolum promisisse, cum ait : *Cætera cum venero, disponam*. Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 27. multa enumerat, ac primo loco signum crucis, quæ ab Apostolis instituta ad nos sola traditione non scripta venerunt. Pari ratione aquam vino miscendam in Eucharistia Christum ipsum instituisse asserit Cyprianus lib. II, epist. 3. et ex eo Augustinus lib. III. doctr. Christian. cap. 21. et tamen non habetur hoc expresse in ulla Scriptura. Sed de his alias.

Secunda propositio : « Aliquæ cæremoniæ vim habent spiritualem. » De hac etiam alibi dicendum est ; interim probatur de signo crucis. Nam omnes Patres passim affirmant frontem armandam, et muniendam contra omnes insidias dæmonum ; et miram ejus esse virtutem. Vide Tertullianum initio Scorpiaci. Origenem homil. 6. in caput. XV. Exod. Cyprianum lib. IV, epist. 6. Lactantium lib. IV, cap. 26. et 27. Nazianzenum orat. I. in Julianum. Nyssenum in vita Gregorii Thaumaturgi. Epiphanium hæres. 30. Chrysostomum hom. quod Christus sit Deus. Ephrem in lib. de armatura spirituali. Palladium in hist. Lausiaca, cap. 2. et 54. Hieronymum in vita Hilarionis. Sulpitium in vita S. Martini. Augustinum lib. XXII de civit. Dei, cap. 8. Prudentium in hymno ante somnum. Paulinum Natali 8. Sed nomine aliorum audiamus Athanasium in I. de Incarn. et salutari adventu Domini : « Signo crucis, inquit, omnia magica compescuntur, et veneficia inefficacia fiunt. » Et infra : « Veniat, qui istorum dictorum experimentum capere velit, et in ipsis præstigiis dæmonum, et imposturis vaticiniorum, et in miraculis magiæ utatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi invocet, et videbit, quomodo ejus rei meta dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ et veneficia jaceant. »

Est autem Observandum, tribus modis operari signum crucis in dæmonibus terrendis. Primo ex apprehensione ipsorum dæmonum. Secundo, ex devotione hominis. Tertio, idque potissimum ex instituto Dei, atque adeo ex opere operato. Ac primum dubium esse non potest, quin dæmon, cum signum crucis fieri videt, recordetur se Christi cruce devictum, ac proinde horreat illud signum suæ calamitatis, et fugiat, quomodo canes fugiunt, cum baculos aut lapides vident. Deinde vim habet hoc signum ex devotione hominis se signantis, eo modo, quo vim habet oratio vocalis. Est enim signum crucis quædam invocatio meritorum Christi crucifixi signo expressa ; loquimur enim corde, ore, et nutibus. Itaque opponere Diabolo, et cuivis malo signum crucis, est opponere Christi passionem, id est, invocare Deum per Christi merita. Quocirca tunc effectus magis procedit ex interna fide et devotione, quam ex ipsa figura crucis, sicut cum oramus voce, et impetramus, impetratio non tribuitur sono vocis, sed fidei, et devotioni. Præter hos duos modos est etiam tertius ex Dei institutione, et ex opere operato. Nam sæpe homines Judæi, vel Ethnici, sine vera fide, aut devotione signo crucis adjuti sunt, ut patet de Juliano apostata apud Nazianzenum orat. I. in Julianum ; et de Josepho Hebræo apud Epiphanium hæres. 30. et de alio Hebræo apud Gregorium libro tertio Dialogorum capite tertio. Quare sanctus Augustinus libro LXXXIII quæstionibus 79 : « Nec mirum, inquit, quod hæc signa valent, cum a bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum, atque utile

(1) I. Cor. XI, 34.

judicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt hæc ubicumque illa prospexerint. » Hæc ille.

Tertia propositio : « Potest Ecclesia instituere novas cæremonias, non quidem ad justificandum impium, sed ad alios effectus spirituales. » Nota pro explicatione, cæremonias ab Ecclesia institutas tribus modis posse esse utiles. Primo, ad ornandum, et repræsentandum aliquod mysterium religionis, et eo modo juvandos rudiores ; et de hoc inter Catholicos nulla potest esse dubitatio. Secundo, ad morbos curandos, et dæmones pellendos, et peccata venialia purganda, et alia id genus, idque per modum impetrationis, et cum Ecclesia benedicit candelas, palmas, agros etc. Ista enim valent ad effectus illos, ad quos instituuntur ex vi orationum Ecclesiæ, quæ sine dubio exaudiuntur ; et de hoc etiam non est quæstio apud Catholicos. Tertio modo probabile est, posse Ecclesiam instituere ejusmodi cæremonias ad eosdem effectus per applicationem Christi meritorum ; ita ut ex opere operato illos effectus producant, quomodo Sacramenta ex opere operato justificant. Christus enim sine dubio meruit Ecclesiæ suæ non solum gratiam et gloriam, sed etiam omnia alia beneficia, quæ illi utilia esse possunt. Et quidem ad gratiam, et justificationem impii consequendam instituit ipse Sacramenta, quibus applicentur ipsius merita ; nec licet jam alia signa instituere ad effectum illum principalem : ad alia beneficia minora reliquit Ecclesiæ potestatem, ut instituat signa, quibus applicentur ipsius merita. Ita quidam disputant, sed non est hoc usque adeo certum, præsertim cum videamus non habere signa ista infallibilem effectum. Quamquam posset dici habere effectum infallibilem, si id sit utile hominibus, non autem absolute, quia sæpe non expedit nobis ea beneficia consequi : quomodo de extrema unctione dicere solemus, quoad effectum sanitatis corporalis.

Sed quidquid de hoc sit ; nostra propositio solum asserit contra hæreticos, licere Ecclesiæ instituere novas cæremonias, non ad justificandum peccatis mortalibus, sed ad alios fines. Probatur primo, exemplis Synagogæ, vel hominum privatorum in Testamento veteri. Non est enim ulla ratio, cur non possit Ecclesia Christi id, quod sine Dei mandato expresso, quamquam non sine Dei inspiratione, aliqui privati homines vel Synagoga poterat. Genes. XXVIII, Jacob cum nondum Patriarcha esset, sed privatus homo, Deo quidem, ut videtur, impellente non tamen expresse mandante, novam cæremoniam excogitavit. Erexit enim lapidem in titulum, fundens oleum desuper, et vocavit nomen loci illius Bethel in memoriam visionis, quam in eo loco habuerat. Item Synagoga Judæorum auctore Mardochæo addidit novum festum diem solemnem omnibus celebrandum, quem Deus non instituerat in lege, ut habemus Esther IX. Idem factum est tempore Judith in additione alterius festi ; sic enim legimus c. ult. « Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Judæis ex illo tempore, usque in præsentem diem. » Neque obstat, quod hunc librum hæretici non recipiunt : satis enim est nobis, si fidem illi habeant, quam habent Livio, aut Sallustio ; non enim hic agitur de aliquo abstruso dogmate, sed de historia rei gestæ. Simile habemus in Machabæis libro primo, capite quarto, ubi instituitur novum festum dedicationis altaris, ad quod festum celebrandum, etiam Dominus ipse in Hierusalem ascendit, Joannis decimo.

Secundo probatur ex Apostolorum exemplo. Apostoli enim Actor. XV. congregati in Concilio, novam cæremoniam instituerunt, nimirum ut Gentiles abstinerent a sanguine, et suffocato : quod certe nusquam Deus jusserat, nisi Judæis, et præterea jam erat evacuata, et abrogata lex illa Judaica per Christi mortem. Unde fuit vere nova cæremonia illa Apostolorum instituta ad alium finem, quam olim Judaica ; unde vocatur dogma Apostolorum Actor. XVI. Et prætera jam supra probavimus multa alia Apostolos instituisse, licet in Scripturis non habeantur. Nulla autem est ratio, cur non possit modo Ecclesia, quod tunc poterat. Non enim Apostoli id fecerunt ex aliqua nova revelatione sibi concessa, sed ex potestate ordinaria gubernandi Ecclesiam ; ut patet ex eo, quod Concilium coegerunt, et collatis sententiis statuerunt, quod utile esse judicarunt.

Tertio ; Si Ecclesia non posset id facere, vel repugnantia esset ex parte Ecclesiæ, vel ex parte cæremoniarum, vel ex parte novitatis, id est, vel non posset, quia non habet auctoritatem aliquid statuendi, vel quia cæremoniæ (ut dicit Brentius) sunt propriæ Testamenti veteris, proinde non conveniunt Testamento novo, vel quia non licet aliquid addere cæremoniis a Christo institutis : At nihil horum dici potest : nam Ecclesiam posse aliquid statuere, manifeste patet, vel ex eo, quod ab initio fidei singulis ætatibus, Concilia celebrata sunt, quæ semper canones ediderunt : damnare autem omnia Concilia, manifesta insania esset ; ut interim omittam argumenta plurima, quibus hoc ipsum alibi demonstravimus. Non repugnare autem cæremonias novæ legi, patet ex Sacramentis a Christo institutis, quæ sunt verissimæ cæremoniæ, ut etiam adversarii concedunt. Denique non repugnare ipsam novitatem, patet, quia nusquam Dominus prohibuit, ne adderemus cæremonias ad Sacramenta ipsius commodius et utilius administranda. Imo cum Dominus paucissimas cæremonias instituerit, nec tradiderit modum, quo ministrari deberent, id reliquit sine dubio providentiæ pastorum ipsius Ecclesiæ, ut recte docet Augustinus ep. 118, c. 6.

Quarta propositio : « Cæremoniæ ab Ecclesia institutæ non possunt omitti sine peccato, etiam citra scandalum. » Hæc pendet ab alia quæstione, An leges Ecclesiasticæ obligent in conscientia : quam disputavimus lib. IV de Pontifice, c. 15. et sequentibus. Ratio præcipua est ex Paulo Roman. XIII : *Non est potestas nisi a Deo : quæ autem a Deo sunt, ordinatæ sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et infra : *Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (1). Quæ sententia etiamsi ab Apostolo applicetur in particulari temporalibus Principibus, cum subjungit : *Si male egeris, time ; non enim sine causa gladium portat* : tamen sententia est generalis de omnibus habentibus potestatem, ut Calvinus concedit lib. IV Instit. c. 10, § 5. et patet ex illis verbis : *Non est potestas, nisi a Deo.* Ista enim propositio æquivalet huic : *Omnis potestas a Deo est.* Esse autem in Ecclesia potestatem quamdam Præpositorum supra cæteros, negari non potest, cum id Scriptura passim doceat, ut Rom. XII : *Qui præest, in sollicitudine.* II. Corinth. XIII : *Hæc absens scripsi, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* Hebr. XIII : *Obedite Præpositis vestris.* Efficitur igitur, ut qui leges Ecclesiæ non servant, peccent in conscientia. Id enim significant illa omnia : *Dei ordinationi resistunt* : et, *ipsi sibi damnationem acquirunt* : et, *necessitate subditi estote* : et, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (2). Vide plura loco citato.

Sed in particulari, quod cæremoniæ non sint omnes liberæ observationis, probatur ex eo, quod propter cæremonias natæ sunt in Ecclesia gravissimæ dissensiones, et sub pœnis gravissimis impositæ sunt leges de cæremoniis, et tandem hæretici habiti sunt, qui non obediebant. Quæ omnia sunt argumenta manifesta, rem istam non esse liberam : non enim de rebus liberis nascuntur dissensiones.

Prima dissensio in Ecclesia fuit ob cæremonias legales, quæ dissensio sopita est ab Apostolis Act. XV, Ubi cum dicunt : *Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, præter hæc necessaria, ut abstineatis vos a sanguine, etc.* (3), non vocarent onus legem cæremonialem ; neque rem necessariam, nisi obligaret in conscientia.

Secunda dissensio fuit de die Paschatis, hoc est, de alia cæremonia. Et tanti fecit Ecclesia hanc cæremoniam, ut Victor Papa I, totam Asiam separare voluerit ab unitate fidelium, quod nollent Asiatici in ea re parere. Testis est Eusebius lib. V histor. cap. 25. Deinde vero Concilium Nicænum propter istam quæstionem potissimum convenit, ut scribunt Epiphanius hæres. 70. et Constantinus in epist. sua apud Eusebium lib. III de vita Constantini ; et Athanasius in epist. de synodis Arimini, et Seleuciæ : ubi etiam addit Concilium Nicænum disertis verbis imperasse, ut omnes obedirent. Et Concilium Antiochenum paulo post celebratum, excommunicat can. 1. eos, qui legem Concilii Nicæni de Paschate non servant. Denique a Patribus habiti sunt hæretici, qui eam cæremoniam diverso modo servare volebant, ut patet ex Epiphanio hæres. 50. Augustino hæres. 29. et Theodoreto lib. III de fabulis hæreticorum.

Tertia dissensio fuit de ritu Baptismi, an

(1) Rom. XIII, 1, 2, 5 et 4. — (2) Rom. XII. 8 ; II. Cor. XIII, 10 ; Hebr. XIII, 17 ; Rom. XIII, 2 et 5. — (3) Act. XV, 28 et 29.

hæretici vere baptizarent. Quæ etiam dissensio multum exercuit Ecclesiam, et multa inde Concilia facta sunt, et tandem habiti sunt hæretici Donatistæ, quod non obtemperarent definitioni Concilii generalis. Vide Eusebium libro sexto histor. capite tertio et Augustinum in magna parte tomi septimi.

Aliæ fuerunt postea dissensiones de delectu ciborum, de temporibus jejuniorum, de diebus festis, peregrinationibus, vigiliis, cereis, aliisque cæremoniis, ob quas numerati sunt inter hæreticos Encratitæ apud Epiphanium hæres. 46. et Augustinum hæres. 23. Deinde Manichæi, qui plurimas cæremonias Ecclesiæ rejiciebant apud Augustinum lib. XX contra Faustum, cap. 3. et 4. Deinde Eustatiani apud Socratem lib. II. cap. 33. tum Acriani apud Epiphanium hæres. 75. et Augustinum hæres. 53. tum Vigilantius apud Hieronymum in lib. contra Vigilantium. Inde Claudius Taurinensis apud Jonam in libris tribus de sacris imaginibus. Inde Petrobrusiani apud Bernardum in epist. 240. Inde Waldenses apud Guidonem in summa de hæreticis : et Thaboritæ apud Æneam Sylvium lib. de origine Bohemorum, cap. 35. Denique Joannes Wiclefus apud Thomam Waldensem, tom. III de Sacramentalibus.

Ultimo probatur hæc propositio : quia si libera esset cæremoniarum observatio, nullo modo fieri posset, ut aliquis ordo, et uniformitas in Ecclesia servaretur. Si enim nunc vix servatur uniformitas in rebus quibusdam præcipuis, cum tam severe id præpiatur, quid fieret si esset res libera? Et tamen jubet Apostolus I. Corinth. XIV, ut omnia honeste, et secundum ordinem fiant. Quæ ratio Calvinum movit, ut cæremonias suas voluerit lege sanciri. Nam lib. IV Instit. cap. 10. §. 27. dicit, dissolvi suis nervis, et deformari, ac dissipari Ecclesiam, si unicuique liceat mutare cæremonias, et §. 31. dicit, libera quidem conscientia debere servari cæremonias, sic tamen, ut non contemptim habeantur, nec supina negligentia prætereantur : et infra dicit non esse crimen si per imprudentiam, aut oblivionem aliquid omittatur ; ubi indicat esse crimen si per contemptum, vel crassam negligentiam omittantur. At nihil aliud Ecclesia de suis cæremoniis docet.

Quinta propositio : « Cæremoniæ non sunt res indifferentes, sed sunt res utiles, meritoriæ, et pars quædam cultus divini. » Probanda sunt hæc omnia per partes. Ac primum, quod cæremoniæ sint utiles, probatur his rationibus. Primo ; Cæremoniæ, ut oriuntur ex interna pia affectione, et devotione, ita etiam illam conservant, nutriunt, augent, ut Augustinus docet lib. de cura pro mortuis, c. 5. et epist. 119. cap. 11. et lib. IX Confess. cap. 6. et 7. Et nos ipsi hoc experimur, cum intramus Basilicas ornatas, et mundas, et crucibus, ac sacris imaginibus, et aris instructas, et accensis lampadibus, devotionem facillime concipimus : contra autem cum ingredimur templa hæreticorum, ubi nihil est, nisi sedes ad concionandum ; et mensa lignea ad cœnam faciendam, videmur ingredi profanam aulam, non domum Dei.

Secunda utilitas est, quod non solum affectum, sed etiam intelligentiam juvant cæremoniæ, ut Augustinus docet eadem epist. 119. c. 7. et præsertim rudibus sunt ceremoniæ loco Scripturæ, vel picturæ. Adde quod aliquando ex vetustis cæremoniis melius persuadentur aliqua dogmata, quam multis testimoniis. Certe sanctus Augustinus libro primo de peccatorum merit. et remissione capite 34. et libro quarto in Julianum, capite secundo apertissime se probare putavit, peccatum originale esse in parvulis ante Baptismum, quia secundum usum Ecclesiæ exorcizantur, et insufflantur, et jubentur per ora gestantium abrenuntiare Diabolo, et operibus ejus.

Tertia utilitas est, quod juvant memoriam. Nisi enim quotannis repræsentaremus variis cæremoniis Domini ortum, apparitionem, passionem, aliaque mysteria redemptionis, facile mandarentur oblivioni tam insignia beneficia.

Quarta est exercitium fidei. Valde enim fidem exercemus cum contra Diabolum armamur signo crucis, vel aqua benedicta, vel similibus rebus. Protestamur enim ea cæremonia nos certo credere, tantam esse potentiam crucifixi, ut ad ejus solam imaginem dæmones fugiant.

Quinta est conservatio religionis. Id enim cæremoniæ præstant, ne religio vilescat, et contemnatur, et sic paulatim pereat. Nam excellentia religionis nostræ præcipua, quia spiritualis est, non facile perspicitur a nobis, qui corporei sumus. Ideo non proponuntur nuda mysteria, sed vestiuntur, et ornantur, ut externam quamdam majestatem sensibus

objiciant, et per eam majori cum reverentia ab ipsa mente percipiantur. Itaque id sunt cæremoniæ religioni, quod sal carnibus, et cortex medullæ. Quocirca recte Augustinus lib. XIX contra Faustum, c. 11. affirmat nullam religionem, neque veram, neque falsam sine cæremoniis posse consistere. Atque hinc apud veteres, Theologum esse, nihil erat aliud, nisi scire quæ numina, quibus cæremoniis colerentur, ut ex Platone intelligi potest in Dialogo de regno. Et apud Judæos summum quid fuisse, scire cæremonias, patet ex cap. XVIII Exod. ubi Jethro monet Mosem, ut judicia civilia committat aliis, ipse autem doceat populum cæremonias, et ritum colendi. Apud Christianos quoque fuisse etiam in magno pretio cognitionem cæremoniarum, vel una quæstio de Paschate, abunde demonstrat. Quod idem colligitur ex Basilio, epist. 63. Leone epist. 4. Innocentio epist. 4. ad Decentium, qui reprehendunt Episcopos, qui cæremonias ignorant.

Sexta est distinctio Catholicorum ab hæreticis. Nam Sacramenta sunt quidem symbola, quædam, quibus discernimur ab infidelibus, tamen ab hæreticis vix per Sacramenta distingui possumus, sed per cæremonias optime distinguimur. Hoc enim tempore signum crucis, abstinentia a carnibus feria sexta, et similia sunt optima signa distinguentia Catholicos ab hæreticis. Hac de causa initio Ecclesiæ mutarunt Apostoli Sabbatum in Dominicam, ne videremur judaizare : et Epiphanius in fine librorum contra omnes hæreses, recensuit cæremonias Ecclesiæ, ut indicaret quasdam veluti notas, quibus Ecclesia ab omnibus sectis discernitur. Hinc etiam sancti viri semper maluerunt mori, quam cogi ad aliquam cæremoniam dimittendam, cum intelligerent non abjicere signum militiæ, nisi militiæ desertores. Testis est S. Eleazarus lib. II Machab. cap. VI, qui maluit occidi, quam simulare se comedisse carnem suillam, nec eo modo videretur religionem suam deseruisse : quem postea secuti sunt septem fratres Machabæi libro secundo, capite septimo. Testis est etiam ille, qui Tertulliano auctore in lib. de corona militis, mori maluit, quam cum cæteris militibus laurea coronari : quoniam apud Christianos tum cæremonia erat id non facere.

Jam vero, quod sint meritoriæ, ac Deo placeant. Probatur, quia omnia opera virtutum Deo placent, et apud Deum præmium merentur, si fiant ut oportet, id est, cum fide et charitate Sunt autem cæremoniæ opera virtutum. Nam ut minimum sunt actus religionis, sæpe etiam sunt actus simul religionis, et alicujus alterius virtutis, et denique cum sunt imperatæ, sunt etiam actus obedientiæ. Secundo, professio fidei exterior Deo placet, ut patet Matt. X : *Qui me confessus fuerit etc.* et Roman. X : *Ore confessio fit ad salutem* (1). Sed cæremoniis profitemur fidem, ut patet ; quia non minus cognoscet Turca me esse Christianum, si videat me venerari crucem, quam si dicam me esse Christianum. Unde etiam adversarii fatentur, per Sacramenta nos protestari fidem. Tertio, Deo placet fides, spes, charitas, devotio, et omnis interior actus bonus : ergo etiam placebunt actus exteriores, qui partim sunt effectus interiorum, partim illos ipsos (ut diximus) augent et conservant. Unde Exod. XVII, cum Moses oraret elevatis manibus, populus Dei vincebat, cum dimitteret manus, vincebatur.

Quod autem dici possint pars cultus divini, probatur ; Nam ipsa naturalis ratio docet hominem, qui constat animo et corpore, debere Deum honorare et colere, et animo per actus interiores, et corpore per exteriores. Unde Cyprianus in serm. de orat. Dominica : « Cogitemus, inquit, nos sub conspectu Dei stare : placendum est divinis oculis, et habitu corporis, et modo vocis. » Secundo, omnes aliæ virtutes, licet in animo consistant principaliter, tamen consummantur per actus exteriores, ut patet de temperantia, fortitudine, et cæteris ; cur ergo non idem dicamus de religione? Et confirmatur, quia si oratio vocalis omnium consensu est cultus Dei, cur non etiam adoratio corporalis? Ut enim oratio vocalis est cultus, quia est signum mentalis ; ita adoratio erit cultus, quia est signum internæ adorationis. Tertio natura docet, Deum esse colendum summo modo, cum sit summum esse. At magis colit qui corpore, et animo, quam qui animo tantum ; igitur corporalibus cæremoniis Deus potest coli. Quarto, Deus vere offenditur, et ignominia afficitur non solum actu interno, sed etiam externo ; igi-

(1) Matth. X, 32 ; Rom. X, 10.

tur honorandus est non solum actu interno, sed etiam externo.

Sed ad hæc omnia responderent adversarii, non negare se, quin aliquibus cæremoniis Deus coli possit, et debeat, sed id negare de cæremoniis ab hominibus inventis. Deo enim non placet ullus cultus, quem ipse non instituit, aut certe, cui non dederit testimonium verbo suo.

At contra : Nam aut requiritur, ut in particulari, et expresse Deus approbaverit cultum, aut sufficit, si in genere, et in virtute probaverit. Non potest dici primum, Deo videlicet non placere cultum, quem ipse in particulari expresse non probaverit. Nam sine dubio placuit illi cultus Abel, qui obtulit de adipibus gregis sui, Gen. IV et Hebr. XI, et tamen hoc Deus non præceperat : et similiter placuit cultus Jacob, qui erexit lapidem in titulum Genes. XXVIII, et cultus B. Virginis, quæ vovit perpetuam virginitatem, quam Deus nusquam imperaverat : ergo satis erit, si in genere Deus aliquid commendaverit. Et hoc fatetur Calvinus, Nam lib. IV. Inst. cap. 10. §. 30. probare volens geniculationem in oratione esse bonam, imo et divinam, adfert illud testimonium Apostoli, I. Corinth. XIV : *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant in vobis* (1), ac dicit, geniculationem esse bonam, et divinam, quia in genere indicatur a Paulo in illo decoro, quod præscribit in oratione. At hoc modo omnes nostræ cæremoniæ sunt bonæ, et divinæ : nam indicantur in genere a Deo, et probantur multis modis. Primo, in hoc ipso testimonio Pauli non magis includitur geniculatio, quam cereorum accensio, et sacræ vestes, et alia id genus. Secundo, cum Deus jubet obediri præpositis in genere jubet servari omnes leges Ecclesiasticas, quarum non pauce sunt de cæremoniis. Denique, Deus est auctor omnium virtutum; Nam Sap. VIII dicitur de divina Sapientia : *Sobrietatem, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus nihil est in vita utilius hominibus* (2), ubi enumerantur quatuor virtutes Cardinales, ad quas omnes aliæ reducuntur. Deus ergo docet, et commendat religionem, quæ est pars justitiæ et proinde cultum externum, qui est pars quædam religionis.

Sexta propositio : « Sapientissime institutum est, ut in Ecclesia Latina, Latine Sacramenta administrentur. » Nota Primo : Cum de lingua, qua Sacramenta ministrari debent, agitur, debere excipi Matrimonium. Quia enim Matrimonium consistit in consensu mutuo, necessario requiruntur verba, vel nutus, qui ab utraque parte intelligantur. Et similiter confessio peccatorum debet fieri lingua utrique nota : licet Confessio non tam sit Sacramentum, quam Sacramenti materia.

Nota Secundo : Non esse de jure divino, qua lingua Sacramenta ministrentur, neque id ad essentiam Sacramentorum pertinere; tam enim valebit Baptismus, si ministretur Latine, quam si Italice, vel alia lingua : tamen ob multas, easque gravissimas causas, visum est Ecclesiæ, et ipsi Spiritui sancto, qui eam regit, ut sacramenta non ministrentur lingua vulgari, nisi forte in casu necessitatis.

Nota Tertio : Nos loqui de Ecclesia Latina : nam in Ecclesia Græca recte faciunt, cum Græca lingua utuntur et in Ecclesiis Syriæ, cum utuntur lingua Chaldaica. Nam requiritur ad ministerium Sacramentorum lingua non vulgaris, sed quæ tamen non sit omnino incognita, saltem doctis, alioqui non invenirentur pastores, et ministri necessarii. Tales autem sunt lingua Græca, Chaldaica, et Latina : nulla enim est vulgaris, et tamen quælibet est communis, et nota peritis in suis regionibus. Idem fere dici potest de Arabica, quæ nunc est communis multis orientalibus Provinciis, et in ea celebrantur officia divina, sed alia est Arabica vulgaris, alia Arabica, qua utuntur in sacris.

Probatur hæc propositio Primo, ex Ecclesiæ antiqua consuetudine. Ecclesia Latina semper Latine Sacramenta ministravit, licet jamdudum desierit lingua Latina esse vulgaris. Id patet ex Isidoro, Alcuino, Amalario, Rabano, Strabone, Micrologo, Ruperto, Thoma Waldensi, qui scripserunt de divinis officiis in Hispania, Gallia, Germania, Italia, Anglia, quo tempore lingua Latina nusquam erat vulgaris, et apertissime docent, lingua Latina Sacramenta ministrari solita. Describunt enim Latine totum ritum, et formalia verba, quibus uti oportet. Præterea in Sacramentis ministrandis semper leguntur aliquæ partes divinæ Scripturæ, et maxime apud adversarios : at non exstabant tunc Scripturæ, nisi Hebraice, Græce, et Latine, ut patet ex Beda libro primo histor. Gentis suæ, capite primo ubi dicit, in Anglia sua ætate fuisse quatuor linguas vulgares, sed Latinam fuisse communem omnibus ratione Scripturarum. Rabanus quoque libro tertio de Instit. Clericorum, capite octavo dicit, non exstitisse sua ætate, nisi in his tribus linguis divinas litteras. Denique non proferrent adversarii editionem Germanicam, vel Gallicam, vel etiam Hispanicam, aut Italicam Scripturarum, nisi a paucis annis factam. Possent objicere editionem Gothicam, quam Ulphilas Episcopus Gothorum fecisse dicitur in Tripartita historia libro octavo, capite decimo-tertio, et apud Socratem libro quarto, capite vigesimo-septimo. Sed Episcopus ille non prius id fecit, quam Arianus cum toto suo populo esse cœpit. Adde ultimo duo exempla, quæ aperte indicant olim non fuisse usum linguæ vulgaris in Sacramentorum celebratione. Unum est Moravorum, qui ut est apud Æneam Sylvium de origine Bohemorum, c. 13. impetrarunt a Pontifice Romano, ut possent officia divina celebrare, lingua Sclavonica. Alterum Bohemorum, quibus idem petentibus, negavit Gregorius Septimus, ut est in VII libro epistolarum ejus. At si fuisset usus communis tunc linguæ vulgaris, non petiissent hanc licentiam.

Secundo probatur ratione. Nam nulla est necessitas, quæ cogat lingua vulgari Sacramenta ministrari, et contra multa sunt incommoda, si id fiat. Non esse ullam necessitatem probatur. Nam si ulla esset necessitas, ea maxime, ut intelligant id quod dicitur, qui Sacramenta percipiunt : at hæc non est vera necessitas. Nam verba Sacramentorum, aut diriguntur ad elementa, ut consecratio Eucharistiæ, benedictio aquæ, et olei; elementa autem nullam linguam intelligunt: aut diriguntur ad Deum, ut formæ verborum deprecatoriæ qualis est in extrema unctione. Deus autem omnes linguas intelligit: aut diriguntur ad personas; sed consecrandas vel absolvendas, non autem instruendas et docendas, ut in Baptismo, et Absolutione, et proinde per accidens est, si persona intelligat. Cujus signum est, quia verissime, et efficacissime baptizantur, et reconciliantur etiam ii, qui non utuntur ratione, ut patet in Baptismo infantium, et in Reconciliatione ægrotorum, qui sunt a sensibus alienati : quos posse reconciliari, ut etiam baptizari, si Baptismo carent, docet Augustinus lib. I de adulterinis conjugiis, cap. 26 et 28. et Concilium Quartum Carthaginiense can. 76. et Leo I, epist. 91. ad Theodorum. Adde, quod nulli fere sunt in Ecclesia Latina adulti tam rudes, qui non intelligant verba Sacramentorum, licet Latina, aut certe non intelligant in genere per ea verba sibi tale, aut tale Sacramentum ministrari.

Esse autem incommodum, si utamur lingua vulgari patet Primo, quia impeditur commercium Ecclesiarum; non enim poterunt convenire in Ecclesiis Germanorum, Anglorum, Polonorum, Itali, Galli, Hispani, neque contra. Quod multum nocet unitati, et communicationi, quæ deberet esse inter membra unius corporis. Et præterea cogerentur Christiani extra suas regiones carere divinis officiis.

Secundo, Sacramenta requirunt majestatem, et reverentiam quamdam, quæ certe melius conservatur, si utamur lingua non vulgari, et communi. Quomodo enim æquum est ut in Sacramentis ministrandis utamur alia domo, aliis vestibus, aliis instrumentis, quam ordinariis, et quotidianis : ita par esse videtur, ut utamur alia lingua. Nec tamen somniamus, ut putat Kemnitius, linguam Latinam esse magis sacram, quam sint cæteræ, sed hoc ipso dicimus eam habere plus venerationis, quod non est vulgaris.

Tertio expedit, ut verba Sacramentorum conceptis verbis, et eodem modo ab omnibus proferantur, ut periculum caveatur mutationis, vel depravationis. Id autem facillime servabitur, si eadem lingua omnes utantur; difficillime, si diversis.

Quarto, si lingua vulgari Sacramenta ministrentur, aperietur porta latissima ignorantiæ : contenti enim erunt ministri, si sciant legere. Itaque paulatim obliviscentur linguam Latinam, atque ita non legent Patres, et proinde non intelligent Scripturas.

(1) I. Cor. XIV, 40. — (2) Sap. VIII, 7.

CAPUT XXXII.

Solvuntur objectiones contra cæremonias.

Joannes Calvinus lib. IV Institut. cap. 10. multa objicit contra cæremonias, quæ ordine refellenda sunt. Primum argumentum, §. 2 : « Apostolus I. Corinth. VII ne ana quidem in re laqueum injicere ausus est; neque id nulla causa. Prospiciebat enim quantum vulnus infligeretur conscientiis, si earum necessitas illis imponeretur, quarum relicta esset a Domino libertas. »

Respondeo : Agit Apostolus eo loco de continentia virginali; quam Dominus non imperaverat, sed consulnerat; et sane æquum fuerat, ut Apostolus non faceret præceptum, quod Dominus consilium esse voluit. At non eadem est ratio aliarum rerum, de quibus Dominus nihil in particulari præscripsit. Illa enim possunt ab Ecclesia vel imperari, vel consuli, prout res ipsæ requirunt. Unde idem Apostolus, qui continentiam imperare noluit, multa alia imperavit, et præterea II. Thessal. ult. sic ait : *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur* (1). Et Apostoli Actor. XV, imposuerunt gentibus onus abstinendi a sanguine, et suffocato, et necessarium id esse dicunt; et tamen Dominus liberum id reliquerat.

Secundum argumentum, §. 8 : « Apostolus in epistola ad Colos. docet, non esse de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam : quia Dominus fideliter nos, et ad plenum instituit, qualiter sit colendus. Quo hoc demonstret; primo capite dicit in Evangelio contineri omnem sapientiam, qua perfectus reddatur homo Dei in Christo : initio secundi capitis dicit, omnes thesauros sapientiæ, et scientiæ in Christo esse absconditos; inde postea concludit : cavsant fideles, ne per inanem philosophiam abducantur a grege Christi secundum constitutiones hominum. In fine autem capitis majore adhuc fiducia damnat omnes *ἐθελοθρησκείας*, hoc est fictitios cultus, quos homines sibi ipsis comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, et quæcumque de cultu Dei tradere præcepta ex se audent. »

Respondeo Primum, epistolam illam ad Colossenses, nihil habere contra Ecclesiasticas leges de cæremoniis. Nam ut ex Chrysostomo, Ambrosio, Theodoreto, Theophylacto, et Œcumenio constat, scripta est contra Simonem Magum, et alios ejus temporis hæreticos, et impostores, qui persuadebant hominibus, per Angelos quosdam oportere accedere ad summum Deum, nec sufficere Christum; et præterea obtrudebant Christianis cæremonias, partim Judaicas, partim ethnicas. Hinc igitur in primo capite fuse tractat de excellentia Christi, ac dicit, eum esse caput omnium, et super omnia, et Angelos ab ipso, ut auctore, pendere. Deinde in secundo capite monet, ne decipiantur per Philosophiam, videlicet Platonis et similium, qua utebantur Simoniani, et Gnostici, et simul arguit eos, quod Sabbata, et neomenias servent, quæ Judaica sunt, et evacuata per Christum; et quod abstinerent a cibis quibusdam, ut immundis : et quod in religione Angelorum ambularent putantes per eos tantum ascendi posse ad Deum; quæ omnia sunt falsa et superstitiosa.

Deinde Respondeo ad singulas propositiones Calvini. Prima est : « Christus ad plenum nos instruxit de vero Dei cultu. » Respondeo : id verum esse de instructione generali, non autem de particulari, ut ipse etiam Calvinus fatetur infra, §. 30, ubi agit de geniculatione.

Secundo est : « Apostolus docet non esse petendam ab hominibus doctrinam de vero cultu. » Respondeo : docet non esse petendam ab hominibus, qui contraria Christo docent ut erant Philosophi, et Simoniani, sed bene esse petendam ab hominibus, qui super Christum ædificant, et secundum ejus regulam, et doctrinam docent in particulari, quod ille solum in genere indicavit. Ipse enim ait, Luc. X : *Qui vos audit, me audit* (2).

Tertia est : « Apostolus damnat omnem cultum humanum, et voluntarium. » Respondeo : vocari cultum humanum, et voluntarium apud Paulum eum, qui est mere humanus, et proprio ingenio inventus, id est, qui non est conformis fidei, et principiis doctrinæ Christi; quæ autem ab Ecclesia docentur, non sunt mere humana, cum Deo inspirante instituantur. Unde I. Cor. XIV, posteaquam instituerat Paulus varios ritus in Ecclesia de ordine prophetandi, et loquendi, et ut mulieres taceant, de quibus Dominus nihil expresse mandaverat, subjungit Apostolus : *Si quis Propheta, aut spiritualis est, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata* (1), ubi vocat mandata Domini, quia ejus inspiratione data erant, ideo vult a spiritualibus cognosci. Si enim fuissent expressa Domini præcepta, non fuisset opus spiritu ad ea cognoscenda.

(1) II. Thessal. III. 14. — (2) Luc. X. 16.

Argumentum Tertium, §. 9 : « Apostolus Galat. V non patitur ullo modo, ut fidelium conscientiæ in servitutem redigantur. Non ergo licet instituere cæremonias, quæ obligent in conscientia. »

Respondeo : loquitur Paulus de servitute Judaica, qua servierant illi sub antiqua lege, non autem de quavis obedientia legis. Nam alioqui idem Apostolus, Roman. XIII, docet, obediendum potestati : *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (2). Ubi notandum est, legem veterem dici jugum servituris, non quia obligabat in conscientia; (id enim est commune omni veræ legi) sed quia difficillima, et laboriosissima erat, et non habebat secum annexam gratiam, qua impleri posset amore justitiæ : unde vel non implebatur, vel implebatur timore pœnæ, (si qui enim amore justitiæ illam implebant, quales Patriarchas, et Prophetas, et multos alios fuisse negari non potest; id non ex lege, sed ex gratia novi Testamenti habebant) et eo modo premebat, et gravabat more gravissimi jugi. Atque ab hoc jugo deterret Apostolus Galatas. Illi enim cum circumciii vellent, excidebant a gratia Christi, et simul obligabant se ad omnem legem servandam : quod erat prorsus redire ad statum veteris Testamenti. Itaque Calvinus pessima fide Scripturas tractat, dum eas detorquet a vero sensu ad suam hæresim comprobandam.

Argumentum Quartum, §. 10 et 15 : « Dominus Matth. XV reprehendit traditiones hominum, et idem facit Isaias XXIX : Frustra colunt me mandatis hominum. »

Respondeo : in hoc paragrapho decimo sunt multa impudentissima mendacia, quæ toto sapone Genevensi numquam elui possent : ut, quod Catholici interdicant conjugium, et concedant scorta : quod gravius judicent, se quis die Veneris modico carnis gustu linguam infecerit, quam si omnibus diebus totum corpus scortando fœdaverit etc. Ad loca Scripturæ, quæ etiam passim afferuntur a Philippo, Brentio, Kemnitio et aliis, dico Dominum tria reprehendere solitum in cæremoniis Judaicis. Primo, quod quædam pugnarent cum mandatis Dei; ut erant illa Matth. XV et Marc. VII, ut filii donarent Sacerdotibus, quæ necessaria fuissent parentibus. Secundo, quod multæ ex Judaicis traditionibus Pharisæorum inanes essent, et inutiles prorsus, ut lavare toties manus. Atque hæc duo genera cæremoniarum Dominus vocat mandata hominum, quod nihil haberent nisi humanum. Tertio, quod quasdam alias bonas et utiles servarent, sed peccarent in modo, constituentes in eis summam religionis, et pluris istas facientes, quam divina mandata; et de his loquitur Dominus Matth. XXIII. nec vocat eas humanas traditiones, sed dicit : *Hæc oportuit facere, et illa non omittere* (3). Cæremoniæ autem Christianæ ab Ecclesia approbatæ, non sunt primi, aut secundi generis : nec adversarii adhuc protulerunt argumenta, sed sola mendacia, ad probandum contrarium. Quod si qui sunt inter Catholicos rudiores, qui pluris faciant cæremonias, quam graviora mandata, eos corrigendos putamus. Non enim probamus, quidquid homines faciunt, alioqui multa peccata approbaremus : sed id, quod facere debent secundum sanam doctrinam Ecclesiæ.

Quintum argumentum, §. 12 : « Romanenses partim ex Gentilium deliriis sibi desumpserunt exemplum, partim simiarum more temere imitati sunt veteres Judaicos ritus, qui nihilo magis ad nos pertinebant, quam pecudum victimæ. » Respondeo Primum, idem argumentum fecisse olim Manichæos apud Augustinum; libro vigesimo contra Faustum, capite quarto, et Vigilantium apud Hieronymum in lib. contra Vigilantium, quod ad Gentilium imitationem attinet. Itaque agnoscere debet Calvinus, a quibus majoribus descenderit. Secundo dico, si argumentum aliquid valeret, deberet etiam tolli Baptismus, et Cœna Domini; nam etiam Gentiles utebantur Baptismo, cum initiarent suos Mithræ sacris; et

(1) I. Cor. XIV. 37. — (2) Rom. XIII. 5. — (3) Matth. XXIII. 23.

Sacramentum etiam panis celebrant, ut Tertullianus refert in lib. de præscriptionibus. Judæi quoque frequentissime utebantur expiationibus per aquam, nec eis deerant panes propositionis. Dico tertio, non debere mirum videri, si nostræ cæremoniæ habent aliquam similitudinem cum Judaicis; nam erant illæ figuræ rerum nostrarum, ut I. Corinth. X legimus. Eadem ratione non debet esse mirum si interdum nostræ similes sunt ritibus Gentilium. Diabolus enim, qui semper simia Dei esse voluit, imitari conatus est Judaicos ritus a Deo institutos, ut loco citato Tertullianus notat, quos rerum nostrarum figuras fuisse diximus. Dico quarto, licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostros ritus, et ritus Gentilium, et Judæorum; absolute tamen maximum esse discrimen. Nam a fine, et intentione sumunt externæ actiones speciem suam. Ritus Gentilium fiebant ad cultum Dæmoniorum: nostri fiunt ad colendum verum Deum; ideo tantum interest inter illos et nostros, quantum inter sacrum et sacrilegium; quantum inter pietatem et impietatem; et quantum inter Deum et Diabolum. Nam etiam sacrificia erant eadem Gentilium, et Judæorum, et tamen erant illa idololatrica, ista pia, et religiosa. Et hoc modo respondent Hieronymus Vigilantio, et Augustinus Manichæis, locis citatis. Ritus autem Judaici boni erant, sed Christum venturum prænuntiantes; nostri item sunt boni, sed ab illis diversi, quia partim sunt in memoriam rerum præteritarum, partim ad significandam gloriam futuram.

Sextum argumentum, §. 13. sumitur ex epistola Augustini 119. capite decimo-nono, qui conqueritur, quod multitudine cæremoniarum ita aliqui Ecclesiam oneraverint, ut tolerabilior sit conditio Judæorum. Respondeo, Augustinus loquitur de cæremoniis, quas privati homines, et maxime mulierculæ sibi ipsis imponunt. Nam idem Augustinus ibidem loquens de cæremonits supervacaneis, sic ait: « Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, neque consuetudine Ecclesiæ universæ roborata sunt, sed diversorum locorum, diversis moribus innumerabiliter variantur, resecanda existimo. »

Septimum argumentum, §. 14: « Deus hoc discrimen esse voluit inter nos et Judæos, quod illos ut pueros docuit per signa sensibilia, nos ut viros, simplicius, sine talibus signis. Id patet ex cap. IV Joannis, ubi Dominus ait: Venit hora, qua veri adoratores in spiritu et veritate adorabunt Patrem. Et Galat. IV Apostolus comparat Judæos parvulis sub pædagogo degentibus. » Idem argumentum facit Kemnitius, pag. 166. ubi dicit, umbras et figuras esse proprias Testamenti veteris, nos autem in nova lege luce verbi Dei admoneri, non umbris. Similia etiam habet Brentius in confessione Wirtembergensi, cap. ult. quod est de cæremoniis. Respondeo; discrimen inter Judæos et Christianos quod ad cæremonias attinet, duobus modis intelligi posse. Uno, ut illi solas habuerint cæremonias externas, nos autem solam lucem verbi, et spiritualem ac simplicem veritatem. Et hoc videntur sonare verba adversariorum, ac præsertim Kemnitii, sed id manifeste falsum est. Nam Judæi præter cæremonias habuerunt etiam lucem verbi; unde est illud Psalm. CXVIII: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Nec solum ab eis Deus cultum externum, sed etiam internum requirebat. Nam Isai. XXIX Judæos reprehendit Deus, cum ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (1). Et contra Christiani, præter lucem verbi habent etiam Sacramenta sensibilia, quæ sunt umbræ et figuræ rerum præteritarum et futurarum. Et sicut non repugnant novo Testamento Sacramenta externa et sensibilia, ut notum est; ita non repugnant aliæ cæremoniæ. Ecclesia enim Christiana, licet versetur in magna luce respectu synagogæ, tamen versatur etiam in umbra respectu cœlestis Hierusalem. Nam per fidem, quæ obscura est, ambulamus, et non per speciem. Altero modo potest intelligi discrimen illud, quod cultus Judaicus, quatenus Judaicus, id est, veteris Testamenti, erat principaliter externus et corporalis; cultus Christianus, id est, novi Testamenti, est principaliter internus et spiritualis. Et hoc est verissimum. Nam cultus internus et spiritualis a spiritu fidei et charitatis procedit, qui spiritus est ipsa gratia novi Testamenti, et ex lege veteri nullo modo haberi potest. Unde Paulus II. Cor. III vetus Testamentum vocat litteram, novum vocat spiritum. Et Joannis I illud dicitur lex, hoc gratia. Denique Joan. IV illud *In spiritu et veritate*, significat (ut exponunt Chrysostomus, Cyrillus, et Euthymius) cultum Christianum esse in spiritu, ut opponitur Judaico, qui erat corporalis, et esse in veritate, ut opponitur eidem Judaico, qui in umbris et figuris consistebat. Quamvis non male etiam Theophylactus, et B. Thomas in commentario ejusdem loci illud: *In spiritu*, opponant Judaico cultui, qui erat corporalis, illud: *In veritate*, opponant cultui Samaritanorum, qui erat falsitati et errori admixtus. Unde paulo ante Dominus dixerat: *Neque in monte hoc*, id est Garizim, ubi Samaritani adorabant: *neque in Hierosolymis adorabitis Patrem* (1), ac si diceret: Non coletis Deum deinceps cultu Samaritanorum falso, neque cultu Judaico, præcipue corporali, sed cultu Christiano, qui erit in spiritu et veritate, id est, spiritualis, et purus ab omni errore.

Est tamen observandum, licet cultus Judaicus, ut veteris Testamenti, fuerit corporalis, tamen non placuisse Deo sine spirituali, et ideo Deum ab eis quæsivisse cultum etiam spiritualem, ut ostendimus ex Isaiæ XXIX. Sed qui eum præstabant, id non ex veteri Testamento, sed ex novo habebant; ad quod jam tunc pertinere incipiebant. Sicut etiam notum est, timorem esse veteris Testamenti proprium, et amorem novi: et tamen Deus a Judæis petebat, ut ex toto corde diligerent, et vere id sancti illius temporis præstabant, non ex vi Testamenti veteris, sed ex gratia novi. Pari ratione, licet cultus Christianus sit principaliter spiritualis, tamen sine corporali esse non potest in hac peregrinatione, et ideo Sacramenta et cæremonias alias admittit, quæ cultui spirituali deserviant.

Octavum argumentum, §. 15: « Quidquid commendationis habent opera, id totum habent obedientiæ intuitu, quam solam Deus respicit, ut testatur per Prophetam: Non præcepi de sacrificiis et victimis, sed tantum ut audiendo audiatis vocem meam, Jerem. VII et I. Reg. XI. Numquid vult Deus sacrificium, et non potius, ut obediatur voci Domini? Non ergo cæremoniæ, quas Deus non instituit, ipsi placere, aut meritoriæ esse possunt. » Confirmat ibidem argumentum suum, quia cæremoniæ nostræ non solum non sunt meritoriæ, sed nec utiles, cum vix ab ullo intelligantur. Respondeo: Antecedens falsum esse, et contra apertissimas Scripturas. Nam Deo placuit sacrificium Abel, Hebr. XI, quod tamen Deus non imperaverat. Et I. Corinth. VII: *Qui non nubit, melius facit.* Et ibidem de vidua: *Beatior erit, si sic permanserit* (2); et tamen ibidem asserit non esse præceptum, non nubere, etiam secundo. Et I. Corinth. IX contendit sibi fuisse licitum vivere de bonis eorum, quibus prædicabat, et tamen se maluisse vivere ex proprio labore, ut majorem mercedem haberet; id enim significant illa verba: *Melius est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet* (3). Porro Scripturæ illæ anteponunt obedientiam sacrificiis. Sed non ideo licet concludere: Ergo sacrificia non imperata nihil merebantur, modo cum fide et devotione offerrentur; cum constet ex Scripturis contrarium, ut jam ostendimus. Ad confirmationem Respondeo, cæremonias Ecclesiæ facillime intelligi saltem in genere, ut patet, si quis discurrat per cæremonias a persona, a loco, a tempore, a rebus sumptas. Quod si aliquæ cæremoniæ non ab omnibus intelligantur, ut est multitudo vestium in Missa, et signorum, tamen non carent utilitate etiam apud rudissimos, cum sine dubio concilient venerationem rebus sacris. Certe Judæi parum admodum intelligebant, et tamen non frustra eas acceperunt.

Nonum argumentum, §. 17: « An non illa semel Ecclesiæ dicta lex æterna manet? Quod præcipio tibi, hoc observabis, ut facias. Non addes quidquam, nec detrahes. Et Proverb. XXX: Non addas ad verbum Domini, neque minuas ex eo, ne te forte arguat, inveniarisque mendax. » Respondeo: Non prohibet Dominus in his locis quamlibet additionem. Nam sive per verbum intelligantur libri sacri, sive præcepta moralia, aut judicialia, aut cæremonialia, semper inveniemus factam fuisse additionem. Nam post Deuteronomium, ubi habetur illa prohibitio additionis ad verba Domini, scripti sunt omnes alii libri sacri,

(1) Psal. CXVIII. 105; Isai. XXIX. 13; Matth XV. 8.

(1) Joan. IV. 23 et 21. — (2) I. Cor. VII. 38 et 40. — (3) I. Cor. IX. 15.

tum historici, tum prophetales, et totum novum Testamentum. Item multa sunt moralia præcepta in prophetis, et in libris Salomonis, quæ videntur addita Pentateucho : et David addidit judiciale præceptum, ut æqualiter dividerent prædam in bello, qui pugnabant, et qui sarcinas custodiebant, I. Reg. XXX. Addiderunt etiam posteriores Judæi cæremoniales leges de novis festis diebus, Esther IX, Judith. ultimo et I. Machabæorum IV. Prohibet igitur Deus additionem corrumpentem; et idem est : *Non addes, ac minuas*, ac si diceret : Integre et perfecte observa, quod ego præcipio. Id patet ex ratione, quæ redditur, Proverbiorum XXX : *Ne forte arguat te, et inveniaris mendax* (1). Non enim potest dici mendax et falsarius, qui instituit novam cæremoniam, modo illa nihil officiat cæremoniis Dei; sed ille dicitur mendax et falsarius, qui corrumpit Dei verba aut præcepta. Potest autem duobus modis fieri ista corruptio. Uno modo, si quis ipsis Dei verbis, aut præceptis aliquid addat, vel minuat, quo illa corrumpantur; ut si quis in Sacrificiis Christi offerret panem sine vino, aut panem, et vinum, et mel. Alio modo, si quis venditaret pro Dei verbo librum non Canonicum, aut pro Sacramento aliquam cæremoniam a se inventam; aut contra librum vere Canonicum, aut verum Sacramentum detraheret de numero librorum Sacrorum, aut Sacramentorum; quod peccatum hæretici committunt, cum multos sacros libros negant esse Canonicos, et quinque Sacramenta tollunt de numero Sacramentorum. Idem videmus in monetarum corruptione : illi enim dicuntur falsarii, qui vel ipsas monetas corrumpunt, addendo stannum argento, aut minuendo ipsum argentum; vel qui monetas a se cusas obtrudunt pro moneta Principis. Nihil autem horum invenient in cæremoniis Ecclesiæ.

Decimum argumentum, §. 23. sumit Calvinus a tribus exemplis divinæ Scripturæ, IV. Reg. XVII. Qui incolebant Samariam a feris discerpti dicuntur, quod illi novis cæremoniis Deum colerent, quas Deus non instituerat, IV. Reg. XVI. Reprehenditur Achaz, quod novum altare posuerit in templo, quod quidem ad ornatum templi videri poterat : « Et tamen videmus, inquit Calvinus, ut spiritus audaciam illam detestetur, non alia de causa, nisi quod hominum inventa in Dei cultu, impuræ sunt corruptelæ. IV. Reg. XXI, Aggravatur, inquit Calvinus, hac circumstantia crimen Manasse, quod altare novum exstruxerit in Hierusalem.

Respondeo in his omnibus exemplis more suo Calvinum mala fide uti. Nam IV. Reg. XVII non arguuntur Samaritani illi, quod novis cæremoniis Deum colerent, sed quod initio non timerent Dominum, neque colerent, quippe Gentiles erant; nec sciebant legem Dei; deinde autem edocti legem Dei, simul Deum colere incepissent, et sua idola. Et IV. Reg. XVI, Achaz reprehenditur, non quod novum altare in templo exstruxerit, sed quod jusserit fieri in templo Domini altare novum ad similitudinem altaris idolorum, quod erat in Damasco, et removerit altare Domini de loco suo, ut in optimo loco constitueret altare illud idololatricum. Denique IV. Reg. XXI, Manasses non solum novum altare in templo posuit, sed altare, ubi sacrificaretur idolis. Sic enim Scriptura loquitur : *Exstruxit altaria universæ militiæ cœli in duobus atriis templi.* Et infra : *Posuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo Domini* (2). Alioqui enim novum altare erigere in templo Domini, nullum crimen fuisset. Nam III. Reg. VIII, legimus, Salomonem jussisse mediam partem atrii sanctificari ad holocausta offerenda, quoniam altare æneum, in quo offerri debuissent, non erat capax tantæ multitudinis victimarum : obtulit enim tum Salomon viginti duo millia boum, et centum viginti millia ovium. Atque hæc ex Calvino. Simili fide Scripturas tractat Melanchthon. Nam in Apologia Confess. Augustanæ, articul. decimo-quinto, præter alia, profert hæc argumenta. Primo Ezech. XX : *In præceptis patrum eorum nolite incedere* : « Ergo non licet instituere novos cultus sine Dei mandato. » At loquitur Ezechiel de patribus idololatris : nam alioqui Scriptura dicit, Proverb. XXII : *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui* (3). Item Secundo argumentatur Philippus : « Si licet hominibus instituere cultus, jam omnium gentium cultus erunt approbandi, et illi etiam quos instituit

(1) Prov. XXX, 6. — (2) IV. Reg. XXI, 5 et 7. — (3) Ezech. XX, 18; Prov. XXII, 28.

Jeroboam. » Egregie sane, quasi vero liceat condere legem injustam, si licet condere legem novam. Tertio addit, Daniel. capite XI : « Significat novos cultus humanos ipsam formam Antichristi fore. Sic enim, inquit, Deum Maosim in loco suo colet, et Deum, quem non noverunt Patres eorum. » Et hoc præclarum est argumentum, quasi idem sit colere Deum verum novo cultu, et colere novum Deum, id est, falsum et fictitium Deum.

FINIS LIBRORUM DE SACRAMENTIS IN GENERE

AD HONOREM DEI

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

NONA CONTROVERSIA GENERALIS

DE BAPTISMO

ET CONFIRMATIONE

DUOBUS LIBRIS EXPLIGATA

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONTROVERSIARUM

DE SACRAMENTIS IN SPECIE

LIBER PRIMUS

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

ARGUMENTUM ET PARTITIO DISPUTATIONIS DE BAPTISMO.

De Baptismo, quæ disputari solent, ad novem capita revocari possunt. *Primum* est de nomine, et definitione. *Secundum*, de materia. *Tertium*, de forma. *Quartum*, de necessitate. *Quintum*, de ministro. *Sextum*, de suscipientibus. *Septimum*, de effectibus. *Octavum*, de comparatione Baptismi Christi, et Joannis : præcipua enim comparatio circa effecta versatur. *Nonum*, de ritu, et cæremoniis. In quibus omnibus controversiis explicandis, duos præcipue fines intuebimur. *Unum*, ut Canones Concilii Tridentini de Baptismo, qui habentur in septima sessione, defendamus contra Calvini Antidotum, et Examen Kemnitii. *Alterum*, ut præcipuorum hujus temporis hæreticorum sententias, et argumenta bene intelligamus, et efficaciter, Deo adjuvante, refellamus.

CAPUT I.

De nomine, definitione, et partibus Baptismi.

De nomine Baptismi nulla dissensio est : utuntur enim omnes hac voce, quod in Scripturis passim habeatur. Significat autem βάπτισμα proprie immersionem. Ordinarie enim Baptismus fit per mersionem, idque ad Christi sepulturam repræsentandam, juxta illud Coloss. II : *Consepulti ei per Baptismum* (1). Habet autem apud Patres alia multa nomina, de quibus vide præcipue Clementem lib. I Pædagogi, c. 6. Nazianzenum orat. de Baptismo, et Chrysostomum, homil. ad baptizatos; qui vocant Baptismum illuminationem, gratiam, donum, sigillum, mysterium, expurgationem, et alia quædam : sed præcipuum nomen, et communissimum est φωτισμός, id est, illuminatio ; hoc enim præter tres citatos Patres, utuntur omnes alii Græci posteriores, et ante eos Dionysius Arcopagita de Eccles. hierarch, c. 2. imo et ipse Apostolus, Hebr. VI. cum ait : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati etc.* Et c. X : *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum* (2). Unde etiam Cyrillus Hierosolymitanus Catecheses suas de Baptismo, vocat Catecheses illuminatorum. Dicitur autem Baptismus illuminatio, quia in eo infunditur habitus fidei.

(1) Coloss. II, 12. — (2) Hebr. VI, 4; X, 32.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quod autem attinet ad definitionem, S. Thomas 3. par. quæst. LXVI, art. 1. aliquot definitiones adfert. Sed ex Scripturis Catechismus Romanus aptissime ita definivit : *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Quæ definitio partim sumitur ex Joan. III. partim ex Paulo ad Ephes. V. Et quidem primo loco ponitur, *Sacramentum*, quod est genus. Deinde additur, *regenerationis*, quæ differentia est contrahens genus, et distinguens a Sacramentis veteris legis. Tertio additur, *per aquam*, quæ est alia differentia, adhuc magis contrahens, et distinguens ab aliis Sacramentis novæ legis. Etsi enim cætera non dicuntur proprie regenerare, tamen justificant impium, ac præsertim Pœnitentia : justificatio autem impii, præsertim hæretici, aut apostatæ, parum aut nihil differt a regeneratione. Unde Galat. IV, Paulus, *filioli mei, quos iterum parturio.* Sed cum additur, *per aquam*, jam perspicua differentia est. Non enim reconciliatio pœnitentium est regeneratio per aquam, sed reformatio quædam, et quasi revocatio ab inferis.

Ubi et illud observandum est, Sacramentum Baptismi non esse ipsam aquam, quæ est res permanens, sed ablutionem, quæ est res transiens. Itaque Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam, id est, signum externum sanctificans per aquæ aspersionem. Denique additur, *in verbo vitæ*, ut exprimatur etiam forma Sacramenti, quæ est præcipua pars essentiæ.

Philippus in locis, anni 58. tit. de sacrificio, ita definit Baptismum : « Baptismus signum est quo Deus nobiscum agit, et recipit nos in gratiam. » Sed hæc definitio convenit omni Sacramento, imo etiam ipsi verbo, quod tamen non est Sacramentum.

Calvinus lib. IV Institut. cap. 15, § 1. ita definit : « Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur. » Quæ definitio multa habet vitia. Nam neque est essentialis, cum non attingat ullam partem essentiæ Baptismi ; neque explicat effectum, seu finem principalem hujus Sacramenti. Nam finis principalis secundum Catholicos, imo secundum Scripturas est justificare, et regenerare ; secundum Calvinum (ut ibidem ipse subjungit) est alere fidem more diplomatis signati, qui certe finis in ea definitione non explicatur, sed solum finis quidam secundarius, qui est testari fidelitatem, quam Deo et Ecclesiæ debemus, et sic agnosci ac numerari inter filios Dei.

Adde, quod ista definitio convenit etiam Circumcisioni. Nam Circumcisio erat signum initiationis, quo Judæi cooptabantur in Ecclesiæ societatem, et Christo inserebantur. Nam etiamsi Judæorum cœtus dicatur Synagoga, quando distinguitur contra Ecclesiam ; tamen absolute Ecclesia erat, et Ecclesia Dei veri, antequam Christum negaret. Ipse etiam Christus, licet non fuerit homo tempore Synagogæ, nisi in ultimis diebus, tamen ut Deus, semper fuit caput totius Ecclesiæ. Imo etiam ut homo venturus, et passurus, jam tum erat caput, cui per fidem Hebræi conjungebantur, eique inserebantur. Unde I. Corinth. X, Judæi dicuntur in deserto tentasse Christum. Et Apoc. XIII, dicitur : Agnus occisus ab origine mundi. Eadem etiam definitio verbo Dei prædicato convenire videtur : nam etiam per verbum Dei initiamur, et cooptamur in Ecclesiam, et Christo inserimur.

CAPUT II.

De materia Baptismi.

De materia nulla fere dissensio est, tametsi non pauci errores de hac re aliquando exstiterint, vel etiam existant. Primus fuit error Manichæorum, qui teste Augustino, lib. de hæres. cap. 46. Baptismum in aqua non putabant adhibendum, quod videlicet aquam, ut res cæteras corporales, non Deus, sed Diabolus procreasset. Magis verecundi fuerunt Marcionistæ, qui etsi crederent aquam esse opus mali principii, id est, Diaboli, non Dei boni : tamen eam adhibebant in Baptismo ob Christi præceptum. Refert Theodoretus, lib. I. fabul. hæretic. se vidisse senem quemdam Marcionistam, qui fatebatur in mysterio aquam adhibendam, et tamen ita illam oderat, ut faciem suam mallet proprio sputo, quam aqua abluere, ne videlicet creatore indigere videretur.

Secundus error fuit Seleuci, et Hermiæ, qui aquam ex Baptismo excludebant, idque ob auctoritatem Scripturarum, quæ ubicumque comparant Baptismum Joannis cum Christi Baptismo, semper affirmant Joannem baptizasse in aqua, Christum baptizaturum Spiritu sancto, et igne, Matth. III, Luc. III, Joan. I, Marc. I, Actor. I. Referunt hunc errorem Philastrius in lib. de hæresibus, et Augustinus de hæresibus, cap. 59.

Tertius error ex eodem fundamento fuit Jacobitarum, qui loco aquæ Baptismalis ferro candente imprimebant in frontibus crucis figuram. Testis est Bernardus Lutzemburgensis in Catalogo hæreticorum.

Quartus est Paulicianorum, qui teste Euthymio in 2. par. Panopliæ, tit. 21. pro elemento aquæ in Baptismo illa verba substituunt : Ego sum aqua viva.

Quintus error Lutheri est, qui in symposiacis colloquiis, cap. 17. interrogatus, num deficiente aqua, liceat baptizare in lacte, aut cerevisia, primum respondit ; judicio divino id esse committendum ; deinde addit, quidquid balnei nomine nuncupari potest, illud esse aptum ad baptizandum. At certe balnea vini, et lactis, nedum cerevisiæ fieri posse, nemo dubitavit unquam.

Adversus hæc omnia deliramenta statuit Concilium Tridentinum sess. VII, can. 2. aquam veram, et naturalem requiri ad Baptismum. Ex quo intelligimus duo. Primo, nullum liquorem esse materiam Baptismi : qui non sit vera, et naturalis aqua. Secundo, omnem veram, et naturalem aquam, quantumvis accidentaliter alteratam, et mutatam, esse materiam idoneam ad Baptismum. Id vero patet ex apertissimis Scripturis. Nam Joan. III. dicitur : *Ex aqua, et Spiritu sancto* (1).

Item ibidem orta est æmulatio discipulorum Joannis, quia videbant Christum baptizare per discipulos suos in aqua, ut etiam ipse Joannes baptizabat. Act. VIII : *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Ephes. V : *Lavacro aquæ in verbo vitæ* (2). I. Cor. X. Paulus comparat Baptismum mari rubro ; I. Pet. III. comparat Petrus eumdem Baptismum diluvio. Denique etiam Prophetæ expresse prædixerunt Baptismum aquæ, ut Ezechiel cap. XXXVI : *Effundam super vos aquam mundam* (3). Cur autem aquam Deus elegerit potius, quam aliud elementum, causas reddunt auctores, adferentes varias aquæ proprietates : quas vide apud S. Thomam 3. part. quæst. LXVI, art. 3. et Gulielmum Parisiensem in lib. de Sacramentis c. de Baptismo.

Neque testimonia a Seleucianis allata concludunt. Nam non docent discrimen esse inter Baptisma Joannis et Christi, quod unum esset in sola aqua, alterum in solo Spiritu, vel igne ; sed quod unum esset in sola aqua, alterum, non in sola aqua, sed in aqua et Spiritu, ut dicitur Joan. III. Unde I. Joan. III : *Hic est, qui venit per aquam, et sanguinem, non in aqua solum, sed in aqua, et sanguine* (4). Quod autem additur de igne Matth. III et Luc. III non significat ignem aliquem elementalem, ut stulte putarunt Jacobitæ, sed ignem quemdam cœlestem, et divinum : nam ideo conjungitur cum Spiritu sancto. Potest autem ille ignis, vel significare linguas igneas, quæ descenderunt in Apostolos in die Pentecostes, vel ignem Purgatorii, ut Hieronymus docet in c. III Matth. et Beda in c. III Luc. vel etiam ignem divini judicii, ut exponit Hilarius can. 2. in Matth. vel denique ignem tribulationis in hac vita, qui nulli baptizato deest, ut exponit auctor operis imperfecti in cap. III Matth.

Kemnitius in hunc canonem nihil aliud notat, nisi non esse necessarium, ut aqua exorcizetur, et benedicatur : si aqua vera, et naturalis sufficit. Sed male id colligit : nam etiamsi ad substantiam Sacramenti non requiratur benedictio aquæ, tamen recte est instituta, ut infra dicemus.

CAPUT III.

De forma Baptismi.

Formam Baptismi etsi hoc tempore fere omnes admittant, quod ad praxim attinet, quæ est singularis Dei providentia, ne innumerabiles infantes pereant, tamen fuerant, et sunt non leves de hac re errores. Primus fuit quorumdam, qui ipso tempore Apostolorum baptizabant in nomine trium principio carentium, id est, trium Patrum, vel in nomine trium filiorum, aut trium Paracletorum. Qui error refertur, et damnatur can. 48. alias 49. Apostolorum.

(1) Joan. III, 5. — (2) Act. VIII, 36; Ephes. V, 26. — (3) Ezech. XXXVI, 25. — (4) I. Joan. V, 6.

Secundus fuit Gnosticorum, qui teste Irenæo lib. I, c. 18. baptizabant in nomine Ignoti Patris, in veritate Matris omnium, et in nomine descendentis Jesu.

Tertius fuit Cataphrygum, et Paulianistarum, qui non baptizabant in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut Innocentius I testatur in epist. 22. cap. 5. et ideo iterum baptizari jubentur in Concilio Nicæno can. 19. et Laodicensi can. 8.

Quartus fuit aliquorum Arianorum, qui baptizabant in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto. Refert Nicephorus lib. XIII. cap. 35. ita baptizare voluisse quemdam Episcopum Arianum nomine Deuterium; sed divino miraculo continuo aquam evanuisse. Alios item Arianos non servasse veram Baptismi formam patet ex Concilio I. Arelatensi can. 8. ubi jubentur interrogari Ariani, cum ad Ecclesiam redeunt, sub qua forma verborum a suis baptizati sint: non enim eodem modo omnes baptizabant. Multi quoque eorum Catholicos rebaptizabant, ut Augustinus testatur lib. de hæres. cap. 49.

Quintus error fuit quorumdam Eunomianorum, qui non baptizabant in nomine trium personarum, sed in Domini mortem, ut refert Socrates, lib. V. cap. 23.

Sextus fuit Græcorum, qui aliquando ita adhærebant suæ formæ, qua dicunt: Baptizetur N. servus Christi, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut rebaptizare auderent Latinos baptizatos, illis verbis: Ego te baptizo etc. Refert, et damnat hunc errorem Concilium Lateranense sub Innocentio III, cap. 4. ubi non damnatur forma baptizandi Græcorum, quæ non differt a nostra, quoad substantiam, ut in Concilio Florentino sess. ult. declaratum est, sed damnatur Græcorum error, qui nostram formam damnare audebant sine ulla ratione, vel causa.

Septimus error est Lutheri, Zwinglii, et Brentii, qui licet forma usitata utendum esse doceant; tamen id non putant necessarium ad Baptismi substantiam. Lutherus in libro de captivitate Babylonici cap. de Baptismo, affirmat Baptismum esse ratum, quibuscumque verbis collatum, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini detur. Imo addit, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, tamen esse ratum, si suscipiatur in nomine Domini. Zwinglius in lib. de vera, et falsa religione cap. de Baptismo sub finem, aperte docet, non esse necessariam ullam certam verborum formam in Baptismo: licet dicat se non vetare, quominus utamur sacris verbis jam receptis. Unde Zwingliani quidam, ut refert Joannes Eckius hom. 10. de Baptismo, baptizabant in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti; qui est manifestus Arianismus. Nomen enim, potestatem, et auctoritatem significat in Scriptura, Marci ult.: *In nomine meo Dæmonia ejicient*, Joan. V: *Ego veni in nomine Patris mei* (1). Ut autem est una Deitas trium personarum, ita unum nomen, una virtus, una auctoritas. Unde Ambrosius lib. II. de Sacramentis cap. 7. et Hieronymus in cap. IV. ad Ephes. notant in Baptismo trinam fieri mersionem, et tamen non dici: In nominibus, sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Joannes Brentius in suo Catechismo cap. de Baptismo scribit, verum esse Baptismum, si minister post recitatum a Catechumeno Symbolum fidei, ita diceret: « Audivi jam ex te confessionem fidei tuæ, quod credas in Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum: in hanc igitur confessionem intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sis te esse insertum Christo, vade in pace. » Monet tamen, ut forma Ecclesiæ usitata servetur. Quod quidem bene monuit, alioqui non esset ratus Baptismus.

Præter hos errores est opinio quædam incommoda multorum Catholicorum, qui putarunt sufficere ad Baptismum, invocationem unius personæ divinæ tantum, ac præsertim Christi. Ita videntur sentire S. Ambrosius lib. I. de Spiritu sancto cap. 3. Beda in cap. X. Actor, qui ipsa verba Ambrosii citat. Bernardus epist. 340. ad Henricum, qui docet, ratum sibi videri Baptismum, quem quidam contulit ex imperitia: In nomine Dei, ac sanctæ et veræ crucis. Item Hugo de S. Victore lib. II. de Sacramentis par. 6. cap. 2. et Magister lib. IV. sent. dist. 3. et denique Nicolaus Papa in epist. ad Bulgaros, ut habetur can. A quodam Judæo, de consecrat. dist. 4. qui nihil quidem definit, sed profert Ambrosii auctoritatem, et eam approbare videtur.

Fundamenta horum auctorum sunt duo. Primum, auctoritas Apostolorum, qui baptizabant in nomine Christi, ut habetur Actorum VIII. X. et XIX. Secundum, quia

(1) Marc. XVI, 17; Joan. V, 45.

in qualibet persona divina implicite continentur omnes tres. Qui enim dicit Patrem, simul dicit Filium, et Spiritum oris ejus; qui dicit Christum, dicit ungentem, id est, Patrem, unctum, id est, Filium, et unctionem, id est, Spiritum sanctum; qui dicit Spiritum sanctum, dicit Patrem, et Filium, a quibus ille spiratur. Sed fundamentum præcipuum omnium auctorum post Ambrosium, est ipsius Ambrosii auctoritas; quare si forte Ambrosius non illud voluerit dicere, quod verba ejus sonare videntur, ruit fundamentum præcipuum illius opinionis.

Sed quidquid de hoc sit, certum est, Baptismum, aut absolute, aut sub conditione repetendum, si detur in nomine Christi, aut alterius cujusvis personæ, sine expressione aliarum, ut recte docent Theologi omnes graviores in IV. dist. 3.

Est igitur hæc vera forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ubi non est de essentia, illa particula, *Ego*, et licet ea non debeat omitti cum præscribatur ab Ecclesia, tamen si omitteretur, Baptismus esset integer, quia satis exprimitur persona ministri in verbo, *Baptizo*.

Porro hanc esse veram et necessariam formam Baptismi, colligitur ex Evangelio, sed non evidenter ex solo Evangelio, nam cogimur recurrere ad traditionem, et Ecclesiæ declarationem. Quod est Notandum contra Calvinum, et alios hæreticos, qui eamdem formam præscribunt in ritu Baptismi, et eadem utuntur, cum tamen nolint traditionem, sed solam Scripturam admittere. In Evangelio nihil habemus nisi unum testimonium, Matth. XXVIII: *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (1). Ex quibus verbis, si sola considerentur, non cogimur dicere cum prædicamus, Ego vos doceo; sed videmur satisfacere, si baptizemus, et doceamus, etiamsi non exprimamus verbis nos id facere. Pari ratione non colligitur evidenter ex hoc solo loco, oportere dicere: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: posset enim exponi hic locus, vel de fide Trinitatis, ut baptizemus in fide Trinitatis; vel etiam de auctoritate, id est, ut baptizemus auctoritate a Deo accepta; quemadmodum cum Marci ult. legimus: *In nomine meo dæmonia ejicient etc.* Si tamen adjungamus ad hunc locum Evangelii, Ecclesiæ auctoritatem, constabit certissime, omnia illa verba ad formam Baptismi pertinere.

Nam in primis esse dicendum: *Ego baptizo*, vel aliquid ejusmodi, quo exprimatur actio ministri, docet Concilium Florentinum in instructione Armenorum: docet etiam Alexander Papa III, extra de Baptismo, et ejus effectu cap. Si quis puerum: docent omnes catechismi, et rituales libri, etiam antiquissimi. Denique etiam ratio id docet. Nam sola illa verba: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, etiam cum ipsa lotione externa, non determinate significant id, quod hoc Sacramento significari debet. Nam posset fieri lotio illa ad refrigerandum, aut curandum ab aliquo morbo, et ad id etiam recte invocaretur auxilium sanctæ Trinitatis. Itaque addendum est verbum: *Baptizo*, quo ex usu Ecclesiastico significatur ablutio a sordibus non tam carnis, quam spiritus.

Deinde esse exprimendam aliam personam a ministro diversam; quod facimus per pronomen (*Te*) ac proinde non posse ullum baptizare seipsum; docet præter testimonia jam allata, disertis verbis Innocentius III, extra de Baptismo, et ejus effectu cap. Debitum.

Denique esse exprimendas tres divinas personas; præter allata testimonia, docent duo summi Pontifices, Pelagius canon: Si revera, et canon: Multi sunt, et Zacharias canon: In Synodo, de consecrat. dist. 4. qui affirmant, Baptismum non esse ratum, si detur in nomine Domini, aut in nomine Christi, nisi diserte exprimantur tres personæ. Idem confirmat traditio omnium Patrum, qui affirmant, Baptismum dari debere in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Vide canon. 49 Apostolorum. Dionysium de Ecclesiastica hier. cap. 2. Justinum in Apologia 2. Originem in cap. VI. ad Rom. in illud: *Quicumque in Christo Baptizati sumus* (2). Ubi etiam dicit, non haberi ratum baptismum in nomine solius Christi, nisi addantur aliæ personæ. Item Athanasium serm. 3. contra Arianos, parum a medio: ubi dicit, non esse perfectum initiationem, nisi in nomine trium personarum; quod idem habent Basilius libro de Spiritu sancto cap. 12. et Dydimus lib. II. de Spiritu sancto, non procul ab initio. Vide etiam Nyssenum

(1) Matth. XXVIII, 19. — (2) Rom. VI, 3.

in libro de Baptismo ante medium. Chrysostomum in cap. V ad Ephesios, in illud : *Mundans eam lavacro* (1). Nazianzenum oratione in sanctum lavacrum prope finem. Damascenum lib. IV. cap. 10 et Theophylactum in cap ult. Matthæi. Præterea ex Latinis Tertullianum lib. contra Praxeam, et lib. de corona militis. Cyprianum in epist. ad Jubaianum. Hilarium lib. de Synodis in fine. Ambrosium lib. II de Sacramentis cap. 5. et 7. de iis, qui initiantur mysteriis cap. 4. Hieronymum in cap. IV ad Ephes. Siricium in epist. 1. Innocentium epist. 22. Augustinum lib VI de Baptismo cap. 25. Leonem in epist. 4. Fulgentium de incarnatione, et gratia Christi cap. 11. Gregorium lib. IX. epist. 61.

Neque illa argumenta quæ posuimus pro eorum opinione, qui putabant Baptismum esse ratum, si in nomine solius Christi daretur, aliquid concludunt. Ad Primum de exemplo Apostolorum, aliqui Scholasticorum respondent, Apostolos id fecisse ex quadam peculiari Dei dispensatione. Sed, cum neque in Scriptura, neque in ullo Concilio, neque in Patribus legatur talis dispensatio, solidius respondent, qui negant Apostolos baptizasse, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ; id quod etiam confirmatur ex cap. XIX. Actor. Nam cum quidam Paulo dixissent : *Neque si Spiritus sanctus est, audivimus;* subjunxit Paulus : *In quo ergo baptizati estis* (2)? Quibus verbis indicat etiam suo tempore in ipsa forma Baptismi nominari solitum Spiritum sanctum. Et cum certum sit, numquam datum esse in nomine solius Spiritus sancti, sequitur ut datus sit in nomine trium personarum. Adde, quod cum in Canonibus Apostolorum damnentur, qui aliter baptizant, quam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et antiquissimi Patres, qui vel Apostolos viderunt, vel eorum discipulos, ut Dionysius et Justinus, eamdem formam Baptismi præscribant, non est ullo modo credibile Apostolos aliter baptizasse.

Quod autem Lucas dicit in Actis c. II. et X. et XIX. baptizasse Apostolos, in nomine Domini Jesu : potest intelligi multis modis, nimirum, ut baptizasse dicantur in fide Domini Jesu, vel auctoritate Domini Jesu, vel Baptismo a Christo instituto, vel denique in nomine Domini Jesu, sed non solius, verum adjuncto Patre, et Spiritu sancto. Fortasse enim ad magis commendandum nomen Christi, ita dicebant : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus sancti.

Et hoc modo videntur mihi intellexisse hæc loca, Hilarius, Basilius, et Fulgentius. Nam Hilarius in libro de Synodis prope finem, enumerat varia loca Scripturæ, quæ videntur inter se pugnare, nisi recte intelligantur : et inter alia ponit hæc loca, quod Apostoli Matthæi ultimo jussi sint baptizare, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, et tamen in Actis Apostolorum referantur baptizasse in nomine Christi. Et quamvis non explicet Hilarius quomodo hæc intelligenda sint, tamen ex modo loquendi ipsius, et ex aliis similibus locis in speciem pugnantibus, colligitur eum sensisse Apostolos baptizasse in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : alioqui, ut ipse dicit, in crimine fuissent, tamquam prævaricatores regulæ divinæ sibi datæ ; sed Lucam in Actis id ipsum brevissime significasse, exprimendo nomen Christi, et non negando nomina aliarum personarum. Fulgentius de incarnatione, et gratia Christi cap. 11, apertissime dicit, Apostolos baptizasse, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et hoc ipsum esse baptizare in nomine Domini Jesu, ut dicitur Actor. II. vel in morte Christi, ut dicitur Roman. VI. Basilius in libro de Spiritu sancto cap. 12. scribit in nomine Filii, intelligi omnes personas, cum Scriptura dicit, Apostolos baptizasse in nomine Christi, proinde Apostolos revera in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizasse, non in nomine solius Christi. Ubi vult S. Basilius in una persona intelligi omnes, quod attinet ad verba S. Lucæ in Actis, non autem quod attinet ad ipsam formam Baptismi. Et hoc etiam modo aliqui volunt locutum esse Ambrosium, et ex eo Bedam. Nam Ambrosius videtur sequi Basilium, cum eadem testimonia adducat, et de eadem re loquatur, et frequentissime soleat Basilii sententias suas facere : certe Catechismus Romanus cap. de Baptismo, conjungit in hac re Ambrosium cum Basilio.

Ad Secundum argumentum respondeo, non sufficere in Baptismo implicitam mentionem trium personarum, tum quia Dominus in Evangelio, et omnes Patres explicitam tradunt, tum etiam quia Sacramenta sunt signa externa, et sensibilia ; proinde oportet invocationem trium personarum exterius, et sensibiliter sonare, nec sufficit, si unius personæ invocatio exterius sonet, aliarum autem sola mente concipiatur, quod fit, quando implicite solum invocantur.

(1) Eph. V, 26. — (2) Act. XIX, 2 et 3.

CAPUT IV.

De necessitate et institutione Baptismi.

Diximus de causa materiali et formali, nunc de necessitate dicendum quæ ad causam finalem pertinere videtur. Ac primum nulla quæstio est, quin Baptismus sit necessarius ad salutem ex divino Christi mandato. Id enim etiam Calvinus fatetur in Antidoto Concilii sess. VII. canon. 5. Sed controversia est, an sit necessarius, ut medium ad salutem, ita ut si quis non baptizetur, pereat, etiamsi forte ob ignorantiam excusetur a prævaricatione præcepti. Ac præcipue habet locum controversia in parvulis, qui non sunt capaces præcepti. Tres autem sunt quæstiones. Prima, an Baptismus sit necessarius. Secunda, quando cœperit esse necessarius. Tertia, an possit suppleri per martyrium, aut pœnitentiam, quæ dicuntur Baptismata, illud sanguinis, hoc flaminis.

De prima quæstione fuit olim hæresis Pelagianorum, Baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis, sed solum ad assecutionem regni cœlorum, teste Augustino lib. de hæresibus cap. 69.

Sed nostri hæretici Pelagianis multo audaciores, non solum ad remissionem peccati, sed etiam ad regnum cœlorum negant Baptismum esse necessarium. Id in primis negavit Joan. Wiclef, ut testatur Thomas Waldensis tom. II. cap. 96. Deinde Zwinglius libro de vera, et falsa religione satis aperte negat, Baptismum esse necessarium ad salutem ; quod nihil sit nisi externum symbolum. Martinus Bucerus in cap. III. Matth. idem docet, sed ex alio fundamento, nimirum, quia pueri prædestinati etiam sine Baptismo salvantur, non prædestinati autem, etiam cum Baptismo damnantur. Joannes Calvinus in Antidoto Concilii ad VI. sess. cap. 5. et lib. IV. Institut. cap. 16. § 24 et 25. docet, parvulos fidelium etiam sine Baptismo esse sanctos, et membra Ecclesiæ, et si moriantur salvari. Fundamentum ejus est, quia putabat filiis fidelium non imputari peccatum originis, idque ex vi fœderis Dei facti cum Abraham, Genes. XVII, *Ero Deus tuus et seminis tui* (1). Nos enim successimus per Christum in Abrahæ posteritatem. Idem habet Petrus Martyr in cap. VII. 1. ad Corinth. in illa verba : *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt* (2). Ubi aperte dicit, filios fidelium salvari sine Baptismo, et profert eadem argumenta, quæ Calvinus. Idem quoque habet Henricus Bullingerus Zwinglii successor in Tigurina synagoga in eumdem locum, I Corinth. VII. Hoc tamen videtur interesse inter Bullingerum et Calvinum ; quod Calvinus solos eos facit sanctos, ante Baptismum, qui nascuntur ex parentibus fidelibus : Bullingerus autem in lib. de Testamento, seu fœdere Dei unico, et æterno, docet, satis esse, si parentes aliquando fuerint fideles, licet tunc non sint, quando filii eis nascuntur. Imo etiam videtur dicere, satis esse, si majores fuerint fideles, licet immediati parentes non sint fideles. Ex quo sequitur secundum opinionem hujus hominis salvari fere omnes pueros : rari enim sunt, qui non habuerint aliquem ex majoribus suis fidelem.

Contra hos errores posuit Concilium Tridentinum sess. VII. can. 2 : « Si quis dixerit, Baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit. » Probatur hæc veritas. Primo ex Dei verbo expresso, Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quæ verba non sonant præceptum, sed medium, ut Augustinus demonstrat lib. I. de peccatorum meritis et remiss. cap. 30. ubi hunc locum accurate expendit. Et patet etiam ex ratione, quæ redditur : *Quod natum est ex carne, caro est*, et, *oportet vos nasci denuo* (3). Indicat enim Dominus homines nasci carnales, et peccatores, atque adeo servos peccati ; et proinde necessarium esse remedium contra hæc mala, quod remedium deinceps erit Baptismus. Idem apertissime convincitur ex figura ænei serpentis, quam ibidem Dominus ponit. Vult enim ita esse remedium

(1) Gen. XVII, 7. — (2) I. Cor. VII. 14. — (3) Joan. III, 5 et 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contra mortem æternam renasci per fidem, et Baptismum suum, ut olim fuit serpens æneus remedium unicum contra morsum serpentium. Itaque illud : *Nisi quis renatus fuerit etc.* simile est, ac si quis diceret : Nisi comedas, non vives. Vel nisi pharmaceum sumas, non convalesces. Ista enim non tam præceptum, quam medium necessarium significant. Neque de hoc adversarii disputant; sed nituntur variis expositionibus ita depravare hunc locum, ut non possit ex eo colligi aquam necessariam esse.

Calvinus in Antidoto loco notato duo dicit. Primo, secundum aliquos Patres aquam accipi pro mortificatione : quod idem habet Kemnitius in Examine, can. 2. sess. VII. et nominat Basilium, qui per aquam intelligit mortificationem. At hoc vanum est. Nam Basilius libro de Spiritu sancto cap. 15. non explicat quid ad litteram significet aquæ vocabulum, Joan. III. sed præsupponens significare veram, et naturalem aquam, quærit cur aqua adjungatur Spiritui in Baptismo, et causam reddit, ut aqua significet mortificationem peccatorum, spiritus autem resurrectionem virtutum.

Secundo Calvinus dicit, aquam hoc loco esse epithetum Spiritus, et sensum esse : Oportere nasci ex Spiritu, qui purgat ad modum aquæ. Sed hanc expositionem refutavimus supra lib. II. de Sacramentis cap. 3. ubi attulimus quindecim testimonia Patrum, qui hunc locum intelligunt de aqua Baptismi ; et præterea idem confirmavimus aliquot rationibus.

Petrus Martyr in cap. VII. I. ad Corinth. præter hanc Calvini explicationem, quam non improbat, adfert aliam, quod videlicet non sit vis facienda in illa copulativa : *Ex aqua et spiritu.* Satis enim est, si ex Spiritu homines renascantur, quomodo Rom. X. dicitur : *Corde creditur ad justitiam, et ore confessio fit ad salutem* (1). Ubi habetur eadem copulativa particula, *et*, et tamen non est ejusdem necessitatis fides cordis, et confessio oris. At hoc etiam miserum est effugium. Nam in primis confessio oris, et fides cordis non referuntur ad eumdem finem, seu effectum ; fides enim cordis necessaria est ad justitiam acquirendam ; confessio oris ad salutem non amittendam. At in Baptismo, Spiritus et aqua ad eamdem regenerationem pertinent : quare loca illa non sunt similia. Præterea si non est vis facienda in copulativa, certe æquivalebit disjunctivæ : inde autem sequetur satis esse renasci ex aqua sine Spiritu, quod absurdissimum est. Quod enim Martyr dicit, Christum velle, ut renascamur ex Spiritu, gratis dicit. Si enim particula, *et*, copulative accipitur, utrumque est necessarium ; sin disjunctive, alterutrum sufficit, quodcumque illud sit.

Zwinglius in cap. I. Marc. exponit per Baptismum concionem. Joan. Brentius in cap. III Matth. totum locum Evangelii : *Nisi quis renatus fuerit ;* exponit de pœnitentia, ut sensus sit : *Nisi quis pœnitentiam egerit, non intrabit in regnum cœlorum.* Denique Joannes Wiclef, teste Thoma Waldensi tom. II. cap. 101. per aquam in loco Evangelii Joan. III. intelligit aquam illam, quæ fluxit ex Christi latere, ut sensus sit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua, quæ fluxit ex meo latere id est, ex passione mea etc.

Sed hæc et similia somnia facile refutantur. Primo, ex communi consensu Patrum supra citatorum. Cum enim hic locus tam varie exponatur ab hominibus hujus, et superioris ætatis, nihil rectius facere possunt homines prudentes, etiamsi Christiani non essent, quam appellare ad judicium antiquorum, qui ante nostras lites hunc locum exposuerunt.

Secundo, refelluntur ex communi axiomate Theologorum, quo docemur Scripturam intelligere secundum verborum proprietatem, ubi non cogimur evidenti absurdo ; alioqui possemus depravare omnia loca, etiam clarissima, si liceat pro arbitrio fingere novos sensus. Porro adversarii nullum absurdum ostendunt, quod sequatur, si hoc loco per aquam intelligamus aquam, nisi quia hinc refellitur ipsorum hæresis.

Tertio, quia si hoc loco per aquam non intelligimus aquam, difficile erit statuere, Sacramentum Baptismi constare ex aqua : quod tamen affirmant hoc tempore omnes tum Catholici, tum hæretici. Nam cætera loca Scripturæ, ubi fit mentio aquæ in Baptismo, ut Actor. VIII. et Ephes. V. probant quidem posse homines baptizari aqua, sed non probant non posse Baptizari aliis etiam liquoribus. Et præterea poterunt ea loca detorqueri ad metaphoras, non minus, quam iste. Recte igitur Concilium Tridenti-

(1) Rom. X. 10.

num sess. VII. canon. 2. anathema dicit omnibus, qui hunc locum Evangelii detorquent ad metaphoras, et non intelligunt de vera, et naturali aqua, ut verba sonant.

Secundo, probatur eadem veritas ex traditione Ecclesiæ, et Patrum : semper enim Ecclesia credidit, infantes perire, si absque Baptismo de hac vita recedant. Ac Primum habemus testimonia Conciliorum Carthaginiensis, et Milevitani apud Augustinum epist. 90. et 92. in quibus ex professo damnatur sententia eorum, qui putant parvulos salvari sine Baptismo. Quibus consonat Tridentinum Concilium sess. VI. can. 3. et sess. VII. can. 5.

Secundo, habemus testimonia Pontificum. Siricii in epist. I, ad Himericum cap. 2. et Innocentii I, epistol. 26. ad Concilium Milevitanum, qui docent parvulos omnino perire, si absque Baptismo decedant. Item Leonis I, epist. 80. alias 78. ad Episcopos Campaniæ, ubi dicit, in periculo vitæ quocumque tempore esse homines baptizandos, ne careant necessaria liberatione.

Tertio, habemus testimonia omnium fere Patrum, qui idem docent, ut Irenæi lib. III. cap. 10. Origenis in cap. VI. ad Rom. Nazianzeni orat. in sanctum lavacrum. Basilii orat. 13. de exhortatione Baptismi. Item Cypriani lib. III. epist. 8. ad Fidum. Ambrosii lib. II. de Abraham cap. ult. Hieronymi lib. III. contra Pelagianos Augustini lib. I. de Peccatorum meritis, et remiss. cap. 16. 23. 24. et 27. et epist. 28. lib. II. de origine animæ cap. 12. et lib. III. cap. 9. Prosperi lib. 2. de vocatione Gentium cap. 8. Fulgentii de fide ad Petrum cap. 30. Bernardi serm. 66. in Cantic. et Petri Cluniacensis in epist. contra Petrobrusianos, qui ex professo hoc tractat. Sed audiamus unum, aut alterum Augustini testimonium nomine aliorum lib. III. de origine animæ cap. 9 : « Noli, inquit, credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus. » Et in epist. 20. ad Hieronymum : « Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto, et contra Apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam : ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non posse. »

Tertio, probatur ratione deprompta ex fundamentis adversariorum. Nam fundamentum ipsorum est, quia filii Christianorum nascuntur liberi a reatu peccati originalis, non quidem, quod non habeant peccatum, sed quia eis non imputatur, cum sint filii sanctorum. Hoc enim fundamentum facile potest everti. Primo, quia Jacob, et Esau, filii erant optimi patris Isaac, et tamen Deus Jacob dilexit, Esau autem odio habuit, antequam aliquid boni, vel mali egissent, Rom. VIII. Non ergo filii sanctorum nascuntur sancti.

Respondet Petrus Martyr in commentario I. Corinth. VII. filios sanctorum nasci sanctos, quando sunt prædestinati : quia tamen nos ignoramus, qui sint prædestinati, ideo bene speramus de omnibus filiis sanctorum, donec illi per mala opera non prodant suam reprobationem. Inepta responsio ; Nam si res ita se habet, impertinens erit nasci ex fideli, vel infideli, et bene sperandum erit de omnibus infantibus, sæpissime enim contingit, ut filii fidelium sint reprobi, et filii infidelium prædestinati. Præterea si filii fidelium non prædestinati non nascuntur sancti, male allegat Petrus Martyr Calvinum, secutus illam promissionem Genes. XVII : *Ero Deus tuus, et seminis tui* (1).

Respondet Martyr, illam promissionem non esse universalem, sed solum habere locum in prædestinatis. At hoc gratis dicitur ; Verba enim Scripturæ absoluta sunt, neque ulla fit in toto illo capite mentio prædestinationis. Et denique promissio illa inanis redditur, si adjungenda est conditio prædestinationis : nullam enim consolationem inde capere possunt, vel parentes, vel filii, cum ignorent an sint prædestinati. Simile est si Rex diceret alicui : Do tibi hanc urbem pro te, et posteris, si tamen mihi placuerit posteris tuis illam concedere.

Secundo, David erat filius hominis fidelis, et tamen Psalm. L. dicebat : *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Et Apostolus erat filius sanctorum, ut ipse affirmat II. Corinth. XII. et tamen ait Ephes. II : *Eramus et nos natura filii iræ* (2).

Respondent : Hæc dici de corruptione naturæ, et de peccato quod revera inest, non

(1) Gen. XVII. 7. — (2) Psal. L. 7 ; Eph. II. 3.

de reatu, qui non est in filiis fidelium, cum eis peccatum non imputetur. Sed certe, esse filium iræ, apertissime sonat reatum. Filius enim iræ non est, nisi qui est obnoxius pœnæ, et vindictæ. Non autem est obnoxius pœnæ, cui peccatum non imputatur. Unde Paulus non ait: Sumus filii iræ, sed: *Eramus*, et tamen secundum adversarios, peccatum semper manet etiam post Baptismum.

Tertio, loca Apostoli Pauli de peccato originali generalia sunt, Rom. V: *In quo omnes peccaverunt.* Et II. Corinth. XV. *Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (1). Nec possunt hæc loca exponi de vitio naturæ, non de reatu: alioqui nemo haberet reatum. Nec potest dici, filios fidelium contrahere peccatum originale, sed mox dimitti eis, antequam nascantur. Nam si filii fidelium ideo sanctificantur, quia sunt filii fidelium, eodem momento incipient sancti esse, quo incipiunt simpliciter filii fidelium; at eodem momento incipiunt esse filii fidelium, quo incipiunt esse simpliciter; ergo numquam habent peccatum originale, quod est contra Paulum, et contra ipsos adversarios, qui admittunt peccatum originale, et non advertunt se pugnantia dicere.

Quarto, fundamentum adversariorum, pugnat cum axiomate omnium Patrum, imo etiam omnium Christianorum, quod est, Christianos non nasci, sed fieri; ut Hieronymus ait epist. 7. ad Lætam. Tertullianus in Apologetico cap. 17. in fine, et alii passim. Jam enim secundum Calvinum, et Martyrem Christiani nascuntur, non fiunt.

Sed argumenta ipsorum videamus. Primo objiciunt illud Genes. XVII: *Ero Deus tuus, et seminis tui post te* (2). Quod quidem dictum est Abrahæ, et ejus posteritati: sed nos per Christum successimus in posteritate Abrahæ. Christus enim solvit maceriam, quæ nos separabat a populo Dei.

Respondeo, promissionem illam, ut supra ostendimus in quæstione de differentia Sacramentorum novæ et veteris legis, ad litteram non fuisse promissionem remissionis peccatorum, sed peculiaris protectionis, et gubernationis, et terrenæ felicitatis; tamen sensu quodam mystico, fuisse etiam spirituales promissiones, et remissionis peccatorum, ac vitæ æternæ, et ad nos pertinere: sed ad nos descendere non per carnalem generationem parentum, sed per spiritualem regenerationem Christi. Nam Apostolus Rom. IV. et IX. et Galat. III. et IV. aperte docet eos esse veros Abrahæ filios, non qui sunt filii carnis, sed qui sunt filii fidei, id est, qui imitantur fidem Abrahæ. Tunc ergo incipimus secundum Apostolum esse filii Abrahæ, cum incipimus esse fideles; quod parvuli non faciunt, nisi cum baptizantur; illis enim baptizari est credere, ut dicit Augustinus lib. I. de peccatorum meritis, et remiss. cap. 27. Et præterea ratio idem docet. Nam per carnalem generationem non possumus fieri filii Abrahæ, cum parentes nostri ab Abraham non descendant, sed quia Christus vere fuit filius Abrahæ; tunc et nos incipimus esse filii Abrahæ, cum incipimus esse Christi filii, vel fratres. Id autem certum est non fieri nisi per Baptismum. Unde Joan. I: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Et Joan. III: *Oportet vos nasci denuo* (3). Vide Augustinum epist. 200, ad Asellicum.

Secundo objiciunt illud Apostoli I. Cor. VII: *Filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt?* (4)

Respondeo cum Augustino lib. III de peccatorum merit. et remiss. cap. 12. quidquid significetur per hanc filiorum sanctitatem, non posse ullo modo intelligi, quod adversarii volunt, filios fieri sanctos sine Baptismo. Nam ibidem Paulus dicit, sanctificari conjugem infidelem per fidelem, et tamen stultissimum esset credere, conjugem infidelem, sine conversione ad Deum, et Baptismo Christi posse pervenire ad remissionem peccatorum hoc solo, quod adhæret conjugi fideli.

Porro tres sunt hujus loci Patrum expositiones. Una est, sanctos hic vocari filios sanctitate quadam civili, quod videlicet legitimi, non spurii sint. Ita commentarius, qui tribuitur Ambrosio, et S. Thomas, et Anselmus in hunc locum.

Refellit Martyr hanc expositionem, quia filii essent legitimi, etiamsi uterque conjux esset infidelis: et tamen Apostolus dicit, filios nasci sanctos ex uno conjuge fideli, altero infideli; quia sanctificatur infidelis per fidelem: aliqua igitur alia sanctitas hoc loco agnoscenda est. Sed male reprehenditur

(1) Rom. V, 12; II. Cor. V, 14. — (2) Gen. XVII, 7. — (3) I Joan. I, 13; III, 3. — (4) I. Cor. VII, 14.

hæc expositio. Nam alia ratio est conjugii inter duos infideles, alia inter fidelem, et infidelem. Nam cum uterque conjux est infidelis, conjugium sine dubio est legitimum, ut civilis quidam contractus; neque de eo dubitari poterat; ut etiam non potest dubitari cum uterque est fidelis. At cum alter fidelis est, alter infidelis dubitari poterat, an conjugium esset legitimum propter religionis disparitatem: videtur enim fidelis pollui ob cohabitationem cum infideli. Ideo Apostolus monet Christianos, etiam tum Matrimonium esse legitimum, neque pollui fidelem ob cohabitationem cum infideli, sed e contrario sanctificari infidelem per fidelem; major enim vis est fidei, quam infidelitatis. Esse autem etiam in tali disparitate religionis, legitimum conjugium, probat ex eo, quod filii eorum non censentur immundi, id est, infames, et spurii, sed sancti, id est, legitimi et liberi a vili ignominia.

Altera expositio est, filios horum conjugum dici sanctos, quia consecrantur Deo ab altero conjuge fideli, et per Baptismum Christiani fiunt, et in Dei timore educantur. Hortatur enim Apostolus conjuges Christianos, ut non discedant a conjugibus infidelibus, si ipsi infideles velint cum fidelibus permanere; et rationem reddit, quia sanctificatur infidelis per fidelem, id est, vel convertitur ad fidem, vel certe est candidatus fidei, cum non abhorreat a consuetudine conjugis fidelis: inde autem sequitur, ut filii sancti sint, id est, Christiani fiant. Quod certe non fieret, si nollet infidelis cum fideli habitare, vel non sanctificaretur infidelis per fidelem; tunc enim filii sequerentur parentem infidelem, et proinde immundi, et infideles essent. Ita exposuit Tertullianus lib. II ad uxorem, et ex eo S. Hieronymus lib. I. in Jovinianum, et in epist. 153. ad Paulinum, et Augustinus lib. II de peccatorum meritis, et remiss. cap. 26. et lib. III, cap. 12. et lib. I de serm. Domini in monte cap. 27.

Carpit etiam hanc expositionem Petrus Martyr, ut suam hæresim ex hoc loco Apostoli stabilire possit. Nam sæpe accidit, ut qui ex scortatione filios suscepit, eos Christianos fieri curet, et in timore Dei enutrist, ut Augustinus ipse fecit cum filio suo Adeodato, et tamen nemo inde probaret sanctam esse conjunctionem cum scorto. Paulus autem probat sanctum esse conjugium etiam infidelis cum fideli, quia inde nascuntur filii sancti. At immerito reprehendit Martyr hanc expositionem. Nam conjunctio cum scorto, res est per se mala, et ideo non potest fieri sancta per conjunctionem fidelis, nec potest fieri laudabilis, et retinenda, etiamsi inde nascantur filii, qui Christiani fiant. Nam non sunt facienda mala, ut veniant bona, Rom. III. At conjugium etiam infidelium res est bona, et ideo potest fieri melior, si alter eorum convertatur ad fidem, et potest commendari, et suaderi perseverantia in tali conjugio, ob bonum, quod inde sequitur, ut filii Christiani fiant.

Tertia expositio est aliorum, ut referunt Augustinus, et Anselmus locis citatis, qui dicebant, sanctificari conjugem infidelem per fidelem, quia discebat servare leges conjugii, et non abuti Matrimonio. Infideles enim qui ignorant Deum, etiamsi legitime conjuncti sint, tamen sæpe abutuntur Matrimonio, neque abstinent se a copula conjugali tempore menstrui, neque semper naturalem modum servant; inde autem polluitur conjugium, et filii nascuntur immundi; a qua pollutione liberantur et parentes et filii, per hoc quod infidelis consentit habitare cum fideli, et proinde servare leges casti conjugii.

Tertium argumentum Calvini: Prophanatur Baptismus cum datur ei, qui ad Christum non pertinet, quomodo prophanatur sigillum regium, cum eo signatur falsum diploma.

Respondeo: Baptismum non prophanari, cum datur immundis, sed contra potius sanctificare, et purgare immundos. Non enim est sigillum, ut Calvinus somniat, acceptæ gratiæ, sed est instrumentum conferens gratiam, et signum gratiæ, quæ tunc datur.

Quartum argumentum: Infantes Judæorum, qui ante octavum diem moriebantur, non poterant circumcidi, et tamen non est verisimile eos periisse; igitur sine Circumcisione salvabantur. At eadem ratio est Baptismi apud Christianos, et circumcisionis apud Judæos.

Respondeo: Totum argumentum constare ex rebus incertis. Nam in primis multi veterum (ut supra diximus) negant Circumcisionem datam in remedium contra peccatum. Deinde non scimus an ante octavum diem haberent infantes Judæorum aliquod remedium, et quod illud esset. Denique non est eadem ratio Christianorum et Judæorum. Nunc enim determinatum est a Christo cer-

tum remedium, et quidem communissimum, et facillimum, præter quod non licet fingere aliud; tunc autem quid fieret, certo sciri non potest, cum Scriptura nihil dicat. Illud unum certo scimus ex divinis litteris, omnes homines nasci peccatores, nec salvari, nisi per Christi passionem certis mediis applicatam, ut Augustinus fuse docet in tribus libris de peccatorum meritis et remissione, et libris quatuor de origine animæ.

Quintum argumentum : Si Baptismus est necessarius, peribunt sine sua culpa infiniti infantes, quod alienum videtur a Dei misericordia. Hoc argumentum Petri Martyris, fuit etiam quorumdam Catholicorum, ut Cajetani, Gabrielis, et aliorum, qui non quidem docent, filios Christianorum nasci sanctos, sed tamen conantur invenire alia remedia pro parvulis, præter Baptismum.

Sed respondemus cum Augustino lib. II de bono perseverantiæ cap. 12. et Prospero lib. II de vocatione Gentium cap. 8. Dei judicia esse occulta, cur tot parvulos perire sinat; interim tamen esse justissima. Nam etiamsi parvuli sine sua culpa non baptizentur, non tamen sine sua culpa pereunt, cum habeant originale peccatum. Qui autem fingunt aliud remedium præter Baptismum, apertissime pugnant cum Evangelio, Conciliis, Patribus, atque Ecclesiæ universæ consensu. Nam ut Augustinus ait epist. 28. non alia de causa in Ecclesia festinatur, et curritur cum infantibus periclitantibus ad Baptismum, nisi quia constat nullum esse aliud remedium. Videntur autem, qui ista fingunt, non cogitare curam infantium magis ad Deum, quam ad se pertinere; et Christum cum Baptismum necessarium asseruit, Joan. III. bene scivisse, multos eo remedio sine sua culpa privandos, et facillimum esse Deo, si vellet, providere infantibus omnibus Baptismum, sicut reipsa providet omnibus electis. Quod enim Bucerus, et Martyr dicunt, infantes prædestinatos etiam sine Baptismo salvari, ineptissime dicitur, ut Augustinus ostendit lib. III de origine animæ cap. 10. Quos enim Deus prædestinavit, iis remedia ad salutem efficacissime providit. Proinde omnes, qui in infantia moriuntur, si prædestinati sint, sine dubio baptizantur, et contra si reprobi sint, non baptizantur.

CAPUT V.

Quo tempore cœperit Baptismus esse necessarius.

Quo tempore cœperit Baptismus esse necessarius, quæstio est inter Theologos. Sed quia non est controversia cum hæreticis, exponam solum paucis propositionibus, quæ mihi esse probabilior sententia videatur.

Prima propositio : « Baptismus ante passionem Domini institutus est. » Nota negari non posse, quin aliquem Baptismum Christus in usu habuerit ante passionem. Nam Joan. III et IV. dicitur Christus baptizasse per discipulos suos. Sed dubium esse potest, an ille Baptismus fuerit Sacramentum illud, quod nunc habemus, et de quo fit mentio Matth. ult. an vero fuerit præparatio quædam ad Baptismi Sacramentum postea instituendum, ut erat Baptismus Joannis. Et quidem Chrysostomus homil. 28. in Joan. et Theophylactus in cap. III Joan. aperte docent Baptismum illum, quo discipuli Christi baptizabant Joan. III. non remisisse peccatum, et fuisse in aqua tantum sine Spiritu; nec ullam fuisse differentiam inter Baptismum discipulorum Christi, et Joannis, sed utrumque fuisse præparationem ad fidem; et ideo Christum non baptizasse per se, sed per discipulos, quia non decebat eum baptizare sine Spiritu. Idem videtur sentire S. Leo epist. 4. ad episcopos Siciliæ cap. 3 : « Ipsa, inquit, operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, id est, diem Resurrectionis, in quo orta est et virtus muneris, et species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Jesus Christus, posteaquam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum præsules docebantur, et formam, et potestatem tradidit baptizandi, dicens : Euntes ergo nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse. » Hæc ille. Probabilius tamen est, quod nos diximus. Quod ex professo docent Cyrillus lib. II in Joan. cap. 57 et sequentibus, et Augustinus tractat. 13 et 15 in Joan. et epist. 108 ad Seleucianum, et Hugo de S. Victore lib. II de Sacramentis part. 6, cap. 4.

Est hæc communior Theologorum sententia, cum Magistro in IV. dist. 3. Et ratio est. Primo, quia Joan. III dicitur Christus baptizasse, cum tamen non ipse baptizaret, sed discipuli ejus, ut ibidem adjunxit Evangelista. Ergo ille baptismus erat proprie Christi Baptismus, ut distinguitur a Baptismo Joannis; alioqui non ipse, sed Joannes diceretur baptizasse eos, quos discipuli Christi baptizabant. Si autem erat proprie Christi Baptismus, necessario erat in aqua, et spiritu, non in sola aqua. Semper enim Scriptura ponit hoc discrimen inter Christum et Joannem, quod iste in aqua, ille non in sola aqua, sed etiam in Spiritu baptizaret. Nec decebat ut Christus institueret inanem cæremoniam, aut munus Joannis sibi usurparet, nimirum baptizandi in sola aqua. Adde, quod Joan. I dicitur de Christo in præsenti : *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto* (1).

Secundo probatur hoc idem, quia Actor. XIX legimus rebaptizatos, quos Joannes baptizaverat. At nusquam legimus rebaptizatos, quos discipuli Christi ante passionem ejusdem baptizaverant. Imo probabilissimum est (ut Augustin. docet in epist. 108.) Apostolos non fuisse baptizatos, nisi ante Christi passionem.

Tertio Patres communi consensu docent, Christum, cum baptizaretur in Jordane, dedisse aquis vim sanctificandi, ut patet ex Tertulliano, libro contra Judæos, cap. de passione; ex Hilario canon. 2. in Matth. Ambrosio lib. II in Luc. cap. 12. Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos; Nazianzeno in oratione in sancta Lumina; Beda in cap. III Luc. et ex aliis. At certe non habuerunt aquæ vim sanctificandi, nisi ab eo tempore, quo cœperunt esse materia Baptismi.

Denique fundamentum contrariæ sententiæ non est solidum. Solum enim adferunt Chrysostomum et Theophylactum in illud Joannis VII : *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Jesus erat glorificatus* (2). At hic locus intelligitur de plenitudine Spiritus sancti, quæ dari cœpit visibiliter in Pentecoste; alioqui enim omnes sancti habuerunt Spiritum sanctum, etiam ante Christi passionem.

(1) Joan. I, 33. — (2) Joan. VII, 39.

Secunda propositio : « Baptismus Christi institutus est, quando Dominus ipse in Jordane a Joanne baptizatus est. » Nota de hac re, id est, quo puncto temporis Christus Baptismum instituerit, esse plurimas opiniones Scholasticorum, sed communiorem, et probabiliorem esse, quam nos sequimur, quam etiam amplectitur Catechismus Concilii Tridentini, et Magister cum S. Thoma, et aliis lib. IV, dist. 3.

Nota præterea, non velle nos dicere, Christum in die sui Baptismi verbis docuisse materiam, aut formam Baptismi; id enim falsum est, sed tum primum statuisse, ac decrevisse, quod postea declaravit Joan. III, Nicodemo, et alio tempore suis discipulis; ut aqua esset materia Baptismi, et ut forma esset invocatio trium divinarum personarum. Determinavit enim aquas, ad Baptismi materiam, cum eas tactu mundissimæ carnis suæ, consecrare, et illustrare dignatus est, ut docent Patres citati. Et simul determinavit formam, cum in ejus Baptismate tota Trinitas sensibiliter apparuit, ut patet Matth. III : Christo enim baptizato aperti sunt cœli, et vox Patris intonuit; et Spiritus apparuit in specie columbæ, et Filius ipse Dei in carne assumpta præsens erat; ubi etiam simul (Hilario teste loco citato) declaratus est effectus Baptismi a Christo instituti, nimirum, quod baptizatis aperitur cœlum, et a Patre in filios adoptantur, et Spiritu sancto replentur etc.

Tertia propositio : « Baptismus Christi non fuit necessarius, necessitate medii, aut præcepti ante Christi mortem. » Probatur, quia usque ad Christi mortem lex antiqua vim suam retinuit, ut patet, quia Christus eam servavit usque ad mortem. Nam pridie quam pateretur, servavit cæremoniam agni Paschalis, et Matth. XXIII monebat homines ut servarent et facerent, quæ Scribæ et Pharisæi docebant ex cathedra Mosis; ergo etiam Circumcisio, si in remedium peccati data fuerat, usque ad Christi mortem vigebat. Non igitur toto eo tempore Baptismus Christi necessarius erat ut medium ad salutem, quandoquidem sine eo poterant homines, etiam parvuli, justificari. Quare illud Christi verbum, Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit* etc. non significat ab eo die, quo Dominus cum Nicodemo loquebatur, fuisse Baptismum necessarium, sed significat, neces-

sarium futurum fuisse in lege nova, postquam cessarent cæremoniæ legales, ut recte exponit Bernardus epist. 77. ad Hugonem. Et eodem modo exponendum est, quod ait Fulgentius lib. de fide ad Petrum. cap.3. ex quo tempore dictum est : *Nisi quis renatus fuerit*, neminem sine Baptismo posse salvari. Accipit enim nomine temporis, non illum diem, quo ea dicebantur, sed tempus legis novæ. Denique illud etiam Luc. XVI: *Lex,et Prophetæ usque ad Joannem*; non significat tunc legem cessasse, quoad vim, aut obligationem, sed quoad prædicationem : Joannes enim fuit ultimus Prophetarum. Unde subjungitur : *Ex eo regnum Dei evangelizatur*. Præterea in morte Christi cessavit efficacia cæremoniarum, et totius legis veteris, ergo cessavit etiam vis Circumcisionis; ergo usque ad illud tempus vim habuit lex vetus. Porro in morte Christi cessasse vim legis, patet ex Evangelio Matth. XXVII : *Scissum esse velum*. Et Joan. XIX : *Consummatum est*. Item ex Apostolo Rom. VII : *Mortificati estis legi per corpus Christi* (1). Item omnes fere cæremoniæ legis figuræ erant Christi. Col. II et Hebr. X. Christus autem in morte complevit opus redemptionis.

Quarta propositio : « Baptismus Christi cœpit esse necessarius necessitate medii et præcepti, a die Pentecostes. » Nota, legem veterem simpliciter cessasse in morte Christi, quia tunc cessavit universaliter ratio legis; tamen ob ignorantiam hujus rei adhuc obligasse Judæos, usque ad publicam promulgationem Evangelii : et contra legem Evangelicam et Sacramenta Christiana condita fuisse et multum profuisse etiam ante Christi mortem, tamen non habuisse vim præcepti, nisi post promulgationem solemnem, ut Concilium Tridentinum sess. VI, cap. 4. dicit de Baptismo. Et ratio est, quia promulgatio est de essentia legis, ut S. Thomas docet par. 2. quæst. XC. art 4. Promulgatio autem solemnis novæ legis facta est in die Pentecostes. Quod probatur Primo, quia, ut diximus, lex vetus viguit usque ad Christi mortem : ab eo autem tempore usque ad Pentecostem, neque Christus, neque Apostoli publice ad populum locuti sunt. Secundo, non debuit promulgari solemniter lex nova, nisi completis omnibus mysteriis redemptionis, mysteria autem completa sunt in Ascensione Christi. Tertio, lex vetus solemniter promulgata fuit in monte Sina die quinquagesimo post primum Pascha Judæorum; ergo lex nova promulgari debuit die quinquagesimo post primum Pascha Christianorum. Fuisse enim illam legis promulgationem, figuram promulgationis Evangelii, docent Augustinus epist. 119. Leo serm. 1. de Pentecoste, et alii. Quarto, concioni primæ, quam habuit S. Petrus Act. II ipso die Pentecostes, conveniunt omnes conditiones promulgationis solemnis. Nam habita est in urbe Regia Hierosolymorum, præsentibus omnibus hominibus omnium nationum, ut Lucas testatur, a summo Præcone Evangelii, qui erat Apostolus Petrus, et in ea concione comprehensa sunt præcipua capita totius doctrinæ Evangelicæ. Denique continuo etiam cœpit usus Sacramentorum.

(1) Joan. III, 3; Luc. XVI, 16; Matth. XXVII, 51; Joan. XIX, 30; Rom. VII, 4.

CAPUT VI.

De Baptismo sanguinis et flaminis.

Quod attinet ad Postremam partem disputationis de necessitate Baptismi, quæstio est, an Baptismus aquæ suppleri possit per Martyrium, tam in parvulis, quam in adultis; et per veram cordis conversionem in adultis.

Mart. Kemnitius in 2. par. Ex. p.90,91 et92 admittit hæc tria Baptismata, ac dicit, ab antiquis venuste distincta esse tria Baptismata, sanguinis, flaminis et fluminis. Sed dissentit a Catholicis in modo explicandi : non enim vult Martyrium aut Pœnitentiam remittere peccata, ut facit Baptismus aquæ, sed solam fidem, quæ tempore Martyrii et Pœnitentiæ, apprehendit Christum, esse eam quæ justificat. Illyricus quoque Centur. V, cap. 4. col. 517. dicit, Prosperum contra verbum Dei, et cum magna injuria Baptismi æquasse Martyrium Baptismo. Sed Illyricus non adfert argumenta : Kemnitius autem probat, quia Martyrium et Pœnitentia sunt opera nostra; absurdum autem, et impium est, opera nostra æquare sanguini Christi et virtuti Baptismi. Confirmat ex Augustino, qui lib. IV contra Donatistas, cap. 22. dicit, bonum latronem, qui cum Christo pendebat in cruce, non passione sua obtinuisse remissionem peccatorum, sed ex fide apprehendente Christum, cujus contrarium docuerat Cyprianus, sed cum Augustinus loco notato refutavit.

Hæc sententia Kemnitii non solum est falsa, sed etiam secum ipsa pugnat, et mendaciis suis non caret. Nam cum idem Kemnitius passim doceat cum Magistro suo Luthero, in ipso etiam Baptismo aquæ solam fidem justificare; an non aperte secum pugnat cum dicit, Martyrium et Pœnitentiam non remittere peccatum, eo modo, quo Baptismus, quia in eis sola fides justificat? Mendacia vero duo sunt in hac sententia Kemnitii. Primum, cum ait Augustinum asserere bonum latronem sola fide Christum apprehendente justificatum. Non enim hoc Augustinus dicit; sed bonum latronem fide et conversione cordis ad Deum justificatum esse. Secundo, cum ait, ab Augustino refutari Cyprianum, qui crediderat Martyrium justificare, eo modo, quo facit Baptismus. Id enim est impudens mendacium. Augustinus enim non modo non refutat, sed etiam laudat Cypriani sententiam. Sic enim ait : « Baptismi sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est : Hodie mecum eris in Paradiso, non leve documentum idem B. Cyprianus assumit. » Hæc ille. Docet quidem paulo infra Augustinus, latronem illum non posse dici Martyrem, nec salvatum Baptismo sanguinis, sed Baptismo flaminis, sed hoc dicit ad confirmandam Cypriani sententiam; si enim Baptismus flaminis justificat, multo magis Baptismus sanguinis, ut Cyprianus dixerat. Ut autem res tota explicetur, ponam aliquot propositiones.

Prima propositio : « Martyrium recte dicitur et est quoddam Baptisma. » Probatur hæc propositio duplici ratione. Primo, quia Scriptura divina et sancti Patres Martyrium Baptisma nominare solent, Marci X : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Et quomodo coarctor, donec perficiam illud?* (1) Idem etiam Patres passim docent. Tertullianus in lib. de Baptismo, de Martyrio loquens : « Hic, inquit, est Baptismus qui lavacrum regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit. » Prosper in epigrammatis :

Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri.
Id totum implevit gloria Martyrii.

Cyprianus præfatione lib. de exhortatione Martyrii, dicit Martyrium esse Baptismum, et quidem Baptismo aquæ præstantiorem. Ambrosius in Psalm. CXVIII, serm. 3. tria Baptismata distinguit, unum aquæ, alterum sanguinis, tertium purgatorii in alia vita. Hieronymus in cap. IV ad Ephes. in illud : *Unum Baptisma*, distinguit Baptismum aquæ, a Baptismo Martyrii. Augustinus lib. XIII de Civit. Dei, cap. 7. epist. 108. ad Seleucianum lib. I de origine animæ cap. 9. lib. IV de Baptismo cap. 21 et 22. Cyrillus catechesi 3. ponit etiam duo ista Baptismata, ut faciunt quoque Nazianzenus, orat. in sancta lumina. Damascenus lib. IV, cap. 10. Bernardus in epist. 77. et Hugo de sancto Victore lib. II de Sacramentis part. 6. cap. 7.

Altera ratio est, quia Martyrium convenit cum Baptismo aquæ in tribus effectibus; nimirum, quod Primo configurat hominem Christi passioni et morti. Secundo remittit peccatum originale, et reliqua omnia, si quæ sint admissa. Tertio, quod remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quam temporalem : quod inter Sacramenta proprium est solius Baptismi.

Hic tamen Observandum est, non esse hæc omnia æque certa. Ac primum certum est, quod Martyrium sit configuratio mortis Domini, ut notum est, et configuratio nobilior, quam Baptismi aquæ; quia illa est realis, hæc Sacramentalis. Item certum est apud omnes, quod remittat omnem pœnam, ita ut Martyres continuo perveniant ad coronam. Id quod patet vel ex eo, quod Ecclesia numquam orat pro animabus Martyrum, sed illis potius se commendat : « Injuriam, » inquit Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli, et Innocentius cap. cum Marthæ, extra, de celebratione Missarum, « facit Martyri, qui orat pro Martyre. » Unde Cyprianus lib. IV, epist. 2. ad Antonianum conferens Martyres cum aliis Christianis morientibus : « Aliud, inquit, est ad venium stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione

(1) Marc. X, 38; Luc. XII, 50.

sarium futurum fuisse in lege nova, postquam cessarent cæremoniæ legales, ut recte exponit Bernardus epist. 77. ad Hugonem. Et eodem modo exponendum est, quod ait Fulgentius lib. de fide ad Petrum. cap.3. ex quo tempore dictum est : *Nisi quis renatus fuerit*, neminem sine Baptismo posse salvari. Accipit enim nomine temporis, non illum diem, quo ea dicebantur, sed tempus legis novæ. Denique illud etiam Luc. XVI: *Lex,et Prophetæ usque ad Joannem*; non significat tunc legem cessasse, quoad vim, aut obligationem, sed quoad prædicationem : Joannes enim fuit ultimus Prophetarum. Unde subjungitur : *Ex eo regnum Dei evangelizatur*. Præterea in morte Christi cessavit efficacia cæremoniarum, et totius legis veteris, ergo cessavit etiam vis Circumcisionis; ergo usque ad illud tempus vim habuit lex vetus. Porro in morte Christi cessasse vim legis, patet ex Evangelio Matth. XXVII : *Scissum esse velum*. Et Joan. XIX : *Consummatum est*. Item ex Apostolo Rom. VII : *Mortificati estis legi per corpus Christi* (1). Item omnes fere cæremoniæ legis figuræ erant Christi. Col. II et Hebr. X. Christus autem in morte complevit opus redemptionis.

Quarta propositio : « Baptismus Christi cœpit esse necessarius necessitate medii et præcepti, a die Pentecostes. » Nota, legem veterem simpliciter cessasse in morte Christi, quia tunc cessavit universaliter ratio legis; tamen ob ignorantiam hujus rei adhuc obligasse Judæos, usque ad publicam promulgationem Evangelii : et contra legem Evangelicam et Sacramenta Christiana condita fuisse et multum profuisse etiam ante Christi mortem, tamen non habuisse vim præcepti, nisi post promulgationem solemnem, ut Concilium Tridentinum sess. VI, cap. 4. dicit de Baptismo. Et ratio est, quia promulgatio est de essentia legis, ut S. Thomas docet par. 2. quæst. XC. art 4. Promulgatio autem solemnis novæ legis facta est in die Pentecostes. Quod probatur Primo, quia, ut diximus, lex vetus viguit usque ad Christi mortem : ab eo autem tempore usque ad Pentecostem, neque Christus, neque Apostoli publice ad populum locuti sunt. Secundo, non debuit promulgari solemniter lex nova, nisi completis omnibus mysteriis redemptionis, mysteria autem completa sunt in Ascensione Christi. Tertio, lex vetus solemniter promulgata fuit in monte Sina die quinquagesimo post primum Pascha Judæorum; ergo lex nova promulgari debuit die quinquagesimo post primum Pascha Christianorum. Fuisse enim illam legis promulgationem, figuram promulgationis Evangelii, docent Augustinus epist. 119. Leo serm. 1. de Pentecoste, et alii. Quarto, concioni primæ, quam habuit S. Petrus Act. II ipso die Pentecostes, conveniunt omnes conditiones promulgationis solemnis. Nam habita est in urbe Regia Hierosolymorum, præsentibus omnibus hominibus omnium nationum, ut Lucas testatur, a summo Præcone Evangelii, qui erat Apostolus Petrus, et in ea concione comprehensa sunt præcipua capita totius doctrinæ Evangelicæ. Denique continuo etiam cœpit usus Sacramentorum.

(1) Joan. III, 3; Luc. XVI, 16; Matth. XXVII, 51; Joan. XIX, 30; Rom. VII, 4.

CAPUT VI.

De Baptismo sanguinis et flaminis.

Quod attinet ad Postremam partem disputationis de necessitate Baptismi, quæstio est, an Baptismus aquæ suppleri possit per Martyrium, tam in parvulis, quam in adultis; et per veram cordis conversionem in adultis.

Mart. Kemnitius in 2. par. Ex. p.90,91 et92 admittit hæc tria Baptismata, ac dicit, ab antiquis venuste distincta esse tria Baptismata, sanguinis, flaminis et fluminis. Sed dissentit a Catholicis in modo explicandi : non enim vult Martyrium aut Pœnitentiam remittere peccata, ut facit Baptismus aquæ, sed solam fidem, quæ tempore Martyrii et Pœnitentiæ, apprehendit Christum, esse eam quæ justificat. Illyricus quoque Centur. V, cap. 4. col. 517. dicit, Prosperum contra verbum Dei, et cum magna injuria Baptismi æquasse Martyrium Baptismo. Sed Illyricus non adfert argumenta : Kemnitius autem probat, quia Martyrium et Pœnitentia sunt opera nostra; absurdum autem, et impium est, opera nostra æquare sanguini Christi et virtuti Baptismi. Confirmat ex Augustino, qui lib. IV contra Donatistas, cap. 22. dicit, bonum latronem, qui cum Christo pendebat in cruce, non passione sua obtinuisse remissionem peccatorum, sed ex fide apprehendente Christum, cujus contrarium docuerat Cyprianus, sed cum Augustinus loco notato refutavit.

Hæc sententia Kemnitii non solum est falsa, sed etiam secum ipsa pugnat, et mendaciis suis non caret. Nam cum idem Kemnitius passim doceat cum Magistro suo Luthero, in ipso etiam Baptismo aquæ solam fidem justificare; an non aperte secum pugnat cum dicit, Martyrium et Pœnitentiam non remittere peccatum, eo modo, quo Baptismus, quia in eis sola fides justificat? Mendacia vero duo sunt in hac sententia Kemnitii. Primum, cum ait Augustinum asserere bonum latronem sola fide Christum apprehendente justificatum. Non enim hoc Augustinus dicit; sed bonum latronem fide et conversione cordis ad Deum justificatum esse. Secundo, cum ait, ab Augustino refutari Cyprianum, qui crediderat Martyrium justificare, eo modo, quo facit Baptismus. Id enim est impudens mendacium. Augustinus enim non modo non refutat, sed etiam laudat Cypriani sententiam. Sic enim ait : « Baptismi sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est : Hodie mecum eris in Paradiso, non leve documentum idem B. Cyprianus assumit. » Hæc ille. Docet quidem paulo infra Augustinus, latronem illum non posse dici Martyrem, nec salvatum Baptismo sanguinis, sed Baptismo flaminis, sed hoc dicit ad confirmandam Cypriani sententiam; si enim Baptismus flaminis justificat, multo magis Baptismus sanguinis, ut Cyprianus dixerat. Ut autem res tota explicetur, ponam aliquot propositiones.

Prima propositio : « Martyrium recte dicitur et est quoddam Baptisma. » Probatur hæc propositio duplici ratione. Primo, quia Scriptura divina et sancti Patres Martyrium Baptisma nominare solent, Marci X : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Et quomodo coarctor, donec perficiam illud?* (1) Idem etiam Patres passim docent. Tertullianus in lib. de Baptismo, de Martyrio loquens : « Hic, inquit, est Baptismus qui lavacrum regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit. » Prosper in epigrammatis :

Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri.
Id totum implevit gloria Martyrii.

Cyprianus præfatione lib. de exhortatione Martyrii, dicit Martyrium esse Baptismum, et quidem Baptismo aquæ præstantiorem. Ambrosius in Psalm. CXVIII, serm. 3. tria Baptismata distinguit, unum aquæ, alterum sanguinis, tertium purgatorii in alia vita. Hieronymus in cap. IV ad Ephes. in illud : *Unum Baptisma*, distinguit Baptismum aquæ, a Baptismo Martyrii. Augustinus lib. XIII de Civit. Dei, cap. 7. epist. 108. ad Seleucianum lib. I de origine animæ cap. 9. lib. IV de Baptismo cap. 21 et 22. Cyrillus catechesi 3. ponit etiam duo ista Baptismata, ut faciunt quoque Nazianzenus, orat. in sancta lumina. Damascenus lib. IV, cap. 10. Bernardus in epist. 77. et Hugo de sancto Victore lib. II de Sacramentis part. 6. cap. 7.

Altera ratio est, quia Martyrium convenit cum Baptismo aquæ in tribus effectibus; nimirum, quod Primo configurat hominem Christi passioni et morti. Secundo remittit peccatum originale, et reliqua omnia, si quæ sint admissa. Tertio, quod remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quam temporalem : quod inter Sacramenta proprium est solius Baptismi.

Hic tamen Observandum est, non esse hæc omnia æque certa. Ac primum certum est, quod Martyrium sit configuratio mortis Domini, ut notum est, et configuratio nobilior, quam Baptismi aquæ; quia illa est realis, hæc Sacramentalis. Item certum est apud omnes, quod remittat omnem pœnam, ita ut Martyres continuo perveniant ad coronam. Id quod patet vel ex eo, quod Ecclesia numquam orat pro animabus Martyrum, sed illis potius se commendat : « Injuriam, » inquit Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli, et Innocentius cap. cum Marthæ, extra, de celebratione Missarum, « facit Martyri, qui orat pro Martyre. » Unde Cyprianus lib. IV, epist. 2. ad Antonianum conferens Martyres cum aliis Christianis morientibus : « Aliud, inquit, est ad venium stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione

(1) Marc. X, 38; Luc. XII, 50.

purgasse, aliud denique pendere die judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari. »

De Secundo effectu est major difficultas. Nam non desunt Theologi, ut Dominicus a Soto, et Martinus Ledesmius in IV. dist. 3. quæst. un. art. 11. qui docent, Martyrium non dare gratiam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, nec dare ullum gradum gratiæ, præter eum, qui respondet merito charitatis ipsius Martyris. Martyrium enim sine charitate susceptum nihil prodest, ut Paulus ait I. Corinth. XIII. Qui autem est in charitate, sine dubio est in gratia. Unde etiam credimus, omnes veros Martyres habuisse veram, imo etiam summam charitatem, antequam Martyrium subirent, juxta illud Joan. XV : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut quis ponat animam suam pro amicis suis* (1).

Probabilior sententia est Martyrium ex opere operato conferre primam gratiam, ita ut si quis ad Martyrium accedat adhuc in peccatis existens, tamen sine affectu ad aliquod peccatum, et cum fide et dilectione inchoata, et pœnitentia saltem imperfecta, qualis requiritur etiam ante Baptismum aquæ, is virtute Martyrii ex opere operato justificabitur et salvabitur. Ita docet expresse S. Thomas in IV. dis. 4. quæst. 3. art. 3. ad 1. et quæst. 4. tota, et Joannes Major, Gabr. et alii eadem dist. 4. lib. IV. et probatur Primo ex Martyrio infantium : constat enim infantes pro Christo occisos non solum salvari, sed etiam haberi ab Ecclesia in numero Martyrum, ut patet de festo sanctorum Innocentium, cujus meminit Bernardus in serm. de Innocent. et ante eum Augustinus lib. III de libero arbit. cap. 23. et epist. 28. ad Hieronymum, et ante Augustinum, Origenes hom. 3. in diversos Evangelii locos, et Cyprianus lib. IV, epist. 6. ad Tibaritanos. At parvuli nihil operari possunt, et peccatores sunt antequam baptizentur Baptismo aquæ vel sanguinis.

Respondent quidam, eos Innocentes fuisse circumcisos, proinde ante Martyrium justificatos. Sed hoc nihil est. Nam incertum est an fuerint illi omnes circumcisi; imo probabilissimum est et fere certum, non fuisse omnes circumcisos. Nam occidit Herodes omnes pueros, qui erant in Bethlehem et finibus ejus, nec jussit filios tantum Judæorum, sed omnes omnino occidi : fortasse autem non pauci erant Gentiles inter eos. Præterea jussit occidi a bimatu et infra omnes infantes; proinde eos etiam, qui nondum pervenerant ad octavum diem, quo solo poterant circumcidi. Denique non est de fide, circumcisionem justificasse, et tamen Ecclesia absolute omnes illos infantes certo credit esse salvos. Præterea Ecclesia eos innocentes non solum ut salvos, sed etiam ut Martyres honorat; ergo passio pro Christo suscepta aliquid eis contulit ex opere operato. Neque valet quod Sotus respondet, esse hoc privilegium parvulorum : id enim sine ullo fundamento asseritur. Si enim Martyrium ex opere operato infantibus prodest, cur non adultis? certe non minus est Martyrium, nec minus potens et efficax adultorum, quam infantium, sed contra potius, nobilius et efficacius.

Secundo probatur ratione S. Thomæ. Nam gratia, quæ datur Martyri, remissionis omnium pœnarum, non potest esse ex opere operantis, nam vel esset ex ipsa tolerantia pœnæ; vel ex fervore charitatis. Non tolerantia pœnæ, quia multi Martyres fuerunt antea homines scelestissimi, qui millies mortem promeriti fuerant, et sine dubio non erat sufficiens satisfactio mors quædam levissima, ut per capitis abscissionem; et tamen si vere sint Martyres, dimittuntur eis omnes pœnæ. Multi etiam Confessores, plura sæpe patiuntur, quam Martyres, et tamen non semper eis dimittitur tota pœna. Non etiam id potest tribui merito charitatis : multi etiam sancti Confessores majorem habuerunt charitatem multis Martyribus, et tamen non habuerunt indulgentiam omnium pœnarum : Martyres autem etiamsi non haberent nisi unum gradum Charitatis, tamen hoc ipso quod sunt Martyres, habent indulgentiam omnium pœnarum. Fatendum est igitur, Martyrium ex opere operato, id est, ex pacto et institutione Christi conferre gratiam. Quod si Martyrium ex opere operato confert gratiam, certe poterit etiam primam gratiam conferre : id enim solum obstare videbatur, quod non haberet vim ex opere operato.

Tertio Ecclesia, ut aliquem colat ut S. Martyrem, numquam examinat, an antea fuerit in gratia, sed indifferenter omnes honorat, quos constat pro Christo occisos in

(1) Joan. XV, 13.

confessione veræ fidei, et unitate Ecclesiæ. Hæretici enim, et schismatici Martyres esse non possunt, cum ponant obicem gratiæ Dei per peccatum infidelitatis et schismatis, in quo actu perseverant.

Quarto, si Martyrium non conferret primam gratiam ex opere operato, sed tantum ex fervore charitatis operaretur, non vere distingueretur Baptismus sanguinis a Baptismo flaminis, sed utrumque esset Baptisma flaminis, cum utrumque consisteret in interna conversione, et motione animi in Deum. At revera Baptismus sanguinis distinguitur a Baptismo flaminis, quia ipsa sanguinis effusio supplet Baptismum in Martyrio; in Baptismo autem flaminis sola interna conversio; et aspiratio Spiritus sancti.

Quinto sit aliquis, qui comprehensus in persecutione malit mori, quam Christum negare, et reipsa moriatur; et tamen non habuerit ante ipsum Martyrium veram contritionem, sed solum attritionem quamdam suorum peccatorum; et denique non habuerit majorem dispositionem, quam eam, quæ necessaria est ad Baptismum aquæ. Aut justificabitur iste, et salvabitur, aut non : si sic, ergo Martyrium ex opere operato dat primam gratiam; neque enim iste aliquid mereri potuit ante ipsum Martyrium, cum non esset justus : si non; ergo Baptismus sanguinis non supplet Baptismum aquæ; iste enim vere baptizatur in suo sanguine, et vere Martyr est, cum pro vera fide moriatur; fatendum est igitur eum ex opere operato justificari.

Sexto et ultimo videtur omnino hæc sententia Patrum. Cyprianus in epist. ad Jubaianum : « Numquid potest, inquit, vis Baptismi esse major, aut potior, quam confessio, quam passio? » Item Augustinus lib. XIII de Civitat. Dei cap. 7 : « Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriantur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. » Hæc illi. At falsa hæc erunt, si Baptismus primam gratiam confert, et peccata etiam quoad culpam dimittit; Martyrium autem neutrum facere potest : sic enim erit longe major virtus Baptismi aquæ, quam Baptismi sanguinis, cujus contrarium Patres docent.

Ad argumentum, quod contra fieri solet, ex I. Cor. XIII : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et Joan. XV : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (1). Respondeo, hæc loca non concludere, oportere Martyrem ante ipsum Martyrium habere veram charitatem, et proinde esse justificatum. Nam prior locus non requirit, ut charitas præcedat, sed ut comitetur reliqua bona; sine charitate enim nihil sufficit ad salutem. Et hoc est verissimum : nam etiam Martyrium nihil prodesset, si Martyr de hac vita decederet sine charitate. Sed non potest decedere sine charitate, cum vi ipsius Martyrii, ex pacto et privilegio Dei infundatur gratia, et proinde charitas. Quod autem non sit necesse propter hunc locum Pauli, charitatem præcedere, saltem tempore, ipsum Martyrium, patet, quia ibidem Paulus dicit, sine charitate non prodesse fidem et scientiam; et tamen ordinarie prior est fides, et sæpe etiam scientia in homine, quam charitas : et tamen si fides, et scientia semper maneant sine charitate, non salvant hominem, ut recte Apostolus dixit. Adde, quod id, quod dicit Apostolus de Martyrio, dicere possumus etiam de Baptismo : qui enim habet Baptismum, si non habeat charitatem, non salvatur; et tamen nemo negat Baptismum dare primam gratiam.

Alter locus docet, summam esse charitatem ex parte operis, ponere vitam pro amico, quia non habet aliquid majus homo, quod det pro amico, quam vitam : tamen non docet hic locus, omnem qui dat vitam pro amico, habere summam charitatem quoad habitum, vel actum internum, ut notum est; cum multi qui non dederunt vitam, habuerint majorem charitatem iis, qui dederunt, ut patet de B. Virgine, de S. Joanne Evangelista, et aliis. Præterea etiamsi qui vitam ponit pro Christi amore, habet sine dubio magnam et veram charitatem, ut hic locus Evangelii docet, et tales videntur fuisse Martyres plurimi : tamen potest etiam fieri, ut aliquis nondum plene justificatus, raptus ad Martyrium, vitam ponere decreverit, non tam propter Dei charitatem, quam nondum habet, quam metu gehennæ, vel spe cœlestis præmii : certe de tali non potest dici, quod habeat veram charitatem; et tamen bene facit ponendo vitam in confessione Christi, et Martyr est, id est, testis ve-

(1) I. Cor. XIII, 3; Joan. XV, 13.

ritatis. Ac de ejusmodi dicimus, remitti illis peccata, et infundi gratiam ex opere operato Martyrii.

Secunda propositio : « Perfecta Conversio, ac Pœnitentia recte Baptismus flaminis dicitur, et Baptismum aquæ saltem in necessitate supplet. » Nota, Baptismum flaminis non dici, quamlibet conversionem, sed perfectam, quæ includit veram contritionem, et charitatem, et simul etiam desiderium, seu votum Baptismi.

Nota secundo, non fuisse apud veteres tam certam hanc propositionem, ut erat superior. Nam de Martyrio nullus veterum, quod sciam, negavit eo suppleri Baptismum aquæ : at de conversione, et pœnitentia, non desunt, qui id negaverint. Nam liber, qui inscribitur de Ecclesiasticis dogmatibus, qui falso tribuitur Augustino, c. 74. aperte dicit, Catechumenum non salvari, etiamsi in bonis operibus vixerit, nisi baptismo aquæ, aut sanguinis purgatus fuerit. Tempore etiam S. Bernardi fuisse, qui idem sentirent, patet ex epistola ejus 77.

At sine dubio credendum est, veram conversionem supplere Baptismum aquæ, cum non ex contemptu, sed ex necessitate sine Baptismo aquæ aliqui decedunt. Id enim expresse habetur Ezech. XVIII : *Si impius egerit pœnitentiam a peccatis suis, iniquitatum ejus non recordabor amplius* (1). Idem aperte docet Ambrosius oratione de obitu Valentin. junioris : « Quem eram, inquit, regeneraturus, amisi ; sed ille gratiam, quam speraverat, non amisit. » Idem Augustinus lib. IV de Baptismo, c. 22. et Bernardus ep. 77. et post eos Innocentius III, c. Apostolicam, de presbytero non baptizato. Unde etiam Concilium Trident. sess. VI, cap. 4. Baptismum dicit esse necessarium in re vel in voto. Denique vera conversio convenit cum Martyrio, et cum Baptismo aquæ, in nomine Baptismi, et in effectibus duobus ; ergo credibile est convenire etiam in alio effectu, qui est dimittere culpam, et justificare hominem, et eo modo supplere Baptismum aquæ. Antecedens probatur. Ac primum de nomine Baptismi, legimus Marc. I et Luc. III : *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et I. Corinth. XV : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Non enim ulla dari potest huic loco aptior expositio, quam si per Baptismum intelligamus opera pœnitentiæ, et afflictionis, quæ viventes suscipiunt pro animabus defunctorum. Præterea pœnitentia configurat hominem Christi passioni, ut facit Martyrium, licet non tam perfecte, quam facit Martyrium : dimittit etiam totam pœnam perfecta conversio, ut fuit in conversione Mariæ Magdalenæ, boni latronis, et aliorum. Neque enim dicitur Baptismus flaminis absolute, et simpliciter, interna conversio, nisi quando est ita perfecta, et fervens, ut omnem rubiginem peccati tollat. Alioqui enim, si non tollat totam pœnam, ut plerumque fit, non est Baptismus, nisi imperfecte.

Tertia propositio : « Tam Martyrium, quam Pœnitentia peccata remittunt ; non autem sola fides, qua Martyres, aut Pœnitentes Christum apprehendunt. » Hæc est contra Kemnitium, et probatur Scripturis, Patribus, et ratione. Primo Scripturæ ipsi passioni, et pœnitentiæ tribuunt remissionem peccatorum, Matth. X et XVI : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Marc. VIII et Luc. IX : *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.* Ezech. XVIII : *Cum averterit se impius ab impietate sua, et fecerit justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Et Luc. VII Magdalenæ dicitur : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (2). Secundo, Patres supra citati numquam soli fidei, sed ipsi passioni, aut pœnitentiæ, et desiderio Baptismi tribuunt justificationem. Tertio, si sola fides operaretur in Martyrio, et Pœnitentia, non essent tria Baptismata, sed duo, vel potius unum tantum : proinde non recte diceret Kemnitius tria Baptismata venuste a Patribus distincta. Quod si dicat esse tria Baptismata, quia sunt tria instrumenta excitandæ fidei ; dicam ego esse multo plura, quia multo plura sunt instrumenta excitandæ fidei, ut patet.

Neque argumentum Kemnitii concludit. Nam non æquamus opera nostra virtuti Baptismi, aut Christi sanguini, cum dicimus, per Martyrium, et Pœnitentiam remitti peccata, et suppleri Baptismum : sed æquamus Dei gratiam, Dei gratiæ, et Christi pactum, et institutionem, Christi pacto, et institutioni. Nam ut in Baptismo aquæ, quod præcipue operatur, est institutio divina, et gratia ; ita etiam in Martyrio, et Pœnitentia : non enim passio Martyrum ex se vim habet justificandi, sed ex pacto, et promissione Christi. Similiter pœnitentia, et conversio, est solum dispositio quædam, ad quam ex pacto, et promissione Dei sequitur justificatio. Adde, quod nec ipsa dispositio est præcipuum opus nostrum, sed Dei, qui primo inspirat pœnitentiam, et amorem Martyrii, et postea juvat ad perficiendum.

(1) Ezech. XVIII, 21 et 22. — (2) Matth. X, 39; XVI, 25; Marc. VIII, 35; Luc IX, 24; Ezech. XVIII, 27; Luc. VII, 48.

Quarta propositio : « Martyrium, et Conversio ad Deum, licet Baptismata quædam sint, non sunt tamen Sacramenta. » Probatur primo, quia non habent essentiam Sacramenti : Nam in Martyrio non est ulla forma verborum de essentia ; in conversione, neque est forma verborum, neque signum externum sensibile, quod necessario requiratur. Secundo, Sacramenta sunt remedia contra peccatum ordinaria, et omni tempore convenientia. At Martyrium non est ordinarium remedium, nec omni tempore potest haberi. Tertio, Sacramenta sunt causa gratiæ, ut actiones Dei per suos ministros : at Martyris occisio non est actio Dei per suum ministrum, sed actio Diaboli per suum satellitem ; ut autem est passio concurrit ad justificationem dispositive tantum, ut etiam Conversio in Baptismo flaminis : atque ita diverso modo justificant ex opere operato Sacramenta et Martyrium. Ibi enim opus operatum est causa activa instrumentalis gratiæ, hic solum est dispositio.

CAPUT VII.

De ministro Baptismi.

Sequitur quinta controversia de causa efficiente ministeriali ; de qua re, una solum quæstio est, utrum scilicet laici possint baptizare. Novam enim hæresim Calvinus excogitavit, lib. IV Instit. c. 15, §. 20, 21 et 22. ubi docet, nec in extrema quidem necessitate licere baptizare iis, qui non sunt ordinarii Ecclesiæ ministri ad hoc ipsum vocati, et ordinati : quod etiam repetit in Antidoto Concilii Tridentini, sess. VII, can. 10. de Sacramentis in genere. Utrum autem existimet Baptismum non esse ratum, si a laico detur, an tantum non licere sine peccato laicis baptizare, non satis aperte explicat.

Porro Catholici Doctores communi consensu, sex pronuntiata affirmant. Primo, jus baptizandi ex officio ordinario convenire solis Sacerdotibus, id est, Episcopis, et Presbyteris, sic tamen, ut Presbyteris conveniat cum subordinatione, et dependentia ab Episcopis. Quemadmodum enim potestas absolvendi a peccatis datur Presbyteris, in sua ordinatione, et tamen, quia absolvere a peccatis est actus jurisdictionis, quæ est Episcoporum propria, ideo Presbyteri non possunt uti ea potestate, nisi quantum eis Episcopi concedunt : ita quoque de potestate baptizandi sentiendum est. Hinc conciliari possunt testimonia quædam auctorum, quæ alioqui contraria videri possunt. Quidam enim simpliciter affirmant officium baptizandi ad presbyteros pertinere, ut Isidorus lib. II de offic. divin. c. 24. Alii dicunt Presbyteros baptizare non posse sine Episcopi facultate ut Tertullianus lib. de Baptismo, et Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

Secundo docent, Diaconis quoque ex officio convenire baptizare, sed in absentia Sacerdotum, aut eorum jusso. Ita docent iidem auctores, Tertullianus et Hieronymus. Neque his repugnant Ignatius in epistol. ad Heronem, et Epiphanius hæresi 79. qui negant Diaconis convenire munus baptizandi, et proprium id esse dicunt Sacerdotum. Nam loquuntur Epiphanius, et Ignatius de ordinario officio, Tertullianus, et Hieronymus de extraordinario, et utrique recte dicunt : ordinarie siquidem ad solos Sacerdotes pertinet baptizare, extraordinarie etiam ad Diaconos. Quod etiam habet Gelasius in epistol. I, c. 9. et exprimitur in ipsa ordinatione Diaconorum.

Tertio Catholici docent, numquam licere laicis solemniter baptizare, neque etiam privatim præsente Sacerdote, aut Diacono, aut iis etiam absentibus, extra casum necessitatis. Docet hoc Augustinus lib. II contra epistol. Parmenian. cap. 13. et rationem reddit, quia nemini licet usurpare alterius officium.

Quarto docent, laicis baptizatis licere in casu necessitatis baptizare. De hoc enim numquam in Ecclesia dubitatum invenio : unde nova est, et inaudita Calvini hæresis.

Quinto docent etiam, non baptizatis in casu necessitatis licere Baptismum dare, si sciant ritum. De hoc tamen veteres dubii

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuisse videntur. Nam Tertullianus in lib. de Baptismo reddit causam, cur liceat laicis baptizare. « Quia, inquit, quod ex æquo ab omnibus accipitur, ex æquo ab omnibus dari potest. » Et Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Tertullianum imitatus, inquit: « Scimus etiam licere laicis, ut enim accipit quis, ita et dare potest. » Et Concilium Eliberitanum, can. 38. dicit, laicos posse baptizare, modo sint ipsi baptizati, et non bigami. Augustinus similiter dubius fuit. Nam lib. II contra epist. Parmeniani c. 13. proponit quæstionem, an non baptizatus possit baptizare, et dicit se non audere rem determinare, cum in nullo generali Concilio res definita sit. Idem etiam habet lib. VII de Baptismo cap. 53. Denique Gregorius II, in epist. ad Bonifacium, et habetur etiam apud Gratianum can. Quos a paganis, de consec. dist. 4. jubet rebaptizari a paganis baptizatos.

Cæterum res jam definita est in Concilio generali, ut Augustinus cupiebat. Nam in Florentino Concilio habetur, in casu necessitatis licere laico, seu viro, seu fœminæ, seu Christiano, seu pagano baptizare, modo adsint materia, forma, et intentio debita. Quod idem multo antea statuerat Nicolaus Papa, ut habetur can. A quodam Judæo, de consecrat. dist. 4. et idem habetur ibidem, can. Romanus. Et ratio idem suadet. Nam cum non requiratur in ministro Baptismi fides, aut probitas, aut ordinatio, ut notum est, nulla est ratio, cur non sit verum Baptisma, quod a Pagano aut Judæo confertur, si adsint ea, quæ necessaria sunt ad Baptismi essentiam.

Adde, quod nullum testimoniorum contra prolatorum convincit, non licere Baptismum a non baptizato accipere. Nam Gregorius II, non tam creditur jussisse rebaptizari a pagano baptizatos, propter vitium ministri, quam propter vitium formæ Sacramentalis, quam illi pagani, et imperiti forte non tenebant. Augustinus autem etsi dubius fuit, tamen paratus erat generali Concilio acquiescere. Et præterea lib. VII de Baptismo cap. 53. aperte dicit, si sententia ipsius quæratur, se responsurum, Baptismum esse ratum a quoque, et ubicumque traditum, modo verbis Evangelicis consecratum. Eliberitanum Concilium asserit, quod erat certum, laicum baptizatum licite baptizare : non autem negavit expresse contrarium, sed reliquit sub dubio. Denique Tertullianus, et Hieronymus id solum forte dicere voluerunt, Baptisma ab omnibus posse dari, ut ab omnibus accipitur, id est, quia est Sacramentum omnibus necessarium, ideo ab omnibus posse accipi, et similiter ab omnibus posse dari, non quod oporteat eum, qui dat, prius accepisse. Id mihi persuadeo, tum quia verba hunc sensum ferre possunt, tum quia si alium sensum faciant, absurdam rationem continent. Non enim est bonum argumentum : Hic habet baptismum, ergo potest dare ; alioqui posset etiam presbyter ordinare presbyteros, et diaconus diaconos, quia habet ille presbyterium, et hic diaconatum. Neque est bonum argumentum, si negative ratiocinemur: Non habet iste Baptismum, ergo non potest dare ; alioqui non posset minister impius, per verba, et Sacramenta alios justificare, quia nimirum caret ipse justitia, et pietate. Non igitur requiritur, ut habeat in se Baptismum formaliter, qui est futurus minister, sed satis est, si habeat virtualiter, et ministerialiter, quomodo omnes habent, qui habent usum rationis, linguæ, et manuum, ut possint ex intentione verba proferre, et aquam spargere.

Sexto docent, non modo viros, sed etiam feminas in extrema necessitate posse baptizare. Id habet expresse Concilium Florentinum, item Concilium Carthaginiense IV, can. 100. ut infra citabimus, et Urbanus II, in epistol. ad Vitalem, et habetur 30. q. 3. can. Super his, et denique idem habet consuetudo Ecclesiæ, ratio manifesta, quæ supra facta est pro non baptizatis.

His ergo ita constitutis, superest solum, ut contra Calvinum probemus, licere in casu necessitatis baptizare iis, qui ministri Ecclesiastici non sunt. Probatur igitur primo, exemplo Testamenti veteris. Nam Exod. IV. Sephora uxor Moysis filium suum circumcidit, et eo modo virum suum a mortis periculo liberavit. At Circumcisio figura erat Baptismi, et secundum Calvinum idem omnino efficiebat, quod nunc facit Baptismus : igitur licebit etiam in casu necessitatis mulieribus baptizare.

Calvino, loco notato, lib. IV. cap. 15. §. 22. movit hoc exemplum bilem vehementissimam ; dicit enim Sephoram stultam mulierem, et temerariam fuisse : « Inscite, inquit, ad imitationem trahitur, quod egit stulta mulier. » Et infra : « Lectores attendere velim, nihil minus Sephoræ fuisse propositum, quam ut Deo ministerium præstaret. Filium periclitari videns, fremit, ob-

murmurat, nec sine indignatione præputium in terram projicit, marito sic conviciatur, ut Deo quoque succenseat. Denique hoc totum ab animi impotentia profectum esse palam est ; quia Deo, et marito obstrepit, quod filii sanguinem fundere cogitur. Adde, quod si in aliis omnibus probe se gessisset, hæc tamen est inexcusabilis temeritas, quod præsente marito circumcidit filium, non privato quopiam homine, sed Moyse primario Dei Propheta, quo nullus unquam major in Israele surrexit, quod nihilo magis ei licebat, quam hodie mulieribus sub Episcopi oculis. » Hæc ille.

Sed Calvinus, qui arguit Sephoram temeritatis, et impotentiæ animi, non advertit se ex mera impotentia animi, et libidine detrahendi incredibili temeritate id facere. Nam ut ab ultimo incipiam ; non peccavit Sephora, quod præsente viro filium circumciderit ; id enim fecit coacta ab ipso Moyse, vel potius a Deo. Licet enim Moyses esset præsens, tamen non poterat ipse per se id facere, cum esset in angustiis maximis, et pene exanimatus. Quod enim scriptura dicit : « Occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum, » vel significat, ut non male exponit Rabbi Abenezra, immissum fuisse Moysi divinitus gravissimum morbum, vel ut nostri exponunt, apparuisse ei Angelum nudato gladio, qui eum continuo vexavit, et quiescere non permisit, donec Sephora filium circumcidit ; tunc enim demum Angelus Moysem dimisit. Itaque non potest dubitari, quin Moyses, si potuisset, filium ipse circumcidisset ; sed quia non poterat, significavit uxori ut ipsa id faceret. Id quod ipse etiam Calvinus nesciens quid loquatur, et secum pugnans, indicavit, cum ait : « Deo, et marito obstrepit, quod filii sanguinem fundere cogitur. » Nam si coacta est a Deo, et a marito, non igitur temere id sibi sumpsit, ut præsente Moyse filium circumcideret. Ubi est ergo temeritas Sephoræ, quam Calvinus inexcusabilem esse dicit?

Quod autem Calvinus dicit, Sephoram circumcidisse filium sine proposito obsequendi Deo, et projecisse præputium in terram, et obmurmurasse contra Deum, et contra maritum, sunt mera mendacia sine ullo fundamento, et ex mera libidine detrahendi profecta ; Scriptura enim nihil tale dicit. Unum est verbulum, quod forte Calvinum decepit adjuncta Lyrani expositione. Quod enim Scriptura dicit : *Et dimisit eum*, postquam dixerat : *Sponsus sanguinum tu mihi es*, Lyranus ita exponit quasi Sephora dimiserit Moysem, et recesserit ab eo indignata ob filii Circumcisionem.

Sed fallitur Lyranus, et quicumque ita exponit. Illa enim verba : *Et dimisit eum*, non possunt referri ad Sephoram, sed ad Angelum, qui dimisit Moysem, id est, destitit eum vexare, quando Sephora peracta Circumcisione dixit : *Sponsus sanguinum tu mihi es*. Nam vox Hebræa est masculini generis חתן, proinde non potest convenire Sephoræ, nec significat יצא dimittere proprie, quomodo cum unus ab alio recedit, sed significat lenem esse, seu remissum, id est, non amplius persequi, et vexare quod proprie convenit Angelo, qui placatus ob Circumcisionem, destitit a Moyse vexando. Unde Græca editio addit nomen Angeli καὶ ἀπῆλθεν ἀπ᾽ αὐτοῦ ὁ ἄγγελος. Ex quo etiam colligitur, Sephoræ factum Deo placuisse : proinde fuisse rectum, et bonum, quandoquidem eo continuo placatus est.

Sed respondet Calvinus ad hanc nostram consequentiam : « Quod placatus, inquit, fuit Dei Angelus postquam illa arrepto lapide filium circumcidit, inde perperam colligitur factum illius probatum fuisse Deo. Alioqui dicendum esset, placuisse Deo, quem Gentes ab Assyria traductæ erexerant cultum. » Hæc ille. Sed quæ est inter ista similitudo? Nam Gentes illæ ab Assyria traductæ, quia falsum cultum instituerunt, discerpebantur a leonibus, IV. Reg. XVII. Sephora autem circumcidendo filium, liberavit Moysem a mortis periculo. Si forte respondeat Calvinus, non se loqui de eo tempore, quo colebant idola sua Gentes illæ, et a leonibus discerpebantur ; sed de tempore posteriore, quo Deum simul cum idolis colebant, et a leonibus immunes erant : contra objiciam, Gentes illas a leonibus liberatas, quia Deum verum vero ritu colebant, edoctæ nimirum a Sacerdote Israelita, ut eodem loco dicitur ; non autem quia idola simul colebant, vel quia ritu aliquo a se excogitato utebantur. Licet enim Gentes illæ Deo non placerent, nec apud Deum aliquid mereri possent, cum Deum simul, et idola colerent : Deus tamen indicare voluit, quantum interesset inter cultum a se institutum, et impias Gentium superstitiones ; et ideo leones immisit in eas Gentes, quando idola tantum colebant, et leones repressit, quando Deum verum vero cultu honorare cœperunt.

Secundo, probatur eadem veritas ex eo loco, unde Calvinus sumit præcipuum argumentum, nimirum, Matth. ult. : *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos etc.* « Hæc dicuntur solis Apostolis, qui a Christo instituti sunt ministri Verbi, et Sacramentorum? Non ergo licet aliis id munus usurpare. » Ita Calvinus. Sed ex hoc ipso nos argumentamur, licet ministerium Verbi sit proprium Apostolorum et Episcoporum, qui eis succedunt, tamen omnibus licet; imo omnes tenentur in articulo necessitatis docere, et instruere ignorantes, præsertim in periculo æternæ salutis. Exemplum habemus, Actor. XVIII. de Aquila, et uxore ejus Priscilla, qui videntes Apollinem quemdam prædicare, cum non bene teneret fidem Domini, instruxerunt eum diligenter.

Ergo eodem modo, licet munus baptizandi sit proprium Sacerdotum, tamen in necessitate licebit etiam laicis, et feminis baptizare : imo majori ratione id licebit, cum sit magis proprium Apostolorum, et Episcoporum prædicare, quam baptizare : *Non misit me Dominus*, inquit Paulus, I. Corinth. I, *baptizare, sed prædicare* (1).

Tertio probatur exemplis Scripturæ, Act. VIII, Philippus Diaconus baptizavit. Qui quidem licet non fuerit laicus, tamen non erat Apostolus, nec Episcopus, aut Sacerdos : et tamen secundum Calvinum soli Apostoli acceperunt a Christo baptizandi potestatem, si enim loquitur, §. 20 : « Neque enim aut mulieribus, aut hominibus quibuslibet mandavit Christus, ut baptizarent, sed quos Apostolos constituerat, iis mandatum hoc dedit. » Præterea, Act. IX, Ananias Paulum baptizat; qui neque Apostolus, neque etiam Diaconus erat, sed plane laicus. Id enim factum est primo anno a passione Domini, quo tempore nondum erant ordinati ulli Episcopi, aut Sacerdotes, præter Apostolos, neque erant ulli Diaconi, præter septem. Item Actor. X, Petrus Cornelium, et ejus familiam baptizari jussit a fratribus, qui secum venerant : quos certe fratres probabilissimum est non fuisse Apostolos, nec Diaconos, sed simplices discipulos. Denique Actor. II, antequam ulli ordinarentur Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, ipso die primo Pentecostes baptizata sunt tria hominum millia; quod certe non potuit commode fieri per solos Apostolos; oportuit igitur, ut etiam alii baptizarent, qui laici erant. Nam etiam 72. discipuli eo tempore laici erant : non enim Dominus Sacerdotes ordinavit, nisi in ultima cœna, ubi soli erant Apostoli.

Quarto, probatur testimoniis et exemplis Patrum. Tertullianus lib. de Baptismo, ubi dixerat jus baptizandi proprie convenire Episcopis, et Presbyteris, necnon etiam Diaconis, si Episcopus jubeat, subjungit : « Aliquin et laicis jus est baptizandi. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest. » Alexander Episcopus Alexandrinus, cum universa sua Ecclesia ratum habuit Baptismum, quem Athanasius adhuc puer, et laicus aliis pueris contulerat, teste Ruffino lib. X. hist. cap. 14. Concilium Nicænum, teste Hieronymo in lib. contra Luciferianos, statuit Baptisma hæreticorum esse ratum, modo detur secundum formam Ecclesiæ. Quod antea definierat Stephanus Papa et Martyr, ut Cyprianus refert in epistola ad Pompejum. At non poterant ignorare Stephanus, et Patres Concilii Nicæni apud aliquas hæreses non esse verum Sacerdotium, proinde laicos esse, qui baptizarent, licet fortasse dicerentur Sacerdotes. Concilium Eliberitanum, circa hoc idem tempus celebratum can. 38. docet fideles laicos posse baptizare, cum Ecclesia procul abest, et aliquis Catechumenus vicinus est morti. Ambrosius, seu auctor Commentariorum in epistolas Pauli, quæ Ambrosio tribuuntur in cap. IV ad Ephes. dicit, in primitiva Ecclesia omnibus licuisse prædicare et baptizare, ob ministrorum paucitatem; nunc autem rebus Ecclesiasticis suo ordine constitutis, non licere clericis, et laicis prædicare, vel baptizare. At certe, quod licuit in primitiva Ecclesia ob ministrorum paucitatem, eadem ratione licere debet quocumque tempore in extrema necessitate. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos : « Baptizare, inquit, si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis. » Augustinus lib. II. contra epistol. Parmeniani cap. 13. idem habet et Concilium Carthaginiense IV, cui Augustinus interfuit, can. 100 : « Mulier, inquit, baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente. » Quamvis enim non habeatur in tomis Conciliorum illa exceptio : « Nisi necessitate cogente, » tamen ita canonem hunc citat Petrus Lombardus lib. IV. sententiar. dist. 6. et Gratianus can. Mulier, de consec. dist. IV. Denique

(1) I. Cor. I. 17.

idem docent de laicis baptizantibus, Gelasius epist. 1. Isidorus lib. II. de offic. divin. cap. 24. et Magister cum universa Schola lib. IV. distinc. 6. et postremo Florentinum Concilium.

Ad hoc argumentum more suo ita Calvinus respondet : « Quod autem multis ab hinc sæculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quam firma ratione defendi queat. » Hæc ille. At hæc ipsa est gravissima ratio; siquidem in rebus hujusmodi, quid majus habere possumus totius Ecclesiæ consensu, eoque antiquissimo atque adeo ab ipso exordio Ecclesiæ ad nos deducto? Sed videamus nunc quid ille contra adferat.

Primo, objicit Christi mandatum, Matth. ultim. *Euntes docete etc.* Quod quidem ad solos Apostolos pertinet. Respondeo primum, non esse certum, an hæc dicta sint solis Apostolis. Licet enim Matthæus mentionem faciat tantum undecim Apostolorum; tamen probabile est, fuisse tunc præsentes multo plures. Videntur enim dicta illa verba in die Ascensionis, quo die aderant cum Apostolis quingenti fratres, ut Apostolus testatur, I. Corinth. XV. Deinde secundo responderi potest, Apostolica facta mandatum istud exposuisse. Cum enim Apostoli ratum habuerint, ut Stephanus, qui non erat Apostolus, concionaretur : Philippus, qui etiam non erat Apostolus, concionaretur, et baptizaret; et idem multi alii facerent, qui neque Apostoli, neque Diaconi erant, ut Ananias, et alii aperte declararunt, urgente necessitate licere omnibus, id quod alioqui ad quorumdam speciale officium pertinet. Ut autem tunc urgebat necessitas propagandæ Ecclesiæ, cum pancissimi essent ministri ad hoc ordinati; ita nunc aliquando urget necessitas, cum quis est in periculo vitæ absentibus Sacerdotibus.

Secundo objicit, quod ipsis etiam veteribus non constabat, an recte fieret, ut laici in necessitate baptizarent, licet hunc morem ipsi quoque tenerent, vel permitterent. Et probat ex Augustino, qui sic loquitur lib. II. contra epist. Parmen. cap. 13. « Et si laicus necessitate compulsus Baptismum dederit, nescio an pie quisquam dixerit, Baptismum esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est, si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. » Respondeo, nullam hic esse Augustini dubitationem. Nam priora verba continent quidem oratoriam phrasim, sed plane assertivam. Idem enim est dicere : Nescio an aliquis pie hoc dixerit, ac : Nonnisi impie id affirmari potest. Posteriora verba significant peccatum esse veniale, cum laici non adhibent omnem diligentiam, ut Sacerdotem inveniant, qui baptizet : nullum autem esse peccatum, cum adhibita diligentia, et Sacerdote minime invento, ipsi baptizant.

Tertio, objicit Concilium IV Carthaginiense, can. 100, ubi prohibentur mulieres baptizare. Respondeo, ipsum Concilium excipit casum necessitatis, ut ex Petro Lombardo, et Gratiano supra demonstravimus. Præterea licet Concilium non expresse exciperet, oporteret tamen intelligere eum casum esse exceptum : quemadmodum cum Apostolus prohibet mulierem loqui, I. Cor. XIV. et I. Tim. II, intelligitur exceptus casus necessitatis. Quod autem Calvinus hic respondet, nullam esse Baptismi necessitatem, jam superiore controversia refutatum est.

Quarto, objicit Tertullianum et Epiphanium, quorum ille in lib. de Virginibus velandis : « Non permittitur, inquit, mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec lingere, nec offere etc. » Et in lib. de Baptismo : « Petulans, inquit, mulier, quæ usurpavit docere, non utique et tingendi jus sibi pariet. » Epiphanius autem hæres. 42. quæ est Marcionis : « Permittit, inquit, etiam mulieribus, ut det Baptisma etc. » et hæres. 79. dicit, ne ipsi quidem sanctissimæ Christi Matri datum esse, ut baptizaret, alioqui ipsa potius, quam Joannes Christum baptizasset. Respondeo, loquuntur isti Patres de publico ministerio, non de privato in casu necessitatis. Nam Tertullianus dicit, in Ecclesia non licere mulieri loqui, docere, tingere, etc. et præterea conjungit officium dandi Baptismi, cum officio sacrificandi; sacrificium autem semper est publicum. Sicut igitur non licet mulieri sacrificare, quia id munus publicum est, ita nec licet publice baptizare. Epiphanius quoque aperte indicat se loqui de ordinario, et publico ministerio, quia hæres. 79 ubi dicit, mulieri non licere Baptismum dare, ibidem dicit, idipsum etiam Diaconis non licere : et tamen constat ex Scripturis id Diaconis licere, saltem extraordinarie.

Nec valet Calvini responsio, quod Epi-

phanias ludibrium esse pronuntiaverit dare feminis licentiam baptizandi : neque ullum casum exceperit. Nam hoc ipso, quod vocat ludibrium, indicat se loqui de publico ministerio. Id enim vere ludibrium, et probrum esset, si in templo viris præsentibus mulier baptizaret. Nec mirum si non addidit exceptionem necessitatis : Nam nec addidit, cum negavit, Diaconos posse baptizare, quia certum erat, eam per se intelligi potuisse.

CAPUT VIII.

De Baptismo infantum, contra Anabaptistas.

Sequitur controversia sexta de suscipientibus Baptismum : tota autem quæstio est de Baptismo infantium. Tametsi enim jam probaverimus contra Calvinum, Baptismum infantibus necessarium esse, si salvari debeant, supersunt tamen adhuc duæ quæstiones. Una, cum Anabaptistis, utrum infantes capaces sint Baptismi, sive, an liceat infantes baptizare. Altera, cum Lutheranis, et Calvinistis, quæ fides necessaria in Baptismo parvulorum.

Quantum ad primam quæstionem hæresis fuit tempore S. Bernardi, quæ docebat non licere infantes baptizare. Refert eam, et refellit S. Bernardus sermon. 66. in Cant. et epistol. 240. Eadem est hujus temporis Anabaptistarum, non licere Baptismum tradere, nisi adultis, qui Baptismum per se flagitant. in hoc errore convenire omnes Anabaptistas, licet alioqui in multis rebus inter se dissideant, testatur Calvinus in instructione contra Anabaptistas. Idem etiam Calvinus lib. IV Institut. cap. 16. §. 29. testatur Michaelem Servetum, et quosdam alios Anabaptistarum Magistros contendere Baptismum suscipi non debere, nisi anno 30, qua ætate Christus Baptismum suscepit. Exorta est hæc hæresis anno Christi 1527, ut Joannes Cochlæus refert in actis Lutheri. Princeps videtur fuisse Balthasar Pacimontanus, qui postea Viennæ crematus fuit. Sic enim eum vocat Cochlæus in actis Lutheri, anni 1528, ubi dicit contra eum Lutherum scripsisse eodem anno, quamquam ex Lutheri scriptis hunc errorem Balthasar se collegisse fatetur : quod et verissimum esse, in sequenti quæstione demonstrabimus.

Ministri Transylvani, qui anno 1567. duos libros ediderunt contra Trinitatem, et Incarnationem Domini, ad finem eorum librorum addiderunt 36 argumenta contra Baptismum parvulorum, in quo apparet maxima Satanæ rabies, contra genus humanum, qui non contentus per Lutheranos, et Sacramentarios perdidisse innumerabiles animas hominum adultorum, voluit etiam animas infantium perdere per Anabaptistas.

Præter hos hæreticos duo auctores obliquè idipsum docuisse videntur. Erasmus præfatione paraphrasis in Matthæum, docuit, homines in infantia baptizatos, ubi adoleverint, interrogandos esse, an habeant ratum, quod ipsorum nomine in Baptismo promissum est : et si ratum non habeant, esse liberos dimittendos. Ludovicus Vives annotat. in cap. 27. lib. I. de Civit. Dei, dicit, olim neminem consuevisse baptizari, nisi adulta ætate, et qui per se peteret Baptismum, et intelligeret quid sit baptizari.

Porro Catholica Ecclesia semper docuit infantes baptizandos ; quod etiam Concilium Tridentinum sess. VII, can. 12, 13 et 14. de Baptismo, iterum cum anathematis denuntiatione definivit. Probatur hæc veritas tribus argumentorum generibus. Primum sumitur a scripturis, habemus autem in Scripturis tria argumenta. Primum, sumitur a figura Testamenti veteris. Nam Circumcisio figura erat Baptismi, adeo manifesta, ut Baptismus a Paulo dicatur Circumcisio, Colossens. II. At Circumcisio dabatur infantibus, Genes. XVII. Cur igitur non etiam Baptismus? Hoc argumentum Anabaptistæ facile possunt eludere, cum a Lutheranis et Calvinistis proponitur. Lutherani enim et Calvinistæ formam Baptismi esse volunt concionem, ut libro superiore ostendimus, quod de Circumcisione dicere non possunt. Inde autem sequitur, ut infantes circumcidi potuerint, non autem baptizari. At cum a nobis proponitur, qui ad Baptismi essentiam non requirimus verba concionalia, sed consecratoria, certe eludi argumentum non potest.

Secundum argumentum colligitur ex duobus locis Evangelii, simul junctis, Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* (1). Hic locus

(1) Joan. III, 5.

probat infantes sine Baptismo in æternum perire ; est enim generalis Domini comminatio. Sed nondum habemus, posse infantes baptizari : dicent enim Anabaptistæ parvulos perire, quia unici remedii capaces non sint. At quod parvuli non pereant, Dominus docet, Matth. XIX, Marc. X. et Luc. XVIII : *Sinite parvulos venire ad me : talium est enim regnum cœlorum* (1). Ubi etiam Marcus dicit, Dominum complexum fuisse parvulos, eisque benedixisse. At quomodo parvulorum est regnum cœlorum, quomodo Dominus eos complectitur, eisque benedicit, si salvi esse non possunt?

Ad hunc locum duæ dari possunt responsiones. Una, Anabaptistarum, quod Dominus in personis parvulorum benedixerit parvulos innocentia, et humilitate, non ætate ; non enim dixit : Horum est regnum cœlorum, sed : *Talium*. Unde etiam Augustinus lib. I Confes. cap. 19 : « Humilitatis, inquit, signum in statura pueri commendasti, Rex noster, cum aisti : Talium est enim regnum cœlorum. » Altera, quod Evangelia non loquantur de infantibus, sed de pueris, qui jam usu rationis utuntur. Ut enim Tertullianus notat, libro de Baptismo, prope finem, ideo Dominus ait : *Sinite parvulos venire ad me* ; Non enim veniunt nisi grandiores ; infantes enim portari possunt, venire non possunt.

Sed neutra solida responsio est. Nam etiamsi Dominus in statura pueri commendare voluerit humilitatem, et innocentiam, ut Augustinus recte docet, tamen simul etiam indicavit infantilem ætatem non esse alienam a regno et salute. Nam cum Dominus ait : *Sinite parvulos venire ad me*, ad litteram, et historice loquitur de veris parvulis, quos, ut tres Evangelistæ testantur, multi offerebant, ut eis Dominus benediceret, et Apostoli prohibere conabantur, ne illi accederent. Quare etiam illa ratio : *Talium est enim regnum cœlorum*, debet convenire veris parvulis. Et præterea ille complexus, et benedictio veris parvulis data, aperte significat eos pertinere posse ad Christi societatem, et regnum. Itaque sicut Isaac, et Ismael sunt allegorice duo Testamenta apud Paulum, Galat. IV. et tamen historice duo veri homines fuerunt ; sic etiam ætas infantilis typus est humilitatis, et tamen reipsa idonea est ad regnum cœlorum.

Altera solutio non est etiam solida. Nam verba Evangelistarum parvulos, et infantes significant. Matthæus, et Marcus habent παιδία, id est, parvulos. Lucas habet βρέφη, id est, infantes. Et ibidem Lucas dicit, eos portatos fuisse, non suis pedibus venisse προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, id est, « Afferebant autem ad ipsum et infantes. » Igitur illa vox, *venire*, accipitur largo modo pro eo, quod est accedere, et appropinquare. Porro hoc argumentum, quod per se, et revera solidum est, infirmum tamen est, cum a Calvinistis producitur. Nam Calvinistæ nolunt intelligi debere de Baptismo locum illum Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit*. Sublato autem illo loco, posterior locus, quo solo Calvinus utitur, non convincit, nam posset responderi ab Anabaptistis, secundum Calvini principia, parvulos ad Christum pertinere, quia nascuntur sancti, vel quia prædestinati sunt. Viderit igitur Calvinus, quam solide resistere possit Anabaptistis.

Tertium argumentum colligitur ex locis, ubi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, ut Actor. XVI dicitur Lydia baptizata, et domus ejus. Et ibidem de custode carceris : *Baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo*, I. Corinth. I. *Baptizavi*, inquit Paulus, *Stephanæ domum* (2). At certe in integris domibus rarum est, ut non sint infantes aliqui. Hoc argumento utitur etiam Calvinus, sed argumentum est probabile tantum, non autem aperte convincens. Hæc igitur ex divinis litteris.

Secunda classis argumentorum continet testimonia Ecclesiæ, quæ tamquam traditionem Apostolorum id semper et docuit, et servavit. Utitur hoc argumento etiam Philippus in locis, titul. de Baptismo parvulorum, idque tamquam firmissimum in prima acie posuit ; sed merito ridetur ab Anabaptistis. Nam si in hac re valere debet traditio, et antiquæ Ecclesiæ testimonium ; cur non etiam valeat in aliis articulis? ut in asserendo Purgatorio, invocatione Sanctorum etc. Nostrum igitur est hoc argumentum, non adversariorum.

Ac primum habemus testimonium Dionysii Areopagitæ, qui lib. Ecclesiast. hierar. cap. ult. part. ult. ab Apostolis traditum affirmat, ut infantes baptizentur. Idem docet Justinus, seu quicumque est auctor ea-

(1) Marc. X, 13; Luc. XVIII, 16. — (2) Act. XVI, 15 et 33; I. Cor. I, 16.

rum quæstionum, qu. 36. ubi dicit, parvulos baptizatos salvari, alios non item. Irenæus lib. II, cap. 49. dicit, salvari omnes, qui renascuntur in Christo, infantes, pueros, juvenes, et senes. Origines lib. V in cap. VI ad Romanos : « Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum. » Cyprianus lib. III epist. 8. ad Fidum scribit, non solum sibi, sed etiam integro Concilio visum esse, parvulos baptizari posse, etiam ante diem octavum. Hieronymus lib. III contra Pelagianos extremo, infantes baptizari dicit, et tum omni peccato carere. Nazianzenus orat. in sanctum lavacrum, Basilius oratione exhortatoria ad Baptismum, Chrysostomus hom. 4. ad Neophytos, Augustinus lib. X de Genes. cap. 23. « Consuetudo, inquit, matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernanda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio. » Idem Augustinus lib. IV de Baptismo, cap. 24. iterum repetit, Apostolicam esse traditionem, parvulos baptizandos, et lib. I de peccatorum meritis, et remiss. cap. 26. dicit, Pelagianos ausos non fuisse negare Baptismum parvulorum, quod viderent nimis aperte pugnandum fuisse cum tota Ecclesia, si id negarent. Vide etiam Prosperum lib. II de vocatione Gentium cap. 8. qui (ut etiam Hieronymus et Augustinus) hoc potissimum argumento contra Pelagianos probant, dari peccatum originale, quod infantes baptizentur, cum nullum habeant actuale peccatum.

Jam vero Concilium Milevitanum inter alios Canones secundum edidit his verbis : « Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit. » Concilium item Gerundense, ante annos 1000 celebratum, can. 5. statuit, etiam ipso die, quo nascuntur, posse infantes baptizari, si periculum mortis imminere videatur. Concilium II Bracarense canon. 7. probat etiam infantium Baptismum. Ut etiam Concilium Viennense generale, ut habemus in Clementina I, de summa Trinit. et fide Catholica.

His accedant expressa etiam sanctorum Pontificum decreta de re eadem. Clementis I, lib. VI constit. Apostol. cap. 15. Siricii epist. 1. ad Himerium, cap. 2. Innocentii I, epist. 26. ad Concilium Milevitanum; Leonis I, epist. ad Episcopum Aquileiensem 84. alias 86. Gregorii I, lib. III, epist. 9. ad Joan. Carulitanum; Innocentii III, in epist. ad Episcopum Arelatensem, et habetur cap. Majores, de Baptismo et ejus effectu. Ex his colligitur quam falsum sit quod ait Ludovicus Vives, neminem olim admotum sacro Baptismo, nisi in ætate adulta.

Tertia classis argumentorum, constat ex rationibus. Prima ratio. Parvuli salvi esse possunt : sed extra Ecclesiam non est salus: igitur intrent Ecclesiam necesse est. Prima propositio probatur tum ex Scriptura citata, Matth. XIX : *Talium est enim regnum cœlorum* (1); tum exemplo sanctorum Innocentium, quos salvos esse semper Ecclesia docuit, ut supra probatum est, cap. 6. tum etiam quia si possunt parvuli participes esse peccati Adami, cur non etiam gratiæ Christi? Alioqui plus posset culpa quam gratia, cujus contrarium docet Apostolus Rom. VI. Secunda propositio certissima est. Nam Mat. XII dicitur : *Qui non est mecum, contra me est* (2); et ideo in Symbolo conjungimus cum Ecclesia, remissionem peccatorum : « Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. » Ideo etiam comparatur Ecclesia cum Arca Noe; quia sicut regnante diluvio periit, qui in arca non fuit; ita et nunc pereunt, qui in Ecclesia non sunt, ut ait Hieronymus in ep. ad Damasum de nomine hypostasis. Idem testatur celebre illud Cypriani dictum, lib. de unitate Ecclesiæ: « Non habet Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem. » Vide etiam Augustinum lib. IV de Baptismo, cap. 1. Denique Concilium Lateranense sub Innocentio III, cap. 1 : « Una, inquit, est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nemo salvatur. »

Habemus igitur, oportere infantes intrare Ecclesiam. At id facere non possunt nisi per Baptismum; igitur baptizentur necesse est. Assumptio probari potest. Primum ex illo Pauli ad Rom. VIII : *Quos prædestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et justificavit; quos justificavit, hos et magnificavit* (3). Hinc enim habemus, omnem prædestinatum vocari, justificari, glorificari, et e contrario nullum glorificari, nisi ante justificatum; nullum justificari, nisi ante vocatum; nullum vocari, secundum propositum, nisi ante prædestinatum. At in parvulis non potest

(1) Matth. XIX, 14. — (2) Matth. XII, 30. — (3) Rom. VIII, 30.

fingi ulla vocatio, nisi per Baptismum. Tunc enim recte dicuntur vocati, cum in numerum vocatorum adscribantur. Præterea Act. II dicitur : *Qui receperunt verbum, baptizati sunt, et appositæ sunt in die illo animæ circiter tria millia* (1). Ubi videmus, baptizari nihil esse aliud, quam Ecclesiam intrare. Unde Patres communi consensu distinguunt Catechumenos a fidelibus, ac docent illos, quod Baptismo careant, nondum esse intra Ecclesiam, nec dici posse fideles. Vide Nazianzenum orat. in sanctum lavacrum, Chrysostomum homil. 24. in Joan. Cyrillum lib. XII in Joan. cap. 50. Augustinum tract. 4. in Joan. et Concilium Florentinum in instructione Armenorum. Denique non potest homo Ecclesiæ et Christo conjungi, nisi fide tantum, aut Sacramento tantum, aut utroque. Sed parvuli consentientibus Anabaptistis, non possunt fide ad Christum et Ecclesiam adjungi; ergo per Sacramentum adjungi debent.

Secunda ratio. Si non possent infantes baptizari, aut impedimentum esset ex parte prohibitionis alicujus divinæ, aut ex parte Sacramenti, aut ex parte ministri, aut ex parte ipsius suscipientis, aut denique ex parte Ecclesiæ, quæ per Baptismum acquirit jus in homines, quod non videtur posse fieri sine propria ipsorum voluntate. Nihil autem horum dici potest. Nam nulla exstat divina prohibitio. Sacramentum autem non pendet nisi a divina institutione ; alioqui non esset certum, nec adferret solidam consolationem; itaque ex se semper est efficax, et idem operatur, sive adulto, sive infanti detur. Minister autem æque potest infantem aspergere, et verba sacra super eum proferre, ac super adultum. Ex parte suscipientis requiritur quidem in adultis dispositio quædam per actualem fidem et conversionem in Deum : At hæc non requiritur in infante. Nam in adultis duplici de causa requiritur illa dispositio. Primo, propter peccata actualia, quæ illi originali addiderunt. Peccatum enim, quod committitur per actualem aversionem propriæ voluntatis a Deo, requirit, si remitti debeat, actualem conversionem propriæ voluntatis in Deum. Secundo, quia Deus agit cum rebus secundum earum naturas, et ideo, qui habet usum liberi arbitrii, non justificatur a Deo, nisi etiam ipse concurrat per assensum liberi sui arbitrii. At neutra causa in parvulis reperitur. Illi enim nec habent usum liberi arbitrii, nec peccaverunt per aversionem propriæ voluntatis a Deo : solum enim habent aversionem habitualem, quæ potest tolli per habitum charitatis infusum, et peccaverunt aliena voluntate. Unde æquum est, ut eis etiam prosit aliena voluntas.

Denique non obstat obligatio, quæ nascitur ex Baptismo. Nam in primis non obligatur nisi ad ea, ad quæ alioqui obligatus vel obligandus erat. Nam ad legem divinam servandam, ad abrenuntiandum Diabolo et pompis ejus, omnes tenentur etiam sine Baptismo. Rursus omnes tenentur suscipere Baptismum, idque divino mandato, et proinde omnes tenentur se subjicere Ecclesiæ et ejus præceptis. Hoc solum inter adultos et infantes interest, quod illi, quia sui juris sunt, debent propria voluntate se Ecclesiæ subjicere ; et nisi faciant, peccant : isti, quia non sunt juris sui, sed parentum, possunt eorum voluntate Ecclesiæ subjici. Itaque est illis aliena voluntas loco rectæ rationis, quam habere deberent si essent adulti : proinde nulla eis fit injuria, sed ingens beneficium, cum baptizantur, licet inde consequatur obligatio obediendi Ecclesiæ. Sed neque infantes illi, qui carent parentibus et tutoribus, et ab aliquo extraneo baptizantur, queri postea possunt. Nam qui illos baptizant, agunt eorum causam : sicut si quis incideret in hominem lethaliter vulneratum, qui usu linguæ et rationis careret, eumque in domum aliquam portari, et a medicis curari juberet, certe non posset ille postea queri de isto homine, quod cum obligasset ad solvendam medicis mercedem : et si quereretur, ac solvere nollet, ab omni justo judice damnaretur.

(1) Act. II, 41.

CAPUT IX.

Solvuntur objectiones Anabaptistarum.

Sed operæ pretium erit solvere argumenta illa triginta et sex, quæ pro se adducunt Ministri Transylvaniæ.

Primum argumentum : « In sacris nullibi invenitur Pædobaptismus, et nullum de eo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum quæstionum, qu. 36. ubi dicit, parvulos baptizatos salvari, alios non item. Irenæus lib. II, cap. 49. dicit, salvari omnes, qui renascuntur in Christo, infantes, pueros, juvenes, et senes. Origines lib. V in cap. VI ad Romanos : « Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum. » Cyprianus lib. III epist. 8. ad Fidum scribit, non solum sibi, sed etiam integro Concilio visum esse, parvulos baptizari posse, etiam ante diem octavum. Hieronymus lib. III contra Pelagianos extremo, infantes baptizari dicit, et tum omni peccato carere. Nazianzenus orat. in sanctum lavacrum, Basilius oratione exhortatoria ad Baptismum, Chrysostomus hom. 4. ad Neophytos, Augustinus lib. X de Genes. cap. 23. « Consuetudo, inquit, matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernanda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio. » Idem Augustinus lib. IV de Baptismo, cap. 24. iterum repetit, Apostolicam esse traditionem, parvulos baptizandos, et lib. I de peccatorum meritis, et remiss. cap. 26. dicit, Pelagianos ausos non fuisse negare Baptismum parvulorum, quod viderent nimis aperte pugnandum fuisse cum tota Ecclesia, si id negarent. Vide etiam Prosperum lib. II de vocatione Gentium cap. 8. qui (ut etiam Hieronymus et Augustinus) hoc potissimum argumento contra Pelagianos probant, dari peccatum originale, quod infantes baptizentur, cum nullum habeant actuale peccatum.

Jam vero Concilium Milevitanum inter alios Canones secundum edidit his verbis : « Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit. » Concilium item Gerundense, ante annos 1000 celebratum, can. 5. statuit, etiam ipso die, quo nascuntur, posse infantes baptizari, si periculum mortis imminere videatur. Concilium II Bracarense canon. 7. probat etiam infantium Baptismum. Ut etiam Concilium Viennense generale, ut habemus in Clementina I, de summa Trinit. et fide Catholica.

His accedant expressa etiam sanctorum Pontificum decreta de re eadem. Clementis I, lib. VI constit. Apostol. cap. 15. Siricii epist. 1. ad Himerium, cap. 2. Innocentii I, epist. 26. ad Concilium Milevitanum; Leonis I, epist. ad Episcopum Aquileiensem 84. alias 86. Gregorii I, lib. III, epist. 9. ad Joan. Carulitanum; Innocentii III, in epist. ad Episcopum Arelatensem, et habetur cap. Majores, de Baptismo et ejus effectu. Ex his colligitur quam falsum sit quod ait Ludovicus Vives, neminem olim admotum sacro Baptismo, nisi in ætate adulta.

Tertia classis argumentorum, constat ex rationibus. Prima ratio. Parvuli salvi esse possunt : sed extra Ecclesiam non est salus: igitur intrent Ecclesiam necesse est. Prima propositio probatur tum ex Scriptura citata, Matth. XIX : *Talium est enim regnum cœlorum* (1); tum exemplo sanctorum Innocentium, quos salvos esse semper Ecclesia docuit, ut supra probatum est, cap. 6. tum etiam quia si possunt parvuli participes esse peccati Adami, cur non etiam gratiæ Christi? Alioqui plus posset culpa quam gratia, cujus contrarium docet Apostolus Rom. VI. Secunda propositio certissima est. Nam Mat. XII dicitur : *Qui non est mecum, contra me est* (2); et ideo in Symbolo conjungimus cum Ecclesia, remissionem peccatorum : « Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. » Ideo etiam comparatur Ecclesia cum Arca Noe; quia sicut regnante diluvio periit, qui in arca non fuit; ita et nunc pereunt, qui in Ecclesia non sunt, ut ait Hieronymus in ep. ad Damasum de nomine hypostasis. Idem testatur celebre illud Cypriani dictum, lib. de unitate Ecclesiæ: « Non habet Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem. » Vide etiam Augustinum lib. IV de Baptismo, cap. 1. Denique Concilium Lateranense sub Innocentio III, cap. 1 : « Una, inquit, est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nemo salvatur. »

Habemus igitur, oportere infantes intrare Ecclesiam. At id facere non possunt nisi per Baptismum; igitur baptizentur necesse est. Assumptio probari potest. Primum ex illo Pauli ad Rom. VIII : *Quos prædestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et justificavit; quos justificavit, hos et magnificavit* (3). Hinc enim habemus, omnem prædestinatum vocari, justificari, glorificari, et e contrario nullum glorificari, nisi ante justificatum; nullum justificari, nisi ante vocatum; nullum vocari, secundum propositum, nisi ante prædestinatum. At in parvulis non potest

(1) Matth. XIX, 14. — (2) Matth. XII, 30. — (3) Rom. VIII, 30.

fingi ulla vocatio, nisi per Baptismum. Tunc enim recte dicuntur vocati, cum in numerum vocatorum adscribantur. Præterea Act. II dicitur : *Qui receperunt verbum, baptizati sunt, et appositæ sunt in die illo animæ circiter tria millia* (1). Ubi videmus, baptizari nihil esse aliud, quam Ecclesiam intrare. Unde Patres communi consensu distinguunt Catechumenos a fidelibus, ac docent illos, quod Baptismo careant, nondum esse intra Ecclesiam, nec dici posse fideles. Vide Nazianzenum orat. in sanctum lavacrum, Chrysostomum homil. 24. in Joan. Cyrillum lib. XII in Joan. cap. 50. Augustinum tract. 4. in Joan. et Concilium Florentinum in instructione Armenorum. Denique non potest homo Ecclesiæ et Christo conjungi, nisi fide tantum, aut Sacramento tantum, aut utroque. Sed parvuli consentientibus Anabaptistis, non possunt fide ad Christum et Ecclesiam adjungi; ergo per Sacramentum adjungi debent.

Secunda ratio. Si non possent infantes baptizari, aut impedimentum esset ex parte prohibitionis alicujus divinæ, aut ex parte Sacramenti, aut ex parte ministri, aut ex parte ipsius suscipientis, aut denique ex parte Ecclesiæ, quæ per Baptismum acquirit jus in homines, quod non videtur posse fieri sine propria ipsorum voluntate. Nihil autem horum dici potest. Nam nulla exstat divina prohibitio. Sacramentum autem non pendet nisi a divina institutione ; alioqui non esset certum, nec adferret solidam consolationem; itaque ex se semper est efficax, et idem operatur, sive adulto, sive infanti detur. Minister autem æque potest infantem aspergere, et verba sacra super eum proferre, ac super adultum. Ex parte suscipientis requiritur quidem in adultis dispositio quædam per actualem fidem et conversionem in Deum : At hæc non requiritur in infante. Nam in adultis duplici de causa requiritur illa dispositio. Primo, propter peccata actualia, quæ illi originali addiderunt. Peccatum enim, quod committitur per actualem aversionem propriæ voluntatis a Deo, requirit, si remitti debeat, actualem conversionem propriæ voluntatis in Deum. Secundo, quia Deus agit cum rebus secundum earum naturas, et ideo, qui habet usum liberi arbitrii, non justificatur a Deo, nisi etiam ipse concurrat per assensum liberi sui arbitrii. At neutra causa in parvulis reperitur. Illi enim nec habent usum liberi arbitrii, nec peccaverunt per aversionem propriæ voluntatis a Deo : solum enim habent aversionem habitualem, quæ potest tolli per habitum charitatis infusum, et peccaverunt aliena voluntate. Unde æquum est, ut eis etiam prosit aliena voluntas.

Denique non obstat obligatio, quæ nascitur ex Baptismo. Nam in primis non obligatur nisi ad ea, ad quæ alioqui obligatus vel obligandus erat. Nam ad legem divinam servandam, ad abrenuntiandum Diabolo et pompis ejus, omnes tenentur etiam sine Baptismo. Rursus omnes tenentur suscipere Baptismum, idque divino mandato, et proinde omnes tenentur se subjicere Ecclesiæ et ejus præceptis. Hoc solum inter adultos et infantes interest, quod illi, quia sui juris sunt, debent propria voluntate se Ecclesiæ subjicere ; et nisi faciant, peccant : isti, quia non sunt juris sui, sed parentum, possunt eorum voluntate Ecclesiæ subjici. Itaque est illis aliena voluntas loco rectæ rationis, quam habere deberent si essent adulti : proinde nulla eis fit injuria, sed ingens beneficium, cum baptizantur, licet inde consequatur obligatio obediendi Ecclesiæ. Sed neque infantes illi, qui carent parentibus et tutoribus, et ab aliquo extraneo baptizantur, queri postea possunt. Nam qui illos baptizant, agunt eorum causam : sicut si quis incideret in hominem lethaliter vulneratum, qui usu linguæ et rationis careret, eumque in domum aliquam portari, et a medicis curari juberet, certe non posset ille postea queri de isto homine, quod cum obligasset ad solvendam medicis mercedem : et si quereretur, ac solvere nollet, ab omni justo judice damnaretur.

(1) Act. II, 41.

CAPUT IX.

Solvuntur objectiones Anabaptistarum.

Sed operæ pretium erit solvere argumenta illa triginta et sex, quæ pro se adducunt Ministri Transylvaniæ.

Primum argumentum : « In sacris nullibi invenitur Pædobaptismus, et nullum de eo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mandatum vel exemplum habemus; ergo rejiciendus. » Respondeo : Argumentum hoc adversus Lutheranos magnas vires habet quippe qui eo principio passim utuntur. At apud Catholicos nihil unquam valuit. Licet enim non inveniamus expresse mandatum, ut baptizemus infantes; tamen id et colligitur satis aperte ex Scripturis, ut supra ostendimus; et præterea non minoris auctoritatis est apud nos Apostolorum traditio, quam Scriptura : eodem enim spiritu Apostoli loquebantur, quo scribebant. Esse autem hanc Apostolicam traditionem, inde scimus, unde scimus Scripturam Apostolicam esse Scripturam Apostolicam, nimirum ex testimoniis antiquæ Ecclesiæ.

Secundum argumentum : « Mandatum est, ut prius doceamus, postea baptizemus; prius ergo docendi infantes, quam baptizentur : Ite, docete omnes gentes baptizantes. » Matth. XXVIII. Respondeo : Ponit eo loco Dominus ordinem, quem servare debeant Apostoli in conversione Gentilium, ut prius instruerent eos, deinde baptizarent, postremo monerent, non sufficere fidem et Baptisma, nisi etiam adderent postea legis obedientiam, et opera bona. Ideo enim subjungit : *Docentes eos servare omnia, quæcumque præcepi vobis* (1). Qui quidem ordo servandus est, cum fieri potest, ut etiam ab Ecclesia diligenter servatur, cum adulti ad fidem veniunt. At si vel propter incapacitatem hominum, vel propter defectum aquæ, non possint servari omnia, vel non eodem ordine, certe præstat aliquid servare, quam nihil. Si quis enim in deserto esset cum homine Gentili jam moriente, ubi non esset aqua, posset illum docere et instruere, ut crederet; nec peccaret contra præceptum Domini : *Docete baptizantes*, quia id intelligitur, cum fieri potest. Quia igitur infantes non sunt capaces doctrinæ, et capaces sunt Baptismi, mutatur in eis ordo : ut prius baptizentur, ne forte pereant sine hoc unico præsidio, ac deinde cum adoleverint, doceantur. Quemadmodum si adultus ad fidem veniat, et justa de causa differendus sit Baptismus, tamen docendus erit et monendus, ut Dei legem observet. Et stultus sane esset, qui diceret, non debere Catechumenos legem Dei servare et bene vivere, quia Dominus post Baptisma posuit, ut moneantur de obedientia legis præstanda.

(1) Matth. XXVIII, 19 et 20.

Tertium argumentum : « Gloriatur Paulus, et gratias agit Deo, quod neminem baptizaverit præter Caium et Crispum, et Stephanæ domum, » I. Corinth. I. Quam igitur necessarius sit Pædobaptismus, illinc colligo. Et quod præterea Christus ne quidem adultum baptizarit unquam, vel Joannes Baptista infantem. Respondeo : quod Christus, Joannes et Paulus non baptizarint infantes; adversarii dicunt, sed non probant, imo contrarium est probabilius, saltem de Paulo et Joanne. Nam in domo Stephanæ, quam Paulus baptizavit, probabile est fuisse aliquem infantem. Porro ad Joannem exibat, omnis Hierusalem, imo et omnis Judæa, ut baptizaretur ab eo, Matth. III et Marc. I. Quis autem asserat, inter omnes non fuisse unum, qui adduceret filium suum? Christus autem non baptizabat quidem ordinarie per se, sed per discipulos, Jo. IV, tamen aliquem, vel aliquos sine dubio baptizavit, ut haberet baptizatos, per quos alios baptizaret, ut scribit Augustinus in epist. 108. ad Seleucianum, et Evodius Apostoli Petri successor, in Antiocheno Episcopatu scribit, B. Virginem et S. Petrum ab ipso Christo baptizatos, ut refert Nicephorus lib. II histor. cap. 3. et Euthymius in cap. III Joan. Sed esto ita sit, ut illi dicunt, a Christo, Joanne et Paulo nullum infantem baptizatum, num ideo non sunt infantes baptizandi? aut num ideo antiquis temporibus non baptizabantur? Joannes enim forte nullum infantem baptizavit, quia ejus Baptisma non erat infantibus necessarium; Christus et Paulus majoribus rebus intenti, baptizandi officium aliis committebant : ut patet de Christo, Joan. IV, et de Paulo, Act. XIX.

Quartum argumentum : « Reprobi non sunt baptizandi : Multi ex infantibus sunt reprobi; ergo abstinendum, ne profanetur Sacramentum per nostram ignorantiam. » Respondeo primo : Eodem argumento probarent, neque adultos esse baptizandos. Secundo, Recte probat hoc argumentum contra Calvinum et Bucerum, et similes, qui volunt Baptisma esse sigillum æternæ benevolentiæ Dei. At apud nos nihil probat. Nam etiamsi parvulus forte sit reprobus, tamen dum baptizatur, vere justificatur, et proinde Sacramentum non profanatur, cum sit æque in illo, atque in quovis electo signum gratiæ verum et efficax.

Quintum argumentum : « Qui non credit, a Baptismo arcendus est, Act. VIII : *Si credis licet*. Infantes non credunt, Deuteron. I : *Nec sciunt malum, nec bonum*. » Respondeo : Hoc argumentum demonstratio est contra Lutheranos, qui existimant, Sacramenta nihil esse aliud, nisi instrumenta alendæ fidei : sed quid illi de hac re sentiant, sequenti capite explicabimus, ubi etiam hoc argumentum solvemus. Interim dico, sufficere infanti fidem alienam, sicut ei obfuit peccatum alienum.

Sextum argumentum : « Cogi homines ad Baptismum, est plus tribuere Sacramento, quam par sit, et Papæ opinionem stabilire, qui docet neminem sine Baptismo posse salvari. » Respondeo : Argumentum verissime concludit; sed contra Calvinum, non contra Catholicos.

Septimum argumentum : « Conjungenda est aqua cum Spiritu, Joan. III, veluti fides cum Baptismo, Marc. ult. : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit*. At infantes spiritu obtusi sunt, et credere non possunt. » Respondeo : Quod ad Spiritum attinet, locus Joannis non docet baptizatum debere sentire motionem Spiritus sancti, ut Anabaptistæ credunt, sed solum vim aquæ in Baptismo esse a Spiritu sancto; et sicut aqua lavat exterius, ita Spiritum lavare interius, quod potest fieri etiam in dormiente et non sentiente. Fit enim illa lotio et renovatio interior per infusionem habituum, qui sine ullo nostro actu infundi possunt. Quod autem ad fidem attinet, locus Marci ult. intelligitur sine dubio de adultis. Nam præcedit : *Prædicate Evangelium omni creaturæ : Qui crediderit* etc. At infantibus stultum esset prædicare. Adde quod hoc ipsum fateri cogantur Anabaptistæ, si sibi constare volunt. Nam docent infantes salvari sine fide et sine Baptismo, ut Melanchthon testatur in locis, tit. de Baptismo parvulorum. Adde denique, non deesse fidem illis necessariam, ut supra diximus et infra dicemus.

Octavum argumentum : « Ad fidei articulos tantum credendos Ecclesia obligatur; ergo cogi ad Pædobaptismum non debet, cum non sit articulus fidei. » Respondeo : Ad fidem pertinere infantes posse baptizari. Nam etiamsi non haberetur expresse in Scripturis; habetur tamen in traditione Apostolica. Præterea deducitur evidenter ex Scripturis, ut diximus. Argumentum tamen recte concludit contra Zwinglium et Calvinum, qui non admittunt traditionem, et putant, Baptismum non esse necessarium; et locum Evangelii Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit* etc. detorquent ad metaphoras.

Nonum argumentum : « Si infantes baptizandi sunt, ergo et communicandi; ut ostendit vetustas, quæ ejusmodi inanes lotiones et cœnas pueris obtrudere coacta fuit. » Respondeo : Non esse parem rationem Baptismi et Communionis. Nam Baptismus necessarius parvulis est, quia alioqui pereunt in æternum, si sine Baptismo de hac vita decedant : Communio vero, ut etiam Sacramenta cætera, non sunt necessaria, nisi adultis, post Baptismum. Id quod ex ipsorum natura et effectibus patet. Eucharistia enim (ut de ea solum loquamur) instituta est, ut vitam spiritualem in Baptismo acquisitam conservet ac nutriat, quod facit in rebus corporalibus cibus corporalis, qui vitam animalem conservat. Sicut igitur sine cibo potest aliquandiu vivi, nimirum donec naturalis calor non cœperit humorem vitalem consumere; ita quoque sine Eucharistia conservari potest vita spiritualis, donec concupiscentiæ calor non cœperit humorem gratiæ et virtutum depasci : quod certe non accidit in infantia, sed in adulta sulum ætate. Quare ipse etiam Dominus, ut indicaret Eucharistiam non esse pro infantibus institutam, noluit eam in lacte constituere, quod est unicum infantium alimentum, sed in pane et vino, quæ ad solos adultos proprie pertinent. Porro veteres aliqui certis de causis in infantium ora infundebant eo modo quo poterant Eucharistiam, sed neque eæ causæ modo locum habent, et aliis de causis magis urgentibus Ecclesia id non facit. Verum de hac re alibi plura dicenda sunt.

Decimum argumentum : « Non datur Baptismus absque pœnitentia, Act. II et Marc. I. At infantes pœnitere nesciunt. » Respondeo : Pœnitentiam necessariam esse in Baptismo adultorum, de quo tractatur in illis locis ob peccata actualia, quæ adulti commiserunt : originale enim peccatum non est materia pœnitentiæ. Non enim recte pœnitentiam agit ejus peccati, quod ipse non commisit, et quod in ejus potestate non fuit : originale enim peccatum non ipsi committimus, sed trahimus ab Adamo per naturalem propagationem. Unde Roman. IX dicitur de infantibus : *Cum nihil boni, vel mali egissent* (1).

(1) Rom. IX, 11.

Undecimum argumentum : « Nazianzenus in sermone de Baptismate optat differri Baptismum, donec pueri de fide sua aliquid possint respondere. Augustinus lib. IV de Baptismo contra Donatistas, parvulorum Baptismum scribit non fuisse a Conciliis stabilitum, incœpisse autem Origenis tempore. » Addunt testimonium Trismegisti, Sybillarum et Musculi. Respondeo : Nazianzenus optabat quidem Baptismum differri usque ad triennium, ut pueri aliquo modo respondere possent ; excipit tamen periculum mortis. Vult enim, si periculum conspiciatur, baptizari quocumque tempore ; et probat ex Circumcisione, aliisque argumentis. Itaque duo habet Nazianzenus contra Anabaptistas. Unum, posse infantes baptizari quocumque tempore. Alterum, numquam esse differendum ultra triennium Baptismum infantium. At certe pueri trium annorum nondum utuntur ratione, neque possunt credere, aut pœnitere, aut alia præstare, quæ cupiunt Anabaptistæ. Adde, quod Nazianzeni consilium non est probatum aliis Patribus : utilitas enim illa perexigua est, et periculum ingens incurrere possent ejusmodi infantes, ob inopinatos casus. Idem dici debet ad Tertullianum, qui in lib. de Baptismo prope finem idem consilium dedit, quod postea Nazianzenus. Jam vero Augustinus perperam et mendaciter citatur ab Anabaptistis. Non enim negat a Conciliis stabilitum Pœdobaptismum Augustinus, quod eum infirmare velit, sed ut ostendat antiquiorem esse omnibus Conciliis. Sic enim loquitur lib. IV de Baptismo infantium : « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. » Ex quibus verbis refellitur etiam mendacium de invento Pœdobaptismo Origenis tempore : nam Augustinus neque dicit inventum Pœdobaptismum Origenis tempore, neque dicere potest, cum affirmet descendere ex Apostolica traditione. Porro testimonium Musculi Lutherani non pluris facimus, quam ipsorum Anabaptistarum testimonia. Trismegistus et Sybillæ non loquuntur de Christi Baptismo, sed de aliqua Ethnica lotione, quæ nihil ad nos.

Duodecimum argumentum : « *Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem* (1), Rom. X. Id parvuli non possunt. » Respondeo cum Augustino loco citato, lib. IV de Baptismo, cap. 24. hoc esse, quod Apostoli tradiderunt, infantes salvari per Baptismum, etiamsi corde non credant, nec ore confiteantur. Etsi enim fidem actualem non habent, habent tamen fidei Sacramentum, quomodo e contrario bonus latro non habuit fidei Sacramentum, et salvus fuit per ipsam fidem et conversionem ad Deum. Itaque in necessitate supplet fides, et votum, Sacramenti defectum ; et contra supplet Sacramentum, fidei actualis et propriæ defectum.

Decimumtertium argumentum : « Perfecta Sacramenta cum sint, perfectos requirunt. Infantes admodum imperfecti ; ergo, etc. » Respondeo : Res perfectæ si comparentur ad causam agentem, non conveniunt nisi perfectis : non enim possunt perfecta opera facere, nisi perfecti artifices. At si comparentur ad causam patientem, id est, ad materiam seu subjectum, tum conveniunt imperfectis, non perfectis : earum enim munus est perficere res imperfectas. Hujus generis est Baptismus respectu hominum ; est enim perfectum Sacramentum, quod perficit homines imperfectos. Simile est de medicina corporali : perfecta enim medicina non datur perfectis in sanitate, sed valde imperfectis, id est valde ægrotis. Unde Apostolus, Hebr. VI, dicit, imperfectorum esse baptizari ; *Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ Baptismatum* etc. (2)

Decimumquartum argumentum : « Cœna Domini requirit externam fidei confessionem, et propterea ab ea arcentur parvuli. At Baptismus quoque requirit externam confessionem, cum nihil sit aliud, nisi fidei protestatio. » Respondeo : Tam Cœna Domini, quam Baptismus sunt fidei externæ professiones ; et ideo per eorum susceptionem profitemur fidem, etiamsi nihil omnino verbis diceremus. Quare etiam parvuli dum baptizantur, profitentur fidem ; et idem facerent, si communicarent : non enim ista est causa cur arceantur a communione.

Decimumquintum argumentum : « Christi symbola ad ipsius commemorationem et prædicationem sunt ordinata. Nihil horum possunt parvuli facere. » Respondeo : Qui suscipiunt Christi symbola : hoc ipso quod ea suscipiunt, commemorant et prædicant

(1) Rom. X. 10. — (2) Hebr. VI. 1.

Christum : quare etiam parvuli id faciunt. Dum enim merguntur in aquam, commemorant Christi mortem et sepulturam ; dum elevantur ab aqua, commemorant Christi resurrectionem. Neque aliud requirit Apostolus Rom. VI.

Decimumsextum argumentum : « *Fides ex auditu : auditus per verbum Dei* (1). Si dixeris infantes fidem habere, novam novæ fidei revelationem in illis demonstrabis, quod ex verbo Dei probare numquam poteris. » Respondeo : Argumentum concludit contra Lutheranos, qui fidem actualem ponunt in infantibus.

Decimumseptimum argumentum : « Christus annorum triginta baptizatur. » Respondet Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum, non omnia quæ Christus fecit, a nobis eodem modo fieri posse, vel debere. Jejunavit ille sine omni cibo, idque mox a Baptismo ; nos id facimus alio modo et alio tempore. Eucharistiam dedit ille in cœnaculo, post cœnam, et ante passionem : nos in templis ante cœnam, post resurrectionem. Adde præterea Christum distulisse Baptismum ad annum trigesimum, tum quia non egebat ipse Baptismo, tum quia non erat ei periculum ne morte præveniretur ; tum quia decreverat in ætate perfecta auspicare prædicationem suam et ostensionem suam ad homines ; in Baptismo autem agnosci cœpit ob miracula, quæ tunc acciderunt. Nos autem egere Baptismo incipimus continuo ac nati sumus ; nec sumus certi de tempore vitæ nostræ : et denique non baptizamur, ut mundo innotescamus, sed ne in æternum pereamus. Adde, quod Christus circumcisus est in infantia : quod autem Judæis erat circumcisio, nobis est Baptismus.

Decimumoctavum : « Quicumque baptizantur, Christum induunt ; an infantes Christum induant, expende. » Respondeo : Induunt infantes Christum, quandoquidem per habitum gratiæ illis infusum, exuunt veterem hominem, et induunt novum. Posse autem id fieri sine proprio mentis actu, docet Apostolus Roman. V : *Sicut*, inquit, *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obedientiam justi constituentur multi* (2). Itaque sicut hoc ipso, quod aliquis nascitur ex Adam, communicatur ei peccatum Adæ, etiamsi usum mentis non habeat ; ita hoc ipso quod aliquis renascitur ex Christo per Baptismum, communicatur ei Christi justitia, et ita Christum induit, licet per ætatem non habeat usum rationis.

Decimumnonum : « Novi Testamenti Sacramenta sunt spiritualia ; infantes toti carnales. » Respondeo : Ideo recipiunt Sacramenta spiritualia, ut fiant etiam ipsi spirituales : quales vere fiunt per habitum, non per actum.

Vigesimum : « Apostoli hominum piscatores sunt, non infantium. » Respondeo : Quasi vero infantes non sint homines. Quamquam piscari proprie non est baptizare, sed prædicare ; et fatemur infantibus non esse prædicandum.

Vigesimumprimum : « Qui accedunt ad Sacramenta, probare se ipsos debent, I. Corint. XI. Infantes id non possunt ; ergo etc. » Respondeo : Id solum Apostolus dixit de Eucharistia, quæ requirit, ut homo sine conscientia peccati accedat, alioqui indigne accedit, et ut discernat corpus Domini. Quocirca recte Ecclesia non communicat infantes, qui non possunt discernere corpus Domini. In Baptismo non requiritur talis probatio. Potest enim quis accedere cum conscientia peccatorum, dummodo pœniteat eum peccasse, et propositum habeat recte vivendi : est enim Baptisma institutum, ut purget peccata. Quamvis autem requiratur in adultis ad Baptismum alia quædam probatio, ut non accedant ficto animo, neque cum affectu peccati ; tamen in infantibus nulla probatio necessaria est, cum obicem ponere non possint.

Vigesimumsecundum argumentum : « Qui Christianus fieri vult, induere debet novum hominem, exuto veteri. Id non possunt infantes. » Respondeo : Jam dixi, assumptum esse falsum. Quamquam nec major propositio est absolute vera, cum Christianus sit etiam is, qui est malus, modo Baptismum perceperit, et Christi fidem profiteatur.

Vigesimumtertium : « Fidelis dispensator dat cibum in tempore suo, et aspicit albas messes, non virides, et tenerrimas. » Respondeo : Id optime servat Ecclesia, quæ parvulis dat Baptismum, non Communionem : quia Baptismi semper est tempus, non autem Communionis. Porro regiones albæ ad messem, dicuntur homines dispositi et idonei ad recipiendam salutem : quales semper sunt parvuli ; non autem semper tales

(1) Rom. X, 17. — (2) Rom. V. 19.

sunt adulti, qui variis desideriis et peccatis impediuntur.

Vigesimumquartum : « Illi vere dicuntur fratres, qui ex eodem poculo bibere possunt. Infantes non possunt ; ergo etc. » Respondeo : Dicuntur fratres qui bibunt ex eodem poculo, sed majori ratione dicuntur fratres, qui Baptismo eodem renascuntur. Nam Baptismus facit nos Dei filios, et fratres Christi, ac omnium aliorum similiter renatorum : bibere autem ex eodem poculo, solum est signum fraternitatis. Unde Apostolus utrumque dixit de Baptismo, I. Cor. XII : *Omnes vos in uno Spiritu in unum corpus baptizati estis.* De Eucharistia, I. Cor. X : *Unus panis, et unum corpus multi sumus* (1). Et contra, bibere ex diversis poculis, ita ut alii bibant calicem Christi, alii calicem dæmoniorum, signum est diversitatis et schismatis. Quod si qui ex nullo calice bibant, quod faciunt parvuli, non impedit fraternitatem, quæ aliunde haberi potest, nimirum ex Baptismo, qui vere nos fratres sub uno Patre, imo et membra unius corporis facit. I. Cor. XII : *Omnes nos in uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus* (2). Id quod etiam in rebus carnalibus videmus ; infantes enim interdum fratres sunt hominum adultorum, quia ex eodem Patre geniti sunt, licet non vescantur eodem pane, nec bibant ex eodem poculo.

Vigesimumquintum : « Qui Sacramentorum externam partem tantum sumit, nihil sumit. Infantes aqua sola tinguntur, cum careant ratione ; ergo etc. » Respondeo : falsa est assumptio. Licet enim infantes careant rationis usu, non tamen carent anima rationali, ejusque potentiis, in quibus Deus per gratiam habitare potest, et habitat, cum baptizati sunt, ut Augustinus scribit in ep. 57. ad Dardanum. Ubi dicit mirabile esse, et tamen verum, quod in multis Deus non habitet, qui eum norunt, ut in Philosophis, de quibus Rom. I : *Cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt* (3) : et contra in multis habitet, qui eum non norunt, ut in parvulis baptizatis. Et lib. I de peccat. meritis et remiss. cap. 9 : « Dat, inquit, sui Spiritus occultissimam gratiam, quam etiam latenter infundit et parvulis. »

Vigesimumsextum : « Non debet ad Christum vocari, qui non potest a Joanne Baptista præparari. » Respondeo : Verum est, si egeat præparatione ; parvuli autem ea non egent. Quocirca Dominus ait Matth. XIX : *Sinite parvulos venire ad me* (4) : neque jussit eos exspectare donec a Joanne præpararentur.

Vigesimumseptimum : « Baptismus est tinctio cum doctrina, et manuum impositione, Hebr. VI. » Respondeo : Non hoc dicit Apostolus ; sic enim loquitur : « Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et judicii æterni. » Ubi illud : « Baptismatum doctrinæ, » conjungendum est cum illis, « non rursum jacientes fundamentum. » Et sensus est : Non revertamur iterum ad fundamentum doctrinæ de Baptismo tradendæ, et de impositione manuum, id est, de Confirmatione : ista enim traduntur Catechumenis initio fidei, nunc ad altiora tendere nos oportet. Ubi non definitur Baptismus, tinctio cum doctrina ; sed asseritur, doctrinam de Baptismo ad incipientes, non ad perfectos pertinere, quod est contra Anabaptistas, qui Baptismum perfectorum esse volunt.

Vigesimumoctavum : « Baptismus est mortificatio, et ablutio cum invocatione nominis Jesu, Actor. XXII. » Respondeo : Etiam in parvulis Baptismus mortificat peccatum. Porro invocatio illa non est de substantia Baptismi, sed conveniens, et adhibenda cum fieri potest.

Vigesimumnonum : « Baptismus est ablui corpore aqua in certitudine fidei, depulsa mala conscientia. Hebr. X. » Respondeo : Non definit Baptismum Apostolus, sed monet eum, qui vult ad Deum accedere, ut habeat plenam fidem, et bonam conscientiam, et præterea Baptismum. Sic enim ait : *Accedamus in vero corde, cum plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et ablati corpus aqua munda* (5).

Trigesimum : « Baptismus est depositio sordium, et peccatorum, et sepeliri cum Christo. Coloss. II. » Respondeo : Id etiam infantibus convenit, qui habent peccatum originale. Etsi enim id Anabaptistæ negant : tamen Paulus affirmat Rom. V : *In quo omnes peccaverunt.* Et Ephes. II : *Eramus et nos natura filii iræ* (1).

(1) I. Cor. XII, 13 ; X, 17. — (2) I. Cor. XII, 13. — (3) Rom. I, 21. — (4) Matth. XIX, 14. — (5) Hebr. X, 22.

Trigesimumprimum : « Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, I. Pet. III. » Respondeo : Effectus est ille Baptismi, non ipsa Baptismi essentia. Porro eum effectum in infantibus Baptismus efficit fundamentaliter, ut sic loquamur, facturus deinde, cum ii adoleverint, etiam formaliter : abluit enim peccatum, ex qua ablutione oritur postea testimonium bonæ conscientiæ.

Trigesimumsecundum : « Baptismus est lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, Tit. III et Joan. III. »

Trigesimumtertium : « Baptismus, qui a Prophetis figuratus est, Ezech. XXXVI, Zach. XIII, nihil ad infantes pertinet. » Respondeo : Falsum assumunt ex eo, quod putant infantes non habere peccatum originale : hinc enim negant infantes regenerari, vel mundari debere.

Trigesimumquartum : « Sacramenta sunt cibi solidi. Infantes lacte indigent. » Respondeo : Sacramentum Eucharistiæ est solidus cibus, ideoque sub specie panis institutum est, nec parvulis datur. At Baptismus non est cibus, sed regeneratio, quæ maxime convenit parvulis ; parvuli enim nasci solent. Quare Apostolus Hebr. VI Baptismum imperfectorum esse dicit.

Trigesimumquintum : « Prius nos esse oportet animales, deinde spirituales, I. Cor. V. Sacramenta sunt instrumenta spiritualia ; ergo infantes spiritu renasci non possunt. » Respondeo : Vis argumenti hæc videtur esse. Sacramenta sunt spiritualia, ergo spiritualibus tantum conveniunt. Sed infantes non sunt spirituales, ut ex Apostolo colligitur, qui docet nos prius esse animales, et postea spirituales ; igitur Sacramenta infantibus non conveniunt. Sed in hoc argumento mala est prima consequentia. Sacramenta enim sic sunt spiritualia, ut homines spirituales ex animalibus efficiant, cum vim habeant regenerandi et renovandi, Joan. III et Tit. III.

Trigesimumsextum. « Adultos cæcos, surdos et mutos nemo unquam baptizare audebit ; tanto minus infantes, qui nec ambulare possunt, nec audire, nec loqui. » Respondeo : Ejusmodi adulti, si indicare possint aliquo modo suam voluntatem, qua baptizari velint, aut certe antea indicaverint, quam in eum morbum inciderent : omnino baptizari possunt ac debent, ut aperte tradit Concilium III Carthagin. cap. 34. et Arausicanum I, can. 12. et Augustinus lib. I de adulterinis conjugiis, cap. 26. de ægrotis, qui repente obmutescunt ; Quod si sciri nequeat eorum voluntas, non baptizantur, quia in iis, qui rationis usum habent, requiritur eorum consensus, ut supra diximus ; quod in infantibus non requiritur, ut quibus sufficit aliorum consensus. Item nescimus de adultis cæcis, mutis et surdis, an non ponant obicem aliquem ; quod de infantibus certe scimus.

CAPUT X.

Quid sentiant adversarii de fide, quæ requiritur in Baptismo parvulorum.

Restat altera quæstio de fide, qua parvuli baptizantur. Sunt autem de hac re duæ extremæ sententiæ hæreticorum, inter quas media incedit sententia Catholicæ Ecclesiæ.

Prima sententia Lutheranorum est, qui fidem actualem, aut aliquid simile actuali fidei parvulis tribuunt. Primus Lutherus anno 20. in lib. de captivit. Babyl. cap. de Baptismo, cum dixisset : « Omnia Sacramenta ad fidem alendam instituta sunt. » Item : « Sacramenta non justificant, nec ulli prosunt, sed sola fides. » Item : « Sacramenta non implentur, dum fiunt, sed dum creduntur, » vidit repugnare his sententiis Baptismum parvulorum, atque eum sibi ipse objecit : « Opponetur, inquit, forsan iis, quæ dicta sunt, Baptismus parvulorum, qui promissionem Dei non capiant, nec fidem Baptismi habere possint. » Respondet autem, ac duo dicit. Primo, infantes credere. Secundo, fidem acquirere, non vi Sacramenti, sed per orationem Ecclesiæ, et fidem offerentium parvulum ad Baptismum ; et sic exponit, quod dici solet, parvulis fide aliena succurri. Quod autem loquatur de fide actuali parvulorum, non de aliquo habitu, patet ex illis ejus verbis : « Sicut verbum Dei potens est, dum sonat, etiam impii cor immutare, quod non minus est surdum et in-

(1) Rom. V, 12 ; Eph. II, 3.

capax, quam ullus parvulus, ita per orationem Ecclesiæ offerentis et credentis, cui omnia possibilia sunt, et parvulus fide infusa mutatur, mundatur et renovatur. » Hæc ille. At certe impius cum ad vocem verbi Dei immutatur, ut velit converti, actualiter immutatur, non habitualiter.

Item Lutherus in lib. contra Cochlæum anno 23 : « Dicimus, inquit, ad Baptismum infantes credere per vim verbi, quo exorcizantur, et per fidem Ecclesiæ eos offerentis, et eis fidem orationibus suis impetrantis. Alioqui mera et intolerabilia essent mendacia, quando baptizans a parvulo quærit, an credat, non baptizaturus, nisi vice ejus respondeatur, Credo. Ut quid interrogat an credat, si certum est, eos non credere? ut Cochlæus contendit. Esto, Augustinus sic aliquando dicat; sed Cochlæo satis sit, esse sic ab homine dictum : nos volumus hoc dictum divinis testimoniis probari. Quin asserimus parvulos prorsus non esse baptizandos, si verum est, in Baptismo non credere, ne illudatur majestatis Sacramentum et verbum. Debemus autem et hunc negatæ in parvulis fidei errorem Sophistis etc. » Ubi apertissime loquitur de fide actuali, non de habituali; neque enim Cochlæus, aut Augustinus, aut Scholastici, quos ille Sophistas vocat, fidem habitualem in parvulis negarunt. Et præterea vult Lutherus fidem esse in parvulis ante Baptismum, dum exorcizantur et interrogantur; illa autem non potest esse fides nisi actualis, habitualis enim non infunditur ante Baptismum, sed in ipso Baptismo. Idem etiam scripsit in lib. ad Waldenses, ubi ait, præstare prorsus omittere Baptismum in parvulis, quam baptizare eos sine fide. Nam si sine fide accipias Sacramentum, magno (ne malo accipies. Et probat ex illo Marc. ult. : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit* (1). Qui locus de actuali fide intelligitur.

Hæc sententia visa est admodum dura omnibus aliis, et peperit tres sectas diversas. Quidam enim negarant parvulos baptizandos, cum omnino crederent sine fide Baptismum nihil prodesse, ut Lutherus dixerat : et simul experimento certissimo tenerent, parvulos non credere, cum aperte renitantur et ejulent cum baptizantur. Atque hi sunt Anabaptistæ, de quibus supra diximus.

(1) Marc. XVI, 16.

Alii non negarunt parvulos baptizandos, sed negarunt fidem in parvulis requiri; et ii sunt Sacramentarii, de quibus mox dicemus, dum alteram sententiam referemus.

Denique alii neque fidem, neque Baptismum parvulorum negarunt, sed mollire conati sunt, et exponere Lutheri sententiam. Itaque anno 36. convenerunt Lutherani ad Conciliabulum Wittembergense, cujus acta exstant apud Cochlæum lib. III Miscellaneorum, tract 8. cap. 2. In ea Pseudosynodo hæc pronuntiata habentur. Primum, rejiciendum esse errorem illorum, qui imaginantur salvari infantes sine aliqua actione ipsorum. Secundum, etsi nos non intelligamus qualis sit illa actio parvulorum, tamen certum esse in eis fieri sanctos et novos motus, sicut in Joanne Baptista, quando exultavit in utero. Tertio, licet non sit imaginandum, quod infantes intelligant, tamen motus eorum, et inclinationes ad credendum, et diligendum Deum, similes esse motibus fidei et dilectionis, et hoc esse intelligendum, cum dicuntur infantes credere.

Hanc mitigationem sententiæ Lutheri, sequi videntur communiter Lutherani. Philippus in locis anni 58. tit. de Baptismo parvulorum : « De infantibus hoc satis est tenere; Spiritus sanctus per Baptismum eis datur, qui efficit in eis novos motus, novas inclinationes ad Deum pro ipsorum modo.» Idem habet Joannes Brentius in Apolog. pro Confess. Wirtemberg. cap. de Baptismo; et David Chitræus in suo Catechismo loco 7. de Baptismo. Item Illyricus cum Centuriatoribus centur. II, cap. 4. col. 63. et centur. V. cap. 4. col. 517. reprehendit Justinum et Augustinum, quod velint infantes in Baptismo non credere fide propria, sed aliena. Denique (ut omittam cæteros) Martinus Kemnitius in 2. par. Exam. Tridentini Concilii ad can. 13. VII. sess. p. 258 et seq. dicit quidem esse difficile intellectu et explicatu, quemadmodum infantes credant: «Tamen, inquit, quomodo hoc simplicissime possit intelligi, explicatur in formula concordiæ inter Theologos Saxoniæ et superioris Germaniæ, anno 1536 constituta etc. » Et ponit breviter summam eorum, quæ ex conventiculo Wirtembergensi supra citavimus.

Est autem hic observandum, Kemnitium mira fraude et artificio, imo aperto mendacio asserere, hanc sententiam conventiculi Wirtembergensis concordare cum Lutheri sententiis supra citatis, et rursum Lutherum cum Augustino; et contra Synodum Tridentinam dissentire in hac re a Synodo generali Viennensi, quod Synodus Viennensis docuerit infantibus in Baptismo infundi habitus fidei, spei et charitatis : Synodo autem Tridentinæ ita sorduerit illud decretum, ut ne mentionem quidem ejus facere voluerit. Quæ mendacia paulo post refellemus; atque hæc de prima sententia.

Altera sententia in altero extremo : infantibus nullam fidem in Baptismo esse necessariam. Hanc videtur primus etiam Lutherus docuisse. Nam licet antequam Anabaptistas exorirentur, illa scripserit, quæ supra citavimus, tamen postquam illi apparuerunt, scripsit librum contra eos, anno 1538. et ubi ad hoc argumentum venisset de fide infantium, dixit nihil interesse, sive credant, sive non credant. Baptismum enim non fundari super fidem dantis, aut recipientis, quæ incertissima est, sed super Dei mandatum et institutionem. Et similia habet in homiliis de Baptismo, anno 37 et 40 habitis : tamen hoc principium Lutheri non est solidum. Nam etiamsi ex eo, quod Sacramentum non pendet a fide nostra, sed a divina institutione, sequatur illud in se semper esse efficax, non tamen sequitur nobis esse utile, et fructuosum, nisi cum fide accipiatur; alioqui etiam, qui ficto animo accedunt, vel peccatum deserere nolunt, per Baptismum purgarentur. Ideo Sacramentarii sequuntur quidem Lutherum in eo, quod scribit non requiri fidem : sed ex alio fundamento id colligunt, nimirum ex promissione facta Abrahæ et semini ejus, vel certe ex divina prædestinatione.

Calvinus lib. IV Instit. cap. 16. cupiebat primam Lutheri sententiam, quam supra explicavimus, defendere, sed non est ausus. Unde sic loquitur §. 18 : « Non satis tutum fuerit, hoc adimere Domino, ne sese illis quoquomodo exhibere cognoscendum queat; » et §. 19 : « Non quod eadem esse fide præditos temere affirmare velim, quam in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei similem. » Hæc ille. Vides quomodo rejicit decretum Wirtembergense? Inde §. 21 : « Quos electione sua dignatus est Dominus, si accepto regenerationis signo præsenti vita ante demigrent, quam adoleverint; eos virtute sui Spiritus nobis incomprehensa renovat, quomodo expedire solus ipse provideat. » Similia habet Theodorus Beza in sua confess. cap. 4. art. 48. et Petrus Martyr in cap. I et VII prioris ad Corinthios, ubi aperte dicit, infantes non intelligere, neque credere, et tamen recte baptizari, quia jam antea sanctificati sunt, et membra Ecclesiæ effecti per donum electionis divinæ, et promissionem parentibus factam. Imo Wolfgangus Musculus, qui interfuerat Conciliabulo Wirtembergensi, postea Sacramentarius factus, in locis communibus, tit. de Pædobaptismo, dicit admodum inconsulte scripsisse Lutherum, si constet parvulos non credere, baptizandos non esse : et hanc fuisse occasionem Anabaptismi.

Tertia sententia Catholicorum est : infantes non habere fidem actualem, nec tamen omni fide carere; sed habere fidem habitualem; et præterea credere fide aliena, et ipsa Baptismi susceptione. Quæ omnia, ut ordine probentur, ponam sequentes propositiones.

CAPUT XI.

Declaratur quæ fides requiratur in Baptismo parvulorum, et refelluntur errores adversariorum.

Prima propositio : « Infantes non habent actualem fidem. » Hæc est contra primam Lutheri sententiam. Probatur Primo, quia Scriptura Deutern. I et Jonæ ult. affirmat, infantes non cognoscere distantiam boni et mali; nec usquam excipit tempus Baptismi. Quare sine Scripturæ testimonio id Lutherus affirmat.

Secundo, Patres hanc sententiam rejiciunt, ut Nazianzenus, qui oratione in sancta lumina, dicit, infantes sine sensu sanctificationis sanctificari, et Augustinus, qui epistol. 57. ad Dardanum ridet hanc Lutheri sententiam, ut quæ injuriam faciat humanis sensibus : et rursus epist. 23. tract. 80. in Joan. lib. IV de Baptismo, cap. 24. et lib. I de peccator. meritis et remiss. cap. 20. dicit, parvulos non habere fidem, quæ est in cogitatione : item non habere sensum fidei : denique non habere quod Paulus dicit :

Corde creditur ad justitiam (1). Ex quibus intelligimus Kemnitium pag. 258. omnino temere et mendaciter scripsisse, eamdem esse in hac re Augustini et Lutheri sententiam. Nam supra ostendimus, a Luthero fidem ipsam actualem tribui parvulis; cujus contrarium tot in locis dicit Augustinus. Quid, quod Lutherus in lib. contra Cochlæum fatetur, contra se in hac quæstione habere Augustinum? et tamen impudens Kemnitius, invitum Lutherum cum invito Augustino concordare suo mendacio voluit.

Tertio, est ratio. Nam fides non potest oriri in mente nisi ex divina revelatione: quæ quidem aut immediate sit a solo Deo, aut per organum verbi Dei prædicati, aut lecti. Primo modo non dicit Lutherus dari infantibus fidem, sed secundo, cum ait eos credere per vim verbi, quo exorcizantur adjuvantibus Ecclesiæ precibus. Et præterea primus ille modus non est ordinarius, sed extraordinarius, et rarissimus, ac solis forte Prophetis et Apostolis concessus; *Fides enim ex auditu*, inquit Paulus Roman. X, loquens de ordinario modo, quo gignitur fides. At si omnibus infantibus fides immediate revelaretur, jam esset modus ordinarius, et possent omnes infantes, dum baptizantur, dici Prophetæ. Quod autem Secundo modo non oritur in infantibus fides, patet manifesto experimento. Si enim verbum exorcismi gigneret fidem, certe audiretur, et intelligeretur ab infantibus: proinde attente auscultarent infantes; cujus contrarium videmus. Deinde exorcismus non refertur ad fidem docendam, sed ad Dæmones coercendos. Denique hoc est ponere novum miraculum in auribus, et mente infantium. Neque valet, quod Lutherus adfert de orationibus, et fide offerentium. Nam aliquando contingit, ut offerentes, et parentes, et ipsi baptizantes sint infideles, et tamen vere et utiliter detur infantibus Baptismus, ut Augustinus docet, epist. 23. Neque ea vis est orationum, et fidei offerentium, ut infallibiliter miracula impetrent. Et denique si Deus miraculum facit in mente infantuli, ut corde credat ad justitiam, cur non facit etiam in lingua, ut ore confiteatur ad salutem? Forte hoc est impossibile Deo; aut orationibus, et fide impetrari nequit? At facillimum esse, testatur asina Balaam, quæ Deo volente locuta est sapienter, Num. XXII.

Quarto, probatur ratione Augustini in epist. 57. quia cum constet infantes, et vocis ejulatu, et motibus corporis reluctari, et obstrepere Baptismo, si vere intelligerent (quod necesse est, si credere debent) quid agatur, rei fierent ingentis sacrilegii, nec abluerentur, sed magis sordidarentur.

Secunda propositio: « Non habent infantes, dum baptizantur, ullos novos motus, et inclinationes similes actibus fidei, et dilectionis. » Hæc est contra figmentum Conciliabuli Wirtembergensis, et Philippi, Kemnitii, et aliorum Lutheranorum. Probatur: Primo, quia repugnat verbo Dei. Isti enim volunt hos ipsos motus infantium sine cognitione esse, et dici fidem, licet improprie, et eo modo infantes non justificari sine aliqua fide. At in tota Scriptura nusquam habetur nomen fidei in ea significatione, ut designet motum quemdam sine sensu, et sine cognitione; sed potius in contraria, ut patet Rom. X: *Fides ex auditu.* Hebr. XI: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei* (2), et sic de aliis locis.

Secundo, repugnat rationi. Nam aut illi motus, et inclinationes sunt in corpore, aut in animo. Si in corpore, non possunt esse similes actibus fidei, et dilectionis, qui sunt in animo; nec enim corporalia dicuntur similia spiritualibus, nisi metaphorice, et per quamdam analogiam. Et præterea non potest fieri, ut motus et inclinatio ad credendum Deo, et diligendum Deum, sint corporales, cum Deus sit objectum spirituale et altissimum, quod vix mente attingi aliquo modo potest. Si autem sint in animo, est implicatio contradictionis, quod sint absque cognitione. Quid enim est motus intellectus, nisi intelligere? non enim aliter moveri potest intellectus, nisi intelligendo; sicut nec oculus, nisi videndo; nec sensus audiendi, nisi audiendo. Et quomodo potest voluntas inclinari, nisi præcedente cognitione? cum objectum voluntatis non sit aliud, nisi bonum cognitum.

Tertio, repugnat ipsi Luthero. Nam Lutherus locis antea citatis, illam fidem ponit in parvulis, de qua sæpe dixerat, quod sola justificet. Certum autem est, fidem justificantem non esse motum sine cognitione: alioqui etiam bestiæ justificari possent. Voluit etiam Lutherus fidem in parvulis gigni ex auditu verborum exorcismi; proinde non

(1) Rom. X, 10. — (2) Rom. X, 17; Hebr. XI, 3.

sine cognitione posuit fidem. Præterea Lutherus volebat, fidem in parvulis esse ante Baptismum, ut posset vere responderi ministro baptizature, parvulum credere: at auctores hujus sententiæ dicunt, per Baptismum dari parvulis istos motus. Sic enim loquitur Philippus loco cit.: « Spiritus sanctus per Baptismum eis datur, qui efficit in eis novos motus, et inclinationes etc. » Et similiter Kemnitius pag. 259. dicit, effundi Spiritum regenerationis in infantes, dum baptizantur, et operari in illis sanctos motus etc. Quare falso affirmat pagina superiore idem Kemnitius, Lutherum idem sensisse, quod ipse sentit.

Quarto, repugnat doctrinæ, et principiis communibus omnium Lutheranorum. Nihil enim est apud eos certius, et communius, quam sola fide justificari hominem; et Sacramenta nihil esse aliud, nisi instrumenta excitandæ vel nutriendæ fidei. At certe si motus illi infantium sine vera fide illis sufficiunt ad justificationem, et ad Baptismum utiliter suscipiendum; falsum est sola fide hominem justificari. Neque dicere possunt, hos ipsos motus esse fidem. Nam quando loquuntur de fide in materia justificationis, semper intelligunt per fidem apprehensionem divinæ misericordiæ, quæ sine cognitione esse non potest. Præterea cum isti motus immediate excitentur a Deo, ut ipsi volunt, et non per Sacramenta, quæ more concionis provocent fidem per externos sensus, certe ruit illud principium, Sacramenta non justificare, nisi fidem excitando more concionis. Itaque si quis recte judicet, positis principiis de sola fide justificante, minus absurda est Lutheri sententia, quæ fidem parvulis tribuit, quam Conciliabuli Wirtembergensis, quod motum sine cognitione iisdem concedit. Lutherus enim novum miraculum falso excogitavit, sed eo posito, omnia illi constant: isti autem et miraculum fingunt, et eo posito destruunt sua ipsorum principia, et cum aperta ratione pugnant.

Tertia propositio: « Infantes non justificantur sine ulla fide. » Hæc est contra Sacramentarios: et probatur. Primo, quia Scriptura affirmat fidem esse medium ad salutem necessarium, Joan. III: *Qui non credit, jam judicatus est.* Ex quo loco Augustinus probat, infantes baptizatos habere aliquam fidem, lib. I. de peccatorum meritis et remiss. cap. 33. Nam eo loco Dominus non loquitur de præcepto credendi, quo sine dubio non tenentur parvuli, sed de medio ad salutem. Nam antea dixerat: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et subjunxit: *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est.* (1) Sicut igitur aspicere æneum serpentem, non tam fuit præceptum, quam remedium unicum salutis: ita et fides in hoc loco Evangelii asseritur necessaria, ut remedium, non ut præceptum.

Secundo, probatur ex illo Hebr. XI: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item Roman. III: *Arbitramur hominem justificari per fidem* (2), quod passim repetit, et inculcat Paulus. Quomodo igitur sine ulla fide justificari et placere Deo possunt infantes? At inquiunt Calvinus et Martyr: « Si Deus prædestinavit infantes, et promisit se fore Deum ipsorum, sine dubio dabit illis Spiritum sanctum, eosque justificabit modo aliquo sibi noto, licet non per fidem. » Respondeo: Prædestinationem non impleri, nisi per ea media, quæ in Scripturis nobis sunt revelata. Porro Apostolus Roman. VIII. satis perspicue explicat media, cum ait: *Quos prædestinavit, hos et justificavit; quos justificavit, hos et magnificavit* (3). Idem vero Apostolus in eadem epistola, cap. III, IV, V, VI, VII, VIII, IX et X. nihil aliud contendit, nisi justificationem non contingere sine fide. Quare tribuere parvulis justificationem sine fide, et ante vocationem, id est, ante Baptismum, quo solo vocari possunt infantes, quid est aliud, nisi contra verbum Dei fingere novam justificationem?

Quarta propositio: « Infantibus in Baptismo infunditur habitus fidei, spei, et charitatis. » Hæc in primis certa est Catholicis ex auctoritate Conciliorum, et Doctorum. Nam licet aliquando disputatum fuerit, an infantes reciperent cum gratia justificante habitus harum virtutum, tamen semper fuit communior sententia, infundi parvulis per Baptismum hos habitus. Ita enim S. Thom. 3. par. quæst. LXIX, art. 6. item Scotus, Durandus, Gabriel, et cæteri fere omnes in 3. dist. 23. Quocirca Concilium Viennense generale, ut habemus Clement. I. de summa Trinitate et fide Catholica, definit hanc sen-

(1) Joan. III, 14 et 18. — (2) Hebr. XI, 6; Rom. III, 28. — (3) Rom. VIII, 30.

tentiam esse probabiliorem, et magis conformem testimoniis tam veterum, quam recentium Theologorum. Neque hæc sententia sorduit Tridentino Concilio, ut audacter mentitur Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 261. Nam licet Concilium Tridentinum non fecerit mentionem Concilii Viennensis; tamen illam ipsam sententiam recepit, ac definivit ut certam. Nam sess. V in decreto de peccato originis, definit infantes in Baptismo justificari, ita ut si moriantur in eo statu, nihil sit, quod eos ab ingressu coeli remoretur. Deinde sess. VI, c. 7. definit Concilium, in Baptismo infundi cum remissione peccatorum hæc omnia dona, fidem, spem, et charitatem, eaque menti inhærere.

Secundo, potest hæc eadem sententia colligi ex Scripturis, quibus supra probavimus, sine fide parvulos non salvari. Cum enim constet, fidem proprie non significare, nisi actum, vel habitum, et simul constet in parvulis actum fidei esse non posse; certe sequitur, ut in eis sit habitus, Item ex Scripturis supra probavimus, infantes recte baptizari, et per Baptismum justificari, et salvari. Item constat ex Scripturis, justificationem nullam esse sine fide: igitur constare etiam debet, infantes habere saltem habitualem fidem.

Tertio, probatur ex Patribus, qui licet non meminerint expresse horum habituum, tamen aliis verbis idem dicunt. Primum enim omnes Græci, et multi Latini dicunt, Baptisma esse illuminationem, et qui baptizantur, illuminari. Unde etiam Augustin. tract. 44. in Joan. dicit, cæcum natum, cum a Christo fuit inunctus, factum esse quodammodo Catechumenum; cum fuit illuminatus, fuisse quodammodo baptizatum. Id autem Patres sine dubio dicunt propter fidem, quæ in Baptismo recipitur, quæ est lumen cordis, ut exponit S. Thomas 3. par. quæst. LXIX, art. 5. Et idem colligitur ex illo Actor. XV: *Fide purificans corda eorum* (1). Et denique, quia sola fides ad intellectum pertinet ex virtutibus Theologicis, in quibus consistit justificatio, quæ acquiritur in Baptismo. At non recipitur in Baptismo actus fidei. Actus enim præcedit in adultis, ut dispositio; in infantibus nullus est fidei actus: igitur Baptismus illuminat ratione habitus, qui in eo infunditur. Adde quod Augustinus in lib. I. de peccatorum meritis et remissione, cap. 26. in fine, affirmat infantulos per Baptismum non solum purgari, sed etiam illuminari, quod, ut dictum est, non nisi per fidem fieri potest.

Quarto, probatur ratione. Nam parvuli baptizati vere dicuntur, et sunt fideles, ut Augustinus docet, lib. I. de peccatorum meritis, et remiss. cap. 33. et Concilium Tridentinum, sess. VII, can. 13. de Baptismo. At fideles non dicimur ab actu, sed ab habitu fidei: alioqui cum dormimus, aut etiam cum vigilamus, sed de fide non cogitamus, non essemus fideles. Unde Augustinus loco citato, cum dixisset parvulos esse fideles, addit: « Hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti, et offerentium responsionem. » Ubi apertissime significat parvulos dici fideles, tum ab habitu, qui infunditur virtute Sacramenti, tum ab actu fidei alienæ.

Item, Deus in nobis habitat per fidem et charitatem, Ephes. III: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* I. Joan. IV: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (2). At in parvulis baptizatis Deus habitat, ut Augustinus docet in epist. 57. ad Dardanum: igitur habent etiam parvuli baptizati illa dona saltem quoad habitum.

Denique, Deus infundit parvulis suis occultam gratiam, cum baptizantur, ut Augustinus docet, lib. I, cap. 9. de peccatorum meritis, et remiss. Sed gratia justificationis infusa in cordibus, consensu omnium Theologorum, aut est charitas, cum fide et spe; aut certe est quædam alia qualitas, cum qua infallibiliter conjunctæ sunt tres illæ virtutes.

Quinta propositio: « Parvuli actu credunt, partim reipsa dum baptizantur, partim aliena fide. » Prior pars est Augustini lib. I de peccatorum meritis et remiss. cap. 27. ubi dicit, infantibus ipsum baptizari esse credere, quia nimirum ipsa actio est fidei professio. Similia habet ep. 23. Quemadmodum etiam de sanctis Innocentibus Ecclesia loquitur, cum ait, eos non loquendo, sed moriendo confessos esse. Neque de hac re ulla potest esse controversia. Posterior pars est contra temeritatem Illyrici, Kemnitii, et aliorum, qui errorem Papistici esse volunt, baptizari parvulos in fide Ecclesiæ. Sufficit autem ad hanc assertionem probandam, consensus Patrum. Ita

(1) Act. XV, 9. — (2) Eph. III. 17; I. Joan. IV, 16.

enim docet Justinus quæst. 56. Dionysius de Eccles. hierarch. cap. ult. Ambrosius, vel quicumque est auctor, in cap. XI. ad Hebr. Augustinus lib. III de libero arbit. c. 23. ubi dicit, hanc esse totius Ecclesiæ sententiam. Item epist. 23, 57 et 105. lib. IV de Baptismo, cap. 24 et 25. et serm. 10. et 14. de verbis Apostoli; Prosper de vocatione Gent. lib. II, cap. 8. et Bernardus serm. 66. in Cantica, et denique Concilium Tridentinum sess. VII, can. 13.

Est autem hoc loco observandum, duplicem fidem requiri in Baptismo. Actualem unam, quæ præcedit Baptismum, ut dispositio quædam; et ea est, quæ exigitur a baptizandis, cum jubentur recitare Symbolum, et interrogantur an credant. Quæ quidem, ut plurimum, judicio gravium doctorum, non est ex habitu fidei, sed ex auxilio speciali Dei. Unde Catechumeni cum ista fide adhuc non dicuntur fideles a Patribus. Altera est, quæ sequitur Baptismum, qæque est pars essentialis justificationis, et non est actus, sed habitus; et hanc intelligunt baptizandi, cum interrogati, quid petant, respondent: « Fidem vitam æternam præstantem, » ut habemus in Concilio Tridentino sess. VI, cap. 7. et in libris qui tractant de ritu Baptismi. Jam igitur, cum Patres dicunt, parvulos baptizari in fide parentum, aut Ecclesiæ, non loquuntur de fide posteriore, sed de priore. Et cum dicimus parvulos baptizari in fide parentum, non est sensus, parvulos justificari formaliter, aut esse fideles aliena fide; ut perperam colligunt Kemnitius et Illyricus locis citatis, ubi etiam perperam citant illud Habac. II: *Justus ex fide sua vivit* (1). Non enim ullus Catholicorum docuit unquam, parvulos vivere fide aliena, sed sua habituali. Neque etiam est sensus, ut exponit Lutherus, parvulis impetrari fidem qua justificentur, a fide et precibus offerentium, et Ecclesiæ. Fidem enim justificantem habent parvuli infusam ex opere operato Sacramenti, non ex opere operantis ministri, aut Ecclesiæ. Sed sensus est, fidem actualem, quæ requiritur ut dispositio ad Sacramentum, non haberi a parvulis propriam, sed alienam.

Dices: Quid prodest parvulo fides aliena? Respondeo: Multum omnino prodest. Primum enim eos ad Baptismum adducit. Ut enim adulti, nisi credant, ad Baptismum non veniunt; sic etiam nisi parentes, aut aliqui alii, qui infantium curam gerunt, credant, non eos ad Baptismum deferent. Itaque sicut propria fides unicuique prodest, quia est causa proprii Baptismi; ita fides aliena prodest infanti, quia est causa, ut infans baptizetur. Et contra infidelitas patris multum obest infanti, quia est causa ne ille baptizetur. Atque hanc utilitatem persequitur Prosper loco citato. Altera utilitas est, quod hoc modo Deum honorant, et colunt, dum fidem profitentur, et Satanæ abrenuntiant, et implent, quæ ad ritum Baptismi pertinent, saltem per os alienum. Habet enim Deus ratum hoc obsequium per alios præstitum, cum ipsi per se non possint. Et hoc est, quod sæpe inculcat Augustinus locis citatis.

Ex quibus omnibus colligitur, fidem alienam non esse ita necessariam, ut non sit Baptismus verus, aut fructuosus, si ea desit, quandoquidem non est de essentia justificationis, vel Baptismi; tamen esse necessariam ad solemnitatem ritus, ac cæremoniæ, et sæpe, ut diximus, ad ipsum Baptismum parvulis tradendum; quia si nemo haberet fidem, nemo curaret parvulos baptizari. Superest argumenta ipsorum solvere, quæ pauca sunt et levia.

Argumentum primum Lutheri est contra primam propositionem: « Si infantes non crederent, illuderetur Sacramentis sacrilego mendacio, dum respondetur pro infante: Credo. » Respondeo: Nullum est ibi mendacium. Non enim qui respondet: Credo, significat infantem credere, proprio actu, sed alieno. Ut enim Augustinus loquitur serm. 10. de verbis Apostoli: « Accommodat Mater Ecclesia infantibus aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut confiteantur. » Idque non injuria: cum peccato alieno prægraventur, id est, ab alio contracto, licet sibi vere et proprie inhærente.

Secundum argumentum, Matth. XVIII: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt* (2). « Igitur pusilli credunt. » Respondeo: Pusilli, de quibus loquitur Evangelium, non infantes, sed pueri grandiores erant. Nam vocavit eos Dominus ad se; et scandalizari posse dixit; at venire suis pedibus, et scandali capacem esse, infantibus non convenit.

(1) Habac. II, 4. — (2) Matth. XVIII, 6.

Tertium argumentum contra secundam propositionem : « Joannes Baptista exultavit in utero, Luc. II. Non igitur mirum, si habeant infantes noves motus. » Respondeo Primo, exemplum unum non facere regulam generalem, ut Augustinus de hac ipsa re loquens testatur epist. 57. At quia Kemnitius dicit, hoc exemplo non se probare velle, id ita esse in omnibus infantibus, sed tantum esse posse. Respondeo Secundo, Joannem Baptistam non habuisse motum sine cognitione, ut isti fingunt. Nam ut Ambrosius, et Beda in commentario ejus loci, testantur, Joannes cognovit Domini præsentiam, et inde exultavit. Ipsum quoque Evangelium, dum ait, exultasse illum in gaudio, satis aperte docet, illum non caruisse cognitione.

Quartum argumentum, contra eamdem propositionem : « Infantes salvari possunt, dicente Domino, Marc. X : « Nisi quis acceperit regnum cœlorum, sicut parvulus, non intrabit in illud. Igitur oportet infantes recipere Spiritum sanctum, et proinde aliquam ejus operationem. At non possunt recipere fidem cum cognitione ; ergo novum motum sine cognitione. » Respondeo, ultima consequentia nihil valet ; possunt enim recipere, et reipsa recipiunt infantes habitum fidei, qui neque est fides cum cognitione, neque motus sine cognitione.

CAPUT XII.

Qui sint veri, aut falsi effectus Baptismi.

Sequitur Septima controversia de effectu Baptismi. Duæ sunt autem quæstiones de hac re. Una de veris effectibus, quos agnoscunt Catholici. Altera de falsis effectibus, quos adversarii Baptismo tribuunt.

Veri effectus apud Catholicos tres sunt. Primo enim Baptismus tollit, ac delet vere omnem culpam et pœnam. Secundo confert ex opere operato gratiam, et non divina, quibus vere, et formaliter justificatur homo. Tertio imprimit indelebilem characterem, ob quem reiterari non potest. Ad hos revocantur illi, quos Patres enumerant, et maxime Nazianzenus orat. in sanctum lavacrum, et Chrysostomus homil. 1. ad Neophytos, ut quod faciat animam pulchram, Deo dilectam, splendentem, quod eam obsignet regio sigillo, quod faciat hæredem Dei, quod aperiat regnum cœlorum, et similia. Adversarii Primum effectum negant ; dicunt enim peccata per Baptismum non vere tolli, sed tantum non imputari. Secundum etiam negant. Nolunt enim justificari hominem ex opere operato per Sacramenta, sed solum per fidem. Tertium absolute negant, et idcirco non possunt sufficientem causam reddere, cur Baptismus non repetatur. Sed de duobus effectibus posterioribus satis multa diximus in disputatione de Sacramentis in genere : solum de primo hic agendum est. Atque hæc erit Prima quæstio ; An Baptismus vere tollat peccata.

Porro adversarii alios quinque effectus Baptismi enumerant. Primum, quod baptizatus non possit damnari, etiamsi velit, nisi nolit credere. Secundum, quod Baptismus liberet ab obedientia divinæ legis. Tertium, quod liberet ad humanarum legum observationem. Quartum, quod liberet ab omnibus votis. Quintum, quod sola memoria Baptismi justificet a peccatis, quæ fiunt post Baptisma. Qui certe non tam sunt Baptismi effectus, quam Lutheranorum errores ; ac merito damnantur a Concilio Tridentino sess. VII. totidem canonibus, id est, 6, 7, 8, 9 et 10. De his igitur effectibus erit altera quæstio.

CAPUT XIII.

Quod Baptismus vere tollat peccatum.

Quod igitur attinet ad Primam quæstionem, fuit hæresis antiquissima Origenistarum, peccata non tolli per Baptismum, sed solum tegi : tolli autem peccata tandem per mortem. Ita habet Proclus quidam Origenista apud Epiphanium hæresi 64, ubi etiam ponit refutationem hujus hæresis ex libro S. Methodii Martyris de resurrectione. Similem hæresim postea excitarunt Messaliani, teste Theodoreto lib. IV de fabulis hæreticor. Item rursum alii quidam tempore S. Gregorii, ut ipse refert lib. IX, ep. 39. ad Theoctistam Patritiam.

Hoc nostro sæculo idem docent omnes Lutherani. Nam Lutherus ipse art. 2. ex iis, quos anno 20. Leo X damnavit, sic ait : « In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum, et Christum simul conculcare. » Deinde in assertione ejusdem articuli : « Aliud est, inquit, omnia peccata remitti aliud omnia tolli ; Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere. » Similia habet Joannes Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini sess. V, ubi refellit decretum de peccato originis : « Manet, inquit, vere peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est. » Idem habet lib. IV Instit. cap. 15, §. 10 et 11. Idem etiam Philippus in Apolog. 2. artic. Confessionis Augustanæ. Ubi notandum est insigne mendacium. Sic enim Philippus : « Augustinus ait : Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. » Atque hoc idem dixerat Lutherus in assert. 2. art. et Joannes Roffensis convicit eum mendacii, ostendens Augustinum non hoc dicere. Editus est autem liber Roffensis anno 1523, et tamen Philippus anno 1530, iterum idem mendacium protulit. Præterea testatur Cochlæus in discussione Confessionis Augustanæ, artic. 2. ipsum Philippum ab Eckio convictum, et confessum esse, locum Augustini male esse citatum : et tamen idem mendacium toties detectum, et confutatum, iterum scripserunt in lib. Concordiæ Latino, p. 39. edito anno 1580, et semper repetunt, cum Apologiam illam imprimunt. Denique Martinus Kemnitius in Examine V sess. Concilii Tridentini, pag. 430. et sequentib. idem defendit, quamvis magis caute. Fatetur enim primo remitti in Baptismo omnia peccata, quin etiam tolli, ac deleri, et solum restare reliquias quasdam peccati originalis. Deinde tamen addit illas reliquias esse quiddam, quod malum sit, et malum culpæ, et secundum Scripturas peccatum dicatur, et quod hominem damnare posset, si Deus imputare illud vellet. Quod est dicere : Peccatum in Baptismo remitti, non quia tollitur, sed quia non imputatur.

Contra hunc errorem gravissimum et perniciosissimum statuit Concilium Tridentinum, sess. V decretum, quo affirmat per Baptismum tolli reipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati.

Est autem hic observandum, fundamentum adversariorum non esse aliud, nisi quia putant ipsam concupiscentiam, quam certum est manere etiam in baptizatis, usque ad mortem, esse vere et proprie peccatum, licet ei non consentiamus, sed repugnemus. Quæ quidem quæstio non est hujus loci, sed tractari solet, et a nobis tractata est in disputatione de peccato originis. Et quia ita conjuncta est illa cum ista, ut una explicata, etiam altera terminetur ; potuisset fortasse hoc loco ista quæstio præteriri : tamen quia alia sunt argumenta, quibus probatur Baptismum tollere omnia peccata ; et alia, quibus probatur concupiscentiam non esse peccatum, nisi improprie, ideo visum est hic tractare propositam quæstionem, licet ut dixi, ex definitione unius consequatur etiam alterius definitio.

Primo igitur probatur ex Scripturis, Baptismo reipsa tolli omnia peccata, ita ut non solum non imputetur, sed nec sit quod imputari possit ad culpam. Et quia Scripturarum testimonia plura sunt, reducam ea ad aliquot capita.

Primum est eorum, quæ habent vocabula mundandi, lavandi, tollendi, delendi, auferendi, et similia, quæ in primis pugnant cum modo loquendi adversariorum, ac præsertim Lutheri ; et præterea non possunt nisi ineptissime exponi per non imputari. Non enim dicitur recte quis tollere ab alio ignorantiam, vel malitiam, quia ignoscit illi, quod aliquid ignoranter, aut malitiose fecerit. Loca hæc sunt, Psalm. L : *Dele iniquitatem. Amplius lave me.* Michææ VII : *Aufers iniquitatem.* Joan. I : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ephes. V : *Mundans eam lavacro* (1). Kemnitius in Exam. p. 501. respondet, Paulum non dixisse, *Mundavit*, sed *Mundans*, quia quotidie ea mundat, donec exhibeat eam in die judicii gloriosam. At non consideravit Kemnitius illud, quod sequitur : *Lavacro aquæ in verbo vitæ.* Mundatio enim per lavacrum aquæ, id est, per Baptismum non fit quotidie, nisi in diversis hominibus, qui veniunt ad Baptismum. Solum enim baptizatur quisque semel, et tum mundatur, et efficitur sine macula et ruga, quamvis Christus id quotidie faciat in diversis, ut in die judicii totum corpus suum, id est, omnes electos exhibeat sine macula et ruga.

Secundum caput est eorum locorum, qui

(1) Psal. L, 3 et 4 ; Matth. VII, 18 ; Joan. I, 29 ; Eph. V, 26.

Tertium argumentum contra secundam propositionem : « Joannes Baptista exultavit in utero, Luc. II. Non igitur mirum, si habeant infantes noves motus. » Respondeo Primo, exemplum unum non facere regulam generalem, ut Augustinus de hac ipsa re loquens testatur epist. 57. At quia Kemnitius dicit, hoc exemplo non se probare velle, id ita esse in omnibus infantibus, sed tantum esse posse. Respondeo Secundo, Joannem Baptistam non habuisse motum sine cognitione, ut isti fingunt. Nam ut Ambrosius, et Beda in commentario ejus loci, testantur, Joannes cognovit Domini præsentiam, et inde exultavit. Ipsum quoque Evangelium, dum ait, exultasse illum in gaudio, satis aperte docet, illum non caruisse cognitione.

Quartum argumentum, contra eamdem propositionem : « Infantes salvari possunt, dicente Domino, Marc. X : « Nisi quis acceperit regnum cœlorum, sicut parvulus, non intrabit in illud. Igitur oportet infantes recipere Spiritum sanctum, et proinde aliquam ejus operationem. At non possunt recipere fidem cum cognitione ; ergo novum motum sine cognitione. » Respondeo, ultima consequentia nihil valet ; possunt enim recipere, et reipsa recipiunt infantes habitum fidei, qui neque est fides cum cognitione, neque motus sine cognitione.

CAPUT XII.

Qui sint veri, aut falsi effectus Baptismi.

Sequitur Septima controversia de effectu Baptismi. Duæ sunt autem quæstiones de hac re. Una de veris effectibus, quos agnoscunt Catholici. Altera de falsis effectibus, quos adversarii Baptismo tribuunt.

Veri effectus apud Catholicos tres sunt. Primo enim Baptismus tollit, ac delet vere omnem culpam et pœnam. Secundo confert ex opere operato gratiam, et non divina, quibus vere, et formaliter justificatur homo. Tertio imprimit indelebilem characterem, ob quem reiterari non potest. Ad hos revocantur illi, quos Patres enumerant, et maxime Nazianzenus orat. in sanctum lavacrum, et Chrysostomus homil. 1. ad Neophytos, ut quod faciat animam pulchram, Deo dilectam, splendentem, quod eam obsignet regio sigillo, quod faciat hæredem Dei, quod aperiat regnum cœlorum, et similia. Adversarii Primum effectum negant ; dicunt enim peccata per Baptismum non vere tolli, sed tantum non imputari. Secundum etiam negant. Nolunt enim justificari hominem ex opere operato per Sacramenta, sed solum per fidem. Tertium absolute negant, et idcirco non possunt sufficientem causam reddere, cur Baptismus non repetatur. Sed de duobus effectibus posterioribus satis multa diximus in disputatione de Sacramentis in genere : solum de primo hic agendum est. Atque hæc erit Prima quæstio ; An Baptismus vere tollat peccata.

Porro adversarii alios quinque effectus Baptismi enumerant. Primum, quod baptizatus non possit damnari, etiamsi velit, nisi nolit credere. Secundum, quod Baptismus liberet ab obedientia divinæ legis. Tertium, quod liberet ad humanarum legum observationem. Quartum, quod liberet ab omnibus votis. Quintum, quod sola memoria Baptismi justificet a peccatis, quæ fiunt post Baptisma. Qui certe non tam sunt Baptismi effectus, quam Lutheranorum errores ; ac merito damnantur a Concilio Tridentino sess. VII. totidem canonibus, id est, 6, 7, 8, 9 et 10. De his igitur effectibus erit altera quæstio.

CAPUT XIII.

Quod Baptismus vere tollat peccatum.

Quod igitur attinet ad Primam quæstionem, fuit hæresis antiquissima Origenistarum, peccata non tolli per Baptismum, sed solum tegi : tolli autem peccata tandem per mortem. Ita habet Proclus quidam Origenista apud Epiphanium hæresi 64, ubi etiam ponit refutationem hujus hæresis ex libro S. Methodii Martyris de resurrectione. Similem hæresim postea excitarunt Messaliani, teste Theodoreto lib. IV de fabulis hæreticor. Item rursum alii quidam tempore S. Gregorii, ut ipse refert lib. IX, ep. 39. ad Theoctistam Patritiam.

Hoc nostro sæculo idem docent omnes Lutherani. Nam Lutherus ipse art. 2. ex iis, quos anno 20. Leo X damnavit, sic ait : « In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum, et Christum simul conculcare. » Deinde in assertione ejusdem articuli : « Aliud est, inquit, omnia peccata remitti aliud omnia tolli ; Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere. » Similia habet Joannes Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini sess. V, ubi refellit decretum de peccato originis : « Manet, inquit, vere peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est. » Idem habet lib. IV Instit. cap. 15, §. 10 et 11. Idem etiam Philippus in Apolog. 2. artic. Confessionis Augustanæ. Ubi notandum est insigne mendacium. Sic enim Philippus : « Augustinus ait : Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. » Atque hoc idem dixerat Lutherus in assert. 2. art. et Joannes Roffensis convicit eum mendacii, ostendens Augustinum non hoc dicere. Editus est autem liber Roffensis anno 1523, et tamen Philippus anno 1530, iterum idem mendacium protulit. Præterea testatur Cochlæus in discussione Confessionis Augustanæ, artic. 2. ipsum Philippum ab Eckio convictum, et confessum esse, locum Augustini male esse citatum : et tamen idem mendacium toties detectum, et confutatum, iterum scripserunt in lib. Concordiæ Latino, p. 39. edito anno 1580, et semper repetunt, cum Apologiam illam imprimunt. Denique Martinus Kemnitius in Examine V sess. Concilii Tridentini, pag. 430. et sequentib. idem defendit, quamvis magis caute. Fatetur enim primo remitti in Baptismo omnia peccata, quin etiam tolli, ac deleri, et solum restare reliquias quasdam peccati originalis. Deinde tamen addit illas reliquias esse quiddam, quod malum sit, et malum culpæ, et secundum Scripturas peccatum dicatur, et quod hominem damnare posset, si Deus imputare illud vellet. Quod est dicere : Peccatum in Baptismo remitti, non quia tollitur, sed quia non imputatur.

Contra hunc errorem gravissimum et perniciosissimum statuit Concilium Tridentinum, sess. V decretum, quo affirmat per Baptismum tolli reipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati.

Est autem hic observandum, fundamentum adversariorum non esse aliud, nisi quia putant ipsam concupiscentiam, quam certum est manere etiam in baptizatis, usque ad mortem, esse vere et proprie peccatum, licet ei non consentiamus, sed repugnemus. Quæ quidem quæstio non est hujus loci, sed tractari solet, et a nobis tractata est in disputatione de peccato originis. Et quia ita conjuncta est illa cum ista, ut una explicata, etiam altera terminetur ; potuisset fortasse hoc loco ista quæstio præteriri : tamen quia alia sunt argumenta, quibus probatur Baptismum tollere omnia peccata ; et alia, quibus probatur concupiscentiam non esse peccatum, nisi improprie, ideo visum est hic tractare propositam quæstionem, licet ut dixi, ex definitione unius consequatur etiam alterius definitio.

Primo igitur probatur ex Scripturis, Baptismo reipsa tolli omnia peccata, ita ut non solum non imputetur, sed nec sit quod imputari possit ad culpam. Et quia Scripturarum testimonia plura sunt, reducam ea ad aliquot capita.

Primum est eorum, quæ habent vocabula mundandi, lavandi, tollendi, delendi, auferendi, et similia, quæ in primis pugnant cum modo loquendi adversariorum, ac præsertim Lutheri ; et præterea non possunt nisi ineptissime exponi per non imputari. Non enim dicitur recte quis tollere ab alio ignorantiam, vel malitiam, quia ignoscit illi, quod aliquid ignoranter, aut malitiose fecerit. Loca hæc sunt, Psalm. L : *Dele iniquitatem. Amplius lave me.* Michææ VII : *Aufers iniquitatem.* Joan. I : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ephes. V : *Mundans eam lavacro* (1). Kemnitius in Exam. p. 501. respondet, Paulum non dixisse, *Mundavit*, sed *Mundans*, quia quotidie ea mundat, donec exhibeat eam in die judicii gloriosam. At non consideravit Kemnitius illud, quod sequitur : *Lavacro aquæ in verbo vitæ.* Mundatio enim per lavacrum aquæ, id est, per Baptismum non fit quotidie, nisi in diversis hominibus, qui veniunt ad Baptismum. Solum enim baptizatur quisque semel, et tum mundatur, et efficitur sine macula et ruga, quamvis Christus id quotidie faciat in diversis, ut in die judicii totum corpus suum, id est, omnes electos exhibeat sine macula et ruga.

Secundum caput est eorum locorum, qui

(1) Psal. L, 3 et 4 ; Matth. VII, 18 ; Joan. I, 29 ; Eph. V, 26.

dicunt tolli maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates. Nam secundum adversarios non tollitur per Baptismum peccatum, nisi quoad reatum, id est, quoad obligationem ad pœnam, manere autem volunt ipsam peccati fœditatem, quæ erat causa illius reatus. Voces autem, « Maculæ, inquinamenti, iniquitatis, » et similia non significant reatum, id est, obligationem illam, quæ potest tolli per non imputationem, sed significant ipsam fœditatem, quam illi manere volunt. Cantic. IV : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*. Similis est locus Evangelii, Joan. XIII : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*. Pouderat hunc locum Gregor. lib. IX, epist. 39. Non enim vere potest dici mundus totus, in quo aliquid relinquitur, quod maculæ rationem habeat. Ezech. XXXVI : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Ephes. I : *Elegit nos, ut essemus sancti, et immaculati*. Coloss. I : *Reconciliavit vos in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles* (2). Ubi vides, non solum non habere maculam, sed nec aliquid, unde reprehendi possint. Quod intelligitur quantum attinet ad ipsam justificationem a Deo acceptam ; nam postea bene possunt homines labi, et facere digna reprehensione. Ex quo tollitur evasio Kemnitii, qui respondet, pag. 496. et seq. objiciendo alia loca ; ubi jubemur emundari ab omni inquinamento carnis, et spiritus, II. Cor. VII, et exuere veterem hominem, et induere novum. Ephes. IV et Coloss. III. Sed hæc et similia intelliguntur vel de peccatis, quæ postea fiunt, vel de mortificatione sensuum et inclinationum, quæ ad malum provocant, licet formaliter peccata non sint.

Tertium caput est ex figuris Baptismi. Nam multiplex figura præcessit. Una in Circumcisione, Coloss. II. Altera, in mari rubro, I. Cor. X. Tertia, in Jordane sanante lepram, IV. Reg. V. Quarta, in suffocatione porcorum, Matt. VIII, quam allegat Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum. Quinta, in probatica piscina, Joan. V. Sexta, in lotione, et curatione cæci nati, Joan. IX, quam explicat Augustinus, tract. 44 in Joan. At in Circumcisione vere, non autem per solam imputationem abscindebatur caro. In mari rubro, vere et proprie suffocati sunt Ægyptii, quibus ante Hebræi serviebant. Quare S. Gregorius, lib. IX, epist. 39. hunc locum tractans : « Qui, inquit, dicit, peccata in Baptismate, non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. » Idem quoque de aliis dicendum est.

Quartum caput continet ea loca, quæ comparant mundationem justificationis rebus vere, et proprie mundis. Psalm. L : *Lavabis me, et super nivem dealbabor*. Isaiæ I : *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, sicut nix dealbabuntur : et si fuerint rubra ut vermiculus, sicut lana alba erunt*. Isaiæ XLIV : *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata* (1). At certe cum solaris radius dissolvit nebulas calore suo, ita eas evanescere facit, ut nihil remaneat tenebrarum, sed cœlum vere serenum appareat.

Quintum continet similitudinem peccati originalis, Roman. V : *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi*. At illi vere constituuntur peccatores, et vere justitiam amittunt, non sola imputatione. Joan. III : *Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Illi vere sunt carnales ; igitur isti vere spirituales. Confirmatur ex illo, I. Cor. XV : *Sicut in Adam omnes moriuntur ; ita in Christo omnes vivificabuntur* (2). Hic locus intelligitur de vera morte, et vera resurrectione ; igitur etiam loca supra citata de vero peccato, et vera justificatione.

Sextum continet similitudinem mortis Christi, Roman. VI : *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in morte*. Et ibidem : *Si mortui sumus, quomodo vivemus in illo* (3)? Idem repetitur, Coloss. II, de quo loco Augustinus in Enchirid, cap. 52. sic loquitur : « Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum : et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio. » At Christi mors, et resurrectio veræ fuerunt omnibus modis, non autem veræ, quoad aliquid, et quoad aliud falsæ ; igitur et remissio peccati vera mors est peccati, non quoad reatum tantum, sed quoad omnia, quæ peccati rationem habent.

Septimum continet ea, quæ docent, Baptismo nos renasci. Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto*. Tit. III : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Coloss. II : *Cum essemus mortui propter delicta, convivificavit nos Christo*. I. Pet. II : *Quasi modo geniti infantes* (1). At certe nova ista generatio, et vita requirit veram mortem peccatorum, et veram mutationem interiorem ; non autem solam imputationem. Quomodo enim vere sumus vivificati, et regeniti, si adhuc mors in nobis manet?

(1) Cantic. IV, 7; Joan. XIII, 10; Ezech. XXXVI, 25; Eph. I, 4; Coloss. I, 22. — (2) Psal. L, 9; Isai. XLIV, 22. — (3) Rom. V, 19; Joan. III, 6; I. Cor. XV, 22. — (4) Rom. VI, 4 et 8.

Octavum continet ea, quæ docent, non posse simul habitare lucem, et tenebras ; peccatum et justitiam. I. Cor. X : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum*. II. Cor. VI : *Quæ societas lucis ad tenebras? quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ conventio Christi ad Belial? qui autem consensus templi Domini cum idolo? Vos enim estis templum Dei vivi* (2). At adversarii volunt simul et Diabolum in nobis habitare per peccatum, quod vere semper est in nobis, et Christum per justificationem. Respondet Kemnitius, pag. 501. Paulum docere, non posse esse peccatum mortale simul cum justitia fidei. Papistas autem perperam hæc loca intelligere, qui inde deducunt non posse simul consistere vetustatem, et novitatem ; carnem, et spiritum. At in utroque fallitur. Nam cum fatetur non posse esse peccatum mortale cum justitia fidei, id intelligit de mortali, non secundum naturam suam, sed ex misericordia Dei non imputante. Vult enim cum Magistro suo Luthero semper esse in nobis peccatum dignum ex se morte æterna, sed in credentibus fieri veniale, quia Deus non imputat. At hoc ipsum est contra Paulum. Quia si vere est in nobis post Baptismum peccatum natura sua mortale ; ergo est in nobis iniquitas ; ergo tenebræ ; ergo Belial ; ergo est conventio luci ad tenebras, justitiæ ad iniquitatem, Christo ad Belial ; non enim iniquitas desinit esse iniquitas, quia non punitur, ut notum est. Porro Catholici non negant esse in homine vetustatem carnis, et novitatem spiritus, cum fateantur esse in nobis concupiscentiam, quæ est lex membrorum pugnans cum lege mentis, (ad Roman. VII.) sed eam negant esse peccatum, nisi quando libera voluntate ejus desideriis consentimus.

Nonum caput continet ea loca, quæ docent, Deo odio esse peccata. Psal. V : *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*. Psal. XLIV : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*. Sap. XIV : *Odio est Deo impius, et impietas ejus* (3). Ex his enim locis efficitur, ut aut Deus in justificatione penitus tollat peccata, ita ut nihil sit, quod odio habere possit ; aut certe nihil omnino remittat, ne obligationem quidem ad pœnam. Si enim peccatum maneret, Deus illud odisset ; si odisset, punire vellet ; si punire vellet, non ignosceret. Itaque dicere Deum non imputare peccata, quæ vere manent, atque ea nolle punire, est manifesta contradictio secundum Scripturas Sanctas, quæ Deum hostem, et vindicem peccatorum severissimum ubique describunt.

Argumenta adversariorum non aliud probant nisi concupiscentiam esse vere peccatum, licet ei non consentiamus. Quæ omnia soluta sunt a nobis in disputatione de peccato originis.

CAPUT XIV.

Quod Baptismus non faciat homines impeccabiles.

Nunc ad effectus Baptismi, quos adversarii confingunt, veniamus. Et quoniam ea fere omnia, quæ hic dicenda essent, et alia loca proprie spectant, et hic solum tractantur propter canones Concilii Tridentini de Baptismo ; solum brevissime rem attingemus, tot propositionibus constitutis, quot sunt Concilii Canones.

Sit igitur prima propositio : « Baptismus non id efficit, ut baptizati non possint gratiam Dei amittere, nisi nolint credere. » Hæc expresse habetur can. 6. Concilii. Sunt autem quædam breviter annotanda. Primum fuisse olim duos errores apud veteres : Unus fuit Joviniani, qui, ut referunt Hieronymus, lib. II contra Jovinianum, et Augustinus lib. de hæresibus, cap. 82. docuit, hominem vere baptizatum non posse amplius peccare, et si forte peccat, non fuisse tinctum, nisi aqua. Argumentum præcipuum erant illa verba, I. Joan. III : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in*

(1) Joan. III, 5 ; Tit. III, 5 ; Coloss. II, 13 ; I. Petr. II, 2. — (2) I. Cor. X, 20 ; II. Cor. XII. 14, 15 et 16. — (3) Psal. V. 7 ; XLIV, 8 ; Sap. XIV, 9.

eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Et I. Joan. V : *Qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum* (1). Refellit hunc errorem accurate S. Hieronymus loco notato ; et certe Scripturæ divinæ passim occurunt, ut illa Roman. XI : *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time, etc.* Et Hebr. VI : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati etc.* Et II. Pet. II : *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ etc.* (2) Denique, Act. VIII, aperte legimus, Simonem credidisse, et Baptismum suscepisse : et tamen ibidem legimus ejus ruinam. Porro testimonia ex epistola Joannis accipienda sunt in sensu composito, quemadmodum et illud, Matth. VII : *Non potest arbor bona malos fructus facere* (3) : nimirum dum manserit arbor bona. Solum enim vult Joannes ostendere, non posse consistere veram justitiam, et charitatem cum peccato mortali, proinde non esse justum, qui male agit. Ita exponunt Augustinus, tractatu 3. in epistolam Joannis, et Hieronymus, lib. II in Jovinianum.

Alter error quorumdam fuit, qui, ut Augustinus refert lib. XXI de civit. Dei, cap. 25. docebant, baptizatos non posse damnari, etiamsi perditissime viverent, modo ab Ecclesia Catholica non recederent. Refellit hunc errorem Augustinus ibidem ex clarissimis testimoniis Scripturarum : et præterea librum integrum scripsit contra hunc errorem, qui inscribitur. De fide et operibus. Scripturæ præcipuæ sunt, Rom. VIII : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* I. Cor. VI : *Nolite errare : neque fornicarii, neque fures, neque adulteri etc. regnum Dei possidebunt* (4). Et similia habentur, Gal. V, Ephes. V, I. Thes. IV, I. Timot. VI. et alibi ; quæ omnia dicuntur de baptizatis, ut ex iisdem locis patet.

Nota secundo, utrumque errorem aliqua ex parte hoc nostro sæculo instauratum esse. Nam priorem errorem instauravit Joan. Calvinus, qui hominem semel vere justificatum docuit, non posse unquam excidere a gratia, et salute. Nam in Antidoto Concilii Tridentini, sess. VII, can. 7. de Baptismo dicit, Baptismo tanquam Dei chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia ; et lib. III Instit. c. 2. §. 11 et 12. docet, veram fidem semel habitam amitti non posse, esseque donum electorum proprium. Sed refutatio istius erroris, non est præsentis loci : non enim id ipse tribuit virtuti Baptismi, sed prædestinationi. Interim repugnat Scripturis apertissime Calvini sententia, cum Act. VIII. Simon Magus crediderit, et baptizatus fuerit, et paulo post a fide, et charitate exciderit. Et præterea, si verum esset, quod vult Calvinus, nulli unquam fuissent Apostatæ, nec ulli ex Catholicis hæretici fierent, quod non solum pugnat cum totius orbis terræ consensu, sed etiam cum Scripturis. Act. XX : *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* I. Timot. I : *Quidam circa fidem naufragaverunt.* I. Timot. IV : *In novissimis temporibus discedent quidam a fide.* Et cap. VI : *Radix omnium malorum est cupiditas ; quam quidam appetentes, erraverunt a fide.* Et I. Joan. II : *Ex nobis exierunt* (5).

Posteriorem errorem instauravit Lutherus in lib. de captivit. Babyl. cap. de Baptismo, ubi habet illa ipsa verba, quæ Concilium in suo canone 6. damnavit. Nec ab ea sententia discordant ejus discipuli, etsi modum loquendi non probent. Tribus enim modis potest intelligi illa propositio : « Non potest homo damnari, nisi nolit credere. » Primo, ut sensus sit, nullum esse peccatum vere, et in se mortale, nisi incredulitatem. Et hoc non docent adversarii, imo e contrario contendunt omnia opera, etiam optime facta esse peccata mortalia, si secundum rigorem justitiæ judicentur a Deo. Unde Kemnitius in censura canonis 6. Concilii Tridentini, probat ex Scripturis, multa peccata damnare posse hominem præter incredulitatem.

Secundo, ut sensus sit, peccata omnia ita esse conjuncta cum infidelitate ; et contra, fidem ita conjunctam esse cum justificatione, ut non possit fides consistere cum ullo peccato mortali : proinde qui habet fidem nullum habere peccatum, nec posse perire, et contra ; quicumque peccat, hoc ipso carere fide. Quod quidem simile est ei, quod Catholici dicunt de charitate : Charitas enim revera non potest consistere cum peccato mortali, et ideo nemo perit cum charitate, et nemo salvatur sine charitate. Hunc sensum vult esse Kemnitius illius Lutheranæ propositionis in 2. part. Examinis pag. 213. et sequentibus, ubi dicit, Lutherum numquam sensisse non amitti gratiam præsentem per quodlibet peccatum mortale, sed id sensisse posse hominem per veram fidem statim redire ad gratiam. Ut enim peccata destruunt fidem, ita fides reviviscens destruit omnia peccata.

(1) I. Joan. III, 9 ; V, 18. — (2) Rom. XI, 20 ; Hebr. VI, 4 ; II. Petr. II, 21. — (3) Matth. VII, 18. — (4) Rom. VIII, 13 ; I. Cor. VI, 3 et 10 — (5) Act. XX, 30 ; I. Tim. I, 19 ; IV, 1 ; VI, 10.

Tertio modo potest intelligi ea propositio, ut sensus sit, posse hominem simul dum peccat retinere fidem, et per hoc non amittere Dei gratiam præsentem ; quia licet peccata ex natura sua hominem reum faciant, et Dei inimicum, tamen fides parmanens in corde facit, ne imputentur, et non damnent. Hunc sensum fatetur Kemnitius esse Epicuræum, et merito damnatam a Concilio eam propositionem in hoc sensu, quod etiam fatetur Calvinus in Antidoto hujus canonis 6. Hinc enim datur licentia hominibus baptizatis patrandi quævis peccata, modo simul credant ea sibi non imputari. Sed nullo modo Kemnitius concedit hanc fuisse mentem Lutheri.

Nota Tertio, rectissime a Concilio damnatam esse illam Lutheri sententiam. Nam et dicta est a Luthero in sensu tertio, licet nolit Kemnitius : et præterea hæretica est etiam in secundo sensu, quem Kemnitius, et Calvinus admittunt. Ac Primum fuisse illam mentem Lutheri, patet ex his locis. In lib. de Babyl. captivit. cap. de Baptismo, postquam dixerat hominem baptizatum non posse damnari, nisi nolit credere, subjungit : « Nulla peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas : cætera omnia si redeat, vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eamdem fidem. » Hæc ille. Ubi vides eum dicere, « si redeat vel stet fides. » Putavit igitur Lutherus posse stare fidem, dum quis peccat, et per eam fidem, peccata non imputari, etiam dum fiunt ; quamquam Kemnitius non bona fide hanc sententiam referens, omisit illud : *vel stet fides.* Item in lib. de libertate Christiana : « Non facit, inquit, personam bonam nisi fides, nec malam, nisi incredulitas. » Item in quæstione : An opera faciant ad salutem, hæc est prima assertio : « Ut nihil justificat nisi fides, ita nihil peccat, nisi incredulitas. » Secunda assertio : « Justificatio proprie est fidei quarto modo ; et peccatum incredulitatis. » Item in lib. de votis monasticis : « Credentis in Christum nulla sunt tam mala opera, quæ possint illum accusare et damnare. » Denique in 1. sermone super Evangelium feriæ 2. Pentecostes super illud : « Sic Deus dilexit mundum. Ubi fides, inquit, est, ibi nullum nocet peccatum. » Et addit, sic Deum nihili facere peccata credentium in se, quomodo pater nihili facit nugas ludentium infantium. Ubi aperte loquitur de peccatis, quæ actu fiunt, et vult ea non nocere, quia per fidem teguntur, vel excusantur.

Quod autem etiam in secundo sensu falsa sit ea propositio, patet, quia repugnat Paulo, I. Corinth. XIII : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ubi Paulus docet, posse fidem esse sine charitate, et proinde hominem cum vera fide damnari. Respondet, Paulum loqui de fide miraculorum, non de fide justificante. Contra, quia fides miraculorum, nihil est aliud nisi excellens fides Catholica, et justificans suo modo. Unde Paulus infra de eadem fide loquens, annumerat eam aliis virtutibus Theologicis : *Nunc*, inquit, *manet fides, spes, charitas* (1). Et hoc loco dicit : *Si habuero omnem fidem.* Præterea, secundum Lutheranos nulla est ratio cur non possit fides ipsa justificans manere cum peccato. Nam nihil est aliud, nisi fiducia divinæ misericordiæ, ut ipsi passim definiunt. Quid autem prohibet, quo minus possit aliquis dum furatur, vel mœchatur, confidere, Deum non imputaturum eam actionem ad peccatum. Denique si potest cum fide manere peccatum factum, quod tamen vere peccatum est, et in justificatis hæret, ut ipsi dicunt, cur non etiam peccatum, quod fit? certe si peccatum non posset consistere cum fide, id non esset ratione temporis præteriti, vel præsentis, sed ratione malitiæ, et fœditatis ipsius peccati. At peccatum jam factum cum tota sua malitia, et fœditate manet præsente fide ; Ergo fieri etiam potest præsente fide. Quare coguntur, si principia sua destruere nolunt, admittere tertium illum sensum cum Luthero : quem tamen fatentur Epicureum esse ac merito damnatum a Concilio Tridentino.

(1) I. Cor. XIII, 2. — (2) I. Cor. XIII, 13.

CAPUT XV.

Per Baptismum non liberari homines a servanda lege Dei.

Sequitur altera propositio de secundo effectu Baptismi : « Baptismus non id efficit, ut homo solius fidei debitor sit, non autem implendæ universæ legis Christi. » Hæc habetur in 7. can. Concilii Trident. Est autem observandum primo duobus modis intelligi posse hominem baptizatum dici liberum a lege divina servanda. Uno modo, ut facere contra eam legem non sit injustum, nec peccatum, quasi lex abrogata esset. Et hoc non docent adversarii, quippe qui volunt omnia opera justorum esse peccata, quia numquam implent legem, ut oporteret. Et in hoc sensu fatetur Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 216. recte positam esse concilii canonem, et contrariam sententiam esse blasphemam in ipsum Baptismum. Itaque de hoc sensu non est controversia.

Altero modo intelligi potest, ut facere contra legem sit quidem peccatum, tamen non imputetur iis, qui fidem habent, nec pendeat justificatio, aut salus ab impletione legis, sed a sola misericordia, quæ per fidem apprehenditur. Et in hoc sensu Lutherani omnes docent (licet alii timidius, alii liberius loquantur) non obligari Christianos ad legem divinam, sed solum ad fidem; imo in hoc constituunt summam libertatis Evangelicæ; ut patet ex lib. Lutheri de votis monasticis, ubi in hoc dicit consistere libertatem Evangelii, quod pia conscientia sit libera ab omnibus operibus, non quidem faciendis (volunt enim ea fieri, ut fructus fidei) sed accusantibus, et defendentibus : quia nulla opera sunt tam mala, quæ credentem accusare valeant, et damnare; nulla tam bona, quæ eum queant defendere, et justificare. Item in comment. II cap. ad Galat. instituit hunc dialogum. « Si conscientia dictat : Peccasti; responde : Peccavi. Ergo Deus puniet, et damnabit; non. At lex Dei hoc dicit; sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem. » Idem satis aperte docet Joan. Calvinus, lib. III Institut. cap. 19, §. 2, 4 et 7.

Nota secundo, quid adversarii de Concilii canone sentiant. Calvinus in Antidoto Concilii agnoscit canonem 7. Concilii, contra suam et suorum sententiam esse positum; et aperte contrarium profitetur.

At Kemnitius in Examine ejusdem canonis fraudulenter agens, more suo, prætermittit eum sensum, in quo ipsi negare solent, obligari ad legem implendam : et perperam exponit tam Concilii sententiam, ut eam refellat, quam Lutheri, ut eam defendat. Itaque duo dicit. Primo, Lutherum non docuisse Christianos liberos esse ab obedientia legis Dei, sed id solum, gratiam Baptismi, et justificationem non pendere a conditione observatæ legis, quasi nemo justificetur, nisi qui antea id meruerit per integram legis observationem; sed gratis dari per fidem. Secundo dicit, Concilium definire voluisse pendere justificationem, quæ fit in Baptismo, a conditione legis impletæ. Et quia Concilium id non aperte dicit, colligit ipse hoc modo; Concilium mutuatur ex cap. V ad Galat. illam phrasim : *Qui circumciditur, debitor est universæ legis faciendæ* (1). Illa autem verba Paulus non dixit ex propria mente, sed ex mente, et abusu Pseudoapostolorum, qui putabant universam legem esse implendam, ad hoc ut circumcisi gratiam Dei obtinerent. Ergo etiam Patres Concilii idem sentiunt de gratia Baptismi, nimirum quod pendeat a conditione impletæ legis Christi. Deinde fingit etiam duo sophismata Concilii pro isto dogmate, quæ et solvit. Primum est, quia renuntiamus in Baptismo Satanæ, et profitemur nos Deo servituros. Inde Concilium colligit gratiam Baptismi, non pendere a sola fide, sed etiam a conditione legis. Secundum, quia non baptizamur in Moysem, sed in Chrisum; id est, non in legem, sed in Evangelium. Concilii Patres pro nomine Evangelii, legem posuerunt, ut indicarent pendere a legis obedientia gratiam Baptismi.

Sed utrumque prorsus nugatorium Kemnitii mendacio plenum est. Ac primum Lutheri sententia tam diserte ab ipsomet Luthero expressa est, ut nullo modo excusari possit. Sic enim loquitur in lib. de libertate Christiana : « Nullo opere, nulla lege, Christiano homini opus est, cum per fidem liber sit ab omni lege. » Item in argumento epist. ad Galat. : « Summa, inquit, ars, et sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera, et totam justitiam activam. » Et infra : « Ad novum hominem nihil pertinet lex. » Similia passim docet in commentario epist. ad Galat., in lib. de votis monasticis, et alibi. Denique coguntur, velint nolint, hoc dicere. Nam cum ipsi existiment legem esse impossibilem, et omnia opera etiam sanctissimorum hominum esse peccata, certe si salus penderet a conditione servatæ legis, nulli salvarentur omnino ex eorum sententia.

Quantumlibet igitur Kemnitius tergiversetur, et mentiatur, confiteri cogitur, nisi Papista fieri velit, non ita obligari Christianos ad legem servandam, ut ab ejus observatione pendeat salus. Atque hoc ipsum est, quod Concilium damnat, et anathematizat. Nam mendacium est (ut ad secundum dictum Kemnitii veniamus) Concilii sententiam esse, pendere gratiam Baptismi a conditione legis servatæ. Concilium enim hoc non dicit, nec ullo verbo insinuat, sed contrarium disertis verbis in infinitis locis asseruit, ac præsertim sess. VI, cap. 8. ubi dicit nulla nostra merita esse ante gratiam justificationis. Et in ipso canone 7. de Baptismo perspicue Concilium dicit, ab ipso Baptismo nasci debitum servandæ Christi legis : ex quo manifeste colligitur non requiri ad gratiam Baptismi consequendam, conditionem legis servatæ, sed solum propositum servandæ post Baptismum. Quod etiam multo ante docuerat Concilium II Arausicanum, canon. 25.

Ad conjecturam Kemnitii ex phrasi desumpta ex epistola ad Galatas respondeo Primo, Concilium Tridentinum non citasse, nec nominasse epistolam ad Galat. Secundo dico, in epistola ad Galatas, sive Paulus loquatur ex mente sua, sive ex mente aliorum: non haberi, ante Circumcisionem servandam legem fuisse, sed post Circumcisionem. Id enim sonant illa verba : *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor est universæ legis faciendæ* (1). Addo tertio, quod Kemnitius dicit, loqui Paulum ex abusu Pseudoapostolorum; quod etiam habet Calvinus in Antidoto Concilii ad hunc 7. canonem, esse manifestam Scripturæ depravationem. Nam Paulus serio testatur ita esse, ut dicit. *Testificor*, inquit, *omni homini etc.* Itaque si id falsum erat, ut Calvinus et Kemnitius volunt, falsus testis fuit Apostolus Paulus.

Porro duo illa sophismata, quæ nomine Concilii Kemnitius sibi ipse objecit, somnia sunt delirantis. Si enim vigilans, et sanus fuisset, saltem argumenta finxisset, quæ haberent aliquam speciem argumenti. Illa autem nullam prorsus speciem habent. Ex eo enim, quod renuntiamus in Baptismo Satanæ, et promittimus Deo nos deinceps servituros, nullo modo colligi potest pendere gratiam Baptismi a conditione impletæ legis; cum e contrario profiteamur illa abrenuntiatione, et illa promissione, nos ante Baptismum servisse Satanæ, et non Deo. Legem autem Christi non Evangelium, Concilium nominavit dedita opera, ut damnaret errorem Lutheranorum, qui Evangelium solam promissionem gratiæ esse volunt, non etiam legis novæ promulgationem : cum tamen Christus ipse dixerit Matth. ultimo : *Docete omnes gentes, baptizantes, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Unde et Paulus Christi legem vocat, I. Corinth. IX : *Cum ego sine lege non essem, sed in lege essem Christi.* Et Roman. VII : *Mente servio legi Dei* (1).

Nota tertio, errorem, qui in 7. canone Concilii damnatur, quod videlicet non sint Christiani ita debitores legis, ut ab ejus obedientia pendeat salus, refellendum esse in disputatione de justificatione, tamquam in proprio loco. Interim tamen afferri posse apertissima Scripturarum testimonia. Nam Matth. XIX dicitur : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Roman. VIII : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* II. Corinth. V : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gesserit, sive bonum, sive malum.* Galat. VI : *Nolite errare, Deus non irridetur; quæ seminaverit homo, hæc et metet* (2). Denique nihil sæpius Scriptura clamat, quam Deum unicuique daturum secundum opera sua.

Sed insignis omnino Lutheri responsio est ad hæc et similia loca in comment. III

(1) Galat. V, 3.

(1) Matth. XXVIII, 19; I. Cor. IX, 21; Rom. VII, 25. — (2) Matth. XIX, 17; Rom. VIII, 12 et 13; II. Cor. V, 10; Galat. VI, 7 et 8.

capitis ad Galatas : « Cum illaqueant, inquit, te argumentis ex Scripturis pro defensione bonorum operum desumptis, simpliciter respondendum est : Hic mecum est Christus, illic vobiscum, Scripturæ testimonia pro operibus. Christus autem Dominus est Scripturæ, et bonorum operum. Item responde simpliciter : Tu urges servum, id est, Scripturam, quam relinquo tibi; ego urgeo Dominum, qui rex est Scripturæ. »

Egregia sane solutio, quasi Christus, et Scriptura contraria sint, et non potius Christus per Scripturam nos alloquatur. Ut omittam, quod hic ille est Lutherus, qui in lib. de abroganda Missa, et in omnibus fere scriptis suis, sola Scriptura fretus contemnit omnes Patres, omnia Concilia, omnem Ecclesiæ, et totius orbis terræ consuetudinem. Nimirum illud assequi voluit, ut ipse unus non solum pro omnibus Patribus, et Conciliis, sed etiam pro omnibus divinis litteris haberetur.

CAPUT XVI.

Per Baptismum non liberari homines ab obligatione legis Ecclesiasticæ.

Tertia propositio : « Non liberat Baptismus homines ab obligatione Ecclesiasticæ legis. » Hæc habetur in 8. canon. Concilii, estque posita adversus Lutherum, qui in libro de captivitate Babylonica, cap. de Baptismo, et alibi passim docet, non posse Papam, aut ullum hominum unam syllabam statuere, qua obligentur conscientiæ hominum baptizatorum.

Ubi illud observandum, alio modo ab adversariis liberari fideles ab obedientia legum divinarum, et alio modo ab obedientia legum humanarum. Nam divinas leges affirmant obligare in conscientia, ita ut sit peccatum eas violare; sed tamen addunt fidelibus indulgeri ejusmodi prævaricationes, seu non imputari; ac per hoc idem esse, ac si liberi essent ab earum legum observatione. At leges humanas, sive Ecclesiasticas, sive politicas affirmant non obligare in conscientia, nisi ratione scandali, aut contemptus; quæ sunt prohibita lege divina. Itaque transgredi legem humanam etiam studiose, non modo non imputatur ad peccatum, sed neque est ullum peccatum apud adversarios. Quare tam Kemnitius, quam Calvinus, ille in suo examine, iste in suo Antidoto canonem istum 8. simpliciter rejiciunt, ac Lutheri sententiam aperte defendunt.

Sed quoniam hunc errorem nos accurate refutavimus in disputatione de summo Pontifice, et breviter in lib. II de Sacramentis in genere, cap. 31. de cæremoniis, satis erit hoc loco ostendere obligationem legis humanæ non pugnare cum Baptismo. Id quod fiet solvendo ipsorum objectionem, quæ est hujusmodi : « Per Baptismum addicimur divinæ servituti, ergo liberamur ab omnibus aliis vinculis. Atque hoc est, quod Scripturæ passim docent. » Matth. ultimo : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.* I. Corinth. VII : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Coloss. II : *Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc decretis mundi tenemini juxta mandata, et doctrinas hominum?* Ezechiel. XX : *In præceptis patrum vestrorum nolite ambulare.* Matth. XV : *Frustra colunt me mandatis hominum* (1). Et hæc quidem profert Kemnitius : addit vero unum, quod solum Calvino satis fuit : « Et unus est legislator, inquit Jacobus cap. IV, qui potest perdere, et salvare. Ubi hoc falsum esse, inquit Calvinus, demonstraverint, non recusabimus, quin suis nos legibus adstringant. »

At non opus est demonstrare id esse falsum, quod Jacobus dicit, cum sit verissimum, sed ex illo vero non bene intellecto falsum aliquid, et perniciosum, et verbo Dei repugnans a Calvino perperam esse collectum. Jacobus enim de summo Legislatore loquitur; qui ita fert aliis leges, ut nullus ab alio accipiat, quique ita potest perdere, et salvare, quos damnaverit, aut absolverit, ut nullius ope indigeat, et a nullo impediri queat : talem autem Legislatorem fatemur non esse Papam, neque Imperatorem, sed unum, et solum Deum. Sed non inde bene colligitur non esse etiam homines quosdam vere legislatores, licet sub Deo summo legislatore constitutos; ita ut sicut inferioribus dant leges, ita etiam accipiant ipsi a superiore, id est a Deo.

(1) Matth. XXVIII, 19 et 20; I. Cor. VII, 23; Coloss. II, 50; Ezech. XX, 18; Matth. XV, 9.

Esse autem eum sensum Jacobi patet, primo ex ipso contextu. Nam probare volebat Jacobus non debere homines aliis hominibus detrahere. Id probat, quia lex Dei id prohibet : *Qui enim*, inquit, *detrahit fratri, detrahit legi*, quasi lex bona non esset. Non esse autem detrahendum legi probat, quia : *Qui detrahit legi, judicat legem; qui autem judicat legem, non est factor legis, sed judex* (1). Nullum autem esse debere judicem legis divinæ, probat, quia : *Unus est Legislator*, id est, unus solus est, qui dat omnibus legem, et omnes omnino, illo uno excepto, subjecti sunt legi. Hoc argumentum S. Jacobi bene intellectum, nihil aliud probat, nisi nullum esse præter Deum; talem Legislatorem, qui non ab alio legem accipiat. Secundo idem patet, quia Scripturæ, quæ certe secum non pugnant, non raro nomen legislatoris, et judicis tribuunt hominibus, ut Proverb. VIII : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Psalm. II : *Eruditmini qui judicatis terram.* Et confirmatur ex similibus. Matth. XXIII : *Unus est Pater vester, qui est in cœlis.* Item : *Magister vester, unus est Christus* (2). Et tamen Apostolus vocat se Patrem I. Cor. IV. et Magistrum. II. Thimot. I.

Ad alia, quæ sunt solius Kemnitii. Respondeo, per Baptismum nos Deo addici in servitutem, ac proinde liberari a servitute contraria. Contraria autem servitus, non est obedientia, et servitus, quæ præstatur hominibus, sed servitus diaboli, et peccati; illa enim sola impedit ne serviamus Deo, ista autem juvat potius, quam impedit. Unde Roman. VI dicitur : *Liberati a peccato* non ab hominibus; *servi autem facti Deo* (3). Et idem Apostolus passim imperat; ut obediant post Baptismum servi dominis, filii parentibus, privati Magistratibus, tum politicis, tum etiam ecclesiasticis; Ephes. VI, Coloss. III, Roman. XIII, Hebr. XIII, et alibi.

Ad primum locum ex Matthæi ultimo. Si Kemnitius nosset rationem argumenta conficiendi, ita argumentari deberet : Dominus jubet, ut doceantur baptizati servare omnia ipsius præcepta. Sed unum ex ejus præceptis est, ut observemus leges Prælatorum, Luc. X : *Qui vos audit me audit* (4); ergo pugnat cum verbo Domini, et cum professione Baptismi, nolle obligari ad leges Ecclesiasticas observandas. Etsi enim Dominus Matt. ult. non expresse, et nominatim jusserit servari leges Ecclesiæ, tamen generatim, et implicite id mandavit.

Ad secundum ex I. Corinth. VII. Non prohibet Apostolus servitutem humanam absolute; nam eamdem ibidem approbat tamquam utilem, ad humilitatem; sed solum quatenus contraria esset divino obsequio; quod fieret, si quis homini serviret in iis, quæ sunt contra Deum, vel si homini serviret præcipue propter hominem, cum serviendum sit etiam homini propter Deum, cujus præcipue servi sumus. Quem sensum expressit Apostolus clarius Coloss. III, ubi jubet servis, ut dominis suis serviant, tamquam Christo, ita ut in homine cui serviunt, non tam hominem considerent, quam Christum, ob cujus amorem libenter subjiciuntur homini.

Ad alia loca respondimus in ultimo capite libri secundi de Sacramentis in genere.

CAPUT XXII.

Per Baptismum non fieri irrita omnia vota.

Quarta propositio : « Per Baptismum non fiunt irrita omnia vota. » Hæc habetur can. 9. Concilii Trident. estque contra Lutherum in libro de captivitate Babylon. c. de Baptismo, et in lib. de votis monasticis, necnon Calvinum in Antidoto, et Kemnitium in Examine hujus can. 9. qui docent, per Baptismum liberari hominem ab omnibus votis, non solum quæ antea, sed etiam quæ postea fecerit, excepto illo uno, quod fit in baptismo, cum promittimus nos Dei legem servaturos.

Fundamenta ipsorum sunt. Primo, quia Deus in Testamento veteri disposuit de votis, quomodo fierent, et quando, et de quibus rebus. At in Testamento novo Christus, et Apostoli nihil præscripserunt, nisi unicam promissionem, quæ fit in Baptismo. Matth. ult. Secundo, quia vel vovere volumus res a Deo præceptas, aut non præceptas. Si præceptas frustra id facimus, cum in Baptismo voverimus omnia præcepta. Si non

(1) Jac. IV. 11. — (2) Prov. VIII, 15; Psal. II. 10; Matth. XXIII. 9 et 10. — (3) Rom. VI, 22. — (4) Luc. X. 16.

præceptas jam pugnamus cum Baptismo, qui nos liberavit ab omnibus humanis inventionibus. Tertio, in Baptismo plus vovemus, quam implere possimus : ergo stultus est, qui aliquid aliud vovet, et injuriam facit Baptismo, quasi votum in eo factum non sit sufficiens.

Sed hæc fundamenta debilia sunt. Nam ut ad primum respondeamus, etiamsi Christus, et Apostoli nihil de votis præscripsissent, mirum non esset, cum vota sint de jure naturæ, ut patet ex voto Patriarchæ Jacob, Genes. XXVIII, tamen falsum est, Apostolos nihil de votis tradidisse, cum I. Timoth. V, B. Paulus omnium interpretum consensu de voto continentiæ loquatur, ubi dicit viduas quasdam, si nubant, damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt.

Ad secundum respondeo, voveri posse tum res præceptas a Deo, tum etiam res non præceptas, modo sint res bonæ. Neque frustra voventur res præceptæ, tum quia per votum homo magis ligatur, et certior redditur implendi, tum etiam quia quod fit ex præcepto, et ex voto, est actus duarum virtutum, et proinde excellentius quam id, quod fit ex solo præcepto. Vovere autem rem non præceptam, non est contra professionem Baptismi, quia, ut supra diximus, Baptismus liberat a peccato, non ab iis rebus, quæ juvant ad vitanda peccata, et quæ magis Deo subjiciunt, et cum Deo ligant; ut sunt vota. Neque dici possunt vota, humana inventa, cum habeant in Scriptura commendationem, Psalm. LXXV : *Vovete, et reddite.* Et Eccles. V : *Si quid vovisti Deo, non moreris reddere* (1). Neque potest responderi vota esse Testamenti veteris : nam liber Psalmorum, et Ecclesiastes, moralia documenta tradunt, quæ omnibus conveniunt. Denique violatio votorum pugnat potius cum Baptismo. Nam profitemur in Baptismo, nos servaturos omnia Dei mandata; unum autem est ex mandatis Dei, ut vota solvantur, ut patet ex locis citatis.

Ad tertium respondeo falsum et blasphemum esse, quod adversarii assumunt, nos in Baptismo plus promittere, quam implere possimus; id enim, et pugnat cum verbis Christi, qui Matth. XI vocat legem suam jugum suave, et onus leve : et cum verbis Pauli, qui dicit Rom. VIII, Christum mortuum esse, ut justificatio legis impleretur in nobis : et cum Concilio Arausicano II, can. 25. ubi definitur, posse hominem baptizatum servare omnia Dei mandata, et cum Basilio oratione in illud : *Attende tibi*, et cum aliis Patribus, qui dicunt, blasphemum esse asserere, Dei mandata esse impossibilia. Neque putamus promissionem in Baptismo factam esse insufficientem. Est enim sufficiens ad suum finem, id est, ad salvandum hominem, licet addi aliquid possit, ut vel facilius, vel excellentius aliquis salvetur, quomodo non ideo Baptismus est insufficiens licet melius sit, baptizari et Eucharistiam sumere, etiam testimonio adversariorum, quam solum baptizari : neque verbum Dei est insufficiens, licet melius sit, verbum Dei audire et Sacramenta suscipere, quam solum Dei verbum audire. Denique si Judæi in Circumcisione pollicebantur se Dei legem servaturos, et tamen præter ea vovere poterant multa alia, ut Kemnitius fatetur, neque dici poterat Circumcisionis promissio insufficiens, cur non poterunt Christiani vovere aliquid, etiamsi in Baptismo promiserint, se universam Dei legem servaturos? aut cur dicetur Baptismi promissio insufficiens? Atque hæc hoc loco sufficiant : nam de votis accurate disseruimus in disputat. de monachis.

(1) Psal. LXXV, 12; Eccl. V, 3.

CAPUT XVIII.

Sola memoria Baptismi non posse dimitti peccata, quæ fiunt post Baptismum.

Quinta propositio : « Non potest fieri, ut sola memoria, et fide suscepti Baptismi peccata remittantur, quæ post Baptismum fiunt, sed necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum. » Hæc habetur in 10. canone Concilii Tridentini, estque adversus Lutherum lib. de captivit. Babyl. cap. de Baptismo. Calvinum lib. IV Institut. cap. 15, §. 3 et 4. et in Antidoto Concilii, et Kemnitium in censura hujus can. 10.

Est autem primo notandum, quæ sit ipsorum, et quæ Ecclesiæ sententia de hac re. Illi igitur primo docent, Baptismum non aliter justificare, nisi subjiciendo ante oculos promissionem, et eo modo excitando fidem, quæ sola justificat. Secundo, inde colligunt, cum quis peccat post Baptismum, posse per memoriam Baptismi iterum redire ad gratiam ipsam Baptismi. Nam sicut ipse Baptismus subjicit ante oculos promissionem, ita etiam facit memoria et negatio Baptismi : proinde ipse etiam memoria excitat fidem, et eo dem modo justificat. Id quod etiam in aliis rebus videmus : nam si quis visa insigni imagine crucifixi, movetur ad amorem Christi crucifixi, certe etiam postea cum imaginem non videt, si mente recogitet, et recordetur eam speciem, movebitur. Tertio, inde rursum colligunt Sacramentum Pœnitentiæ nihil esse aliud, nisi ipsum Baptismum memoria, et fide repetitum. Et sicut post Baptismum non remanet ulla satisfactio, nec sunt necessariæ indulgentiæ, nec Purgatorium post hanc vitam; ita existimant post pœnitentiam, id est, post memoriam Baptismi nullam superesse satisfactionem etc. Quarto, inde colligunt non recte dixisse Hieronymum in cap. III Isaiæ, et in epist. ad Demetriadem, et ante eum Tertullianum in lib. de Pœnitentia, Pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium. Nam Baptismi navis numquam frangitur; sed qui peccant, ab illa navi excidunt; unde non est opus, cum resipiscunt, ut quærant aliquam tabulam, sed redire possunt ad ipsam navim, quæ integra, et incolumis eos expectat. Hæc est ipsorum sententia, et certe satis delicata, et mollis, ut ne Epicuro quidem merito displicere queat.

At vero Catholici longe aliter docent. Primum enim affirmant Baptismo remitti peccata ex opere operato, id est, vi Sacramenti, ut antea ostendimus. Secundo, inde colligunt Baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed solum ad præteritum : remittit enim peccata antea commissa, et nondum dimissa, id est, ea quæ invenit in homine, quando reipsa suscipitur. Memoria autem Baptismi utilis quidem est ad agendas Deo gratias, et ut sit quasi frænum ad non peccandum, sed nullo modo sufficit ad justificationem. Tertio, inde colligunt amissam gratiam Baptismi, non posse iterum recuperari per Baptismum, sed quærendum esse aliud remedium magis arduum, et difficile, id est, Sacramentum Pœnitentiæ, post quod remanet luenda temporalis pœna pro satisfactione, et inde consequitur utilitas Indulgentiarum, Purgatorii locus etc. Quarto, inde colligunt rectissime dictum esse a Patribus, Pœnitentiam post Baptismum esse secundam tabulam post naufragium, quia non redeunt, qui pœnitentiam agunt, ad navim Baptismi, sed magno cum labore navigant, ut ii, qui arrepta tabula post naufragium, in ea vehuntur.

Nota secundo, Kemnitium in Examine canon. 10. perperam exponere cum canonem, et Catholicorum sententiam. Nam pag. 220. dicit, Catholicos assere, non posse hominem etiam per veram pœnitentiam redire ad gratiam Baptismi, et fœdus, quod Deus nobiscum in Baptismo pepigit. At non hoc Catholici dicunt : fatemur enim posse hominem redire per veram pœnitentiam ad gratiam, ad fœdus nobiscum initum in Baptismo, id est, ut iterum simus filii Dei per gratiam, sed negamus id fieri per eadem instrumenta fœderis, id est, per Baptismum, aut ejus memoriam, sed per aliud Sacramentum. Nam etiamsi, ut plurimum non ita deleantur peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, ut non remaneat aliqua pœna temporalis luenda, tamen potest tanta esse pœnitentia, ut plane deleat omnem pœnam, et sic reditur ad gratiam omnino similem ei, quæ in Baptismo habita est.

Ibidem Kemnitius dicit, Catholicos, cum peccant post Baptismum, niti propria contritione, et satisfactione, ut redeant ad gratiam. Sed hoc etiam falso dictum est. Nitimur enim gratia Dei, Christi meritis, et virtute, atque efficacia Sacramenti, non propria contritione; licet contritionem, ut dispositionem requiramus : sicut etiam cum baptizamur, requirimus fidem, et pœnitentiam; et tamen non iis nitimur, ut causis justificationis, sed Dei gratia, Christi meritis, et Sacramenti efficacia.

Deinde pagina 235. et 236. Kemnitius dicit, Concilium non fuisse ausum expresse damnare Lutheri sententiam, quia metuebat judicium piarum aurium in tanta luce Evangelii, ideo eam depravasse, ac sic depravatam damnasse. Depravasse autem ostendit, quia Concilium anathema dicit illis, qui docent peccata, quæ post Baptismum committuntur, sola recordatione suscepti Baptismi dimitti; hoc est, qui sine pœnitentia in sceleribus perseverant, et pergunt; illis si tantum perfunctorie, et historice recordentur; se aliquando baptizatos esse, tali recordatione peccata dimitti : et addit hanc sententiam vere Epicuream etiam a suis sonora voce damnari. At bonus Kemnitius dum vult ostendere a Concilio depravatam sententiam

Lutheri, depravat ipse Concilii sententiam, et quidem tam manifesto mendacio, ut mirum sit. Nam Concilium in illo ipso 10. canone, quem Kemnitius iisdem' verbis descripsit in suo Examine, non dicit, sola recordatione Baptismi, eaque perfunctoria, et historica dimitti peccata apud Lutheranos : sed dicit, sola memoria, et fide Baptismi. Ubi Concilium addit fidem (quam Kemnitius semper omittit, cum canonem exagitat) et non addit historicam, aut perfunctoriam, quæ de suo Kemnitius addidit. Itaque Kemnitius partim detrahendo, partim addendo, depravavit canonem Concilii. Concilium autem paucis verbis pro more aliorum canonum simpliciter comprehendit Lutheri sententiam, eamque diserte, et aperte damnavit.

Nota Tertio probationem accuratam veritatis Catholicæ, et refutationem erroris Lutheranorum, non esse hujus loci, sed ad disputationem de Pœnitentia spectare, hic vero solum brevissime probandum esse, non posse ad navim Baptismi redire eos, qui peccant post Baptismum, sed indigere alio remedio. Primum igitur id probatur ex Apostolo Hebr. IX : *Impossibile est eos qui sunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam* (1). Ubi Apostolus non vult dicere, non posse lapsos redire ad pœnitentiam ullo modo : iste enim est error Novatianorum, quem nec adversarii probant : sed vult dicere, non posse renovari ad pœnitentiam, quomodo renovantur, qui baptizantur. Ita enim exponunt Ambrosius, Chrysostomus, et alii interpretes; et eamdem expositionem admittit Kemnitius in Examine sequentis canonis, pag. 240. et idem patet ex verbis, *Illuminati*, et *renovati*, et, *crucifigentes filium Dei* (1), quæ sunt propria Baptismi, in quo illuminamur, et renovamur et Christi mortem imitamur.

Dicet aliquis fortasse pro Kemnitio : Hic locus probat non posse iterari Baptismum; at non probat non posse hominem redire ad reconciliationem per memoriam Baptismi : imo vero hic locus id potissimum probat. Nam adversarii, etsi nolint repeti aspersionem aquæ, tamen repeti volunt Baptismi efficaciam, ita ut vere per Baptismum remittantur peccata postea facta, et remittantur eadem facilitate, et eadem perfectione, ac plenitudine sicut antea, ut non sit ullo modo secunda reconciliatio laboriosior, quam prima. At hoc ipsum est, quod Apostolus negat. Nam in primis ideo noluit dicere impossibile est iterum renovari ad pœnitentiam, scilicet Baptismalem. Præterea propositum Apostoli est, deterrere homines baptizatos a peccatis, quos ea ratione deterret, quia non poterunt amplius eadem facilitate reconciliari. At secundum Lutheranos eadem facilitas est, imo etiam major in secunda reconciliatione, quam in prima : facilius enim est recordari, et cogitare Baptismum, quam reipsa baptizari.

Secundo idem probatur ex testimoniis Patrum, qui semper peccantibus post Baptismum, imposuerunt gravissimos labores, antequam eos reconciliarent, ut patet ex Cypriano in sermone de lapsis, et ex aliis, quos nominare non est opus, cum Calvinus lib. III Institut. cap. 4, §. 38. dicat, omnes fere veteres, quorum libri extant, aut in hac parte lapsos, aut nimis aspere, et dure locutos. Ubi aperte confitetur veteres Patres, et quidem fere omnes non fuisse in ea sententia, ut esset æque facilis reconciliatio in Baptismo, et post Baptismum.

Tertio idem patet ratione. Nulla enim æquitas patitur, ut æque facilem viam habeant ad gratiam Dei, qui peccant ante Baptismum, et qui post Baptismum; cum illi Deum ignorarent, isti nossent : illi non haberent gratiam, isti haberent. Nam etsi Catechumeni ante Baptismum Deum per fidem noverunt, sæpe etiam charitate flagrant : tamen hæc omnia ad gratiam Baptismi pertinent. Nam et Catechismi doctrina, dispositio ad Baptismum est; et gratia illa, atque charitas quæ interdum in Catechumenis reperitur, ex voto Baptismi procedit. Sed diluamus etiam breviter ipsorum objecta.

Primum argumentum Lutheri sumitur ex illa promissione, Marci ultimo : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (2). Hæc enim promissio semper manet, et semper est vera. Quare, qui peccando a fide, et a Baptismi fœdere recessit, si iterum incipiat credere, et amplecti fœdus Baptismi sui, certe salvus erit. Confirmat Lutherus, quia hoc modo in Testamento veteri Judæi, quando redibant ad pœnitentiam, ut reconciliarentur Deo, ad memoriam revocabant exitum de Ægypto.

Respondeo, argumentum nihil concludere : quia licet veritas promissionis sit perpetua, tamen conditionata est, non absoluta. Alioqui omnes Apostatæ salvarentur : de illis enim verum est dicere; Crediderunt, et baptizati sunt. Itaque intelligitur conditio; Si permanserit in fide, et fœdere Baptismali, salvus erit : quod si non permanserit, non salvabitur hoc remedio, sed aliud quærere debet. Qui enim semel excidit per peccatum mortale a fœdere Baptismi, non potest iterum ad illud redire : non enim redit ur ad fœdus Baptismi per solam cogitationem, seu memoriam Baptismi. Reipsa autem baptizari, quod esset vere redire ad fœdus Baptismi, nullo modo licet. Et patet id exemplo fidei, et aliarum rerum : non enim redire dicitur ad fidem, qui cogitat se aliquando credidisse, sed qui iterum actu incipit credere. Confirmatio autem illa de exitu ab Ægypto, nihil etiam probat : non enim commemorabant exitum illum, quasi ea commemoratione peccata purgarentur, sed ut commemorato tam insigni beneficio, arguerent ipsi suam erga Deum ingratitudinem, et eo modo se ad pœnitentiam provocarent : quod commodum nobis quoque adferre Baptismum non negamus. Adde quod si vera esset Lutheri sententia, debuissent Judæi commemorare potius Circumcisionem, quæ erat illis pro Baptismo, quam exitum de Ægypto.

Secundum argumentum Kemnitii est. Scripturæ cum de Baptismi effectu loquuntur, modo eum describunt per tempus præteritum, modo per futurum, modo etiam per præsens; igitur Baptismus vim habet purgandi omnia peccata præterita, præsentia, et futura. Antecedens probat; Nam Tit. III dicitur in præterito : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Marc. ult. dicitur in futuro : *Qui crediderit; et baptizatus fuerit, salvus erit*. I. Petr. III dicitur in præsenti : *Salvos nos facit Baptisma*. Et Eph. V : *Mundans eam lavacro aquæ* (1). De quo loco Augustinus lib. I de nuptiis et concupiscentia, c. 33. sic loquitur : « Quod Paulus ait; Mundans eam lavacro aquæ, sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis, et verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur, non solum præterita peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam, quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur; non ut Baptismus, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datum est, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. » Denique addit Kemnitius id totum clarissime explicari, Rom. VI.

Respondeo nullum esse Scripturæ locum, quo probari possit, Baptismo deleri peccata futura, aut etiam præsentia, id est, quæ in præsenti committimus nos, qui jamdudum baptizati sumus, quæ quidem respectu Baptismi, futura dici possunt. Quod autem objicitur ex Marci ultimo : *Salvus erit*, vel accipitur de salute in re, id est, de ipsa gloria sempiterna; et eam, non dubium est futuram esse, sed ea non est effectus, sed finis Baptismi. Nos autem de effectu disserimus, effectus enim Baptismi est remissio peccatorum præteritorum, finis autem vita beata futura, juxta illud Apostoli Rom. VI : *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (2) : vel accipitur de salute in spe, id est, de ipsa gratia justificationis; et eam certum est mox consequi ad Baptismum; proinde esse quidem futuram respectu Baptismi, sed peccatorum præteritorum, non futurorum. Quemadmodum qui dicit : Si tale pharmacum acceperis, curaberis; indicat curationem secuturam post medicinam, sed eam curationem esse morbi antea contracti, non postea contrahendi.

Quod vero objicitur ex I. Pet. III : *Salvos facit Baptisma* (3), non est ad rem, nam Petrus cum loquitur de tempore præsenti, non comparat Baptismum cum peccatis, sed tempus Christi cum tempore Noe, ac dicit, quod sicut tempore Noe diluvium salvos fecit octo homines per arcam, ita nunc tempore Christi salvat Baptismus credentes, etc.

Quod objicitur ex c. V ad Ephes. : *Mundans eam*, facile explicatur. Nam illud *(mundans)* non refertur ad singulos homines, sed ad varios, qui unam constituunt Ecclesiam. Christus enim quotidie mundat Ecclesiam lavacro aquæ, quia quotidie baptizantur aliqui; omnes tamen cum baptizantur, mundantur a peccatis præteritis, non a futuris. Quod si quis referat ad singulos homines, tum dicendum est, Baptismo purgari peccata futura,

(1) Hebr. VI, 4 et 6. — (2) Marc. XVI, 16.

(1) Tit. III, 5; Marc. XVI, 16; I. Petr. III, 25; Ephes. V, 26. — (2) Rom. VI, 22. — (3) I. Petr. III, 21.

non immediate, sed mediate; quia videlicet, qui baptizatus est, per gratiam, quem in Baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quæ postea facit, si eam petat; et præterea per Baptismi characterem jus habet ad Sacramentum Pœnitentiæ, quo peccata etiam mortalia purgantur; quod Sacramentum percipere non possunt, qui Baptismo carent. Et hoc est, quod Augustinus dicit ea loco, quem citat Kemnitius. Solum enim Augustinus dicit, Baptismo peccata futura purgari aliquo modo, quia sine percepto Baptismo nihil prosunt cætera, quæ fiunt ad peccatum purgandum, ut Pœnitentia, Eleemosynæ, Jejunia etc. « Quid enim, inquit, prodesset, vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequerétur, vel postea nisi præcederet? » Unde idem Augustinus cum loquitur de immediato et proprio effecto Baptismi, diserte contrarium scribit, ut in ep. 23. Ad Bonifacium : « Semel acceptam parvulus Christi gratiam, non amittit, nisi propria impietate, si ætatis necessu tam malus evaserit; tunc enim etiam proprie incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur. »

Quod denique objicitur ex c. VI ad Rom. nihil momenti habet. Nam Apostolus in eo cap. non docet quomodo remittantur peccata post Baptismum, sed quomodo caveri debeant : dicit enim per Baptismum hominem mori peccato, ut deinceps vivat Deo; proinde hominem semel renatum in Christo debere omni diligentia cavere, ne iterum inquinetur, et moriatur. Sed quid hæc ad rem de qua agimus?

Tertium argumentum est ejusdem Kemnitii. Fœdus Dei cum homine perpetuum est, Isaiæ LIV : *In misericordia sempiterna misertus sum tui.* Roman. III : *Numquid illorum incredulitas fidem Dei evacuavit?* II. Timoth. II : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Hierem. III : *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus* (1). Ergo fœdus nobiscum initum in Baptismo numquam ita frangitur, quin possimus ad illud redire, illudque renovare. Et confirmat, quia Paulus Galat. III. et I. Cor. XII. lapsos post Baptismum revocat ad promissionem gratiæ Baptismi. Denique addit, ipsam naturam ejus promissionis hoc ostendere. Nam promissio Baptismi est : *Ut justificati gratia Christi hæredes simus vitæ æternæ* (2). Tim. III. Hæc autem est generalis ratio justificationis, post quemcumque lapsum; ergo semper justificamur per Baptismum.

Respondeo, Kemnitium sine ulla verecundia ludere in Scripturis, earumque testimoniis abuti. Nam locus Isaiæ LIV continet promissionem absolutam, nimirum de fovenda perpetuo Ecclesia; ista enim promissio a nulla conditione pendet. Est enim Matrimonium inter Christum, et Ecclesiam plane indissolubile. Similiter locus Roman. III continet absolutam promissionem de mittendo Messia in mundum. At promissio Baptismi non est absoluta, sed conditionata, ut patet, quia includit conditionem fidei, perseverantiæ etc. Locus autem II. Timoth. II pro nobis est. Cum enim Paulus dicit : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*, significat Deum ita esse fidelem, quia facit quod promisit, dum justos præmio, impios pœna afficit. Unde promisit : *Si sustinemus, et convivemus; si negaverimus, ille negabit nos* (3); ubi vides promissionem conditionatam. Locus Hierem. III docet, Deum recipere homines ad gratiam si redeant, sed non docet recipere eodem modo, et per eadem instrumenta, quibus antea recepit. Locus Gal. III nihil facit ad rem. Nam Paulus non docet eo loco, quomodo justificentur impii lapsi post Baptismum, ut Kemnitius fingit, sed docet homines non justificari Circumcisione aliisque operibus legis, sed per fidem Christi; id quod probat, quia qui baptizantur, Christum induunt. Locus autem I. Corinth. XII. ne ulla quidem specie ad rem præsentem facit. Solum enim Paulus dicit esse nos omnes unum corpus, quia in uno spiritu baptizati sumus : nec aliquid addit de lapsis justificandis post Baptismum. Denique argumentum ex natura promissionis Baptismi, est ineptum sophisma. Etsi enim Baptismus promittat salutem per Christum, et quicumque post quemcumque lapsum justificatur, per Christum justificetur; non tamen inde sequitur, eos justificari per Baptismum, qui post Baptismum lapsi sunt. Nam latius patet justificare per Christum, quam justificari in Baptismo per Christum. Nam etiam Sacramentum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, et cætera promittunt salutem per Christum.

(1) Isai. LIV. 8; Rom. III. 3; II. Tim. II. 13; Jerem. III. 1. — (2) Tit. III. 7. — (3) II. Tim. II. 13 et 12.

Quartum argumentum est Calvini lib. IV Institut. c. 15, §. 3. In Baptismo communicatur nobis Christi puritas. Sed ea semper viget, nec ullis maculis opprimitur : igitur semper manet virtus Baptismi nobis semel collati, et semper ad eam redire possumus, et per eam justificari. Confirmat ex Patribus, qui reprehendunt eos, qui differunt Baptismum usque ad mortem. Multi enim olim hoc errore decepti, quod Baptismus non purget, nisi præterita peccata, nolebant baptizari, nisi in fine vitæ, quando non amplius erant peccaturi. Sed Patres arguunt ejusmodi errorem; proinde credebant Baptismo purgari peccata omnia, etiam futura.

Respondeo : argumentum Calvini niti falso fundamento, quod videlicet justificemur ipsa Christi justitia nobis imputata. Illa enim vere semper viget, nec ullis maculis opprimitur : sed falsum est, ea nos justificari formaliter. Nos enim justificamur propria, et nobis inhærente justitia, quæ plane non viget, et maculis obruitur, et aboletur, cum peccamus. Ad confirmationem respondeo, eam pro nobis facere. Nam si Patres credidissent id, quod credit Calvinus, quando reprehendebant eos qui Baptisma differebant, istam causam reddidissent, quod Baptismus lavet etiam peccata futura : nihil enim potuit adferri efficacius. At nullus veterum istam reddidit, sed alias quasdam, ut patet ex Basilio in oration. 13. de exhortatione ad Baptismum, et Nazianzeno oratione in sanctum lavacrum, et Chrysostomo hom. 1. in Acta, qui hortantur ad non differendum Baptismum, tum ob periculum et incertitudinem mortis, tum ob multa bona, quæ secum adfert Baptismus.

Quintum argumentum est Calvini ibidem, §. 4. potestas clavium non potest separari a Baptismo; ergo qui post Baptismum lapsi, virtute clavium reconciliantur, per Baptismum reconciliantur. Antecedens probat : Nam potestas clavium non exercetur sine prædicatione Evangelii, qua annuntiamus impios mundari Christi sanguine : signum autem, et testimonium sanguinis Christi effusi, est Baptismus; ergo potestas clavium non exercetur sine Baptismo.

Respondeo : Si argumentum aliquid valeret, efficeret etiam nullum reconciliari, nisi per Eucharistiam, aut ejus memoriam : nam Eucharistia est etiam signum, et testimonium sanguinis Christi effusi. Sed argumentum nihil concludit, tum quia falsum est, clavium potestatem non exerceri nisi prædicatione Evangelii, tum etiam quia latius patet mundari impios Christi sanguine, quam mundari per Baptismum. Siquidem Christi sanguis est, qui semper mundat, sed is per varia instrumenta applicatur; aliquando quidem per Baptismum, aliquando per alia Sacramenta, aliquando sine Sacramentis per fidem, et veram conversionem; aliquando per martyrium, ut supra dictum est.

CAPUT XIX.

De Baptismo Joannis, qui fuerint errores.

Sequitur controversia octava de comparatione Baptismi Christi cum Baptismo Joannis, de qua est primus Canon Concilii Tridentini, sess. VII de Baptismo : « Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit. » Tres erunt partes hujus controversiæ. Primo exponemus errores et opiniones. Secundo aperiemus et confirmabimus veritatem. Tertio diluemus objectiones.

Quod ad primum attinet, fuit antiquus error Petiliani Donatistæ, unum esse Baptismum Christi et Joannis. Distinguebat enim tres gradus ejusdem Baptismi; ac dicebat, Joannem baptizasse aqua, Christum spiritu, Paracletum igne; sed hæc tria ad unum et eumdem Baptismum pertinere, refert et refellit Augustinus lib. II contra litteras Petiliani, cap. 32, 34 et 37.

Hoc nostro tempore Lutherus initio prædicationis suæ aperte distinguebat Baptismum Joannis a Baptismo Christi. Nam in disputatione de Baptismo legis, Joannis, et Christi edita anno 20. tria ponit discrimina inter hæc Baptismata. Primum, quod Baptisma Joannis non sit Sacramentum, Christi autem sit. Secundum, quod illud non remittat peccata, hoc autem remittat. Tertium, quod baptizati a Joanne iterum essent baptizandi, non autem baptizati Christi Baptismo.

Cæterum hæc sententia, quia non bene cohæret cum reliqua doctrina Lutheranorum

non immediate, sed mediate; quia videlicet, qui baptizatus est, per gratiam, quem in Baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quæ postea facit, si eam petat; et præterea per Baptismi characterem jus habet ad Sacramentum Pœnitentiæ, quo peccata etiam mortalia purgantur; quod Sacramentum percipere non possunt, qui Baptismo carent. Et hoc est, quod Augustinus dicit ea loco, quem citat Kemnitius. Solum enim Augustinus dicit, Baptismo peccata futura purgari aliquo modo, quia sine percepto Baptismo nihil prosunt cætera, quæ fiunt ad peccatum purgandum, ut Pœnitentia, Eleemosynæ, Jejunia etc. « Quid enim, inquit, prodesset, vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequerétur, vel postea nisi præcederet? » Unde idem Augustinus cum loquitur de immediato et proprio effecto Baptismi, diserte contrarium scribit, ut in ep. 23. Ad Bonifacium : « Semel acceptam parvulus Christi gratiam, non amittit, nisi propria impietate, si ætatis necessu tam malus evaserit; tunc enim etiam proprie incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur. »

Quod denique objicitur ex c. VI ad Rom. nihil momenti habet. Nam Apostolus in eo cap. non docet quomodo remittantur peccata post Baptismum, sed quomodo caveri debeant : dicit enim per Baptismum hominem mori peccato, ut deinceps vivat Deo; proinde hominem semel renatum in Christo debere omni diligentia cavere, ne iterum inquinetur, et moriatur. Sed quid hæc ad rem de qua agimus?

Tertium argumentum est ejusdem Kemnitii. Fœdus Dei cum homine perpetuum est, Isaiæ LIV : *In misericordia sempiterna misertus sum tui.* Roman. III : *Numquid illorum incredulitas fidem Dei evacuavit?* II. Timoth. II : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Hierem. III : *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus* (1). Ergo fœdus nobiscum initum in Baptismo numquam ita frangitur, quin possimus ad illud redire, illudque renovare. Et confirmat, quia Paulus Galat. III. et I. Cor. XII. lapsos post Baptismum revocat ad promissionem gratiæ Baptismi. Denique addit, ipsam naturam ejus promissionis hoc ostendere. Nam promissio Baptismi est : *Ut justificati gratia Christi hæredes simus vitæ æternæ* (2). Tim. III. Hæc autem est generalis ratio justificationis, post quemcumque lapsum; ergo semper justificamur per Baptismum.

Respondeo, Kemnitium sine ulla verecundia ludere in Scripturis, earumque testimoniis abuti. Nam locus Isaiæ LIV continet promissionem absolutam, nimirum de fovenda perpetuo Ecclesia; ista enim promissio a nulla conditione pendet. Est enim Matrimonium inter Christum, et Ecclesiam plane indissolubile. Similiter locus Roman. III continet absolutam promissionem de mittendo Messia in mundum. At promissio Baptismi non est absoluta, sed conditionata, ut patet, quia includit conditionem fidei, perseverantiæ etc. Locus autem II. Timoth. II pro nobis est. Cum enim Paulus dicit : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*, significat Deum ita esse fidelem, quia facit quod promisit, dum justos præmio, impios pœna afficit. Unde promisit : *Si sustinemus, et convivemus; si negaverimus, ille negabit nos* (3); ubi vides promissionem conditionatam. Locus Hierem. III docet, Deum recipere homines ad gratiam si redeant, sed non docet recipere eodem modo, et per eadem instrumenta, quibus antea recepit. Locus Gal. III nihil facit ad rem. Nam Paulus non docet eo loco, quomodo justificentur impii lapsi post Baptismum, ut Kemnitius fingit, sed docet homines non justificari Circumcisione aliisque operibus legis, sed per fidem Christi; id quod probat, quia qui baptizantur, Christum induunt. Locus autem I. Corinth. XII. ne ulla quidem specie ad rem præsentem facit. Solum enim Paulus dicit esse nos omnes unum corpus, quia in uno spiritu baptizati sumus : nec aliquid addit de lapsis justificandis post Baptismum. Denique argumentum ex natura promissionis Baptismi, est ineptum sophisma. Etsi enim Baptismus promittat salutem per Christum, et quicumque post quemcumque lapsum justificatur, per Christum justificetur; non tamen inde sequitur, eos justificari per Baptismum, qui post Baptismum lapsi sunt. Nam latius patet justificare per Christum, quam justificari in Baptismo per Christum. Nam etiam Sacramentum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, et cætera promittunt salutem per Christum.

(1) Isai. LIV. 8; Rom. III. 3; II. Tim. II. 13; Jerem. III. 1. — (2) Tit. III. 7. — (3) II. Tim. II. 13 et 12.

Quartum argumentum est Calvini lib. IV Institut. c. 15, §. 3. In Baptismo communicatur nobis Christi puritas. Sed ea semper viget, nec ullis maculis opprimitur : igitur semper manet virtus Baptismi nobis semel collati, et semper ad eam redire possumus, et per eam justificari. Confirmat ex Patribus, qui reprehendunt eos, qui differunt Baptismum usque ad mortem. Multi enim olim hoc errore decepti, quod Baptismus non purget, nisi præterita peccata, nolebant baptizari, nisi in fine vitæ, quando non amplius erant peccaturi. Sed Patres arguunt ejusmodi errorem; proinde credebant Baptismo purgari peccata omnia, etiam futura.

Respondeo : argumentum Calvini niti falso fundamento, quod videlicet justificemur ipsa Christi justitia nobis imputata. Illa enim vere semper viget, nec ullis maculis opprimitur : sed falsum est, ea nos justificari formaliter. Nos enim justificamur propria, et nobis inhærente justitia, quæ plane non viget, et maculis obruitur, et aboletur, cum peccamus. Ad confirmationem respondeo, eam pro nobis facere. Nam si Patres credidissent id, quod credit Calvinus, quando reprehendebant eos qui Baptisma differebant, istam causam reddidissent, quod Baptismus lavet etiam peccata futura : nihil enim potuit adferri efficacius. At nullus veterum istam reddidit, sed alias quasdam, ut patet ex Basilio in oration. 13. de exhortatione ad Baptismum, et Nazianzeno oratione in sanctum lavacrum, et Chrysostomo hom. 1. in Acta, qui hortantur ad non differendum Baptismum, tum ob periculum et incertitudinem mortis, tum ob multa bona, quæ secum adfert Baptismus.

Quintum argumentum est Calvini ibidem, §. 4. potestas clavium non potest separari a Baptismo; ergo qui post Baptismum lapsi, virtute clavium reconciliantur, per Baptismum reconciliantur. Antecedens probat : Nam potestas clavium non exercetur sine prædicatione Evangelii, qua annuntiamus impios mundari Christi sanguine : signum autem, et testimonium sanguinis Christi effusi, est Baptismus; ergo potestas clavium non exercetur sine Baptismo.

Respondeo : Si argumentum aliquid valeret, efficeret etiam nullum reconciliari, nisi per Eucharistiam, aut ejus memoriam : nam Eucharistia est etiam signum, et testimonium sanguinis Christi effusi. Sed argumentum nihil concludit, tum quia falsum est, clavium potestatem non exerceri nisi prædicatione Evangelii, tum etiam quia latius patet mundari impios Christi sanguine, quam mundari per Baptismum. Siquidem Christi sanguis est, qui semper mundat, sed is per varia instrumenta applicatur; aliquando quidem per Baptismum, aliquando per alia Sacramenta, aliquando sine Sacramentis per fidem, et veram conversionem; aliquando per martyrium, ut supra dictum est.

CAPUT XIX.

De Baptismo Joannis, qui fuerint errores.

Sequitur controversia octava de comparatione Baptismi Christi cum Baptismo Joannis, de qua est primus Canon Concilii Tridentini, sess. VII de Baptismo : « Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit. » Tres erunt partes hujus controversiæ. Primo exponemus errores et opiniones. Secundo aperiemus et confirmabimus veritatem. Tertio diluemus objectiones.

Quod ad primum attinet, fuit antiquus error Petiliani Donatistæ, unum esse Baptismum Christi et Joannis. Distinguebat enim tres gradus ejusdem Baptismi; ac dicebat, Joannem baptizasse aqua, Christum spiritu, Paracletum igne; sed hæc tria ad unum et eumdem Baptismum pertinere, refert et refellit Augustinus lib. II contra litteras Petiliani, cap. 32, 34 et 37.

Hoc nostro tempore Lutherus initio prædicationis suæ aperte distinguebat Baptismum Joannis a Baptismo Christi. Nam in disputatione de Baptismo legis, Joannis, et Christi edita anno 20. tria ponit discrimina inter hæc Baptismata. Primum, quod Baptisma Joannis non sit Sacramentum, Christi autem sit. Secundum, quod illud non remittat peccata, hoc autem remittat. Tertium, quod baptizati a Joanne iterum essent baptizandi, non autem baptizati Christi Baptismo.

Cæterum hæc sententia, quia non bene cohæret cum reliqua doctrina Lutheranorum

de Sacramentis, non placuit Lutheri discipulis; omnes enim contrarium docuerunt, nimirum Baptisma Joannis Sacramentum fuisse, et peccata remisisse, et ab eo baptizatos non fuisse iterum baptizandos. Ita docet Melanchthon in locis agni 58. titul. de Baptismo Joannis : « Etsi, inquit, differentia erat in hoc articulo, Joannes de passuro Christo, Apostoli de passo et resuscitata prædicant : tamen ministerium fuit idem, et effectus eosdem habuit in credentibus. » Ubi aperte retractat, quod scripserat in locis anni 22. titul. de Baptismo : ibi enim cum Luthero docuerat, Baptismum Joannis signum fuisse mortificationis, Christi vero Baptismum, signum justificationis; et propterea debuisse iterum baptizari, quos Joannes baptizaverat. Idem habent, idem Philippus, et Alesius, et Lossius Lutherani in cap. I Joannis. Item Martinus Bucerus, et David Chytræus in cap. III Matth. Joannes Brentius hom. 21 et 29. in Lucam. Idem etiam Centuriatores, Cent. I, cap. 4. col. 156. et cap. 10. col. 361. Item Nicolaus Selneccerus in 2. Pædagogiæ titul. de Baptismo. Item Zwinglius lib. de vera et falsa religione, cap. de Baptismo, et Calvinus tum in Antidoto Concilii, tum in Instit. lib. IV, cap. 15. §. 7 et 8. Denique Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 475. et sequentib. convenit cum cæteris, quod Baptisma Joannis remitteret peccata, et esset idem Sacramentum cum Baptismo Christi, quem Apostoli ministrabant, tamen non audet definire, an baptizati a Joanne essent iterum baptizandi Christi Baptismo. Nam proposita quæstione et rationibus pro utraque parte, tandem ita loquitur pag. 490. in fine : « Reliquatur igitur hæc quæstio in medio, ut quæ in utramque partem rationes habet. » In quo valde caute et solerte egit. Nam hoc modo non aperte repugnavit, aut priori Lutheri et Philippi sententiæ, aut posteriori et communi sententiæ Lutheranorum : et præterea liberavit se a molestissima quæstione, in qua solvenda alii multum sudant, nec tamen se expediunt, videlicet, quomodo Actor. XIX baptizari jubeantur Christi Baptismo, quos constabat a Joanne antea baptizatos.

Inter Catholicos fuerunt etiam duæ opiniones de Baptismo Joannis; quarum altera censetur erronea; altera multum improbabilis. Prima fuit Petri Lombardi, qui lib. IV, dist. 2. distinguit duo genera baptizatorum a Joanne. Unum eorum, qui sic baptizabantur a Joanne, ut spem ponerent in eo baptismo, et non haberent notitiam Spiritus sancti; et hos fatetur baptizandos fuisse Christi Baptismo. Alterum eorum, qui baptizabantur a Joanne, sed non ponebant spem in eo Baptismo, et habebant notitiam Spiritus sancti; et hos dicit non fuisse necessarium baptizari Christi Baptismo. Hæc sententia præter argumenta, quæ infra adferemus contra hæreticos, refelli potest ex his, quæ Magister ipse et omnes Catholici concedunt. Nam consensu omnium, Christi Baptismus post promulgationem suam omnes homines obligat. At Baptismus Joannis non erat Baptismus Christi, ut eadem distinctione docet Magister; igitur baptizati a Joanne, obligabantur ad Christi Baptismum suscipiendum. Quare S. Thomas 3. part. qu. XXXVIII, art. ult. scribit hanc opinionem esse penitus irrationabilem.

Altera opinio est, Baptismum Joannis fuisse Sacramentum quoddam, qualia erant Sacramenta veteris legis. Ita docuit Magister loco notato, et multi Scholasticorum, atque ipse etiam S. Thomas ibidem : Sed merito postea idem S. Thomas contrarium docuit 3. part. qu. XXXVIII, art. 1. Nam Sacramenta veteris legis cœperunt cum ipsa lege, et duraverunt toto tempore quo lex ipsa duravit. Baptismus autem Joannis cœpit in fine legis, et non duravit nisi annum unum, aut paulo amplius. Unde recte ait S. Thomas Baptismum Joannis non pertinuisse ad legem veterem, sed potius ad novam, ut quamdam præparationem ad Christi Baptismum.

Dices, Baptismum Joannis non fuisse Sacramentum legis veteris, nec novæ, sed medium inter utramque. At id fieri nequit. Non enim esse potest Sacramentum medium inter Sacramenta duarum legum, nisi etiam lex ipsa media sit. Lex autem media inter veterem et novam nulla fuit : una enim abrogata, altera continuo successit : quare si Baptismus Joannis Sacramentum esset, esset omnino legis veteris, aut novæ. Neque sufficit ad rationem Sacramenti (quod veteres illos fefellisse videtur) ut significet Christi Baptismum, vel etiam gratiam dandam per Baptismum. Nam etiam diluvium I. Petr. III et mare rubrum I. Cor. X significarunt Baptismum, et manna Eucharistiam, et tamen non fuerunt Sacramenta, sed solum figuræ Sacramentorum. His ergo omissis veniamus ad veritatem constituendam et probandam contra hæreticos.

CAPUT XX.

Baptismum Joannis non fuisse Sacramentum idem cum Baptismo Christi.

Ad explicandam et probandam veritatem tres propositiones constituendæ erunt. Prima propositio : « Baptismus Joannis non fuit Sacramentum idem cum Baptismo Christi. » Hæc est contra Philippum, Calvinum, Kemnitium et cæteros, qui idem ministerium asserunt fuisse Joannis et Apostolorum. Probatur primo. Baptismus Joannis ab ipso Joanne institutus erat, non ergo erat Sacramentum præsertim novæ legis. Consequentia patet, quia nullus homo purus Sacramenta instituere potest, præsertim novæ legis, ut supra ex testimoniis etiam adversariorum probavimus. Antecedens probatur, quia in Scripturis passim vocatur Baptismus Joannis, ut Matth. III : *Videns Joannes multos venientes ad Baptismum suum.* Matth. XXI : *Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?* (1) Similiter legimus Marc. XI, Luc. XX, Actor. I, XVIII et XIX. Ista autem denominatio non potest significare Joannem ministrum tantum fuisse ejus Baptismi, sed etiam auctorem; alioqui Baptismus Christi potuisset etiam vocari Baptismus Petri, Pauli, Philippi et aliorum; quod tamen Scriptura diligenter cavit, ne viderentur illi auctores Baptismi, ut Augustinus notavit lib. V de Baptismo, cap. 13. et alibi.

Dices : At Baptismus Joannis a Deo, non ab ipso institutus videtur. Sic enim ipse ait, Joan. I : *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit* (2). Respondeo cum Augustino loco citato cap. 9 et 13. et cum Tertulliano libro de Baptismo, ubi tractat illam quæstionem a Christo propositam, an Baptismus Joannis esset de cœlo, an ex hominibus; Baptismum Joannis a Deo fuisse institutum, sed mediante ipso Joanne. Deus enim solum in genere inspiravit, et inspiratione illa mandavit, ut baptizaret; sed ritum in particulari, quo baptizandum esset, ipse Joannes instituit, non a Deo præscriptum accepit. Unde merito dicitur proprius Joannis Baptismus.

Secundo; in Baptismo Christi non sola aqua est de essentia ritus, seu Sacramenti, sed etiam invocatio Trinitatis, ut supra probatum est : nec dissentiunt adversarii, saltem in praxi, cum etiam ipsi ita baptizent. At Baptismus Joannis non habuit invocationem Trinitatis; non igitur est idem Sacramentum cum Baptismo Christi. Assumptio probatur, quia licet Centuriatores, Cent. I, lib. II, cap. 6. col. 496. affirment Joannem baptizasse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : tamen neque Scriptura, neque ulla Patrum traditio id docuit. Non possumus autem in ejusmodi rebus, nisi valde temere aliquid fingere sine testimonio Scripturæ aut traditionis. Fuerunt quidem, qui existimarent Joannem in suo Baptismo usum forma quadam verborum, nimirum : In nomine venturi Messiæ, idque propter illa verba Pauli, Actor. XIX, Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens : In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent. Ita enim docet Ambrosius, lib. I de Spiritu sancto, cap. 3. Hieronymus in cap. II Joelis, et Hugo de S. Victore lib. II de Sacramentis par. 6. cap. 6. Sed isti ipsi, præsertim duo posteriores, monent Joannem non baptizasse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et propterea non fuisse illud perfectum Sacramentum. Adde, quod valde probabile est Joannem nulla omnino forma verborum uti consuevisse. Illa enim verba Pauli non videntur significare Joannem baptizasse in nomine venturi, sed tantum admonuisse populum ut crederent in venturum Messiam. Nam etiam Christum baptizavit Joannes eo ritu, quo cæteros; et certe ridiculum fuisset, Christum baptizasse in nomine venturi.

Tertio; Baptismus Christi est Sacramentum novi Testamenti; ergo institutum ab ipso auctore novi Testamenti. Neque id negare possunt adversarii; nam Philippus in locis anni 58. titul. de numero Sacramentorum, dicit Baptismum et cœnam Domini, et Ablutionem esse Sacramenta instituta in prædicatione Christi, ac proinde esse Sacramenta proprie dicta. Et Kemnitius in definitione Sacramenti proprie dicti, tertiam conditionem posuit, ut in novo Testamento

(1) Marc III, 7; XXI, 25. — (2) Joan. II, 33.

sit institutum et mandatum. At Joannis Baptisma non fuit in prædicatione Christi institutum, nec a Christo mandatum, sed a Joanne, antequam inciperet novi Testamenti auctor prædicare. Non igitur est Sacramentum novi Testamenti, et multo minus idem cum Baptismo Christi.

Quarto; Baptismus Christi iterari non potest, ut omnes hoc tempore Catholici et hæretici docent, præter Anabaptistas. At baptizati a Joanne iterum ab Apostolis jussi sunt baptizari : non igitur erat ille Christi Baptismus, quem Joannes ministrabat. Hujus argumenti assumptionem negant Calvinus et alii : sed ea probatur in tertia propositione.

Cæterum Kemnitius negaret consequentiam admissa assumptione. Existimat enim ipse, ut supra diximus, potuisse baptizari Christi Baptismo eos, quos Joannes baptizaverat; quia licet ministerium sit idem, quoad substantiam, tamen differt quoad significationem. Distinguit enim Kemnitius tria, quæ idem efficiebant sub diversa significatione, Circumcisionem, Baptismum Joannis et Baptismum Christi; quorum Circumcisio significabat Messiam venturum, Baptismus Joannis Messiam jam esse in via et venire, Baptismus Christi, Messiam venisse. Inde colligit, quod sicut circumcisi debuerunt veniente Joanne baptizari ejus Baptismate, ut profiterentur se credere Messiam jam venire, licet essent justificati per Circumcisionem : sic etiam baptizati a Joanne debuerunt postea Baptismo Christi baptizari, ut profiterentur se credere Messiam venisse, licet jam essent justificati Baptismo Joannis.

At contra has Kemnitii argutias nos objicimus in primis Augustinum, qui lib. V de Baptismo, cap. 9. eam consequentiam facit, quam nos fecimus, et quam Kemnitius negat : « Baptizatos, inquit Augustinus, a Paulo eos, qui jam Baptismo Joannis baptizati fuissent, legimus in Actibus Apostolorum, non ob aliud, nisi quia Baptismus Joannis non fuerit Christi Baptismus. » Præterea, si ratio Kemnitii valeret, probaremus etiam baptizatos ab Apostolis ante Christi passionem et resurrectionem, debuisse iterum baptizari post resurrectionem. Nam Baptismus Christi ante ejus passionem, significabat Christi passionem futuram, postea vero significare cœpit Christi passionem præteritam.

CAPUT XXI.

Baptismum Joannis non habuisse eamdem vim et efficaciam, quam habet Baptismus Christi.

Secunda propositio : « Baptismus Joannis non habuit eamdem vim et efficaciam, quam habet Baptismus Christi. » Nota, non esse quæstionem, an Baptismus Joannis potuerit remittere peccata ex devotione et fide accedentium, vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus et Baptismo Joannis. Id enim facile fieri potuit, et sic acceperunt illa verba Marci I : *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (1); quidam Patrum, ut Basilius lib. I de Baptismo, cap. 2. et frater Basilii Gregorius Nyssenus in oratione de laudibus Basilii, et auctor quæstionum novi Testamenti, quæst. 29. in tom. IV operum Augustini, ipse etiam Augustinus lib. V de Baptismo, cap. 10. licet existimet illa verba aliter accipienda, tamen non existimat contentiose resistendum iis, qui docent Baptismum Joannis aliquo modo remisisse peccata, modo fateantur magnum esse discrimen inter Baptismum Christi et Joannis. Tota igitur quæstio est : An Baptismus Joannis fuerit efficax, ut Christi Baptismus, ita ut si Baptismus Christi peccata remittat vi sua, seu ex opere operato (ut nos supra probavimus) idem etiam tribuendum sit Baptismo Joannis.

Ac adversarii quidem eamdem efficaciam, et eumdem effectum tribuunt utrique Baptismo. Concilium autem Tridentinum sess. VII, can. 1. de Baptismo, contrarium statuit, his verbis : « Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit. » Quæ quidem veritas probatur primo ex Scriptura. Nam Marci I Joan. Baptista distinguit suum Baptisma a Christi Baptismate, quod ipse baptizet in aqua, ille in Spiritu baptizaturus sit: *Ego baptizavi vos in aqua, ille vos baptizabit Spiritu sancto* (2).

(1) Marc. I, 4. — (2) Marc. I, 8.

Respondent ad hunc locum adversarii, Philippus, Calvinus, et Kemnitius locis notatis, Joannem Baptistam distinguere voluisse hoc loco ministerium externum, quod sibi conveniebat ab interno ministerio, quod est solius Christi. Itaque dicunt in Baptismo Joannis datam fuisse remissionem, sed a Christo per ministerium Joannis. Et adducit Kemnitius similem locum, ex priore ad Corinthios cap. IV : *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit* (1).

Sed facile refellitur hæc solutio; quia Joannes de suo ministerio loquitur in præterito tempore; de Christi operatione in futuro : *Ego baptizavi vos aqua, ille vos baptizabit Spiritu sancto.* Non igitur per ministerium Joannis Christus dedit remissionem; tunc enim dixisset : Ego baptizavi aqua, ille baptizavit Spiritu sancto; sicut Paulus in loco citato a Kemnitio, non dixit : Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dabit, sed, *Deus incrementum dedit.* Porro apud alios Evangelistas, Matthæi cap. III et Luc. cap. III de se Joannes dicit in præsenti : *Ego baptizo vos aqua*, de Christo semper in futuro : *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, et igni* (2).

Hanc nostram solutionem conatur Kemnitius oppugnare duobus modis. Primo dicit, pag. 191. per Baptismum Christi in Spiritu sancto, et igni intelligi donorum visibilium effusionem, quæ facta est in die Pentecostes. Id probat tum ex vocabulo ignis, tum ex testimonio Christi, et Petri, qui usurparunt eamdem phrasim Joannis. Christus enim Act. I. dixit Apostolis : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Et Petrus Actor. XI : *Recordatus sum*, inquit, *verbi Domini, sicut dixit; Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto* (3). Non igitur opponitur Baptismus Joannis Baptismo Christi, sed Baptismus aquæ, in quo non datur visibiliter Spiritus sanctus, opponitur illi effusioni donorum visibili, quæ sine aqua fiebat in primitiva Ecclesia post Baptismum, cum Apostoli manus imponebant.

Hæc prima solutio non est sufficiens. Nam in primis vox ignis, non impedit, quo minus intelligantur verba Joannis : *Ille baptizabit in Spiritu sancto, et igni*, de Baptismi Sacramento. Nam omnes fere interpretes ita intelligunt; ac dicunt additum esse vocabulum ignis, quia post Baptismum Christi sequitur ignis tribulationis, et ignis divini Judicii, et ignis Purgatorii; et in primitiva Ecclesia dabatur post Baptismum Spiritus sanctus in forma visibili ignis per impositionem manuum Apostolorum. Vide Hilarium, Hieronymum, et Chrysostomum in c. III Matthæi, Ambrosium, et Bedam in cap. III Lucæ. Quod autem attinet ad verba Christi, et Petri, non est certum eodem sensu illa verba dicta fuisse a Joanne Baptista, et a Christo. Potuit enim Dominus alludere ad verba Joannis, et tamen in alio sensu illa proferre, ut frequentissime facit S. Bernardus in verbis Scripturæ usurpandis, ut etiam S. Paulus verba Epimenidis ad Tit. I. citavit in alio sensu, cum ait : *Cretenses semper mendaces; hoc testimonium verum est* (4). Quocirca Patres, ut dixi, verba Joannis exponunt de Sacramento Baptismi Christi, verba autem Christi et Petri non possunt exponi nisi de missione Spiritus sancti.

Deinde, si admittamus, et Joannem, et Christum cum Petro, eodem sensu, verba illa protulisse; tum dicemus secundum Scripturas tria Baptismata distingui. Unum, in aqua solum, et hoc erat Joannis, quod in Scriptura perpetuo ita dicitur in aqua, ut distinguatur contra Baptismum in Spiritu. Alterum, in Spiritu, et igni solo, id est, non in aqua, et hoc est visibilis missio Spiritus sancti, quæ quidem non continet solum visibilem illam speciem linguarum ignearum, sed etiam internam charitatem, et gratiam a Spiritu sancto infusam, quæ per illa externa symbola significabatur, ut etiam admittit Kemnitius, pag. 192. Unde Baptisma Joannis in sola aqua non solum distinguitur contra Baptismum ignis, id est, visibilis formæ ignis, sed etiam contra Baptismum spiritus, id est, internæ gratiæ a Spiritu sancto infusæ. Tertium Baptisma est in aqua, et Spiritu simul; et hoc est Sacramentum Baptismi Christi, quod Joannis III dicitur esse ex aqua, et Spiritu sancto. Itaque videmus verba Joannis, quomodocumque intelligantur, semper distinguere a Baptismo Joannis tamquam ex [illegible]um, et corporale tantum a Baptismo Ch[illegible]quod est partim spirituale, et partim [illegible]orale, cum constet, vel ex Spirita, et igni, vel ex aqua, et Spiritu.

Est igitur altera solutio Kemnitii, qui cum vidisset priorem non esse sufficientem, re-

(1) I. Cor. IV, 6. — (2) Luc. III, 16; Matt. III, 11. — (3) Act. I, 5; XI, 16. — (4) Tit. I. 12 et 13.

dit pag. 193. ad communem solutionem, quod illud : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni*, referatur ad operationem Christi internam in ipso Joannis Baptismo. Et quia huic sensui videtur repugnare illud futurum *(Ipse vos baptizabit)* conatur ostendere Kemnitius, eamdem Scripturam loqui de operatione Christi etiam in præsenti, imo et in præterito tempore. Itaque citat illa loca Joan. I : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (1). Ubi in præsenti dicitur, *Baptizat*, et tamen tunc non baptizabat per se, nec per discipulos; ergo per Joannem baptizabat. Item ibidem : *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Ubi in præterito dicitur, *Accepimus*; ergo operabatur Christus interna operatione, etiam antequam incipëret per discipulos baptizare. Denique Matth. III, ut intelligeremus non esse sine efficacia Baptistæ ministerium; apparuit eo Baptizante Spiritus sanctus in forma columbæ. Addit etiam verba Angeli, Lucæ I : *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum* (2). Ex quo perspicuum esse dicit, non fuisse inefficax Joannis ministerium.

Sed hæc nullo negotio refutantur. Nam in primis numquam reddit causam Kemnitius, cur in futuro dixerint omnes Evangelistæ : *Ipse baptizabit*, si operabatur interius Christus illo ipso tempore, quo Joannes exterius.

Deinde loca allata non faciunt ad rem. Illud enim : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, non significat, quod tunc Christus baptizaret, cum Joannes ita loquebatur; sed significat, quod Christus, quando baptizat, in Spiritu sancto baptizat, non in sola aqua, ut Joannes, sicut recte exponit Augustinus tract. 13. in Joannem, et alibi. Similiter etiam, cum ibidem Joannes ait : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, significabat, Christum sublaturum peccata mundi, cum instar agni immolaretur in cruce; non autem, quod tunc ea tolleret, cum Joannes loquebatur. Illud autem : *De plenitudine ejus omnes accepimus*; significat gratiam qua præditus erat Joannes, a Christo manasse; ut etiam gratiam omnium aliorum Sanctorum. Sed quid hoc ad Baptistam Joannis? Nam etiamsi ob merita Christi, ævisa dabatur gratia Sanctis omnibus, non tamen dabatur per Baptismum Joannis, sed alia via, et per alia instrumenta. Porro columba, quæ apparuit, Joanne baptizante, non testabatur efficaciam ministerii Joannis, ut imprudentissime, et per summam temeritatem scribit Kemnitius. Alioqui oporteret fateri in ipsum Christum fuisse efficax Joannis ministerium: tunc enim solum columba apparuit, cum Christus baptizaretur. At hoc impium et blasphemum est. Non enim eguit efficacia Baptismi Joannis, Agnus ille innocens, qui tollit peccata mundi, teste eodem ipso Joanne. Significavit igitur columba illa Christi innocentiam, et puritatem, et quod ipse esset, qui sanctificaret, et purgaret aquas, et per aquas et spiritum homines regeneraret.

Denique verba Angeli Lucæ primo, non agunt de Baptismo, sed de concionibus Joannis. Nemo autem negat, quin Joannes efficacissime prædicaverit, et converterit plurimos ad Deum. Sed aliud est prædicatione verbi movere corda hominum, aliud per Baptismum ea purgare. De primo argumento satis.

Secundo probatur testimoniis Patrum. Origenes lib. V in epistol. ad Romanos, exponens cap. VI, docet, et probat aliquot argumentis Baptismum Joannis, non remisisse peccata, et in hoc distingui a Christi Baptismo. Idem docent alii Græci. Justinus qu. 37. ad Orthodoxos. Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina. Joannes Chrysostomus homil. 10 et 12. in Matthæum, et homil. 16. in Joannem, et homil. 1 et 10. in Acta. Item auctor homiliarum in Marcum, quæ habentur in secundo tomo Chrysostomi homil. 1. Cyrillus Alexandrinus lib. II in Joannem cap. 37. ubi ex professo hoc tractat, ac dicit, Spiritum Sanctum prævidisse futuros aliquando temerarios homines, qui non discernerent Christi Baptisma, a Joannis Baptismate; ideoque impulisse ipsum Joannem, ut apertissime diceret; se solum in aqua baptizare. Idem etiam habent Damascenus lib. IV de fide, cap. 10. et Theophylactus in cap. III Luc. Denique S. Basilius, etiamsi lib. I de Baptismo dicat, Baptismum Joannis dedisse remissionem peccatorum, tamen ibidem sic loquitur : « Quanto præstantior est Spiritus sanctus aqua, tanto excedit, qui baptizat in Spiritu sancto, illum qui baptizat in aqua, et ipsum adeo Baptisma. » Et orat. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum, sic habet : « Joannes pœnitentiæ Baptismum prædicavit, Dominus autem adoptionis filiorum Baptismum longe excellentius annuntiat. Item initiatorium erat Joannis Baptisma, Christi autem perfectorium. Illud a peccato avocabat, istud cum Deo conjungit, et familiarem reddit. » Hæc ille. Ex quo intelligimus Basilium non tribuisse eamdem efficaciam Baptismo Christi, et Joannis; imo Baptismo Joannis non tribuisse ullam vim justificandi, nisi ratione pœnitentiæ, et contritionis. Quomodo etiam intelligi debent verba Nysseni.

(1) Joan. I, 33. — (2) Luc. I, 16.

Jam ex Latinis Tertullianus in lib. de Baptismo : « Nihil, inquit, præstabat cœleste Baptismus Joannis, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ videlicet præpositus. » Et infra : « Aut daret, inquit, Spiritum sanctum, et remissionem delictorem, si cœlestis esset. » Ubi Tertullianus contendit, non fuisse cœlestem, sed humanum Joannis Baptismum, quia non dabat Spiritum sanctum, nec remissionem delictorum. Et infra : « Agebatur itaque Baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus sanctificationis, et remissionis in Christo subsecuturæ. » Ex quo intelligemus, quomodo sint acceptanda illa verba ejusdem auctoris, initio libri ejusdem : « Neque quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit. » Nam non loquitur de toto Baptismo, sed solum de materia, ac docet non referre, qua quis aqua baptizetur. Non dissimiliter loquuntur cæteri Latini. Cyprianus in sermone de Baptismo Christi. Hilarius in cap. III Matthæi. Optatus lib. V contra Parmenianum. Ambrosius in cap. III Lucæ, et idem Ambrosius in præfatione in Psalmum XXXVII. Baptismum Christi vocat oculum gratiarum, quia dabat gratiam, Baptismum Joannis, oculum suppliciorum, qui tantum erat Baptisma pœnitentiæ. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos similia habet, et in epistola 83. ad Oceanum, et in II caput Joelis. Idem habent Innocentius I, in epist. 22, cap. 3. Leo epistol. 4, cap. 6. Gregorius hom. 7 et 20. super Evangelia. Denique Augustinus epistola 48 et 163. Enchiridii cap. 49. lib. II contra litteras Petiliani, cap. 37. et lib. III, cap. 76, lib. V contra Donatistas cap. 9, 10 et 15. de unico Baptismo cap. 7. de unitate Ecclesiæ cap. 18, tract. 3. in Joannem, et alibi.

Ad hæc loca non aliter Calvinus respondet, nisi more suo ea contemnendo. Sic enim loquitur lib. IV Institut. cap. 15, §. 7 : « Quare neminem perturbet, quod alterum (Baptisma) ab altero (Baptismate) discernere veteres contendunt : quorum non tanti esse nobis debet calculus, ut Scripturæ certitudinem quatefaciat. Quis enim Chrysostomo potius auscultet, quam Lucæ? Nec recipienda est illa Augustini argutia; in spe dimissa fuisse peccata Baptismo Joannis, Christi Baptismo reipsa dimitti. »

At nos rectius dicere possumus : Quis Calvino potius auscultet, quam Chrysostomo, et Augustino, et tot aliis antiquissimis et doctissimis Patribus? Non enim quæstio est, an sit credendum Lucæ, an Patribus, sed an Lucam melius intellexerit Calvinus, quam tot Patres.

Porro Kemnitius in Examine, loco citato, tota fere disputatione conatur ostendere, quæstionem istam non esse necessariam, et proinde parum referre, utrum hoc, aut illud Patres dixerint. At non ita dicunt, ipsi Patres.

Nam Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos adeo non putat rem istam esse levem, ut dicat eos, qui confundunt hæc Baptismata, in perversum dogma abire, et cum Baptismo servi plus tribuunt, quam par est, ipsum Baptismum Domini destruere. Augustinus lib. II contra litteras Petiliani, c. 37. ubi dixerat, Baptismum Joannis non esse Baptismum Christi, neque ullam ejus partem aut gradum, subjungit, eos, qui contrarium sentiunt, incidere in impiam, et sacrilegam opinionem. Denique Cyrillus Alexandrinus lib. II in Joannem, cap. 37. temerarios vocat, qui contra sentiunt.

Sed his omissis, Tertio probatur veritas ex ipsa persona, et officio Joannis. Erat enim Joannes præcursor Domini, et solum ad hoc venerat, ut pararet vias ejus. Id enim prædixit Angelus Luc. I : *Ipse præibit ante illum in spiritu, et virtute Eliæ, ut convertat corda filiorum ad patres, parare Domino plebem perfectam.* Idem prædixit pater ejus : *Puerbis enim ante faciem Domini parare vias ejus*, Luc. I. Idem denique ipse testatur adducens vaticinium Isaiæ, Joan. I : *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini etc.* (1) At certe parare viam Salvatori non est dare salutem, et justificare, sed disponere ad recipiendum Salvatorem, et salutem : alioqui ipse Salva-

(1) Luc. I, 17 et 76; Joan. I, 23.

tor, non præcursor Salvatoris fuisset. Unde pater ejus Zacharias Luc. I. proprie designans officium Baptistæ : *Ad dandam*, inquit, *scientiam salutis plebi ejus* (1), non dixit : Ad dandam salutem, sed *scientiam salutis*. Docuit enim Joannes, quomodo esset invenienda salus, nimirum credendo in Christum, cum illum digito ostendit, et ait Joan. I : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (2).

CAPUT XXII.

Quod post Baptismum Joannis necessario percipiendus erat Christi Baptismus.

Tertia propositio : « Post Baptismum Joannis necessario percipiendus erat Christi Baptismus. » Hæc est contra Kemnitium, qui id in dubium revocat, et contra Calvinum, et cæteros, qui id aperte negant. Probatur primo ex verbis Joannis, Matth. III, Lucæ III, Marci I : *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni* (3). Si enim hic fiat collatio Baptismi Christi, et Joannis, aperte videmus eosdem, quos Joannes baptizaverat, dici baptizandos iterum a Christo. Fieri autem collationem duorum Baptismatum, est communis interpretum sententia ; ut Ambrosii, et Bedæ in Lucam, Hilarii, Hieronymi, Chrysostomi in Matthæum, et aliorum Patrum citatorum.

Secundo probatur ex historia Evangelii, et Actorum. Nam ut legimus Marc. I, et Matth. III ac Lucæ III, ibant ad Joannem ut baptizarentur, tota Hierosalem, omnis Judæa, et regiones omnes vicinæ Jordani. Itaque rari admodum erant eo tempore non baptizati a Joanne. At post Domini Ascensionem ipso primo die Pentecostes, B. Petrus in Hierusalem prædicare cœpit necessitatem Baptismi Christi omnibus hominibus : *Pœnitentiam*, inquit, *agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu* (4) ; et baptizati sunt eo die tria millia, deinde paulo post quinque millia, præter eos, quos postea baptizavit Philippus, et alii discipuli in variis locis Judææ, et Samariæ, ut habemus Act. II, IV, VIII et aliis. Igitur necesse est, ut multi a Joanne baptizati, iterum ab Apostolis baptizati fuerint. Quomodo enim credibile est, ut inter tot millia, quos Apostoli in Hierusalem baptizarunt, nullus fuerit a Joanne antea baptizatus, si verum est, quod Marcus dixit cap. I, universos Hierosolymitas a Joanne baptizatos?

Tertio probatur ex loco expresso Actor. XIX, ubi Paulus jubet baptizare in nomine Domini duodecim viros, qui confessi fuerant, se non habere nisi Joannis Baptismum.

Ad hunc locum incredibile est, quot explicationes, et quam diversas adversarii excogitaverint : numerantur enim ut minimum decem apud eos diversæ opiniones. Prima est, quod in eo capite, semper Baptismus sumatur metaphorice, et cum agitur de Baptismo Joannis, et cum agitur de Baptismo Christi.

Ita Zwinglius, qui in lib. de vera et falsa religione cap. de Baptismo, Baptismum in capite Actorum, accipi vult pro doctrina, ut sensus sit, eos duodecim viros, qui antea solum instituti fuerant in doctrina Joannis, postea institui cœpisse in doctrina Christi.

Secunda est, quod semper ibi accipiatur Baptismus metaphorice ; sed primo loco pro doctrina, secundo loco pro donis Spiritus sancti, quæ dabantur per manus impositionem. Ita Joannes Brentius et Lucas Lossius in cap. XIX Actor.

Hæ duæ expositiones hoc uno argumento satis refelluntur, quod verba historica, et apertissima sine ulla causa detorquent ad impropriam significationem. Non enim licet, præsertim in historiis, fingere tropos pro arbitrio : alioqui nihil esset certum in ulla Scriptura.

Tertia expositio est, accipi Baptismum Joannis metaphorice pro doctrina ; Baptismum Christi proprie : atque ita illos duodecim viros tantum semel baptizatos, idque a Paulo, non a Joanne. Ita Henricus Bullingerus in cap. XIX Actor.

Quarta est contraria superiori, Baptismum Joannis accipi proprie, Baptismum Christi improprie pro doctrina. Ita Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 198 et 199. ubi etiam trahere conatur in hanc sententiam Ambrosium lib. I de Spiritu sancto cap. 3. et glossam interlinealem, in cap. XIX Actor.

(1) Luc. I, 77. — (2) Joan. I, 29. — (3) Matth. III, 11 ; Luc. III, 16 ; Marc. I, 8. — (4) Act. II, 38.

Quinta est Calvini lib. IV Institut. cap. 15. §. 18. Baptismum Joannis accipi proprie, Baptismum Christi improprie ; non pro doctrina, ut dicit Kemnitius, sed pro donis Spiritus sancti.

Hæ tres expositiones, præterquam quod fingunt tropos in historia pro arbitrio, admittunt etiam fœdam æquivocationem in eodem capite intra paucas lineas. Neque verum est, quod Kemnitius dicit, esse hanc explicationem Ambrosii, aut glossæ interlinealis. Nam Ambrosius in cap. III ad Galatas, et lib. I de Spiritu sancto cap. 3. aperte dicit, illos duodecim viros jussu Pauli vere et proprie fuisse baptizatos. Quod etiam admittit Kemnitius pagina sequenti ; qui proinde in duabus paginis, secum ipse pugnat in Ambrosio citando. Glossa autem interlinealis, solum dicit non fuisse eos viros rebaptizatos, quod congruerent verba Pauli cum doctrina Joannis. Ubi non negat glossa fuisse eos viros jussu Pauli vere baptizatos ; sed negat fuisse illum Anabaptismum. Anabaptismus enim est repetitio ejusdem Baptismi : illi autem non fuerunt eodem Baptismo bis tincti, sed diversissimis. Intellexerant enim ex verbis Pauli alium fuisse Baptismum Joannis, alium Christi, et hoc ipsum docuisse etiam Joannem.

Sexta expositio est, quod in eo capite semper accipiatur Baptismus proprie, sed non agatur nisi de Baptismo Joannis. Siquidem illa verba : *His auditis baptizati sunt in nomine Domini* : nolunt esse Lucæ narrantis, quid egerint viri illi post verba Pauli audita, sed esse verba ejusdem Pauli narrantis, quid agere solerent discipuli Joannis, auditis verbis ejusdem Joannis prædicantis Christum venturum : nimirum, baptizabantur ab eodem Joanne in nomine Christi venturi.

Hanc explicationem recitat, et laudat, ut concinnam et piam Nicolaus Selnecerus in 2. part. suæ Pædagogiæ. Sed est quidem utcumque arguta, at minime pia, et probabilis. Nam Paulus primo dicit Joannem baptizasse populum, secundo addit eumdem Joannem baptizando monuisse populum, ut crederent in Christum venturum. Si ergo verba sequentia (*His auditis baptizati sunt*) pertinent ad populum, cui loquebatur Joannes ; sequetur eum populum bis baptizatum a Joanne, aut certe Paulum non bene rem illam narrasse : quorum utrumque absurdum est. Deinde, vel duodecim illi viri sunt jussu Pauli baptizati Baptismo Christi, vel non. Si sunt baptizati, est id quos nos contendimus : si non sunt baptizati, quorsum pertinet illa narratio Pauli ? certe supervacanea videtur. Non enim alia de causa Paulus monuit eos, qui baptizati erant solo Baptismo Joannis, ipsum Joannem prædicasse Christum, nisi ut intelligerent esse necessarium præterea Christi Baptismum.

Septima expositio est, nomen Baptismi accipi proprie in toto illo capite, et eos duodecim viros bis baptizatos ; sed ideo factum esse, quod non habuissent illi verum Baptisma Joannis, sed corruptum, et adulteratum, quoad formam, nimirum, sine nomine Spiritus sancti. Ita docent Centuriatores, Centur. I, lib. II, cap. 6, col. 496. et Bucerus in c. III Matthæi. Favet autem non parum Ambrosius huic sententiæ. Nam in cap. III ad Galatas, et lib. I de Spiritu sancto cap. 3. dicit eos, quos Paulus baptizari jussit Actor. XIX, non fuisse baptizatos antea vero baptismo Joannis, sed Baptismo quodam qui Joannis diceretur, sed non esset.

Hæc expositio nititur falso fundamento, quod nimirum Joannes Baptizarit in nomine Trinitatis, aut certe in nomine Christi venturi, quod (ut supra diximus) non est verum. Porro Ambrosius dicit quidem illos duodecim viros non habuisse verum Joannis Baptismum, sed non dicit, si habuissent verum, non fuisse iterum baptizandos, quod adversarii contendunt : imo contrarium colligitur ex testimoniis ejus. Nam in cap. III Lucæ aperte dicit, Baptismum Joannis fuisse in sola aqua, et pœnitentiæ, non gratiæ, et diversum a Christi Baptismo, qui constat aqua et spiritu, et gratiam confert.

Octava expositio est Baptismum illorum duodecim virorum fuisse corruptum, non ratione formæ, sed ratione ipsorum accedentium, qui non accesserant recte instituti in doctrina Domini, cum ignorarent Spiritum sanctum, et ipsum Christi Baptisma. Ita docet Otho Brunfelsius in Annotationibus ad cap. XIX Actor.

Refellitur hæc expositio, quia ignorantia non violat Baptismum. Et sane, ut non male dicit Calvinus hanc expositionem refellens lib. IV, cap. 15. §. 18. Institut. non sufficerent flumina, si deberent novo Baptismo corrigi ejusmodi ignorantiæ.

Nona est, viros illos duodecim fuisse revera rebaptizatos, sed male, et per errorem,

idque antequam Paulus eo veniret. Ita Musculus in locis, tit. de Baptismo.

Sed hæc expositio corrumpit textum : nihil enim in textu clarius, quam illos Paulo audito, ejusque jussu baptizatos.

Decima est Kemnitii in 2. part. Exam. pagina 196 et 202. ubi dicit, locum istum esse obscurissimum, cum tam varie a Doctoribus exponatur : et propterea quæcumque sit vera expositio, nihil certi inde posse colligi, non enim dogmata probanda sunt ex locis ambiguis.

At nos opponimus his omnibus depravationibus. Primo ipsum textum, qui si exponatur simpliciter et proprie, et sine præjudicio alicujus præconceptæ opinionis, sine dubitatione eum sensum offeret, quem nos defendimus. Secundo, consensum unanimem Patrum supra citatorum, ac præsertim Augustini, qui locis citatis constanter docet, viros illos iterum baptizatos : quod idem habent omnes veteres expositores Actorum, ut Chrysostomus, Beda, et Œcumenius. Neque potest dici locus ambiguus, quia hæretici non conveniunt in eo explicando ; ista enim ambiguitas non oritur ex natura rei, id est, ex libri obscuritate, sed ex eorum pertinacia, in suis erroribus defendendis.

Alioqui etiam Patres non convenirent, si esset locus vere ambiguus ; et si ambigua dicenda essent omnia loca, in quibus aliqui non conveniunt, nihil omnino ex Scripturis probari posset : nulla enim sunt loca, in quibus non possit unus ab alio dissentire, si velit pertinaciter agere.

CAPUT XXIII.

Solvuntur objectiones.

Argumentum primum est Calvini in Antidoto, et in Instit., locis supra notatis. Eadem fuit doctrina, idem ritus, eadem gratiæ oblatio in Baptismo Joannis, et Christi ; igitur idem Baptismus erat, et ejusdem efficaciæ. Antecedens probat. Nam Joannes, quod attinet ad doctrinam, prædicavit Christum esse hostiam pro peccatis nostris, cum ait Joannis I : *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi* (1), quæ certe est summa totius doctrinæ Christianæ. Quantum ad ritum, baptizavit in aqua, et in nomine Christi, ut patet Actor. XIX. Denique quantum ad oblationem gratiæ, utrique in pœnitentiam, utrique in remissionem peccatorem baptizarunt, ut patet de Baptismo Joannis, Lucæ III, de Baptismo Christi, Actor. II.

Respondeo, hoc argumentum est fundamentum præcipuum adversariorum, et eo utuntur etiam Kemnitius, et Philippus, et alii ; sed tamen non difficulter solvi potest. Nam quod attinet ad doctrinam, in duobus errant adversarii, id est, in antecedente, et consequentia argumenti. Siquidem non verum est eamdem fuisse doctrinam Joannis et Christi, nisi in eo sensu, quod nihil contrarium docuit Joannes Christo. Alioqui enim Joannes nihil docuit de resurrectione Christi, imo etiam neque expresse de passione. Nam quod vocavit illum agnum Dei, potuit referri ad innocentiam, et mansuetudinem, etiamsi victima non fuisset. Deinde doctrina nihil facit ad Sacramenti essentiam, et veritatem ; alioqui hæretici, qui habent falsam doctrinam, haberent falsa Sacramenta, qui est error Donatistarum, et a Calvino etiam, et Lutheranis rejicitur. Sicut igitur diversitas doctrinæ non facit diversum Baptisma, ita nec doctrinæ similitudo facit Baptisma esse unum vel simile.

Quod attinet ad ritum, jam supra ostendimus, non fuisse similitudinem, nisi in materia.

Quantum ad oblationem gratiæ, falsum est quod Calvinus dicit : « Utrique in pœnitentiam, utrique in remissionem peccatorum baptizarunt. » Nam Joannis Baptismus passim dicitur Baptismus pœnitentiæ, ut Matth. III, Marci I, Luc. III, Act. XIII et XIX. At Baptismus Christi nusquam dicitur Baptismus pœnitentiæ, sed lavacrum regenerationis Titul. 3. Quod autem objicitur ex Actor. II, non convincit. Nam Petrus non dicit Baptismum Christi esse Baptismum pœnitentiæ, id est, quod ad pœnitentiam provocet, ut faciebat Baptismus Joannis ; sed dicit, requiri pœnitentiam, ut dispositionem ante ipsum Baptismum. Sic enim ait : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. » Itaque pœnitentia contrario modo se habet ad Baptismum Christi, et Joannis : nam Baptismum Joannis sequitur pœnitentia, ut ejus

(1) Joan. I, 29.

effectus ; Baptismum Christi præcedit, ut ejus dispositio. Quod autem attinet ad remissionem peccatorum, illa tribuitur Baptismo Christi, ut immediatus ejus effectus Act. II : *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Et Ephes. V : *Mundans eam lavacro*. Et Tit. III : *Salvos nos fecit per lavacrum etc.* (1) At Baptismo Joannis nusquam tribuitur remissio peccatorum, ut effectus immediatus, et proximus : solum enim proferre possunt adversarii illa verba Marci I et Luc. III : *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (2). Ibi autem non tribuitur remissio peccatorum Baptismo, sed pœnitentiæ, ad quam provocabat Baptismus.

Est enim sensus ejus loci : Joannes prædicabat Baptismum pœnitentiæ, id est, quod incitabat et invitabat ad pœnitentiam ; quam pœnitentiam qui agerent, ut oporteret, consequerentur remissionem peccatorum. Atque ita exponunt, qui plurimum tribuunt Joannis Baptismo, ut Basilius et Nyssenus supra citati. Nam alii, ut Tertullianus, in lib. de Baptismo, Augustinus lib. V contra Donatistas, cap. 10. Gregorius homil. 20. in Ev. et Beda in cap. III Lucæ illa verba : *In remissionem peccatorum*, referunt ad Baptismum Christi, non Joannis : dicunt enim Joannem baptizasse in pœnitentiam, et simul prædicasse Baptismum Christi futurum in remissionem peccatorum.

Secundum argumentum Kemnitii pagina 183. Apostolus Ephes. IV per gradationem ostendit in novo Testamento, ubi unum est corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, unus Pater, una fides ; ibi etiam unum esse Baptisma. At illa omnia erant tempore prædicationis Joannis Baptistæ ; igitur idem tunc erat Baptisma.

Respondeo, si hoc argumentum valeret, probaret etiam tempore Moysis et Davidis fuisse Christi Baptismum : nam tunc erat idem unum corpus Ecclesiæ, eadem spes, eadem fides, idem Deus, etc. Præterea probaret hoc argumentum, apud hæreticos non esse verum Christi Baptisma ; non enim apud eos est unum corpus, unus spiritus, una fides etc. Non igitur Apostolus probat idem esse Baptisma, ubi est idem Deus, eadem fides etc. sed probat debere Christianos servare cum omni diligentia unitatem spiritus in vinculo pacis ; quia sunt unum corpus : et unum spiritum, unum Deum, unam fidem, unam spem, unum Baptismum habent.

Tertium argumentum, quod maxime Kemnitium movit, ibidem pag. 183. tale est. Quia ea est suavissima consolatio omnium Christianorum, quod unum et idem Baptisma habeant cum suo capite Christo. At hæc tota consolatio perit, si non est idem Baptisma Joannis cum Christi Baptismo : Christus enim Joannis Baptismo baptizatus est, nos autem Baptismo Christi.

Respondeo, non est bona consolatio, quæ vel gloriam Christo detrahit, vel etiam contumeliam et injuriam irrogat : Baptismum autem Christi ipsi Christo tribuere vix possumus sine ejus injuria. Nam cum sit lavacrum regenerationis et adoptionis filiorum ; si is Christo tribueretur, videretur indiguisse regeneratione et adoptione ; quæ certe est maxima in Christum Blasphemia, cum sit ipse filius Dei naturalis, et ab ipsa Conceptione sanctissimus semper, et plenus gratia fuerit, ita ut gratia crescere in eo non potuerit.

Dicet forte cum Magistro suo Luthero in cap. III ad Galat. et in homil. de Baptismo, Christum fuisse quidem in se sanctum, tamen quia suscepit peccata nostra, fuisse etiam ratione eorum peccatorum, furem, latronem, homicidam, denique maximum peccatorem totius mundi ; et sic indiguisse Baptismo in remissionem peccatorum præ omnibus hominibus, quia propter omnes homines. At ista omnia sunt meræ blasphemiæ in Christum. Nam etiamsi Christus susceperit in se onus peccatorum nostrorum, tamen non potest vere ipse denominari fur, latro, homicida, peccator, ut impudenter cum vocat Lutherus sine ullo exemplo Scripturæ, aut Patrum : non enim dicitur fur, qui solvit debitum, quod fur debebat, sed qui furatur rem alienam. Pari ratione peccata nostra Christus purgavit operibus virtutum suarum, non vi alicujus Sacramenti ab alio sibi ministrati.

Dices, potuit Christus accipere suum Baptisma, non ad effectum regenerationis et adoptionis consequendum, sed aliqua alia de causa, quomodo accepit Circumcisionem, qua non indigebat, et Baptismum Joannis, quod fuit Baptisma pœnitentiæ, cum tamen

(1) Act. II, 38 ; Eph. V, 26 ; Tit. III, 5. — (2) Marc. I, 4 ; Luc. III, 3.

ipse non egeret pœnitentia; et denique quomodo accepit Eucharistiam, qua similiter non indigebat.

Respondeo, quidquid de hoc sit, certe magis gloriosum fuit Christo, non accipere suum Baptisma, quam accipere. Dum enim Baptismum confert et non accipit, Imperatorem se et principem hujus militiæ ostendit, quippe qui characterem suum in aliis imprimit. At si acciperet, videretur etiam ipse ad militiam adscribi. Denique major nobis consolatio esse debet, quod per Baptismum Christum induamus, et similitudini mortis ejus configuremur, quam si cum illo simul ablueremur.

Quartum argumentum ibidem : Christus cum baptizaretur a Joanne, contactu carnis suæ sanctificavit aquas; et præterea adesse voluit visibiliter præsentiam Spiritus sancti in specie columbæ, et sonare vocem gratiæ et beneplaciti divini, quæ invisibiliter adsunt in nostro Baptismo; non igitur diversa sunt Baptismata illud et nostrum.

Respondeo, Patres varias causas attulisse, cur Christus a Joanne baptizari voluerit. Prima est, ad exemplum humilitatis, ut ipse ait, Matth. III : *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam* (1). De qua causa vide Augustinum in Enchirid. cap. 49. et Bernardum serm. 4. de Epiphania. Secunda est, ut confirmaret Baptismum Joannis tamquam bonum et Deo gratum, ut docet Hieronymus in cap. III Matth. Tertia, ut ostenderet, quanti facere debeant peccatores Baptismum Domini sui, quando ipse Dominus et justus tanti fecit Baptismum servi sui. Ita Augustinus tract. 4. et 13. in Joannem. Quarta, ut lavaret nostra crimina in Jordane; ut canit Ecclesia in die Epiphaniæ; et ut scribit Nazianzenus oratione in sancta lumina, ut veterem Adamum suffocaret in aquis, et novum emergere faceret. Quod quidem fecit, ut supra diximus, non vi Baptismi accepti, sed merito humilitatis suæ. Quinta, ut ipse in sua persona figuraret Baptismum nostrum, et gratiam, quam in eo accipimus, ut docet Augustinus lib. XV Trinit. cap. 26.

Sed præcipua fuit, ut Baptismum salutarem instituret et consecraret. Instituit enim sanctificando aquas tactu carnis suæ, ut supra ostendimus ex Ambrosio et Beda in cap. III Lucæ; ex Chrysostomo et Hieronymo in cap. III Matthæi, et ex aliis multis Patribus : et simul figurate ostendit effectum Baptismi sui, dum cœlum aperiri voluit, et Spiritum sanctum descendere, et vocem audiri etc. ut patet ex Hilario in cap. III Matth. Sed quid ista faciunt pro Kemnitio? imo quomodo non pugnant cum Kemnitio? Nam antequam Dominus baptizaretur, numquam apparuit columba, neque audita est vox de cœlo, neque sanctificatæ sunt aquæ; et tamen idem erat Baptismus Joannis cum eo, qui postea fuit. Non igitur Baptismus, quem habuit Dominus a Joanne, idem erat cum nostro : Nam illud accepit, non instituit : nostrum autem instituit, non accepit.

Quintum argumentum pagina 119. Paulus dicit, I. Cor. XII, Nos omnes effici unum corpus per Baptismum. At unum corpus efficimur non solum inter nos, sed etiam cum Christo; igitur idem Baptisma habemus cum Christo.

Respondeo, hanc esse aliam contumeliam in Christum, quasi ille eguerit Baptismo, ut fieret membrum Ecclesiæ. Mirum est, cur non addiderit etiam, debuisse Christum per fidem et pœnitentiam adipisci remissionem peccatorum. Respondeo igitur, Paulum loqui solum de corpore, non de capite. Nos enim membra Christi, et proinde unum corpus Christi efficimur per Baptismum, quia hoc Sacramento regeneramur, et annectimur Christo. At ipse caput nostrum factum est, non per Baptismum, sed per gratiam unionis hypostaticæ. Quemadmodum etiam filii Adæ, et quasi corpus ejus efficimur per carnalem generationem; ipse autem non fuit factus caput omnium hominum per carnalem generationem, sed per creationem et gratiam Dei singularem.

Sextum argumentum. Unum corpus sumus, non solum nunc inter nos, sed etiam cum illis, qui erant prædicante Joanne et baptizante antequam Dominus baptizare inciperet. Atqui unum corpus efficimur per unum Baptisma.

Respondeo, semper Ecclesiam fuisse unum corpus mysticum, non tamen semper eodem Sacramento adjuvabantur homines huic corpori, sed aliquando per Circumcisionem, quoad Judæos, aut alio modo, quoad gentiles; nunc autem, post Christi tempora, per Baptismum. Itaque tempore Joannis erant Judæi unum corpus per Circumcisionem, non per Baptismum Joannis, aut Christi, Paulus autem loquitur de tempore suo.

Septimum argumentum contra solutionem præcedentis. Etiam tempore Pauli multi erant unum corpus Christi, qui tamen non habuerant nisi Baptismum Joannis. Nam Apostoli non sunt baptizati, nisi Baptismo Joannis, excepto Paulo. Similiter Apollo quidam Act. XVIII non noverat, nisi Baptisma Joannis, et tamen non est coactus rebaptizari. Denique ipse etiam Baptista non fuit a Christo, vel a discipulis ejus baptizatus.

Respondeo, Apostolos baptizatos Christi baptismo scribunt et probant Tertullianus in lib. de Baptismo, et Augustinus epist. 108. ad Seleucianum, et lib. III de origine animæ cap. 9. Nam cum Dominus Joan. III tam aperte pronuntiaverit, neminem salvandum sine Baptismo, non debet dubitari, quin illi omnes Baptismum Christi acceperint, quos post ea tempora vixisse et ad Ecclesiam Christi aggregatos constat, etiamsi id nusquam scriptum sit. Alioqui negabimus etiam Romanos, Galatas, Ephesios, Philippenses, Timothæum, Titum, Philemonem, et alios ad quos Paulus scribit, fuisse baptizatos, quia nusquam scriptum legimus, quando et a quibus baptizati fuerint. Idem dici potest de Apollone, quem baptizatum fuisse Christi Baptismo affirmant Chrysostomus et Œcumenius in cap. XVIII Actor. Denique de Joanne Baptista, sicut non scriptum est baptizatum a Christo, ita neque contrarium scriptum est. Et conjectura non levis est, eum fuisse a Christo baptizatum : quoniam ait Matth. III : *Ego a te debeo baptizari* (1). Sed quidquid de hoc sit, certum est eum a Christo saltem spiritu baptizatum, ut affirmant Nazianzenus oratione in sancta lumina, et Hieronymus, atque auctor operis imperfecti apud Chrysostomum in cap. III Matth. Quod si non fuit baptizatus aqua Joannes, non est mirum, quia mortuus est, antequam lex de Baptismo Christi obligaret.

(1) Matth. III, 15.

(1) Matth. III, 14.

CAPUT XXIV.

De cæremoniis Baptismi.

De cæremoniis baptizandorum copiose scribit Thomas Waldensis, tom. III de Sacramentalibus, tit. 5. cap. 43. et sequentib. septem, contra Joan. Wiclefum, qui omnes fere Ecclesiæ Catholicæ ritus et cæremonias circa Baptismum rejiciebat. Easdem cæremonias fuse tradunt et explicant Ordo Romanus; Alcuinus in lib. de divinis officiis, cap. de Sabbato sancto; Amalarius lib. I de officiis Ecclesiasticis, et Rabanus lib. I de institutione clericorum; et ex veteribus Cyrillus in Catechesibus, et Ambrosius in lib. de Sacramentis.

Eosdem ritus, paucissimis exceptis damnant etiam hæretici hujus temporis, ac præsertim Joan. Calvinus lib. IV Instit. cap. 15. §. 19. et Illyricus Cent. , lib. II, cap. 6. et Cent. II, cap. 6. qui tamen non aliud argumentum proferunt, nisi quod ritus isti non sint in divinis litteris, neque præcepto, neque exemplo commendati.

Nos autem illis duo objicimus. Primo quod ipsi etiam aliquid præscribant in administratione Baptismi, quod in sacris litteris non invenerunt. Nam in libello de formula Sacramentorum ministrandorum, præscribit Calvinus, Primo, ut infans adferatur ad Baptismum die Dominico, aut certe alio die, quo populus in Ecclesia ad concionem convenit; ut coram populo fiat Baptismus. Secundo, ut qui infantes adferunt, interrogentur, an spondeant, se infantes illos, cum adoleverint, instituturos in doctrina fidei, et morum; et sponsione facta pergatur in Baptismo. Tertio, ut nomen imponatur infanti baptizando. Quarto, ut forma Sacramenti pronuntietur lingua patria. Quinto, ut recitetur Symbolum, et Oratio Dominica, aliæque preces. At nihil horum in Scriptura invenient. Lutherani addunt etiam abrenuntiationem Satanæ, et pomparum ejus, ut patet ex agenda Saxonica, et aliis similibus. Unde Illyricus etiam non audet rejicere abrenuntiationem, Cent. I, lib. II, cap. 6. col. 497. et ipse etiam Kemnitius in 2. par. Examinis

pag. 219. examinans canonem 7. de Baptismo, fatetur inter baptizandum proponendam esse abrenuntiationem. Denique Lutherus in suo Catechismo voluit etiam pingi signum Crucis in fronte et pectore Baptizandi. Ego vero optarem aliquid horum demonstrari testimoniis vel exemplis divinarum litterarum. Nam Scripturæ recensent Baptismum multorum millium, Actor. II et IV. Item Eunuchi Reginæ Æthiopum, Actor. VIII, S. Pauli, Act. IX, Cornelii, Act. X, Lydiæ, et custodis carceris, Act. XVI, et duodecim Asianorum, Act. XIX, sed nulla mentio fit diei Dominicæ, neque Ecclesiæ, aut frequentiæ populi, aut impositionis nominis, aut susceptorum et sponsionis, aut precationis Dominicæ et Symboli Apostolici, aut etiam signi crucis : quæ omnia notaverunt etiam Centuriatores, Centur. I, lib. II, cap. 6. col. 496 et 497. non haberi in Scripturis. Neque his repugnat, quod Oratio Dominica sit in Scripturis, et Symbolum, saltem quoad sensum. Nam in Scriptura non habetur, ut recitentur ista in Baptismo; imo nulla precatio legitur facta in tot locis Scripturæ, ubi narrantur Baptismata supra notata. Vel igitur adversarii rejiciant omnes omnino cæremonias, et solum Baptizent aspergendo aquam, et recitando verba; aut certe quærant alia argumenta, quibus oppugnent ritus ab Ecclesia approbatos.

Secundo, illis objicimus testimonium veteris Ecclesiæ. Omnes enim ritus, quibus nunc utimur, antiquissimi sunt, et, vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel a sanctissimis Patribus instituti sunt, quorum auctoritas, præsertim tot sæculis jam confirmata, plus apud nos valere debet, quam novatorum clamores, cum ipsi nihil probare possint a nobis fieri contra sacras litteras. Hoc igitur solum præstandum erit a nobis, ut adferamus pro singulis ritibus testimonia antiquitatis. Quod ut facilius fieri possit, distribuemus cæremonias Baptismi in tres classes. Aliæ enim præcedunt Baptismum, aliæ comitantur, aliæ sequuntur.

CAPUT XXV.

Cæremoniæ ante Baptismum, sunt duodecim.

Prima cæremonia est, quod Catechumeni, qui baptizari cupiunt, dant nomen suum, et ex eo tempore dicuntur Competentes, seu Electi, et recipiuntur ab Ecclesia, ut instruantur, et præparentur ad Baptismum. Hinc sunt duo genera Catechumenorum (ut Rabanus docet loco notato). Unum eorum, qui audiunt conciones, et volunt fieri Christiani, sed nondum petierunt Baptismum, et ii dicuntur Auditores, seu Audientes. Alii petunt Baptismum, et dicuntur Competentes, seu Electi. Nam S. Leo epist. 4, c. 3 et 6, Electos vocat, ut etiam vocantur in ordine Romano; sed Augustinus ordinarie Competentes vocat; sic enim ait libro de cura pro mortuis c. 12 : « Pascha appropinquabat, dedit nomen inter alios Competentes. » Vide etiam lib. IX Confess. c. 6. de fide, et operibus c. 6. et serm. de tempore 116. qui est ad Competentes. Eodem nomine utitur Hieronymus in epist. ad Pammachium, de erroribus Joan. Hierosolymitani.

Secunda cæremonia est, scrutinium; quo nomine significatur proprie examen, et exploratio quædam, an Competentes firmiter credant, et sincere : tamen continet hoc nomen etiam Catechismum, et Exorcismum, et omnes cæremonias, quæ fiunt ab eo die, quo nomen dederunt, usque ad eum diem, quo baptizantur. Fiunt autem septem scrutinia, quorum principale est tertium, et fieri solet feria quarta post Dominicam quartam Quadragesimæ : tunc enim fiunt fere omnes cæremoniæ, de quibus mox dicemus, ut patet ex auctoribus supra citatis. Porro hac voce scrutinii, non solum utuntur Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius, et Rabanus, sed etiam antiquiores, Augustinus libro de fide, et operibus, c. 6. et Leo in epist. 4. ad Episcopos Siciliæ c. 6.

Tertia est, abrenuntiatio Satanæ, et operum ejus; quæ sæpe repetitur, tum in scrutiniis, tum etiam postea paulo ante ipsum Baptismum, ac sine dubio de Apostolica traditione descendit. Nam ejus meminit Clemens lib. VII constit. c. 41 et 42. et Dionysius Areopagita de Ecclesiastica hier. c. de Baptismo. Tertull. in lib. de spectaculis c. 1. cum inquit : « Aquam ingressi, Christianam fidem in suæ legis verba profitemur; renuntiasse nos Diabolo, et pompis ejus, et Angelis ejus, ore nostro contestamur. » Similia habet in lib. de Idololatria, et in lib. de Corona militis, ubi hoc potissimum argumento probat, non debere Christianum fieri militem Imperatoris Gentilis, ne cogatur defendere Dæmonum templa, quibus in Baptismo renuntiavit.

Ejusdem cæremoniæ aperte meminerunt Cyprianus, in lib. de duplici martyrio. Origenes hom. 12. in Numer. Cyrillus, Catechesi mystagogica I. Basilius in lib. de Spiritu sancto c. 11 et 27. Chrysost. hom. 21. ad populum. Ambrosius lib. I. de Sacramentis c. 2. et lib. II, c. 7. Hieronymus in c. 6. Amos. August. lib. I. de Symbolo ad Catechumenos c. 1. et lib. I de peccatorum meritis et remiss. c. 34.

Quarta cæremonia est, fidei professio, quam sæpius interrogati respondent, et postea etiam in ipso die Baptismi publice pronunciant recitantes Symbolum. Meminit hujus cæremoniæ Clemens, et Dionysius locis citatis. Item Origenes hom. 5. in Numer. Cyprian. lib. I, epist. 12. Cyrillus Catechesi 4. Hilarius can. 15. in Matthæum. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Epiphan. in Anchorato, et August. lib. de fide, et operibus c. 11. et lib. VIII Confess. c. 2. Ubi refert historiam Victorini baptizati, cui cum offerrent presbyteri, ut si vellet, fidei Symbolum privatim recitaret; maluit ille publice ex edito loco de more fidem pronuntiare.

Quinta est, signum crucis in fronte, et pectore, in singulis enim scrutiniis, vel a presbyteris, vel a clericis imprimitur illis signum crucis. Meminit hujus cæremoniæ Dionysius loco citato. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27, ubi ponit hanc cæremoniam inter Apostolicas traditiones, ut etiam abrenuntiationem, et cætera, quæ in Baptismo fiunt. Augustinus lib. de catechizandis rudibus c. 20. alloquens Catechumenum prima die instruendum : « Crucis, inquit, signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es. » Vide eumdem in epist. 118. in Psalm. XXXVI, concione 2. tract. 3 et 36. in Joannem, et serm. 19. de Sanctis.

Sexta cæremonia est, Exorcismus, id est, adjuratio Dæmonum certis precibus facta, ut recedant ab homine baptizando. Hanc præter cæteras Calvinus ridet, ut inanem et fictitiam lib. IV institut. c. 19, §. 24. Sed nos facile possumus ostendere ex libris fere omnium veterum Patrum, omnia, quæ etiam hoc tempore Ecclesia retinet de Exorcismis.

Nam in primis accepisse Ecclesiam potestatem a Deo coercendi Dæmones per Exorcismos, testantur antiquissimi Patres, ut Justinus in dialogo cum Triphone : « Illi, inquit, per nomen Jesu Christi adjurati a nobis parent. » Idem habet Tertullianus in libro de Corona militis, in libro ad Scapulam, in Apolog. c. 32. et in lib. de Spectaculis c. de Munere. Cyprianus in lib. ad Demetrianum : « O, inquit, si audire eos, et videre velles, quando a nobis adjurantur, et torquentur; spiritualibus flagris, et orationis flagellis exire coguntur. » Similia habent Minutius in Octavio. Lactant. lib. II, c. 16, ubi etiam dicit, interrogatos nomen ab Exorcistis, Dæmones respondere, quo nomine appellentur. Cujus etiam rei meminit Beda in c. VIII Lucæ. Vide etiam eumdem Lactantium lib. IV, cap. 27. et lib. V, cap. 22. Augustinum lib. X civit. cap. 22. Denique (ut omittam infinitos alios) etiam Prudentius ita cecinit in Apotheosi contra Judæos :

Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest.
Intonat antistes Domini : Fuge callide serpens,
Exue te membris, et spiras solve latentes.
Has inter voces medius Cyllenius ardens
Ejulat, et notos suspirat Juppiter ignes.

Deinde esse in Ecclesia non solum donum Sanctorum quorumdam, sed etiam ordinarium officium exorcizandi, et coercendi Dæmones, testantur Concilia antiqua, Antiochenum can. 10. et Carthaginiense IV, can. 7. et Laodicenum can. 29. et Patres vetustissimi, ut Cyprian. lib. IV, epist. 7. et Cornel. in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. VI hist. c. 33.

Tertio, Exorcismos non fuisse quaslibet preces pro arbitrio Exorcistæ, sed certas, et præscriptas ab Ecclesia, quæ proprie dicuntur Exorcismi, patet ex Concilio Carthaginiensi IV, can. 7. et ex Joan. Micrologo lib. de observationibus Ecclesiasticis c. 7, ubi etiam monet Exorcismos non concludi :

pag. 219. examinans canonem 7. de Baptismo, fatetur inter baptizandum proponendam esse abrenuntiationem. Denique Lutherus in suo Catechismo voluit etiam pingi signum Crucis in fronte et pectore Baptizandi. Ego vero optarem aliquid horum demonstrari testimoniis vel exemplis divinarum litterarum. Nam Scripturæ recensent Baptismum multorum millium, Actor. II et IV. Item Eunuchi Reginæ Æthiopum, Actor. VIII, S. Pauli, Act. IX, Cornelii, Act. X, Lydiæ, et custodis carceris, Act. XVI, et duodecim Asianorum, Act. XIX, sed nulla mentio fit diei Dominicæ, neque Ecclesiæ, aut frequentiæ populi, aut impositionis nominis, aut susceptorum et sponsionis, aut precationis Dominicæ et Symboli Apostolici, aut etiam signi crucis : quæ omnia notaverunt etiam Centuriatores, Centur. I, lib. II, cap. 6. col. 496 et 497. non haberi in Scripturis. Neque his repugnat, quod Oratio Dominica sit in Scripturis, et Symbolum, saltem quoad sensum. Nam in Scriptura non habetur, ut recitentur ista in Baptismo; imo nulla precatio legitur facta in tot locis Scripturæ, ubi narrantur Baptismata supra notata. Vel igitur adversarii rejiciant omnes omnino cæremonias, et solum Baptizent aspergendo aquam, et recitando verba; aut certe quærant alia argumenta, quibus oppugnent ritus ab Ecclesia approbatos.

Secundo, illis objicimus testimonium veteris Ecclesiæ. Omnes enim ritus, quibus nunc utimur, antiquissimi sunt, et, vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel a sanctissimis Patribus instituti sunt, quorum auctoritas, præsertim tot sæculis jam confirmata, plus apud nos valere debet, quam novatorum clamores, cum ipsi nihil probare possint a nobis fieri contra sacras litteras. Hoc igitur solum præstandum erit a nobis, ut adferamus pro singulis ritibus testimonia antiquitatis. Quod ut facilius fieri possit, distribuemus cæremonias Baptismi in tres classes. Aliæ enim præcedunt Baptismum, aliæ comitantur, aliæ sequuntur.

CAPUT XXV.

Cæremoniæ ante Baptismum, sunt duodecim.

Prima cæremonia est, quod Catechumeni, qui baptizari cupiunt, dant nomen suum, et ex eo tempore dicuntur Competentes, seu Electi, et recipiuntur ab Ecclesia, ut instruantur, et præparentur ad Baptismum. Hinc sunt duo genera Catechumenorum (ut Rabanus docet loco notato). Unum eorum, qui audiunt conciones, et volunt fieri Christiani, sed nondum petierunt Baptismum, et ii dicuntur Auditores, seu Audientes. Alii petunt Baptismum, et dicuntur Competentes, seu Electi. Nam S. Leo epist. 4, c. 3 et 6, Electos vocat, ut etiam vocantur in ordine Romano; sed Augustinus ordinarie Competentes vocat; sic enim ait libro de cura pro mortuis c. 12 : « Pascha appropinquabat, dedit nomen inter alios Competentes. » Vide etiam lib. IX Confess. c. 6. de fide, et operibus c. 6. et serm. de tempore 116. qui est ad Competentes. Eodem nomine utitur Hieronymus in epist. ad Pammachium, de erroribus Joan. Hierosolymitani.

Secunda cæremonia est, scrutinium; quo nomine significatur proprie examen, et exploratio quædam, an Competentes firmiter credant, et sincere : tamen continet hoc nomen etiam Catechismum, et Exorcismum, et omnes cæremonias, quæ fiunt ab eo die, quo nomen dederunt, usque ad eum diem, quo baptizantur. Fiunt autem septem scrutinia, quorum principale est tertium, et fieri solet feria quarta post Dominicam quartam Quadragesimæ : tunc enim fiunt fere omnes cæremoniæ, de quibus mox dicemus, ut patet ex auctoribus supra citatis. Porro hac voce scrutinii, non solum utuntur Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius, et Rabanus, sed etiam antiquiores, Augustinus libro de fide, et operibus, c. 6. et Leo in epist. 4. ad Episcopos Siciliæ c. 6.

Tertia est, abrenuntiatio Satanæ, et operum ejus; quæ sæpe repetitur, tum in scrutiniis, tum etiam postea paulo ante ipsum Baptismum, ac sine dubio de Apostolica traditione descendit. Nam ejus meminit Clemens lib. VII constit. c. 41 et 42. et Dionysius Areopagita de Ecclesiastica hier. c. de Baptismo. Tertull. in lib. de spectaculis c. 1. cum inquit : « Aquam ingressi, Christianam fidem in suæ legis verba profitemur; renuntiasse nos Diabolo, et pompis ejus, et Angelis ejus, ore nostro contestamur. » Similia habet in lib. de Idololatria, et in lib. de Corona militis, ubi hoc potissimum argumento probat, non debere Christianum fieri militem Imperatoris Gentilis, ne cogatur defendere Dæmonum templa, quibus in Baptismo renuntiavit.

Ejusdem cæremoniæ aperte meminerunt Cyprianus, in lib. de duplici martyrio. Origenes hom. 12. in Numer. Cyrillus, Catechesi mystagogica I. Basilius in lib. de Spiritu sancto c. 11 et 27. Chrysost. hom. 21. ad populum. Ambrosius lib. I. de Sacramentis c. 2. et lib. II, c. 7. Hieronymus in c. 6. Amos. August. lib. I. de Symbolo ad Catechumenos c. 1. et lib. I de peccatorum meritis et remiss. c. 34.

Quarta cæremonia est, fidei professio, quam sæpius interrogati respondent, et postea etiam in ipso die Baptismi publice pronunciant recitantes Symbolum. Meminit hujus cæremoniæ Clemens, et Dionysius locis citatis. Item Origenes hom. 5. in Numer. Cyprian. lib. I, epist. 12. Cyrillus Catechesi 4. Hilarius can. 15. in Matthæum. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Epiphan. in Anchorato, et August. lib. de fide, et operibus c. 11. et lib. VIII Confess. c. 2. Ubi refert historiam Victorini baptizati, cui cum offerrent presbyteri, ut si vellet, fidei Symbolum privatim recitaret; maluit ille publice ex edito loco de more fidem pronuntiare.

Quinta est, signum crucis in fronte, et pectore, in singulis enim scrutiniis, vel a presbyteris, vel a clericis imprimitur illis signum crucis. Meminit hujus cæremoniæ Dionysius loco citato. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27, ubi ponit hanc cæremoniam inter Apostolicas traditiones, ut etiam abrenuntiationem, et cætera, quæ in Baptismo fiunt. Augustinus lib. de catechizandis rudibus c. 20. alloquens Catechumenum prima die instruendum : « Crucis, inquit, signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es. » Vide eumdem in epist. 118. in Psalm. XXXVI, concione 2. tract. 3 et 36. in Joannem, et serm. 19. de Sanctis.

Sexta cæremonia est, Exorcismus, id est, adjuratio Dæmonum certis precibus facta, ut recedant ab homine baptizando. Hanc præter cæteras Calvinus ridet, ut inanem et fictitiam lib. IV institut. c. 19, §. 24. Sed nos facile possumus ostendere ex libris fere omnium veterum Patrum, omnia, quæ etiam hoc tempore Ecclesia retinet de Exorcismis.

Nam in primis accepisse Ecclesiam potestatem a Deo coercendi Dæmones per Exorcismos, testantur antiquissimi Patres, ut Justinus in dialogo cum Triphone : « Illi, inquit, per nomen Jesu Christi adjurati a nobis parent. » Idem habet Tertullianus in libro de Corona militis, in libro ad Scapulam, in Apolog. c. 32. et in lib. de Spectaculis c. de Munere. Cyprianus in lib. ad Demetrianum : « O, inquit, si audire eos, et videre velles, quando a nobis adjurantur, et torquentur; spiritualibus flagris, et orationis flagellis exire coguntur. » Similia habent Minutius in Octavio. Lactant. lib. II, c. 16, ubi etiam dicit, interrogatos nomen ab Exorcistis, Dæmones respondere, quo nomine appellentur. Cujus etiam rei meminit Beda in c. VIII Lucæ. Vide etiam eumdem Lactantium lib. IV, cap. 27. et lib. V, cap. 22. Augustinum lib. X civit. cap. 22. Denique (ut omittam infinitos alios) etiam Prudentius ita cecinit in Apotheosi contra Judæos :

Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest.
Intonat antistes Domini : Fuge callide serpens,
Exue te membris, et spiras solve latentes.
Has inter voces medius Cyllenius ardens
Ejulat, et notos suspirat Juppiter ignes.

Deinde esse in Ecclesia non solum donum Sanctorum quorumdam, sed etiam ordinarium officium exorcizandi, et coercendi Dæmones, testantur Concilia antiqua, Antiochenum can. 10. et Carthaginiense IV, can. 7. et Laodicenum can. 29. et Patres vetustissimi, ut Cyprian. lib. IV, epist. 7. et Cornel. in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. VI hist. c. 33.

Tertio, Exorcismos non fuisse quaslibet preces pro arbitrio Exorcistæ, sed certas, et præscriptas ab Ecclesia, quæ proprie dicuntur Exorcismi, patet ex Concilio Carthaginiensi IV, can. 7. et ex Joan. Micrologo lib. de observationibus Ecclesiasticis c. 7, ubi etiam monet Exorcismos non concludi :

« Per Christum Dominum nostrum, » ut alias preces, sed : « Per eum, qui venturus est judicare sæculum per ignem, » quia Dæmones maxime diem ultimi judicii timent.

Quarto, ante Baptismum præmitti Exorcismos, testatur Dionysius loco notato, et Nazianzenus orat. in sanctum lavacrum : « Ne despuas, inquit, Exorcismi curationem; est enim et ipsa nativæ sinceritatis etc. » Cyrillus Catechesi I : « Suscipe cœlestem thesaurum, et in Exorcismis studiose versare. » Idem repetit pluribus in præfatione Catecheseon. Vide etiam Cyprianum lib. IV, epist. 7. Ambros. lib. I de Sacramentis c. 5. Optatum lib. IV contra Parmenianum. August. lib. de fide, et operibus c. 6, lib. II de nuptiis, et concupiscentia c. 18, ubi dicit, in tota Ecclesia esse hanc ipsam consuetudinem. Cœlestinum I, ep. 1, c. 12. Denique Leonem I, epist. 4, c. 7, ubi dicit, secundum Apostolicam regulam Catechumenos Exorcismis scrutandos esse.

Septima cæremonia est exsufflatio, quæ quidem annectitur Exorcismis. Nam et verbis Exorcismorum pelluntur Dæmones, et cæremonia exsufflationis significatur eorum expulsio, et simul significatur afflatio boni Spiritus, quem recipiunt homines, cum recedit Spiritus malus.

Augustinus lib. VI contra Julianum c. 2 : « Ecclesia, inquit, filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis eriueret. » Et infra : « Id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflatione, qua princeps mundi a parvulis ejicitur foras contradicere voluisses. » Similia repetit lib. II de peccato originali, c. 40. et lib. II de nuptiis, et concupiscentia c. 17 et 18. et lib. V Hypognostici prope finem.

Ambrosius lib. de iis, qui initiant. myster. c. 1 : « Odorem, inquit, vitæ æternæ vobis inhalatum carpite. » Neque hæc cæremonia rideri potest, nisi Dominus ipse rideatur, qui Joan. XX simili cæremonia uti voluit, cum Apostolis Spiritum sanctum dedit; nam insufflavit in eos. Ejusdem cæremoniæ meminit concilium secundum generale canon. 7.

Octava cæremonia est, gustus salis. Datur enim Catechumenis gustandum sal, ut apparet ex Origene, hom. 6. super Ezech. et Concilio III Carthaginiensi, can. 5. Et forte ad hunc salem allusit Augustinus, cum de se puero ait lib. I Confess. c. 11 : « Signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale. » Dabatur etiam panis benedictus loco Eucharistiæ, ut Augustinus testatur lib. II de peccat. meritis, et remiss. c. 26. Quamquam, et ipsum salem datum eis loco Eucharistiæ, constat ex Concilio Carthaginiensi citato.

Nona est, cum tanguntur saliva nares, et aures, et dicitur eis, Epheta, id est, adaperire. Hanc valde miratur, et conspuit Calvinus, sed eam probat, et explicat Ambrosius lib. I de Sacramentis c. 1. et de iis, qui initiant. myster. c. 1, ubi etiam adfert exemplum Domini, qui Marci VII sputo tetigit linguam muti, et aures surdi, et dixit, Epheta. Ergo petenti Calvino cur etiam sputo tangamus nares, et aures Catechumenis respondeamus, ut nobis dicat, cur Dominus sputo tetigit linguam, et aures muti, et surdi, Marci VII et oculos cæci nati, Joan. IX. Certe enim sine his cæremoniis potuit Dominus utrumque curare.

Decima cæremonia est, impositio manuum ac benedictio Sacerdotalis. Hujus meminit Dionys. loco notato, et Clemens lib. VII constitut. c. 39. et Concilium IV Carthaginiense can. 83. Item Cyprianus referens acta Concilii Carthaginiensis in testimonio Vincentii a Thibari, asserit manus impositionem cum Exorcismis præcedere debere Baptismi regenerationem. Augustinus lib. II de peccat. merit. et remiss. c. 26 : « Catechumenos, inquit, secundum quemdam modum suum per signum Christi, et orationem manus impositionis puto sanctificari. » Atque hæc quidem cæremonia frequentissima est in divinis litteris. Nam et Dominus, Matth. XIX manus imponebat parvulis, et Apostoli semper fere orationi super aliquos addebant manus impositionem, ut patet, Actor. VIII, IX, XIII et alibi.

Undecima est unctio. Unguntur enim Catechumeni oleo benedicto ante Baptismum, in pectore, et scapulis, ungendi postea Chrismate post Baptismum. Meminit hujus unctionis Clemens lib. III recognitionum (etsi enim liber iste incertæ fidei sit, quoad dogmata, tamen antiquissimus est) : « Baptizetur, inquit, unusquisque vestrum in aquis perennibus, nomine trinæ beatitudinis super se invocato, peructus primum oleo per orationem sanctificato. » Chrysostomus hom. 6. in c. II ep. ad Col. : « Inungitur baptizandus more athletarum, qui stadium jam ingressuri sunt. » Justinus quæst. 107. quærit cur bis inungantur Christiani, semel ante Baptismum, et iterum post Baptismum. Ambros. quoque utriusque unctionis meminit, prioris quidem lib. I de Sacramentis c. 2. posterioris autem l. II, c. 7. Cyrillus utriusque etiam meminit, prioris Catech. 2. mystagog. posterioris Catech. 3. mystagog. Utriusque etiam meminit Augustinus serm. 206. de tempore.

Duodecima est, abstinentia vini, et carnium, et etiam rei uxoriæ, aliaque opera pœnitentiæ, non quidem ad satisfactionem, sed ut paratiores accederent ad Sacramentum Baptismi, ut patet ex Cyrillo Catech. 1. Nazianzeno orat. in sanctum lavacrum, et Augustino lib. de fide, et operibus c. 6. et Concilio IV Carthaginiensi can. 83.

CAPUT XXVI.

De cæremoniis, quæ Baptismum comitantur.

In ipso autem Baptismo hæ cæremoniæ adhibentur. Primo imponitur nomen baptizato; ubi ridiculus sane fuit Illyricus, Cent. I, lib. II, cap. 6, col. 497. qui ex eo probat Apostolorum tempore non fuisse in usu hanc cæremoniam, quia Eunuchus Reginæ Candacis, Actor. VIII semper vocatur Eunuchus, tam ante Baptismum, quam post : quasi Eunuchus sit nomen proprium personæ, et non potius designet vitium corporis, quod sane Baptismo tolli non potest. Sumpta videtur hæc cæremonia ex Testamento veteri. Nam in Circumcisione imponebatur nomen parvulo, ut patet Luc. I de Joannes; et Luc. II de Christo. Ejusdem apud Christianos meminit Dionys. Areopagita loco citato. Veteres, qui quando baptizabantur, vel in fine vitæ, vel certe valde adulti, non mutabant nomine in Baptismo, ut patet de Saulo, Actor. IX, et de Cornelio, Actor. X et de Ambrosio, Augustino, et aliis, tamen cum baptizabantur infantes, solebant patres eorum imponere nomina Sanctorum, ut modo facimus. Id patet ex Dionysio Alexand. apud Eusebium lib. VII historiæ, c. 20. secundum versionem Christophorsoni. Scribit enim is Dionysius, filiis Christianorum sæpe imponi consuevisse nomina Petri, Pauli, Joannis etc. Idem etiam patet ex ipsis nominibus multorum veterum, ut Petri Alexandrini, et Petri fratris Basilii, Joannis Chrysostomi, et Joannis Cassiani, et aliorum, qui nomina Hebraica habuerunt, cum ipsi Græci essent. Imo etiam de hac re exstat etiam Can. 30. inter Canones Nicæni Concilii nuper ex Arabico in Latinum conversos, et editos a Francisco Turriano; in quo jubentur Christiani in Baptismo nomina imponere filiis suis, non Gentilium, sed Christianorum.

Secunda cæremonia est, ut habeant susceptores, a quibus de sacro fonte leventur, et postea diligentius in fide instituantur. Eos vocat Dionysius Areopagita de Ecclesiastica hierarch. c. ult. Susceptores; Tertull. in lib. de Baptismo, sponsores appellat. De iisdem vide Augustinum serm. 116. de tempore, qui est tertius de Dominica Palmarum, et lib. I, c. 34. de peccat. merit. et remiss.

Tertia est, consecratio aquæ, cujus meminit Dionysius c. de Baptismo : « Regenerationis aqua sacris invocationibus prius consecratur. » Idem habent Cyprian. lib. I, epist. ult. Ambros. lib. I de Sacram. c. 5. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27, ubi dicit, hanc esse Apostolicam traditionem. Denique Augustinus lib. VI in Julianum c. 8. et hom. 27. ex lib. L homiliarum. et tract. 118. in Joannem in fine.

Quarta est, trina mersio, cujus meminit Clemens can. 49 Apostolorum. Dionysius loco citato, Tertull. lib. de corona militum, et lib. contra Praxeam. Cyrillus Catech. 2. Basilius de Spiritu sancto c. 27. Chrysostomus hom. 24 in Joan. Augustinus serm. 91 et 201 de tempore. Observandum est autem Arianos abuti cœpisse hac cæremonia (ut Gregorius scribit lib. I, epist. 41. ad Leandrum) ad suum errorem stabiliendum. Nam cum trina mersio fieret a Catholicis ad significandas tres personas divinas, et triduum sepulturæ Christi, ut Gregorius ibidem dicit : Ariani trina mersione utebantur ad significandas tres naturas trium personarum. Quare et tunc Gregorio visum est, ut in Hispania una mersio fieret; et idem paulo post confirmavit Concilium Toletanum IV, c. 5. Nunc autem pro regionum varietate, vel una, vel trina mersio adhibetur : neutrum enim est de essentia Sacramenti, ut Grego-

rius, et dictum Concilium locis citatis testantur.

Quinta est, tempus Paschale, et Pentecostes. Etsi enim quovis tempore dari possit Baptismus, si necessitas urgeat : tamen veteres diligentissime servabant hanc cæremoniam, ut solum in Sabbatis Paschæ et Pentecostes ordinarie baptizarent. Exstant de hac re epistolæ decretales Siricii I, c. 2. et Leonis I, epist. 4. et epist. 80. et Gelasii epist. 1, c. 12, ubi severissime reprehendunt Episcopos quosdam, qui audebant extra casum necessitatis Baptismum conferre in Epiphania, aut festis diebus Martyrum, et jubent, ut servetur antiqua consuetudo, ut solum in Paschate, et Pentecoste detur Baptismus. Esse item hanc antiquam, et universalem consuetudinem, patet ex Catechesibus Cyrilli, quæ ideo in Quadragesima habitæ sunt, quia præparabant ad Baptismum in Pascha te celebrandum. Item ex Hieronymo in epist. ad Pammachium, adversus errores Joannis Hierosolymitani, et ex illis verbis Augustini lib. de cura pro mortuis c. 12 : « Venit Pascha, dedit nomen inter alios competentes. » Denique placuisse Deo hanc cæremoniam intelligi potest ex miraculo, quod narrat Paschasinus Episcopus in epistol. ad Leonem, quæ habetur ante epist. 61. S. Leonis. Ubi dicit, in Sicilia suo tempore fuisse sacrum fontem, in quodam perexigua Ecclesia, in quodam monte sita, qui toto anno aridus manebat, et in sola Paschatis vigilia (quo tempore datur Baptismus) aquis redundabat hora baptizandi, cum nulli canales, nullæ foveæ, numquam aqua vicina conspiceretur. Quod autem Illyricus objicit ex actis Apostolorum, qui non servarunt hæc tempora in baptizando Paulo, Cornelio, et similibus; solvitur ab Ambrosio in c. IV ad Ephes. ubi dicit, initio Ecclesiæ, ut populus Christianus facile propagaretur, concessum fuisse omnibus, ut omni tempore baptizarent : tamen paulo post Ecclesiis constitutis, ordinem statutum fuisse, ut solum quidam, id est, presbyteri, et certis diebus baptizarent.

CAPUT XXVII.

De cæremoniis, quæ sequuntur Baptismum.

Cæremoniæ, quæ sequuntur Baptismum, sunt aliæ quinque. Prima videtur fuisse osculum pacis, in signum, quod baptizatus est frater noster. Meminit hujus cæremoniæ Cyprianus lib. III, epist. 8 ad Fidum : respondet enim quibusdam, qui existimabant non esse baptizandos infantes recens natos, et in argumentum adferebant, quia oportet osculum dari baptizato; omnes autem horrent infantem recens natum osculari. Respondet autem Cyprianus, nihil esse cur horreat Christianus osculari eum, quem Deus ipse creavit.

Secunda est, unctio Chrismatis in vertice; quæ quidem introducta videtur, quia non semper adest Episcopus, qui possit continuo dare post Baptismum Sacramentum Confirmationis. Ideo enim interim ungitur a presbytero baptizatus, non quidem in fronte, sed in vertice, Chrismate ab Episcopo consecrato. Meminit hujus cæremoniæ Damasus in vita Sylvestri, Innocentius I, epist. 1, c. 3. Ambros. lib. III de Sacramentis c. 1. et Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, ubi dicit, presbyteris non licere sine Chrismate baptizare. Ubi aperte loquitur de unctione Chrismatis, quæ datur a presbytero in vertice : nam ibidem paulo ante asseruit, Sacramentum Confirmationis non dari, nisi ab Episcopo.

Tertia cæremonia est, cereus accensus, qui datur baptizato in signum fidei, et gratiæ acceptæ, et quod sit translatus a potestate tenebrarum ad lumen, et sortem Sanctorum. Meminit hujus cæremoniæ Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum lavacrum, et Augustinus in Psalm. LXV in illud : *Transivimus per ignem et aquam* (1).

Quarta est, vestis candida, quam ferre solebant a Sabbato sancto, usque ad Dominicam in Albis. Meminit hujus Dionysius de Ecclesiast. hierarch. c. de Baptismo. Ambrosius lib. de iis, qui myst. init. c. 7. et Augustinus serm. 157 de tempore, qui est 1. in octava Paschatis.

(1) Psal. LXV, 12.

Quinta cæremonia olim fuit, delibatio lactis, et mellis, seu vini, quæ tamen hoc tempore non est in usu. Meminit hujus cæremoniæ Tertull. lib. I contra Marcionem, et Hieronym. in Dialogo contra Luciferianos, ubi dicit, id fieri consuevisse in signum novæ infantiæ in Christo. Unde etiam in Missa Dominicæ in Albis legitur propter Neophytos illud ex epistola Petri : *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Sed hæc non videtur fuisse generalis, cum tantum in Occidente eam viguisse scribat Hieronymus, in c. LV Isaiæ, in illud : *Emite vinum et lac.* Itaque non mirum, si prætermissa tandem fuit; sicut etiam illa, cujus meminit Ambrosius lib. III de Sacramentis cap. 1. lavandi pedes Neophytis mox a Baptismo particularis erat quarundam Ecclesiarum, et ideirco facile exolevit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONTROVERSIARUM

DE SACRAMENTIS IN SPECIE

LIBER SECUNDUS

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

De Sacramento Confirmationis sex Controversiæ sunt. *Prima*, an sit verum, et proprium Sacramentum. *Secunda*, de materia. *Tertia*, de forma. *Quarta*, de effectu. *Quinta*, de ministro. *Sexta*, de cæremoniis. Ac ut a *Prima* incipiamus, tres erunt primæ Controversiæ partes. In *Prima* referemus errores de Confirmationis Sacramento. In *Secunda* confirmabimus veritatem. In *Tertia* solvemus objectiones.

CAPUT I.

De erroribus, et mendaciis circa Sacramentum Confirmationis.

Hæretici hujus temporis fere omnes Confirmationem de numero Sacramentorum auferunt. Etsi enim anno 1548 in conventu Lipsiensi, Theologi Lipsienses, et Wirtembergenses receperint septem Sacramenta, et nominatim Confirmationem, ut Sacramentum proprie dictum, et gratiam conferens; tamen non perstiterunt in ea Confessione. Siquidem omnes fere eorum Doctores, et qui ante illud tempus, et qui postea scripserunt, Sacramentum Confirmationis rejiciunt.

Quia tamen negare non possunt, fuisse in veteri Ecclesia ritum aliquem, qui diceretur Confirmatio, finxerunt ipsi, ritum illum non fuisse quidem Sacramentum a Christo institutum, sed fuisse cæremoniam quamdam utiliter ab Ecclesia introductam: quam in sex capita distinguit Kemnitius in 2. part. Examinis pag. 320. Is enim accuratissime omnium describit ordinem Lutheranæ Confirmationis. Primo dicit, parvulos in infantia baptizatos, cum perveniunt ad annos discretionis, debere institui in doctrina Catechismi, et ubi saltem principia didicerint, offerri debere Episcopo, qui coram Ecclesia admoneat puerum de suo Baptismo, quid acceperit, quid promiserit etc. Secundo, debere ipsos parvulos publice recitare confessionem fidei, et doctrinæ, quam didicerunt. Tertio, debere interrogari de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, atque ad ea respondere. Quarto, debere moneri, ut hac professione fidei ostendant, se dissentire ab omnibus ethnicis, hæreticis, fanaticis, et prophanis opinionibus. Quinto, debere gravi exhortatione admoneri, ut in pacto Baptismi, et fidei professione perseverent, et proficiendo confirmentur. Sexto, fieri debere publicam precationem pro illis pueris, ut Deus Spiritu suo sancto illos gubernare et confirmare dignetur in hac fidei professione; et simul addi posse manus impositionem.

Hanc sententiam breviter indicavit Lutherus in lib. de Babylon. captivit. c. de Confirmatione. Nam, et negat esse verum Sa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cramentum; et addit posse recipi pro Ecclesiastica cæremonia, qualis est, consecratio aquæ, et aliarum rerum; non meminit autem Lutherus Catechismi, aut Examinis in ritu Confirmationis. Zwinglius in lib. de vera, et falsa religione c. de aliis Sacramentis, negat Confirmationem esse Sacramentum; et addit, fuisse ritum in Ecclesia institutum, et examen puerorum, qui in infantia fuerant baptizati. Quod idem postea docuit Philippus in locis c. de Confirmatione; Calvinus lib. IV Institut. c. 19, §. 4. Joannes Brentius in Confess. Wirtembergensi c. de Confirmatione, et alii.

Non sunt autem ipsi primi, qui hoc Sacramentum rejecerunt. Nam Joan. Wiclefus in IV. lib. Trialogi, c. 14. etsi non omnino videatur hoc Sacramentum respuere, tamen non vult posse probari ex Scripturis, et aperte reprehendit Catholicorum sententiam. Imo dicit, quibusdam videri a Diabolo introductam Episcoporum Confirmationem cum omnibus suis ritibus: nec reprehendit, sed potius indicat sibi placere sententiam ejusmodi. In alio etiam libro, qui forte jam non exstat, unctionem Chrismatis aperte rejicit, ut Thomas Waldensis testatur tom. II de Sacramentis c. 113. Ante Wiclefum Waldenses hæretici idem hoc Sacramentum rejecerunt, teste Ænea Sylvio in historia Bohemica c. 35. et ante hos omnes Novatiani, de quibus sic loquitur Theodoretus lib. III hæret. fab.: « Novatiani pœnitentiam a suo conventu arcent penitus, et iis, qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent. Quocirca eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti patres ungi jusserunt. » Cur autem Novatiani rejecerint hoc Sacramentum, causa non fuit aliqua ratio convincens aut Scripturæ testimonium evidens: sed quia ipse Novatianus (ut scribit ex Cornelio Papa Euseb. lib. VI hist. c. 33.) in lecto decumbens baptizatus fuit sine consuetis Ecclesiæ cæremoniis; nec postea adimpleri curavit, quæ omissa fuerant, nec signaculo Spiritus sancti confirmatus fuit. Ob quæ, cum male audiret apud omnes, hoc remedium excogitavit, ut negaret, Chrismate inungi oportere homines post Baptismum. Donatistas etiam contumeliosos fuisse in S. Chrisma scribit Optatus lib. II contra Parmenianum; sed non constat an Donatistæ oderint hoc Sacramentum absolute, an tantum, ut a Catholicis dabatur. Probabile tamen est eos hoc Sacramentum contempsisse, ut etiam Arianos, et alios multos hæreticos, qui cum ad Ecclesiam veniebant, jubebantur sacro Chrismate inungi, ut infra dicemus.

Sed ad hæreticos hujus temporis redeamus. Doctrinam suam illi tam crassis mendaciis, tantaque impudentia conviciorum, et blasphemiarum onerant, ut plane perspicuum fiat, eos, qui hoc Sacramentum oppugnant, recipere mali spiritus plenitudinem; sicut e contrario, qui illud reverenter suscipiunt, sancti spiritus plenitudinem consequuntur.

Joannes Calvinus in Antidoto Concilii sess. VII. can. 2: « Olei, inquit, qui faciat mentionem, nemo est ex veteribus: imo nec ex media illa ætate, quæ jam multis vitiis abundabat. » Hæc ille. Atqui meminerunt olei plurimi veterum, imo etiam vetustissimorum. Tertullianus lib. I contra Marcionem, loquens de Sacramentis Christi: « Ille, inquit, neque aquam Creatoris respuit, qua suos abluit, neque oleum, quo suos ungit. » Et Augustinus lib. V contra Donatistas cap. 20: « Si ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? » Denique adeo clare, et sæpe meminerunt Chrismatis Tertullianus, Cyprianus, et Cyrillus, ut Kemnitius hoc nomine istos Patres rejiciat, et per contemptum vocet Chrisma Cyrillium.

Idem Calvinus ibidem canon. 3. Tridentinos Patres, asinos et porcos vocat, cum tamen modestissimus videri velit. Porro in Institut. lib. IV, cap. 19, §. 8: « Verbum, inquit, unctorum est, nullam promissionem in Baptismo percepisse, qua in agonibus instruantur. » Hæc ille. Atqui hoc nullus Catholicorum docet. Nam quod citat Calvinus ex epist. S. Melchiadis: « In Baptismo regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam, » referendum est ad proprios effectus horum Sacramentorum. Baptismus enim proprie ad vitam regenerat, quamvis gratia illa regenerationis, valeat etiam ad peccata vitanda: Confirmatio autem proprie datur ad augmentum roboris, et ad pugnandam pro fide.

Rursus §. 10. aliud mendacium profert, cum ait: « Nonne se Donatistas produnt, qui vim Sacramenti a ministri dignitate æstimant? » quia nimirum dicimus, Sacramentum Confirmationis non posse conferri ordinarie, nisi ab Episcopo. At Calvinus non ignorabat, Donatistas de alia dignitate loqui consuevisse, nimirum de dignitate probitatis, et innocentiæ, non de dignitate ministerii Ecclesiastici. Alioqui etiam Calvinus Donatista esset, cum velit Baptismum non posse tribui a laico, neque a femina, sed solum a publico Ecclesiæ ministro. Igitur contra mentem, et conscientiam suam locutus est, ac proinde mentitus.

Ibidem de Melchiade Papa et Martyre, cujus verba proxime citaverat, ita loquitur: « Os sacrilegum, tunc pinguedinem fœtore dumtaxat anhelitus tui, inquinatam, et verborum murmure incatatam, audes Christi Sacramento opponere, et conferre cum aqua verbo Dei sanctificata? At parum hoc ipsum erat tuæ improbitati, nisi etiam præferres. Hæc sunt sanctæ Sedis responsa; hæc Apostolici tripodis oracula. » Hæc ille. Poteratne Calvinus impudentius blasphemare in sanctissimum virum? poteratne manifestius confiteri, nihil sibi esse commune cum antiqua Ecclesia? Siquidem S. Melchiadi omnis Ecclesia, quæ tunc erat, communicavit; ac de eo sic loquitur Augustinus in epist. 162: « Qualis, inquit, ipsius B. Melchiadis ultima est prolata sententia; quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica? » Et infra: « O virum optimum, o filium Christianæ pacis, o patrem Christianæ plebis. »

Denique §. 11. profert aliud mendacium Calvinus: « Ecce, inquit, prælerita aqua, et nullo numero habita, unum oleum in Baptismo magnificiunt. » Hæc ille. Confinxit autem hoc mendacium, occasione accepta ex verbis Magistri Sententiarum, perperam expositis. Nam Magister lib. IV, dist. 7, cap. 2. dicit, Sacramentum Confirmationis esse nobilius Sacramento Baptismi aliquo modo, ratione videlicet ministri, a quo datur, et ratione membri, in quo perficitur; nam Confirmatio non potest perfici, nisi in fronte nobilissimo omnium membrorum. Hæc ita accepit Calvinus, quasi Magister contulerit unctionem Confirmationis, quæ fit in fronte, cum unctione Baptismi, quæ fit in vertice, et proinde Sacramentum Baptismi non constituerit in aqua, sed in solo oleo. At noluit intelligere Calvinus verba Magistri, ille enim confert unctionem Confirmationis, non cum unctione Baptismi, sed cum ipso Baptismo, qui ex aqua, non ex oleo conficitur. Confert enim inter se Sacramenta: non est autem Sacramentum unctio in Baptismate, sed aspersio aquæ. At, inquit Calvinus, aspersio aquæ fit etiam in fronte. Respondeo, hoc interesse inter Baptismum et Confirmationem, quod Confirmatio non perficitur, nisi in fronte; aspersio autem aquæ Baptismi, potest fieri in fronte, sed potest fieri etiam extra frontem; imo nunc ordinarie cum baptizantur infantes, solum vertici ipsorum infunditur aqua. Ut etiam Confirmatio a solo Episcopo datur; Baptismus ab Episcopo dari potest, sed dari etiam potest a Presbytero: et idcirco tam ratione ministri, quam ratione subjecti præstat Confirmatio Baptismo, ut recte dicit Magister. Quare sine ulla causa mentitur Calvinus, Catholicos nullo numero habere aquam Baptismi.

Ibidem Calvinus dicit, se ne unius quidem stercoris facere oleum, sive in Baptismo, sive in Confirmatione. Atqui de utroque oleo, omnes Sancti, et antiqui Patres honorificentissime semper locuti sunt, ut supra ostendimus in disputatione de cæremoniis Baptismi, et infra ostendemus, cum agemus de materia Confirmationis.

Jam vero Martinus Kemnitius multa similiter habet, et mendacia, et convicia; sed uno tantum loco ero contentus. Igitur in 2. par. Exam. pag. 298. tria simul mendacia conglutinat. Primum est, quod unctio Chrismatis ex schola Montani prodierit. Secundum, quod Tertullianus et Cyprianus in hac re Montanistæ fuerint. Tertium, quod Hieronymus hanc sententiam refutet in Dialogo contra Luciferianos.

At nullus unquam auctor prodidit hanc fuisse hæresim Montani. Scribunt de erroribus Montani, Tertullianus de præscript. Epiphanius hær. 48. Eusebius lib. IV hist. c. 14. Clemens Alexandrinus strom. IV. Philastrius in Catalogo. Hieronymus in epistola ad Marcellam de erroribus Montani. Augustinus hær. 26. Theodoretus lib. III de fabulis hæret. Damascenus in libro de centum hæresibus, in nullo autem horum, ullum est verbum de hac re. Sed colligit Kemnitius, ut est solers, hunc fuisse errorem Montani, licet nemo id scripserit, quia Tertullianus fuit Montanista: et ipse est, qui scribit, Spiritum sanctum dari baptizatis per Chrismatis unctionem. At non omnia, quæ Tertullianus scribit, ad Montani errores pertinent,

licet ille in ultima ætate Montanista fuerit. Alioqui Montanistarum hæreses erunt, Christum esse Filium Dei, Baptismum in aqua celebrandum, Eucharistiam in pane et vino; et alia id genus multa, quæ Tertullianus scribit.

Deinde quanta est impudentia S. Cyprianum Matyrem celeberrimum Montanistam hæreticum facere? Quid, quod ipse Kemnitius in hac ipsa re sibi non constat? nam pag. 317. dicit, hunc errorem confictum ab antiquissimis Patribus, Tertulliano, Cornelio, et Cypriano. At si isti confinxerunt; non ergo a Montano id acceperunt.

Denique, quod S. Hieronymus hunc errorem refellat in Dialogo contra Luciferianos, crassissimum est mendacium. Nam in eo Dialogo solum explicat S. Hieronymus, quomodo dari dicatur Spiritus sanctus per manus impositionem, cum etiam ante in Baptismo datus sit: sed neque Montanum, ac Tertullianum, neque sanctos Episcopos Cornelium, et Cyprianum nominat; tantum abest, ut eos refellat, ut mentitur Kemnitius. Neque ex eo, quod Hieronymus dicit, in Baptismo dari Spiritum sanctum, sequitur refutari sententiam Tertulliani, et Cypriani, qui dicitur dari in Confirmatione: alioqui Hieronymus refutasset etiam Lucam, qui ait Actor. VIII: *Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum* (1). At nullos refutat Hieronymus: non enim negant Lucas, et alii, in Baptismo dari Spiritum sanctum, nisi in illa plenitudine, qua datur in Confirmatione.

CAPUT II.

Probatur ex Scriptura Sacramentum Confirmationis.

Quinque argumentis probandum est, Confirmationem esse Sacramentum vere, ac proprie dictum, ut Concilium Tridentinum docet sess. VII, canon. 1. de Confirmatione. Primo, ex Scripturis. Secundo, ex Traditione, et testimoniis summorum Pontificum. Tertio, ex Testimoniis Conciliorum. Quarto, ex testimoniis Patrum Græcorum. Quinto, ex testimoniis Latinorum.

Quod ad Primum attinet: Tria requiruntur ad essentiam Sacramenti Christiani proprie dicti. Primo, promissio gratiæ. Secundo, signum sensibile cum verbo, quod sit medium, seu organum, quo applicetur promissio. Tertio, mandatum divinum, quo id jubeatur ministrari. Hæc tria postulant sibi ostendi ex Scripturis in quæstione de Confirmatione, Calvinus lib. IV Institut. cap. 19, §. 5. et Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 276: « In hac quæstione, inquit Kemnitius, quæ sint illa media, per quæ credendum sit Spiritum sanctum velle efficacem esse; ante omnia petimus ex verbo Dei nobis monstrari, expressum mandatum, et promissionem divinam: quando enim illa habemus, tunc scimus mediis illis, utpote divinitus institutis, reverenter esse utendum: scimus etiam quid illis tribuendum sit. » Hæc ille. Itaque nihil aliud requirunt; et merito: nam ad hæc revocantur omnia; et omnium consensu Sacramentum est proprie dictum, ubi hæc tria inveniuntur.

Ac promissio quidem, et certe amplissima habetur Joan. XIV, ubi Dominus promittit Spiritum paracletum, qui consoletur in omnibus adversis. Item cap. XV, ubi promittit eumdem Spiritum sanctum, qui faciat discipulos fortes, atque intrepidos in testificatione veritatis: Et cap. 16. ut arguat mundum de peccato, de justitia, et de judicio, id est, qui det robur Apostolis ad arguendam infidelitatem hominum, et testificandam Christi justitiam, et annunciandum Principem hujus mundi jam esse judicatum. Item Luc. ult.: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Denique Actor. I: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes etc.* (2) Hanc certe divinam esse promissionem, et in Scripturis haberi, et ea promitti hominibus jam baptizatis, et justis gratiam ampliorem Spiritus sancti, qua fiant fortes in confessione fidei, nullo modo negari potest.

Jam vero medium, seu organum, sive signum sensibile constans ex rebus et verbis, quibus applicetur illa promissio, fuit manus impositio cum oratione. Nam Apostoli quidem singulari miraculo, et beneficio receperunt illam gratiam promissam sine ullo medio, seu Sacramento in die Pentecostes, ut notum est ex Actor. II. At vero cæteri recipiebant illam eamdem gratiam ministerio Apostolorum per illud medium, ut patet Actor. VIII: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum* (1); et antea dixerat illos venisse, ut orarent. Idem habetur Actor. XIX. Et quod hoc medium sit medium, quo applicatur promissio facta de mittendo Spiritu sancto, patet ex effectu: nam cuicumque baptizato Apostoli manus imponebant, veniebat super eum Spiritus sanctus. Denique quod istud donum, quod dabatur tunc omnibus baptizatis per manus impositionem, fuerit illud ipsum, quod promissum fuit Apostolis, patet ex testimonio sancti Petri, quos Actor. II concionabatur populo, et promittebat idem donum, quod ipse acceperat, si crederent, et baptizarentur, et allegabat Joelem, qui prædixerat donum illud effundendum, non super Apostolos tantum, sed super omnem carnem. Idem etiam Petrus Actor. XI testabatur, Cornelium, et ejus comites accepisse idem donum, quod acceperunt Apostoli in Pentecoste: « Nihil, inquit, discrevit inter nos et illos, » et tamen Scriptura nusquam meminit alterius medii, seu signi sensibilis, quo daretur donum illud, nisi manus impositionis cum oratione.

Restat mandatum. Sed pro mandato damus illis mandati executionem. Numquam enim Apostoli ita ordinarie, et secure imposuissent omnibus baptizatis manus, ut veniret super eos Spiritus sanctus, nisi Dominus hoc eis mandasset. Quemadmodum etiam hic in terris cum famulus aliquid agit, quod non potest nisi jussu Domini, et non est stultus, omnes intelligunt, eum habere mandatum, etiamsi is non dicat se habere mandatum; ut si lictores capiant magnum aliquem virum in medio foro, aut si viatores indicant senatoribus tali die habendum senatum etc. Fuisse autem ritum illum ordinarium, et communem omnibus baptizatis, patet ex cap. VIII et XIX Actorum. Et ex epistola ad Hebræos cap. VI. Itaque ipse etiam Calvinus cum lib. IV Instit. cap. 19, §. 5. postulasset mandatum sibi ostendi, respondet ipse sibi nomine Catholicorum §. 6: « Tuentur, inquit, se quidem Apostolorum exemplo, quos nihil temere fecisse existimant; » ac responsionem admittens, ait: « Id sane recte; nec a nobis reprehenderentur, si se Apostolorum imitatores ostenderent etc. »

Nunc videndum est, quid ad hoc argumentum respondeant adversarii. Prima solutio est Calvini loco citato; quod illa manus impositio non fuerit Sacramentum, sed quædam oblatio baptizatorum Deo: solebant enim per manus impositionem offere Deo, quos baptizaverant.

At hæc solutio facile refellitur. Nam in primis id Calvinus tantum dicit, sed nec probat, nec potest probare ullo testimonio, nisi sua ipsius auctoritate. Sic enim ait: « Huic manus impositioni non altius subesse mysterium cogito, sed hujusmodi cæremoniam ab illis adhibitam interpretor, ut ipso gestu significarent se Deo commendare, et velut offere eum, cui manus imponebant. » Deinde Scriptura dicit, quod ad illam manus impositionem, sequebatur continuo effusio doni mirabilis; imo etiam asserit Scriptura, per illam impositionem manuum datum Spiritum sanctum, Actor. VIII, sicut dicit Titum III, per lavacrum regenerationis salvos nos fieri. Ut igitur lavacrum non est simplex oblatio, sed mysterium conferens gratiam; ita etiam impositio manuum. Præterea offerre Deo baptizatum, non est aliquid majus, quam baptizare, præsertim secundum Calvinum, qui dicit nihil subesse mysterii in hac cæremonia: ergo poterant offerre illi ipsi, qui baptizaverant. At Scriptura contrarium docet. Nam Actor. VIII, Philippus baptizat, et non potest imponere manus, sed veniunt ad hoc faciendum Petrus et Joannes. Et Actor. XIX, Paulo præsente baptizantur duodecim viri, et non exprimitur a quo, quia quilibet poterat id facere: at baptizatis Paulus ipse manus imponit. Denique quid opus erat nova oblatione, cum hoc ipso, quod quis baptizatur, offerat se Deo, ejusque legibus, et obsequio se subjiciat?

Secunda solutio est ejusdem Calvini ibidem, et Brentii in Confessione Wirtembergensi c. de Confirmatione, qui dicunt, Deum initio nascentis Ecclesiæ per manus Apostolorum dedisse fidelibus dona quædam visibilia Spiritus sancti, ut donum linguarum, donum miraculorum, et similia; ex quo sequitur illam impositionem manuum non fuisse Sacramentum, quia non dabat gratiam justificationis. Et confirmant ex simili-

(1) Act. VIII, 16 et 17. — (2) Luc. XXIV, 49; Act. I, 8.

(1) Act. VIII, 17.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus; nam umbra Petri curabantur homines Actor. V, et per sudarium Pauli Actor. XIX, et tamen non facimus inde Sacramenta.

Sed hæc etiam solutio facile rejici potest. Nam quod dicunt, illam impositionem manuum non dedisse nisi dona quædam loquendi linguis, et miraculorum, falsum est. Nam in primis dona illa gratis data non dicantur in Scriptura simpliciter Spiritus sanctus, nec dicitur Spiritus sanctus habitare in eo, in quo non sunt nisi illa dona; quin potius e contrario Spiritus sanctus effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sapient. I. Dona autem illa gratis data, etiam in peccatoribus interdum inveniuntur; ut patet Matth. VII. At per manus impositionem Apostolorum dabatur ipse Spiritus Sanctus Actor. VIII et XIX non igitur solum dona illa gratis data. Secundo; Id dabatur per manus impositionem, quod promiserat Dominus Joan. XIV, XV, XVI et Lucæ ultimo, ut supra ostendimus. At quod promisit Dominus, non erat donum linguarum, aut curationum (id enim fuit additamentum quoddam) sed gratia roborans, et confirmans in fide. Tertio; Dona illa non erant communia omnibus, ut patet ex Rom. XII et I. Corinth. XII: *Numquid omnes prophetant? numquid omnes loquuntur linguis?* (1) At Spiritus sanctus per manus impositionem dabatur omnibus, ut aperte colligitur ex locis notatis Actor. VIII et XIX. Quarto; Apostolus Hebr. VI numerat impositionem manus cum Baptismo, cum fide, cum Pœnitentia, cum aliis rebus, quæ pertinent ad salutem; imo etiam ad fundamenta religionis, ut ibidem Apostolus dicit. At certe loqui linguis, et prophetare, non pertinet ad salutem, multo minus ad fundamenta religionis. Quinto: Si nihil aliud conferebat Spiritus sanctus datus per manus impositionem, nisi dona illa miraculorum, certe numquam Apostoli primarii Petrus, et Joannes ex Hierusalem in Samariam descendissent, ut manus imponerent. Nam satis multa miracula operabatur Philippus in Samaria, ut non essent ibi necessarii alii, qui miracula facerent. Sexto; Idem ostendunt exempla, quæ adversarii proferunt de umbra Petri, et sudario Pauli; nusquam enim legimus per ea instrumenta datum esse Spiritum sanctum, sed solum temporalem sanitatem.

Tertia solutio est ea, quam attingit quidem loco citato Calvinus, sed latius eam persequitur Kemnitius pagina 290. In Apostolis privilegium singulare fuit, ut Spiritum sanctum darent per manus impositionem: habuerunt enim illi peculiare mandatum, et promissionem de hac re. At nos non habemus ejusmodi mandatum, et promissionem; igitur temere imitari conamur. Confirmatur argumentum ex eventu. Nam ad eorum manus impositionem sequebatur effectus; ad nostram nihil sequitur, etiamsi enim quis millies manum imponat, non descendunt linguæ igneæ. Cessavit igitur donum illud: proinde otiosa, et inanis cæremonia remansit.

Hæc quoque solutio facile rejici potest. Nam in primis non ostendent adversarii, ubi mandaverit Dominus Apostolis, ut manus imponerent ad Spiritum sanctum recipiendum. Legimus quidem Marc. ult. : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt* (2); sed illa dicuntur omnibus fidelibus, non autem solis Apostolis : *Signa*, inquit, *eos qui crediderint, hæc sequentur etc.* Et præterea ista est impositio manus ad morbos pellendos, non ad Spiritum advocandum. Legimus item Ananiam Actorum IX accepisse mandatum, ut Paulo manus imponeret; quem locum perperam Calvinus exponit de manus impositione, de qua nunc agimus, cum in Antidoto Concilii Tridentini sess. VII, can. 3. de Confirmatione, tum in Instit. lib. IV, c. 19, §. 10. Sed is locus nihil facit ad rem. Nam illa impositio manus fuit curativa ad depellendam cæcitatem corporalem, non ad dandum Spiritum sanctum : unde etiam ante Baptismum facta est. Secundo, neque ostendent Apostolis usquam factam esse promissionem, ut cui manus imponerent, darctur Spiritus sanctus. Promisit quidem Apostolis Dominus Spiritum Sanctum, quem et acceperunt in die Pentecostes : at ut ipsi aliis darent, nusquam legimus; et tamen dabant, et quidem ordinarie. Non igitur requirebatur peculiaris promissio. Tertio, promissio generalis est non solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ facta; igitur et cæremonia, qua applicatur promissio, generalis esse debet, et perpetua. Probatur antecedens; Nam etiamsi Dominus Apostolos alloquebatur, cum promittebat Spiritum sanctum, tamen in eis Ecclesiam totam alloquebatur, ut ait sanctus Leo serm. 9. de Quadragesima :

(1) I. Cor. XII, 29 et 30. — (2) Marc. XVI, 17 et 18.

« Tota, inquit, Ecclesia salutare suum in iis qui aderant, universaliter audiebat. » Unde etiam Dominus ait Matth. ultimo : *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad mundi consummationem* (1). Ubi alloquitur eos, qui erant omnes morituri intra centum annos, et tamen dicit se cum eis semper futurum, quia nimirum, et ipsi semper erunt in posteris suis. Item ex eo, quod ait Lucæ XXII : *Hoc facite in meam commemorationem* (2); quod certe ad alios etiam pertinet, qui Apostoli non erant. Unde B. Petrus, qui eas promissiones rectissime intelligebat Actor III. omnibus pollicebatur Spiritum sanctum, si crederent, et baptizarentur; et allegabat vaticinium Joelis : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (3). Accedit etiam ratio evidens. Nam causa, cur Deus promisit, et dedit Spiritum sanctum, non minus locum habet in nobis, quam in Apostolis; siquidem omni tempore egent fideles virtute Spiritus sancti ad resistendum in persecutione et confitenda fide. Neque Dominus providere potuit, aut voluit Ecclesiæ suæ ad annos decem, aut viginti, et non perpetuo, quando illa auxilio indiget.

Sed respondet Kemnitius, promissionem quidem esse generalem, sed organum, quo illa applicatur, non esse jam impositionem manus, sed alia instrumenta, nimirum Baptismum et Eucharistiam. Atqui hoc est temere, et pro arbitrio, imo etiam contra verbum Dei fingere organa, quibus applicentur divinæ promissiones. Nam si Baptismus, et Eucharistia applicant promissionem prædictam, cur Apostoli utebantur manus impositione? deerant fortasse illis Baptismus, et Eucharistia; Deinde Apostoli ante Christi passionem baptizati fuerant, et Eucharistiam sumpserant, et tamen post illa omnia promittitur eis Spiritus sanctus. Non igitur acceperant hoc donum, nimirum in ea plenitudine, quæ danda erat in Sacramento Confirmationis, per Baptismum, et Eucharistiam. Præterea Actorum VIII. Samaritani baptizati erant, et tamen Lucas disertis verbis dicit, Spiritum non venisse in quemquam illorum, nisi post manus impositionem Apostolorum. Denique cum ipsa Scriptura tam aperte doceat, medium ad recipiendum hoc donum esse manus impositionem; quanta temeritas est hoc medium rejicere, et alia confingere?

At, inquiunt, cessavit effectus ille, qui sequebatur ad impositionem manus. Respondeo; Cessavit quoad visibilia symbola, non quoad invisibilem gratiam. Nam posse dari etiam invisibiliter Spiritum sanctum, constat ex facto Domini, Joan. XX. ubi insufflavit, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum* (4); debuisse autem dari semper, saltem invisibiliter, paulo ante probatum est. Fuit autem causa rationabilis, quare tunc daretur visibiliter, nunc solum invisibiliter; quia initio Ecclesiæ ad fidem plantandam, et nutriendam, ejusmodi miracula necessaria erant. Unde Augustinus lib. III. de Baptismo cap. 16. « Neque enim temporalibus, inquit, et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem, modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant loqui linguis? Sed invisibiliter, et latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari. » Denique idem patet ex similibus. Nam initio Ecclesiæ, qui credebant, operabantur miracula juxta illud Marci ult. *Signa, eos, qui crediderint, hæc sequentur; super ægros manus imponent, et bene habebunt* (5). Nunc cessavit iste effectus fidei. Nec tamen est fides otiosa, et inanis, quia habet effectum suum principalem, qui est vivificare : *Justus enim ex fide vivit* (6). Vide Gregorium in homilia Evangelii Ascensionis. Pari ratione in principio Ecclesiæ puniebantur peccatores visibilibus pœnis, ut patet de Anania et Saphyra, Actor. V. de Elima Mago, Actor XIII. de iis, qui indigne communicabant, I. Corinth. XI. At num hoc tempore, quia non puniuntur ita peccata visibilibus pœnis, ideo impuna manebunt; et non saltem invisibiliter punientur, et hic, et in alia vita? Ita igitur et in bonis.

Quarta solutio est Kemnitii pag. 291. totum locum Actor. VIII. et XIX. nihil pro nobis facere, cum nos impositionem manus rejecerimus, et in ejus locum unctionem Chrismatis subjecerimus.

Hæc solutio nulla est. Nam ut omittam

(1) Matth. XXVIII, 20. — (2) Luc. XXII, 19. — (3) Joel. II, 28. — (4) Joan. XX, 22. — (5) Matt. XVI, 17 et 18. — (6) Hebr. X, 38.

quæ infra de Chrismate dicenda sunt, falsum est rejectam esse manus impositionem. Bis enim Episcopus manus imponit confirmandis, ut ex Pontificali Romano intelligi potest, semel cum super eos manus extendit, atque orat; et rursum cum signat in fronte, atque ungit; ipsa enim unctio et signatio cum manu fiat, manus impositio rectissime dicitur, ut docet Hugo lib. II. de Sacramentis, par. 7. cap. 2. Unde etiam Marc. VII. cum petulassent quidam, ut Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit, nam digito tetigit linguam et aures ejus.

CAPUT III.

Probatur veritas testimoniis SS. Pontificum.

Nunc secundo probanda est veritas ex veterum et Sanctorum Pontificum responsis. Adferemus autem testimonia, quæ non quidem disertis verbis affirment, Confirmationem esse Sacramentum (id enim neque necessarium est, et facile posset detorqueri ad significationem Sacramenti largo modo accepti) sed testimonia afferemus quæ rem ipsam demonstrent; id est, cæremoniam dantem gratiam, et a Baptismo distinctam.

Primus igitur sit S. Clemens Romanus. Vide lib. III. constit. cap. 16. 16. et 17. et lib. VII. cap. 44.

Secundus sit S. Urbanus in epistola sua decretali: « Omnes, inquit, fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut plenî Christiani inveniantur. »

Tertius sit S. Cornelius Papa et Martyr, in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. VI. hist. cap. 33. « Non fuit, inquit, signaculo Chrismatis consummatus, unde nec Spiritum sanctum potuit promereri. »

Quartus sit Melchiades Papa et Martyr, in epist. ad Episcopos Hispaniæ; interrogatus, utrum majus Sacramentum esset Baptismus, an Confirmatio; respondit his verbis: « Scitote utrumque magnum esse Sacramentum. » Et addit, Confirmationem in eo præstare Baptismo, quod solum a summis sacerdotibus, id est, Episcopis confertur. Ubi apertissime docet, Confirmationem esse Sacramentum vere, et proprie dictum; quia confert cum Baptismo, et aliquo modo etiam Baptismo anteponit: Baptismum autem omnes fatentur Sacramentum esse vere, ac proprie dictum.

Quintus sit sanctus Eusebius Papa in epistol. 3. « Manus, inquit, impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus. » Et probat ex Actis Apostolorum.

Sextus sit sanctus Innocentius I, in epist. 1. ad Decentium cap. 3. « Presbyteris, inquit, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum Paracletum. » Et adducit exemplum Apostolorum Actorum VIII. ubi Innocentius aperte distinguit Episcopalem Confirmationem, quo tradit dicit Spiritum sanctum, ac proinde Sacramentum esse, ab unctione, quæ fit in Baptismo, quæ non est Sacramentum, sed quid Sacramentale; et præterea ad Apostolorum doctrina hoc descendere.

Septimus sit S. Damasus in epist. 4.

Octavus sit S. Leo epist. 86. alias 88.

Nonus sit S. Joannes III. in epist. ad Episcopos Germaniæ. Hi tres Pontifices declararunt non licere Chorepiscopis, sed solis Episcopis dare Spiritum sanctum per manus impositionem, et unctionem Chrismatis in fronte. Ac Joannes III, citans Damasum et Leonem, causam reddit cur tam ipse, quam illi ita declaraverint; quia in Actis cap. VIII. soli Apostoli dabant Spiritum sanctum per manus impositionem: ubi videmus eos loqui de illa cæremonia, quæ Apostolis fuit in usu.

Decimus sit S. Gregorius, qui lib. III. epist. 9. monet, ne presbyteri signare audeant Chrismate baptizatos in fronte, cum ad Episcopi munus id pertineat. Et in cap. 1. Cantic. in illud: *In vineis Engaddi*, inquit, « balsamum nascitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur. » Adde etiam Innocentium III. cap. Cum venisset, extra de sacra unctione.

CAPUT IV.

Idem probatur ex Conciliis.

Primum est Eliberitanum Concilium antiquissimum canon. 38. Postquam enim dixerat posse laicum in necessitate baptizare, addit: « Si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit. » Idem etiam infra can. 77. jubet Diacono, si quos baptizaverit.

Secundum est Concilium Arelatense I, tempore S. Sylvestri celebratum, quod can. 8. jubet hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, si baptizati fuerint in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non iterum tradi Baptismum, sed manus ab Episcopo imponi, ut accipiant Spiritum sanctum: quia nimirum hæretici illi Baptismum dare solebant, sed non Confirmationem.

Tertium est Arelatense II, sub eodem Sylvestro, quod idem statuit can. 17. nisi quod exprimit etiam Chrisma cum manus impositione.

Quartum sit Laodicenum etiam antiquissimum, ubi canon. 7. jubentur Novatiani sancto Chrismate inungi; et canon. 48. « Oportet, inquit, baptizatos sacratissimum Chrisma percipere, et cœlestis regni participes fieri. »

Quintum sit Aurelianense Concilium apud Gratianum de consecr. distinct. 5. canon. Ut jejuni: « Ut jejuni, inquit, ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem prius facere, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. »

Sextum sit Meldense Concilium apud eumdem Gratianum eadem distinct. canon. Ut Episcopi; « Ut Episcopi, inquit, non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant. »

Septimum sit Concilium II Hispalense, canon. 7. ubi idem repetitur quod supra ex Leone I. citavimus.

Octavum sit Concilium, quod celebravit sanctus Bonifacius Episcopus et Martyr, quod exstat in vita ipsius in tomo III. Surii, ubi statutum est, ut Episcopi circumirent dioeceses Confirmando.

His accedant Concilia generalia, Constantinopolitanum III, canon. 7. Florentinum in instruct. Armenorum, et Tridentinum sess. VII. canon. 1. de Confirmatione.

CAPUT V.

Idem propatur ex Patribus Græcis.

Primus ex Patribus Græcis sit Dionysius Areopagita. Is de Ecclesiastica hierarchia, c. 2. par. 2. sic habet: « Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt; ille divino, ac deifico prorsus unguento virum signat; » ea par. 3. « Perficiens illa unctio facit perfectum; » et cap. 4. par. 3. « Sed et ipsis, qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, adventum Spiritus sancti consummans unguenti inunctio elargitur. » Hic vides cæremoniam, et ejus effectum, ac proinde Sacramenti proprie dicti rationem.

Secundo loco prodeat Clemens Alexandrinus, qui teste Eusebio lib. III hist. cap. 17. secundum versionem Christophorsoni, refert historiam juvenis cujusdam a sancto Joanne Apostolo commendati curæ, ac diligentiæ Episcopi nuper creati, ac inter alia sic loquitur: « Qui (Episcopus) cum Baptismi Sacramento illuminavit, postea vero sigillo Domini tamquam perfecta, et tuta ejus animi custodia obsignavit. » Ubi aperte loquitur de Sacramento Confirmationis, quod est sigillum Dominicum in fronte impressum, et custodiam præbens per gratiam quam confert.

III. Justinus quæst. 137 Orthodoxorum, scribit peractis mysteriis Baptismi, consignari fideles sacro unguento.

IV. Origenes homil. 8. in Leviticum prope finem: « Si ergo, inquit, conversis a peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ superius diximus: donum autem gratiæ Spiritus per olei imaginem designatur, ut non solum purgationem consequi possit is, qui convertitur a peccato, sed et Spiritu sancto repleri. » Et hom. 9. ultra medium: « Omnes, inquit, quicumque unguento sacri Chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut et Petrus ad omnem Ecclesiam dicit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* »

V. Cyrillus Hierosolymitanus ex quinque catechesibus mystagogicis, 1. et 2. scripsit

de Baptismo, 3. de Sacramento Confirmationis, 4. et 5. de Eucharistia, quæ sunt tria Sacramenta, quæ eodem die percipiuntur a Neophytis. Unde apparet Cyrillum non tantum habuisse Confirmationem pro Sacramento, sed etiam pro Sacramento propriissime dicto, quandoquidem illud in numero ponit cum Baptismo, et Eucharistia. Præterea catech. 3. jam citata, sic loquitur : « Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi ; sic et sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, postquam jam consecratum est, sed est Chrisma Christi, quod adventu Spiritus sancti per ipsius divinitatem energiam habet, quo frons, et alii sensus tui symbolice inunguntur, et corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur. » Nota ad hunc locum primo conferri hic etiam Chrisma cum Eucharistia ; quod est argumentum utrumque esse teque proprie Sacramentum. Secundo nota, unguentum consecratum vim habere sanctificandi, quod est proprium verorum Sacramentorum, quæ sunt instrumenta sanctificationis. Tertio, non solum vim habere sanctificandi, sed etiam reipsa vere animam sancto Spiritu sanctificari, cum frons Chrismate perungitur. Quarto nota, hunc auctorem caute loquutum, cum ait, panem Eucharistiæ post consecrationem esse corpus Christi ; unguentum autem post consecrationem non dixit esse Spiritum sanctum, ne putaremus a Cyrillo fingi similem transubstantiationem unguenti, qualis fit in pane : sed dixit, non esse nudum unguentum, sed Chrisma Christi habens energiam sanctificandi a Spiritu Sancto.

Idem Cyrillus ibidem docet, quemadmodum Christus primo Baptismum accepit ; secundo descendit in eum columba ; tertio excepit eum tentatio : ita nobiscum etiam fieri, qui primo baptizamur, deinde per Chrisma recipimus Spiritum sanctum, et sic tandem ad prælium descendimus cum Diabolo. Ibidem etiam dicit, Christianum proprie denominari a Chrismate. Cum enim Christianus dicatur quasi unctus, non videtur dignus hoc nomine, qui non est unctus hoc unguento, quo Christiani perficiuntur. Denique ibidem etiam recte dicit, Joannem in sua epist. 1. cap. II. cum ait : *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, in vobis maneat, et unctio docebit vos de omnibus*, ad hoc sanctum Chrisma allusisse per quod datur Spiritus sanctus, qui docet nos de omnibus.

VI. Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum : « At si tu, inquit, per Baptismum te ipsum obfirmaveris, ac præclarissimo, et firmissimo auxilio tibi in futurum caveris animum scilicet, et corpus unctione, et Spiritu consignans, quemadmodum olim Israel nocturno illo primigenosque tuente cruore ; quid tibi accidet ? et quod tibi præsidium comparatum erit ? audi Salomonis paræmias ; Si sederis, ait, intrepidus eris ; si dormieris, suavis erit somnus tuus. »

VII. Amphilochius in vita S. Basilii, si tamen is est verus auctor ejus libri : « Baptizavit, inquit, Maximinus Episcopus Basilium, et Eubulum, et vestivit albis, atque ungens eos sancto Chrismate, tradidit eis vivificam communionem. »

VIII. Theodoretus in commentar. 1. cap. Cantic. « Qui initiantur Baptismo post Satanæ abnegationem, et confessionem fidei, veluti signo, ac nota regia spiritualis unguenti Chrismate inuncti, sub ea visibili unguenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam percipiunt. »

IX. Joannes Damascenus lib. IV. de fide cap. 10. « Oleum, inquit, in Baptismate assumitur, unctionem significans, et Christos nos efficiens, et misericordiam Dei nobis annuncians per Spiritum sanctum. » Ubi apertissime loquitur de Sacramento Confirmationis, quod datur post Baptisma. Nam paulo ante dixit, Apostolis, in forma ignis datum Spiritum sanctum ; et mox subjunxit, nobis dari per oleum. Certe autem confirmatio Apostolorum in die Pentecostes non respondet Baptismo, sed Confirmationi per Chrisma. Et paulo post idem auctor dicit, sicut columba attulit ramum olivæ post diluvium ; ita nobis post Baptismum, cujus figura fuit diluvium, advenire Spiritum sanctum per oleum, cujus figura fuit illa columba cum ramo olivæ. Denique verba Græca, τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται, rectius vertentur : « Oleum Baptismati succedit, quam, Oleum in Baptismate assumitur, » ut Oecolampadius vertit. Nam in Græco non est, « in Baptismate ; » et verbum παραλαμβάνω proprie dicitur de eo, quod assumitur, ut alteri succedat.

CAPUT VI.

Idem probatur ex Latinis.

I. Tertullianus in libr. de resurrectione carnis, videtur totum ritum brevissime comprehendere, id est, unctionem, signum crucis, et impositionem manus : « Caro, inquit, ungitur, ut anima consecretur ; caro signatur, ut anima muniatur ; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. » Et ibidem conjungit hoc Sacramentum cum Baptismo, et Eucharistia : nam antea dixerat : « Caro abluitur, ut anima emaculetur. » Et post illa omnia subjungit : « Caro corpore Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. » Idem in lib. I. contra Marcionem non procul a fine, iterum conjungit olei unctionem cum aqua Baptismi, et pane Eucharistiæ ; et similiter in lib. de præscriptione hæreticorum. Denique in lib. de Baptismo, sic ait : « Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione. » Et paulo post : « In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit. » Et paulo post : « Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, et invitans Spiritum sanctum. »

II. Sanctus Cyprianus lib. I. epist. ult. « Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate esse unctus Dei, et habere in se Christi gratiam possit. » Et lib. II. epist. 1. « Tunc demum plene sanctificari, et esse Filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur. » Vide, Sacramentum vocari Confirmationem, et cum Baptismo conferri. Item in epist. ad Jubajanum : « Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur. » Si quis objicit, Cyprianum in his omnibus locis agere causam Anabaptismi : Respondendum est, id quidem esse verum, sed non ob id esse falsa, quæ de ritu, et effectu sacri Chrismatis ab eo dicuntur. Nam Ecclesia Catholica semper notavit errorem Cypriani de Anabaptismo ; numquam notavit ut errorem id, quod ille scripsit de Confirmatione ; et Sanctus Augustinus lib. V. de Baptismo refellit argumenta Cypriani pro Anabaptismo, nec tamen unquam, vel uno verbulo damnat, quæ Cyprianus de hoc Sacramento tam magnifice scripsit.

III. Auctor sermonum de operibus Cardinalibus Christi, quæ habentur inter opera Cypriani, tametsi revera non est Cyprianus, est tamen antiquus, et doctus, et apertissime tribuit Chrismati consecrato vim sanctificandi eo modo, quo Cyrillum loquentem audivimus. Sic enim loquitur in sermone de unctione Chrismatis : « Hodie in Ecclesia ad populum acquisitionis sanctificandum, in participatione dignitatis et nominis sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ, et sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta. » Et infra loquens de Chrismate : « Sanctificatis elementis, jam non propria natura præbet effectum, sed virtus divina potentius operatur, et adest veritas signo, et Spiritus Sacramento. » Et infra : « Et hujus unctionis beneficio, et sapientia nobis, et intellectus divinitus datur ; consilium, et fortitudo cœlitus illabitur ; scientia, et pietas, et timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur. »

IV. Eusebius Emissenus, seu quicumque fuit auctor (nam sine dubio Latinus fuit, et ingenis) in serm. de Pentecoste : « Quod inquit, nunc in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donavit universis. » Et infra : « Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione, augmentum præstat ad gratiam. »

V. Prudentius in ψυχομαχίᾳ, cum pugnam luxuriæ et sobrietatis describit :

Post inscripta, inquit, oleo frontis signacula, per quæ
Unguentum regale datum est, et Chrisma perenne.

Et in hymno ante somnum :

Cultor Dei memento
Te fonte, et lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te Chrismate innotatum.

VI. Pacianus in lib. de Baptismo : « Lavacro, inquit, peccata purgantur. Chrismate sanctus Spiritus superinfunditur : utraque vero ista, manu et ore antistitis impetramus. » Item in I. epist. ad Sympronianum Novatianum : « Si ergo et lavacri, et Chrismatis potestas, majorum longe Charismatum ad Episcopos inde (ex Apostolorum forma) descendit ; et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi : » Ubi vides, Chrisma non solum conjungi cum Baptismi et Pœnitentiæ Sacramento, sed etiam anteponi Sacramento Pœnitentiæ; dicit enim esse potestatem majorum Charismatum, posse Chrismate inungere, quam solvere, vel ligare ; et inde probat posse Episcopum solvere, et ligare, quia potest baptizare, et Chrismate consignare, quæ sunt majora munera. Idem in epist. 2. « Vestræ plebi, inquit, unde Spiritus, quam non consignat unctus sacerdos? »

VII. Ambrosius lib. III. de Sacramentis, cap. 2. « Sequitur, inquit, spirituale signaculum, quia post fontem sequitur ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. » Et lib. de iis qui initiantur mysteriis, cap. 7. « Repete, quia accepisti signaculum spirituale. » Et infra : « Serva quod accepisti, signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus. »

VIII. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, posteaquam dixerat, Episcopos baptizatis per impositionem manuum dare Spiritum Sanctum, subjungit : « Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Sed etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. »

IX. Augustinus lib. XV. Trinit. cap. 26. dicit, Ecclesiam adhuc servare, quod fecerunt Apostoli Act. VIII. ut ejus præpositi manus imponant ad Spiritum sanctum accipiendum. Ibidem etiam meminit Chrismatis. Item in præfatione 2. concionis in Psalm. 26. dicit, hac unctione spiritualiter homines perfici. Item lib. III. de Baptismo, cap. 16. et tract. VI. in epist. Joan. dicit, nunc quidem non loqui linguis, quibus imponuntur manus post Baptismum, tamen revera accipere Spiritum sanctum, et latenter, atque invisibiliter infundi charitatem. Sed præcipuus locus est lib. II. contra literas Petiliani, cap. 104 : « In hoc unguento, inquit, Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari : quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus ; sed potest esse in hominibus pessimis. » Et infra : « Discerne igitur visibile sanctum Sacramentum, quod esse et in bonis, et in malis potest : illis ad præmium, istis ad judicium, ab invisibili unctione charitatis, quæ proprie bonorum est. »

X. Beda lib. VI in Lucam, exponens illa verba Luc. XXII : *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum* (1). « In montem, inquit, olivarum discipulos eduxit, ut omnes in morte sua baptizatos altissimo sancti Spiritus Chrismate confirmandos esse designet. »

His accedant qui de hoc Sacramento ex professo tractant. XI. Rabanus lib. I. de Institut. clericor. cap. 30.

XII. Amalarius lib. I. de officiis Ecclesiasticis.

XIII. Hugo lib. II. de Sacramentis, part. 7. et

XIV. Magister cum omni Schola lib. IV Sentent. distinct. 7.

His accedant tria miracula ad hujus Sacramenti confirmationem a Deo ostensa. Primum exstat apud Optatum lib. II. ubi refert, ampullam S. Chrismatis ab Arianis per fenestram projectam, Angelica manu sustentatam collidi non potuisse. Alterum exstat in vita S. Remberti Bremensis Episcopi apud Surium tom. I. in mense Februario, quæ scripta est ante annos 700. Ibi legimus S. Rembertum inter confirmandum cæcum illuminasse. Tertium exstat in vita S. Malachiæ a S. Bernardo scripta : « Puerum, inquit Bernardus, mente captum, ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra unctione curavit. » Loquitur autem de Malcho Episcopo S. Malachiæ præceptore.

(1) Luc. XXII, 39.

CAPUT VII.

Diluuntur solutiones adversariorum ad Patrum testimonia, quæ sunt etiam argumenta ipsorum contra veritatem.

Nunc quid adversarii ad tam multa Patrum testimonia respondeant, et quid nobis objiciant, videamus. Calvinus primo simpliciter rejicit Patres. Nam lib. IV, cap. 19. § 4. Hieronymum dicit in eo hallucinari, quod Apostolicam observationem esse putaverit, ritum Confirmationis. Et § 8. et 10. vehementissime invehitur in S. Melchiadem, ut supra cap. 1. notavimus. Denique § 12. ita loquitur : « Jam vero cum verbo Dei, et probabili ratione deflci se vident, prætexunt, quod solent, vetustissimam esse hanc observationem, et multorum sæculorum consensu firmatam. Etiamsi id verum esset, nihil tamen efficiunt. Non e terra est Sacramentum, sed e cælo ; non ex hominibus, sed ab uno Deo. » Hæc ille. Quasi vero nos adferamus Patres, ut Sacramentum ab iis institutum doceamus. Fatemur Sacramenta esse de cælo, non de terra : sed tamen testes Sacramentorum homines adhibemus. Quamquam neque testimonium hoc de terra dici debet, sed de cælo : non enim hoc testimonium ex capite suo ipsi confingunt, sed ex Apostolorum doctrina, et traditione deducunt. Adde, quod nec admittimus nos destitui verbo Dei, ut in 2. cap. ostendimus.

Secundo ; Idem Calvinus ibidem negat Patres agnovisse hoc Sacramentum : « Sed quid, inquit, vetustatem objectant, cum veteres dum proprie eloqui volunt, nusquam plura duobus Sacramentis recenseant? Si ab hominibus petendum esset nostræ fidei præsidium, habemus arcem inexpugnabilem, numquam veteribus agnita fuisse pro Sacramentis, quæ isti Sacramenta ementiuntur. De manuum impositione loquuntur veteres, sed an Sacramentum vocant? Augustinus aperte affirmat lib. III. de Baptismo, cap. 16. nihil aliud esse, quam orationem. » Addit Kemnitius pag. 319. Gratiani auctoritatem, qui canon. Arianos I. quæst. 1. ex hoc loco Augustini colligit, manus impositionem, non esse Sacramentum, quia repeti potest ; cum nihil sit, nisi oratio quædam.

Hæc secunda solutio duobus clarissimis mendaciis constat. Quod enim Calvinus ait, veteres non agnoscere nisi duo Sacramenta proprie dicta, constat esse mendacium ex testimoniis citatis, et idem mendacium refutavimus cum ageremus de numero Sacramentorum. Quod autem Calvinus negat, veteres Sacramentum appellasse ritum Confirmationis, mendacium esse patet ex testimoniis Melchiadis, et Eusebii, Cypriani, atque Augustini supra citatis. Ad locum ex Augustino citatum respondeo, Augustinum loqui de simplici manus impositione, quæ fiebat in reconciliatione pœnitentium, non de manus impositione cum Chrismate, quæ est proprie Sacramentum Confirmationis.

At instat Calvinus, atque ait : « Neque hic mihi putidis suis distinctionibus obganniant, non ad Confirmationem illud Augustinum retulisse, sed ad curatoriam, vel reconciliatoriam. Exstat liber, etc. » Ac probat hic agi de utraque simul, quia loquitur Augustinus de hæreticis, qui ad Ecclesiam redeunt, qui quidem non rebaptizantur : tamen imponuntur eis manus, et eo modo datur eis Spiritus sanctus. Et confirmat hoc idem ex lib. 5. cap. 23. de Baptismo.

Respondeo : hæc omnia si quid probarent, probarent solum Confirmationem esse Sacramentum iterabile ; non autem probarent, non esse Sacramentum proprie dictum, quod Calvino probandum erat. Nam sic loquitur Augustinus : « Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest : quid enim est aliud, nisi oratio super hominem? » Ubi Augustinus ex eo quod manus impositio est oratio, non colligit non esse Sacramentum, sed non esse Sacramentum tale, ut repeti non possit. Alioqui Sacramentum esse manifeste probatur. Nam hic est materia sensibilis, impositio manuum : est forma, oratio ; est effectus, gratia Spiritus sancti, ut ipse Calvinus contendit. Cur ergo non est Sacramentum? At neque ex hoc probari potest Confirmationem esse Sacramentum iterabile. Nam (ut dixi) non agitur hic de Confirmatione, sed de reconciliatione pœnitentium. Id quod probo his rationibus.

Primo, Augustinus passim docet Confirmationem, fieri Chrismate, ut patet ex locis supra allegatis. Hic autem non solum non

meminit Chrismatis, sed aperte indicat se loqui de impositione manuum sine Chrismate; alioqui non diceret: « Quid est aliud, nisi oratio? » posset enim responderi, est consecratio, et consignatio per Chrismatis unctionem.

Secundo, Sacramentum. Confirmationis semel datum non potest repeti, ut ex Concilio Tarraconensi, et ex rescripto Gregorii II, testatur Gratianus, distinct. 5. de consecrat. canon. Dictum est, et canon. De homine. Et præterea idem aperte colligitur ex Augustino lib. II. contra litteras Petiliani, cap. 104. ubi dicit, Sacramentum Confirmationis, sicut etiam Baptismi interdum in pessimis hominibus esse, et manere, licet ad judicium. Quod si manet etiam in pessimis, non debet, nec potest eis dari, cum reconciliantur, quia jam habent, nec amiserunt. At hoc loco dicit, manus impositionem repeti posse: non igitur loquitur de manus impositione Confirmatoria.

Tertio, Augustinus loquitur de reconciliatione hæreticorum, ut Calvinus fatetur, et ex utroque loco citato perspicuum est. Sed manus impositio reconciliatoria distincta erat, præsertim in Ecclesia Occidentali a manus impositione Confirmatoria; ergo non loquitur Augustinus de Confirmatoria. Assumptio probatur tum ex Vigilio Papa in epist. 1. cap. 3. ubi hoc expresse testatur: tum ex Gregorio lib. IX. epist. 61. ubi dicit, Arianos in Ecclesia Orientali, consuevisse recipi per unctionem Chrismatis; in Occidentali per solam impositionem manuum. Cujus diversitatis ratio assignari solet, quia Ariani Orientales non confirmabantur per Chrisma in sua secta, Occidentales autem confirmabantur; et ideo in Oriente oportebat eos ungere, cum redibant ad Ecclesiam, quia hoc eis deerat. Unde etiam in concilio Nicæno ex Arabico nuper translato canon. 31. jubentur Ariani inungi, cum ad Ecclesiam veniunt. Vel certe si etiam in Occidente Ariani rejiciebant Confirmationem; tamen cum ad Ecclesiam redibant, non statim Chrismate ungebantur, sed postea per opportunitatem, ut modo facimus cum Lutheranis. Vel denique illa unctio in Ecclesia Orientali non erat Sacramentum, sed ritus quidam. Quidquid sit, Gregorius expresse dicit, in Occidente non inungi, sed simpliciter reconciliari per impositionem manus. Quare S. Augustinus, qui de Ecclesia Occidentali erat, cum loquitur de reconciliatione hæreticorum per impositionem manuum, non agit de Confirmatione, quæ non fit sine unctione, sed de simplici reconciliatione.

At duo videntur obstare huic nostræ explicationi. Unum, quod Augustinus lib. III. de Baptismo, cap. 16. id est, in illo ipso capite, ubi dicit, impositionem manuum nihil esse, nisi orationem, dicit etiam per eam manuum impositionem nunc non exspectari, ut homines loquantur linguis, ut fiebat tempore Apostolorum, sed satis esse si infundatur Spiritus sanctus invisibiliter: quem locum nos supra citavimus pro Sacramento Confirmationis. Ergo Augustinus loquitur de manus impositione Confirmatoria; vel certe æquivoce accipit in uno et eodem capite manus impositionem; quod videtur absurdum. Alterum est, quod lib. V. de Baptismo, cap. 23. Augustinus dicat per manus impositionem reconciliatoriam dari Spiritum sanctum. At hic per nos est effectus Confirmationis; ergo eadem erat apud Augustinum impositio manus Confirmatoria, et reconciliatoria.

Respondeo ad primum, vario modo accipere Augustinum in eo capite manus impositionem, sed sine ullo vitio. Nam propositum ejus erat solvere argumentum S. Cypriani, qui ex eo, quod in sola Ecclesia Catholica dari potest, et accipi Spiritus sanctus, colligebat Sacramenta hæreticorum non esse vera et rata. Ad hoc argumentum diluendum Augustinus initio capitis explicat, quid intelligi debeat per Spiritum sanctum, cum dicitur non posse dari, vel accipi, nisi in Ecclesia Catholica per manus impositionem: ac dicit intelligi donum charitatis; hoc enim non possunt habere nisi boni, et ideo non nisi in Ecclesia Catholica; quia extra illam nulli sunt boni. Hoc autem loco accipit Augustinus manus impositionem in genere, sive sit Confirmatoria, sive reconciliatoria, sive (ut sic loquar) Ordinatoria: semper enim per eam datur gratia, et charitas, nisi ponatur obex. Deinde vult Augustinus ostendere per manus impositionem dari revera donum charitatis; et declarat exemplo manus impositionis Confirmatoriæ, cum dicit, nunc non exspectari, ut loquantur linguis, quibus manus imponitur, sed latenter eis infundi charitatem. Itaque ibi accipit manus impositionem magis stricte, (id est, pro sola Confirmatoria) nec tamen est vitiosa æquivocatio, quia quod

convenit toti generi, recte declaratur exemplo unius speciei. Postea redit ad argumentum Cypriani, et distinguit tria; Sacramentum, donum Spiritus sancti gratis datum, ut prophetiam; et donum gratum faciens, id est, charitatem: ac dicit extra Ecclesiam, vel in malis hominibus esse posse duo priora, non tamen tertium; et idcirco debere ad Ecclesiam redire, ut in ea per manus impositionem reconciliatoriam illud accipiant. Et quia poterat aliquis suspicari, non posse repeti hanc manus impositionem sicut non potest repeti Baptismus, nec Confirmatio, nec Ordinatio, ideo Augustinus subjungit posse repeti manus impositionem, id est, reconciliatoriam, quia nihil est aliud, nisi oratio super hominem, id est, non est consecratio aliqua, quæ maneat, et characterem imprimat, unde repeti non possit, sed est tantum cæremonia adjuvans orationem.

Ad alterum argumentum respondeo, ut jam dixi, Spiritum sanctum dari, per omnem impositionem manuum, sed ad varios effectus. Nam per impositionem manuum Confirmatoriam datur ad roborandam animam in fidei confessione; per Reconciliatoriam datur ad remissionem peccatorum; per Ordinatoriam datur ad potestatem ministrandi Sacramenta.

Ad locum Gratiani a Kemnitio additum, respondeo; Gratianum velle dicere non esse Sacramentum Ordinis, vel etiam Confirmationis, impositionem manuum, de qua loquitur Augustinus; id quod recte ille dicit, ac recte etiam probat ex eo, quod repeti potest. Non autem negat esse Sacramentum reconciliationis: nam alioqui etiam Eucharistia repeti potest, et tamen est verissimum Sacramentum.

Tertia solutio est, quod apud veteres Confirmatio fuerit tantum Catechesis puerorum, qui in infantia baptizati fuerant. Ita Calvinus ibidem §. 4. et 13. ubi citat Leonem epist. 35 et 77. et Hieronymum contra Luciferianos: quam eandem solutionem omnes alii amplectuntur. At vanissima est: nam Primo, nec Scriptura, nec ullus veterum meminit hujus Catechesis. Scriptura Actor. 8. et 19. dicit, Apostolos orasse, et imposuisse manus, et eo modo dedisse Spiritum sanctum: examinis puerorum nulla mentio. Similiter loquuntur Patres, ut supra ostendimus. Porro etiam S. Leo epist. 35. et 77. nihil dicit de hac re; nam loquitur de reconciliatione hæreticorum, non de examine puerili. Hieronymus quoque examen non nominat. Præterea ista solutio non est conformis Patrum doctrinæ, sed etiam ei repugnat. Patres enim dabant Confirmationem per unctionem, et manus impositionem etiam infantibus, ut expresse docent Innocentius I, epist. I, et liber de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 52. et Ordo Romanus. Et præterea id certissimum est, quia dabant olim infantibus etiam Eucharistiam, ut patet ex Cypriano in sermone de lapsis, et tamen Eucharistiam non dabant, nisi post Confirmationem, ut ex Dionysio, Ambrosio, et aliis patet. At certe infantes non sunt capaces examinis, nec Catechismi; nec adversarii volunt examen etiam infantium, sed puerorum jam adultorum; igitur evidens est, omnes Patres non loqui de ritu Confirmationis, quam sibi hæretici hoc tempore confinxerunt. Denique, omnes fere Patres meminerunt Chrismatis, et signaculi crucis in fronte, et in hoc ponunt essentiam hujus Sacramenti, ut ex eorum testimoniis constat.

Jam vero Kemnitius in 2 par. Examinis, pag. 297 et deinceps disserit de sententiis Patrum, ac ad quinque capita revocat omnes suas solutiones. Primo dicit, multos auctores qui citantur pro Sacramento Confirmationis, esse apocryphos, et supposititios. At id nihil est. Nam etiamsi epistolæ citatæ Melchiadis, Eusebii, et Urbani, necnon liber Dionysii Areopagitæ, homiliæ Eusebii Emisseni, et sermones Cypriani de operibus Cardinalibus Christi, sint apud nonnullos dubiæ Scripturæ, vel etiam supposititicæ: tamen multos habemus alios certissimos, et probatissimos auctores; et isti ipsi sunt antiquissimi, et optimi, licet non sit certum, an sint illi, quorum nomina præferunt.

Secundo, Kemnitius addit, alios auctores qui de Chrismate agunt, certos quidem esse, sed ex schola Montani prodisse, ut Tertullianum et Cyprianum. Sed hoc esse impudens mendacium, demonstravimus, cap. I.

Tertio, dicit, alios esse auctores certos, et probatos, qui de unctione mentionem faciunt, sed eam vocare Sacramentum improprie, et largo modo, quia est humana cæremonia quædam in Baptismo adhiberi solita: sicque exponit loca Augustini a nobis citata ex lib. XV. Trinit. cap. 26 et lib. II. contra literas Petiliani, cap. 104. At multum hic

errat Kemnitius. Supra enim ostendimus, Patres fere omnes distinguere Confirmationem a Baptismo, et effectum spiritualem ei tribuere, qui non convenit nisi vere ac proprie dictis Sacramentis. Id quod etiam manifeste patet ex locis Augustini citatis, quæ suo more Kemnitius truncata, et imperfecte citavit. Nam in priore loco dicit, præpositos Ecclesiæ imponere manum, et Chrismate inungere ad hoc, ut detur Spiritus sanctus, ut olim fecerunt Apostoli, Actor. VIII. At certe Apostolorum actio non fuit humana cæremonia adjuncta Baptismo, sed alia, et quidem divina, et efficacissima. In posteriore loco Augustinus multum laborat, ut ostendat veram Confirmationem posse dari, et accipi a malis, ut ipsum etiam Baptismum. At quid opus erat hoc probare de humana, et sterili cæremonia? quis enim de eo dubitare poterat? Deinde ibidem Augustinus dicit, malos accipere Sacramentum Confirmationis visibile, sine invisibili gratia Spiritus sancti, idque ad judicium. At certe non distingueret Sacramentum visibile ab invisibili gratia in malis, nisi crederet in bonis ista conjungi, et unum per alterum dari : neque ad judicium sumitur cæremonia humana, etiamsi a malis sumatur. Denique ibidem Augustinus dicit, Sacramentum Chrismatis esse sacrosanctum, sicut est ipse Baptismus. At quanta blasphemia fuisset æquare humanam cæremoniam Sacramento Baptismi !

Quarto, Kemnitius dicit, etiamsi veteres varie loquantur de hac re, tamen nullum esse in puriore antiquitate Patrem, qui detrahat Baptismo suos effectus, ut eos tribuat Chrismati, ut modo faciunt Papistæ. Et quia Cyrillus videbatur illi valde obstare, in dubium revocat, an sint ejus illæ Catecheses, et an ipse aliquando erraverit in fide ; et tandem rejicit tamquam falsa, quæ dicit Cyrillus. Sed hæc omnia meræ nugæ sunt. Nam nec nos dicimus detrahendos esse Baptismo suos effectus, sed damus utrique Sacramento effectos proprios. De Catechesibus autem Cyrilli nemo unquam dubitavit, neque profert Kemnitius ullam rationem, vel conjecturam, cur dubitandum sit. De fide autem, et probitate Cyrilli exstat egregium testimonium in epist. Concilii Constantinopolitani ad Damasum apud Theodoretum lib. V. cap. 9. ubi tota illa Synodus Oecumenica Cyrillum vehementer commendat, quod multa, et varia certamina cum Arianis ob fidem Catholicam gesserit.

Quinto, Kemnitius dicit, Patres loqui valde dissimiliter ab auctoribus recentioribus. Nam veteres inculcant manus impositionem, quæ tamen nunc abolita est ; item veteres nominant oleum, sed nullus probatus auctor addit mixtionem cum balsamo, ut modo faciunt omnes recentiores : veteres tribuunt Baptismo eos effectus, quos recentiores tribuunt Confirmationi, ut dare gratiam, dare Spiritum sanctum, perficere, armare contra Diabolum etc. Denique veteres Unctionem annectunt Baptismo, recentiores separant, ac si duo essent Sacramenta. At hic etiam valde hallucinatur Kemnitius. Nam in primis falsum est, esse abolitam manus impositionem, ut supra ostendimus, cap. 2. Deinde balsami cum oleo mixti expresse meminit Gregorius I. Papa, in cap. 1. Canticorum, qui certe probatissimus auctor est ; sed de hac re postea. Præterea falsum est eosdem effectus tribui a Patribus Baptismo, quos nos tribuimus Confirmationi, etiamsi nomina effectuum sæpe sint eadem. Nam Baptismus dat gratiam, et Spiritum sanctum, sed ad alios effectus, quam Confirmatio. Unde etiam Dominus Joan. XX. dedit Apostolis Spiritum sanctum per insufflationem ; et tamen eodem tempore promisit illis Spiritum sanctum, Actor. I et dedit Actor. II. Sic etiam Baptismus armat, quia dat gratiam bene operandi ; sed Confirmatio addit peculiare robur ad profitendam fidem. Unde dicitur Apostolis jam baptizatis Luc. ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (1). Denique Baptismus perficit in suo genere, quia facit vere, et integre justos, et Dei filios ; et tamen Confirmatio adhuc perficit in alio genere : quomodo infans perfectus homo est, quoad essentiam, et tamen non est perfectus, quoad molem. Itaque iidem Patres, qui magnifice loquuntur de Baptismo, magnifice etiam loquuntur de Confirmatione, ut ex locis citatis patet.

Quod autem Kemnitius objicit de conjunctione unctionis cum Baptismo, ostendit ejus imperitiam. Nam solebant veteres etiam Eucharistiam conjungere cum Baptismo, sive adultos, sive infantes baptizarent : et tamen nemo negat Sacramenta esse distincta, Baptismum, et Eucharistiam. Hoc tempore cum

(1) Luc. XXIV, 49.

baptizantur adulti, eodem die datur Baptismus, Confirmatio, et Eucharistia, ut veteres faciebant : sed cum baptizantur infantes, differuntur alia duo Sacramenta, donec ad usum rationis pervenerint, qui ea percepturi sunt ; quia non sunt ea Sacramenta infantibus necessaria, at majori cum fructu, et reverentia percipiuntur ab adultis. Neque in hoc a nobis Lutherani dissentiunt.

CAPUT VIII.

De materia Sacramenti Confirmationis.

Sequitur altera quæstio de materia hujus Sacramenti, de qua, etsi quædam jam dicta sint in superiori quæstione, tamen accuratius res explicanda est. Igitur materiam hujus Sacramenti remotam Catholici communi consensu esse docent, oleum balsamo admixtum, atque ab Episcopo consecratum : materiam vero proximam, quæ proprie est altera pars Sacramenti, unctionem ex prædicto oleo in fronte adhibitam ad formam, seu figuram crucis. Hæretici hoc totum non modo rejiciunt, sed etiam rident, ut ex locis quæstione superiori indicatis intelligi potest ; ubi pinguedinem per contumeliam vocant, et Kemnitius pag. 324 non putat impium, qui calceos in itinere torrefactos, Chrismate isto inungat : et reipsa in Gallia Calvinistæ dicuntur ocreas suas Chrismate inunxisse. Ut autem commodius hæc veritas probari possit, statuam sequentes propositiones.

Prima propositio : « Chrisma, sive Unctio, materia est Sacramenti Confirmationis. » Hæc certissima est Catholicis, ex Concilio Florentino in Instructione Armenorum, et Concilio Tridentino, session. 7. canon. 2. de Confirmatione. Probatur primo ex duobus locis Scripturæ, ubi vel expresse fit mentio hujus unctionis, vel certe ad eam alluditur. Prior est, II. Corinth. 1. *Qui confirmat nos Deus, et unxit nos, et signavit, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (1). Hunc locum exponunt de Sacramento Confirmationis, Ambrosius libro de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 7. et Anselmus, ac Theodoretus in commentario, et verba ipsa satis aperte hoc significant. Nam in primis verbum *(Confirmat)* proprium est hujus Sacramenti, in quo robur datur. Deinde (*Unxit nos*) vel refertur ad ipsam unctionem externam, vel si referatur ad internam, fit allusio ad externam ; ideo enim interna illa illustratio, et operatio Spiritus sancti dicit unctio, quia per unctionem externam, dari et significari solet. Illud autem (*Signavit nos*) referri potest tum ad internam obsignationem per characterem, tum ad externum signaculum crucis, quod in hoc Sacramento in fronte imprimitur. Denique illud (*Dedit pignus Spiritus in cordibus*) apertissime designat effectum principalem hujus Sacramenti, qui est donum charitatis. Posterior locus est I. Joan. II. *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis* (2). Hunc locum de hoc Sacramento exponit Cyrillus catechesi 3. mystagogica, et Augustinus tract. 3. in epistolam Joannis, ubi dicit, esse quoddam Sacramentum unctionis, cujus tantum virtus invisibilis sit.

Secundo probatur, et quidem efficacius ex communi consensu Pontificum, Conciliorum, et Patrum Græcorum, ac Latinorum, quos supra citavimus. Tametsi enim Scripturæ testimonia primum locum habent, quando perspicua sunt : tamen cum ea non sunt ita manifesta, plus momenti habet Ecclesiæ auctoritas, quam ipsa Scriptura apertissime commendat.

Secunda propositio : « Materia confirmationis non est oleum simplex, sed oleum mixtum balsamo. » Probatur Primo, ex traditione majorum. Nam in primis Dionysius Areopagita, etiamsi non nominat balsamum, tamen aperte describit ab effectu, seu proprietate : siquidem in Ecclesiast. hierarch. cap. 4. part. 3. dicit, Chrisma componi ex variis rebus, et odoriferum esse : « Discimus, inquit, unguenti compositionem esse collectionem suaviter spirantium materiarum. » Secundo, Clemens lib. VII. Constitut. Apostol. cap. 44. in benedictione Chrismatis mentionem facit fragrantiæ ordoris. Tertio, Fabianus Papa et Martyr in epist. 2. ad Orientales aperte dicit, Christum ipsum instituisse, ut Chrisma conficeretur ex oleo admixto balsamo. Quarto, Cyprianus, vel quicumque est auctor, in sermon. de unctione Chrismatis : « Hodie, inquit, in Ecclesia sa-

(1) II. Cor. I, 21 et 22. — (2) I. Joan. II, 27.

errat Kemnitius. Supra enim ostendimus, Patres fere omnes distinguere Confirmationem a Baptismo, et effectum spiritualem ei tribuere, qui non convenit nisi vere ac proprie dictis Sacramentis. Id quod etiam manifeste patet ex locis Augustini citatis, quæ suo more Kemnitius truncata, et imperfecte citavit. Nam in priore loco dicit, præpositos Ecclesiæ imponere manum, et Chrismate inungere ad hoc, ut detur Spiritus sanctus, ut olim fecerunt Apostoli, Actor. VIII. At certe Apostolorum actio non fuit humana cæremonia adjuncta Baptismo, sed alia, et quidem divina, et efficacissima. In posteriore loco Augustinus multum laborat, ut ostendat veram Confirmationem posse dari, et accipi a malis, ut ipsum etiam Baptismum. At quid opus erat hoc probare de humana, et sterili cæremonia? quis enim de eo dubitare poterat? Deinde ibidem Augustinus dicit, malos accipere Sacramentum Confirmationis visibile, sine invisibili gratia Spiritus sancti, idque ad judicium. At certe non distingueret Sacramentum visibile ab invisibili gratia in malis, nisi crederet in bonis ista conjungi, et unum per alterum dari : neque ad judicium sumitur cæremonia humana, etiamsi a malis sumatur. Denique ibidem Augustinus dicit, Sacramentum Chrismatis esse sacrosanctum, sicut est ipse Baptismus. At quanta blasphemia fuisset æquare humanam cæremoniam Sacramento Baptismi !

Quarto, Kemnitius dicit, etiamsi veteres varie loquantur de hac re, tamen nullum esse in puriore antiquitate Patrem, qui detrahat Baptismo suos effectus, ut eos tribuat Chrismati, ut modo faciunt Papistæ. Et quia Cyrillus videbatur illi valde obstare, in dubium revocat, an sint ejus illæ Catecheses, et an ipse aliquando erraverit in fide ; et tandem rejicit tamquam falsa, quæ dicit Cyrillus. Sed hæc omnia meræ nugæ sunt. Nam nec nos dicimus detrahendos esse Baptismo suos effectus, sed damus utrique Sacramento effectos proprios. De Catechesibus autem Cyrilli nemo unquam dubitavit, neque profert Kemnitius ullam rationem, vel conjecturam, cur dubitandum sit. De fide autem, et probitate Cyrilli exstat egregium testimonium in epist. Concilii Constantinopolitani ad Damasum apud Theodoretum lib. V. cap. 9. ubi tota illa Synodus Oecumenica Cyrillum vehementer commendat, quod multa, et varia certamina cum Arianis ob fidem Catholicam gesserit.

Quinto, Kemnitius dicit, Patres loqui valde dissimiliter ab auctoribus recentioribus. Nam veteres inculcant manus impositionem, quæ tamen nunc abolita est ; item veteres nominant oleum, sed nullus probatus auctor addit mixtionem cum balsamo, ut modo faciunt omnes recentiores : veteres tribuunt Baptismo eos effectus, quos recentiores tribuunt Confirmationi, ut dare gratiam, dare Spiritum sanctum, perficere, armare contra Diabolum etc. Denique veteres Unctionem annectunt Baptismo, recentiores separant, ac si duo essent Sacramenta. At hic etiam valde hallucinatur Kemnitius. Nam in primis falsum est, esse abolitam manus impositionem, ut supra ostendimus, cap. 2. Deinde balsami cum oleo mixti expresse meminit Gregorius I. Papa, in cap. 1. Canticorum, qui certe probatissimus auctor est ; sed de hac re postea. Præterea falsum est eosdem effectus tribui a Patribus Baptismo, quos nos tribuimus Confirmationi, etiamsi nomina effectuum sæpe sint eadem. Nam Baptismus dat gratiam, et Spiritum sanctum, sed ad alios effectus, quam Confirmatio. Unde etiam Dominus Joan. XX. dedit Apostolis Spiritum sanctum per insufflationem ; et tamen eodem tempore promisit illis Spiritum sanctum, Actor. I et dedit Actor. II. Sic etiam Baptismus armat, quia dat gratiam bene operandi ; sed Confirmatio addit peculiare robur ad profitendam fidem. Unde dicitur Apostolis jam baptizatis Luc. ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (1). Denique Baptismus perficit in suo genere, quia facit vere, et integre justos, et Dei filios ; et tamen Confirmatio adhuc perficit in alio genere : quomodo infans perfectus homo est, quoad essentiam, et tamen non est perfectus, quoad molem. Itaque iidem Patres, qui magnifice loquuntur de Baptismo, magnifice etiam loquuntur de Confirmatione, ut ex locis citatis patet.

Quod autem Kemnitius objicit de conjunctione unctionis cum Baptismo, ostendit ejus imperitiam. Nam solebant veteres etiam Eucharistiam conjungere cum Baptismo, sive adultos, sive infantes baptizarent : et tamen nemo negat Sacramenta esse distincta, Baptismum, et Eucharistiam. Hoc tempore cum

(1) Luc. XXIV, 49.

baptizantur adulti, eodem die datur Baptismus, Confirmatio, et Eucharistia, ut veteres faciebant : sed cum baptizantur infantes, differuntur alia duo Sacramenta, donec ad usum rationis pervenerint, qui ea percepturi sunt ; quia non sunt ea Sacramenta infantibus necessaria, at majori cum fructu, et reverentia percipiuntur ab adultis. Neque in hoc a nobis Lutherani dissentiunt.

CAPUT VIII.

De materia Sacramenti Confirmationis.

Sequitur altera quæstio de materia hujus Sacramenti, de qua, etsi quædam jam dicta sint in superiori quæstione, tamen accuratius res explicanda est. Igitur materiam hujus Sacramenti remotam Catholici communi consensu esse docent, oleum balsamo admixtum, atque ab Episcopo consecratum : materiam vero proximam, quæ proprie est altera pars Sacramenti, unctionem ex prædicto oleo in fronte adhibitam ad formam, seu figuram crucis. Hæretici hoc totum non modo rejiciunt, sed etiam rident, ut ex locis quæstione superiori indicatis intelligi potest ; ubi pinguedinem per contumeliam vocant, et Kemnitius pag. 324 non putat impium, qui calceos in itinere torrefactos, Chrismate isto inungat : et reipsa in Gallia Calvinistæ dicuntur ocreas suas Chrismate inunxisse. Ut autem commodius hæc veritas probari possit, statuam sequentes propositiones.

Prima propositio : « Chrisma, sive Unctio, materia est Sacramenti Confirmationis. » Hæc certissima est Catholicis, ex Concilio Florentino in Instructione Armenorum, et Concilio Tridentino, session. 7. canon. 2. de Confirmatione. Probatur primo ex duobus locis Scripturæ, ubi vel expresse fit mentio hujus unctionis, vel certe ad eam alluditur. Prior est, II. Corinth. 1. *Qui confirmat nos Deus, et unxit nos, et signavit, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (1). Hunc locum exponunt de Sacramento Confirmationis, Ambrosius libro de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 7. et Anselmus, ac Theodoretus in commentario, et verba ipsa satis aperte hoc significant. Nam in primis verbum *(Confirmat)* proprium est hujus Sacramenti, in quo robur datur. Deinde (*Unxit nos*) vel refertur ad ipsam unctionem externam, vel si referatur ad internam, fit allusio ad externam ; ideo enim interna illa illustratio, et operatio Spiritus sancti dicit unctio, quia per unctionem externam, dari et significari solet. Illud autem (*Signavit nos*) referri potest tum ad internam obsignationem per characterem, tum ad externum signaculum crucis, quod in hoc Sacramento in fronte imprimitur. Denique illud (*Dedit pignus Spiritus in cordibus*) apertissime designat effectum principalem hujus Sacramenti, qui est donum charitatis. Posterior locus est I. Joan. II. *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis* (2). Hunc locum de hoc Sacramento exponit Cyrillus catechesi 3. mystagogica, et Augustinus tract. 3. in epistolam Joannis, ubi dicit, esse quoddam Sacramentum unctionis, cujus tantum virtus invisibilis sit.

Secundo probatur, et quidem efficacius ex communi consensu Pontificum, Conciliorum, et Patrum Græcorum, ac Latinorum, quos supra citavimus. Tametsi enim Scripturæ testimonia primum locum habent, quando perspicua sunt : tamen cum ea non sunt ita manifesta, plus momenti habet Ecclesiæ auctoritas, quam ipsa Scriptura apertissime commendat.

Secunda propositio : « Materia confirmationis non est oleum simplex, sed oleum mixtum balsamo. » Probatur Primo, ex traditione majorum. Nam in primis Dionysius Areopagita, etiamsi non nominat balsamum, tamen aperte describit ab effectu, seu proprietate : siquidem in Ecclesiast. hierarch. cap. 4. part. 3. dicit, Chrisma componi ex variis rebus, et odoriferum esse : « Discimus, inquit, unguenti compositionem esse collectionem suaviter spirantium materiarum. » Secundo, Clemens lib. VII. Constitut. Apostol. cap. 44. in benedictione Chrismatis mentionem facit fragrantiæ ordoris. Tertio, Fabianus Papa et Martyr in epist. 2. ad Orientales aperte dicit, Christum ipsum instituisse, ut Chrisma conficeretur ex oleo admixto balsamo. Quarto, Cyprianus, vel quicumque est auctor, in sermon. de unctione Chrismatis : « Hodie, inquit, in Ecclesia sa-

(1) II. Cor. I, 21 et 22. — (2) I. Joan. II, 27.

crum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum sacerdotalis, et regiæ gloriæ exprimit unitatem ». Quinto, Gregorius Turonicus lib. de gloria Martyrum, cap. 40. enarrans ingens miraculum, quod exstat etiam apud Prudentium in lib. contra Judæos, pro eo, quod Prudentius dixerat : « Lotus et unctus » (sic enim requirebat ratio carminis) ille ait : « Baptismo lotus, et balsamo unctus ». Ubi videmus, Gregorio interprete, tempore Prudentii in Chrismate fuisse balsamum; immo etiam diu ante Prudentii tempora. Is enim narrat historiam, quæ tempore Ethnici Imperatoris acciderat; qui cum victimarum intestina inspiceret, et inde per artes dæmonum responsa quæreret, nihil efficere potuit; quod dæmones timuerint præsentiam adolescentis, qui cum Imperatore aderat, qui et Baptismo lotus, et Chrismate in fronte delibutus fuerat. Sexto, Gregorius Papa, ut supra citavimus in 4 cap. Cantic. disertis verbis asserit, Chrisma ex oleo, et balsamo confici : neque aliquid novi instituit, sed solum refert, quod in usu Ecclesiæ erat. Septimo, Concilium II. Bracarense, can. 4. celebratum paulo post Gregorii mortem, expresse etiam meminit balsami; ut etiam Concilium Florentinum in instructione Armenorum, et omnes Scholastici ac recentiores auctores.

Cæteri Patres veteres, etiamsi non expresse balsamum nominent, tamen satis aperte idem significare videntur, cum non oleum, sed Chrisma appellant unctionem, quæ datur in Sacramento Confirmationis : nam ex Ecclesiæ usu Chrisma non significat simplex oleum, sed unguentum confectum ex pluribus rebus. Id patet ex Innocentio III, cap. Pastoralis, extra de Sacramentis non iterandis; ubi referens quemdam in Sacramento Confirmationis per errorem unctum simplici oleo benedicto, non autem unguento ex oleo et balsamo, ut est consuetudo; scribit eum unctum fuisse simplici oleo benedicto, non Chrismate : ubi distinguit Chrisma ab oleo propter alterius liquoris admixtionem. Sic etiam Concilium II Carthaginiense, can. 3 et Concilium III Carthaginiense, can. 36. dicunt, non licere presbytero Chrisma conficere. Quid autem est Chrisma conficere, nisi ex pluribus liquoribus unum unguentum facere?

Secundo, accedit figura Testamenti veteris. Nam unguentum, quod Deus jussit fieri Exodi XXX. quo unguentur tabernaculum, et sacerdotes, figura erat Chrismatis, quo ungitur Ecclesia, quæ est verum Dei tabernaculum, ut docent Cyprianus sermone de unctione Chrismatis, et Petrus Damianus serm. 1. de dedicatione. Illud autem erat ex oleo olivarum cum admixtione odoriferorum succorum, quorum unum erat בסם quod stacten, et etiam balsamum fuisse dicitur.

Denique accedit etiam congruentia, quam dum ridiculam videri vult Kemnitius, ipse se ridiculum probat. Ratio Theologorum, et ipsius etiam S. Thomæ, 3. par. quæst. LXXII. art. 2. est, quia debet materia Sacramenti significare effectum Sacramenti. Porro effectus hujus Sacramenti præcipuus est confirmatio in fide, quæ duo requirit; puritatem, et fervorem fidei in corde, et constantem confessionem in ore : primum apertissime significatur oleo, quod liquor purissimus, et subtilis, lucidus, et calidus est : secundum non minus apte significatur balsamo, quod bonum odorem effundit ad alios.

Præterea hujus Sacramenti effectus significati sunt in illis igneis linguis, quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes. Etsi enim Apostoli sine Sacramento confirmati sint illo die ab ipso Deo immediate; tamen non sine visibili symbolo effectum invisibilem significante. Illis ergo duobus symbolis, igni et linguis, seu potius uni ex duabus partibus constanti, id est, linguis igneis respondent optime in Sacramento nostro oleum et balsamum, seu Chrisma ex oleo, balsamoque confectum.

Hanc rationem his verbis Kemnitius irridet, pagina 286 : « Arrige aures, optime lector, magnum enim, et insigne audies acumen. » Et infra : « Miraberis scio, ubi audieris; Igni in Pentecoste respondet in Pontificia Confirmatione oleum. Qua ratione? quia oleum nutrit ignem. Sed idem facit etiam baculus quercineus, fumo bene induratus. Speciei linguarum respondet balsamum, quia est odoriferum. Sed quid linguæ commune est cum odoribus? num lingua odoramur? » Hæc ille.

At non mirum si absurdus homo, absurde intellexit, quæ bene a doctis viris dicta, et scripta sunt. Non enim dicimus oleum respondere igni, quia nutrit ignem; sed quia sicut in Scripturis per ignem significatur sapientia, et charitas, et ipse Spiritus sanctus illustrans, et calefaciens corda, ut ignis illustrat, et accendit corpora : ita etiam in Scripturis oleum, sive unctio significat eandem charitatem, et sapientiam, et ipsum Spiritum sanctum. Nam oleum res facit lucidas, et perspicuas, et simul favet, emollit, penetrat etc. Itaque de igne legimus Lucæ XII. *Ignem veni mittere in terram*, et ad Heb. XII. *Deus noster ignis consumens est* : et similiter de unctione legimus, Act. X. *Unxit eum Spiritu sancto, et virtute;* et I. Joan. II. *Unctio docebit vos de omnibus* (1). Non inveniet autem Kemnitius, ubi in Scripturis Spiritus sanctus baculo quercineo comparetur. Quod attinet ad linguas et balsamum, in eo posita est similitudo, quod sicut per linguam communicatur vox, et eo modo foras prodit confessio fidei : ita per balsamum communicatur odor, et eodem modo significatur exterior protestatio veræ fidei. Sed de nugis Kemnitianis satis.

Tertia propositio : « Chrisma, quod est materia Sacramenti Confirmationis, prius consecratum, ac benedictum esse debet. » In hac etiam Catholici omnes conveniunt. Et quia Calvinus, et Kemnitius hanc benedictionem superstitiosam, et magicam vocant, ita ut Calvinus lib. IV. Instit. cap. 19. §. 8. vocet Chrisma consecratum, oleum Diaboli mendacio pollutum; et Kemnitius pag. 287. dicat appellari debere Chrisma excantatum : probanda est hæc veritas testimoniis veterum sanctorum Pontificum, Conciliorum, Patrum.

Igitur probatur primo, ex traditione Ecclesiastica sanctorum Pontificum. Clemens Romanus satis fuse de ista consecratione tractat, quam etiam Apostolis tribuit lib. VII Apostolor. constitut. cap. 42. et 44. Idem docet Fabianus Papa et Martyr, in epist. 2. supra notata, qui etiam addit singulis annis feria 5. in Cœna Domini novum Chrisma consecrandum. Damasus I., epist. 4. Innocentius I, epist. 1. cap. 3. Leo I, epist. 88. Gelasius I., epist. 1. Joannes III., in epist. unica. Gregorius I, in cap. 1. Cantic. et Innocentius III, cap. Cum venisset, extra de sacra unctione, disertis verbis docent, Chrisma esse consecrandum, idque a solo Episcopo.

Secundo, probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum canon. 69. secundum Arabicum codicem in Latinum nuper conversum, expresse meminit triplicis consecrationis, quæ etiam nunc in Ecclesia viget, id est, olei catechumenorum, olei infirmorum, et Chrismatis. Concilium Laodicenum canon. 48. sacratissimum Chrisma vocat; quo nomine non illud appellaret, nisi consecratum esset. Concilium Romanum sub Sylvestro canon. 8. prohibet presbyteris, ne Chrisma faciant, quia nimirum id ad munus Episcopi pertinet. Porro Chrisma facere non est solum miscere oleum cum balsamo, sed etiam simul consecrare : nam alioqui etiam pharmacopolæ Chrisma facere possent. Idem paulo post prohibuerunt Concilia Carthaginiensia II, canon. 3. et III, canon. 36 jubet Parochis, ut omni anno ante Pascha petant Chrisma ab Episcopo proprio, idque non per clericos juniores, sed per scipsos, aut per illum, qui sacrario præest. Ubi videmus in hoc Concilio, quod apud omnes est maximæ auctoritatis, idem haberi de Chrismate singulis annis renovando, quod habetur in epistola Fabiani, quam nonnulli apochrypham esse volunt. Videmus præterea quantam reverentiam huic sancto oleo Concilium detulerit, cum prohibuerit deferri a clericis junioribus, sed expresse præceperit, ut ipse, qui præest parœciæ, aut certe qui præest sacrario, illud accipiat ab Episcopo. Idem habet Concilium Vasense canon. 3. ubi etiam dicit, non decere, ut summa infimis committantur, et ideo non debere Chrisma deferre clericum ullum, nisi ut minimum sit Subdiaconus. Concilium Toletanum I. canon. 20. iterum declarat soli Episcopo licere Chrisma consecrare, et ab eo petendum singulis annis paulo ante Pascha. Concilium II Hispalense, canon. 7. I Bracarense canon. 37. Concilium sancti Bonifacii Martyris, quod exstat in vita ipsius, et Wormaciense Concilium canon. 2. et 8. ac denique Florentinum in instruct. Armenorum idem habent.

Notandum autem est, hæc Concilia non solum antiquissima esse, præter Florentinum, sed in diversissimis provinciis celebrata. Nicænum, et Laodicenum in Græcia, Romanum, et Florentinum in Italia, Carthaginensia in Africa, Toletanum, et Hispalense in Hispania, Bracarense in Lusitania, Vasense in Gallia, Concilium S. Bonifacii, et Wormaciense in Germania. Ex quo intelligi potest omnino, totam veterem Ecclesiam conculcare hæreticos hujus temporis, qui Chrismatis consecrationem ut rem magicam execrantur.

(1) Luc. XII, 49; Hebr. XII, 29; Act. X, 38; I. Joan. II, 27.

Tertio, probatur ex Patribus. Dionysius Areopagita toto 4. cap. hierarchiæ Ecclesiasticæ de ista consecratione agit, quam etiam ab Apostolis se didicisse affirmat. Theophilus Antiochenus Episcopus ab Apostolo Petro VI, in lib. I. ad Autolycum (qui habetur in V tomo bibliothecæ sanctorum Patrum) vocat sanctum Chrisma divinum oleum; ubi etiam dicit Christianos ab hac unctione denominari. Quod est notandum contra Kemnitium, qui pag. 308. arguit Cyrillum mendacii contra verbum Dei, quod dixerit non esse dignos nomine Christiani, qui non sunt uncti Chrismate : « Cum tamen constet, inquit Kemnitius, nomen Christianum ortum esse Antiochiæ, teste Luca Act. XI. » Quasi vero non potuerit Antiochiæ primum hoc nomen imponi, et tamen a Chrismate derivari. Certe melius noverat res Antiochenas Theophilus Antiochenus, et proximus Apostolicis temporibus, quam Kemnitius Germanus, et qui paulo ante vivere cœpit.

Tertullianus lib. de Baptismate : « Exinde, inquit, egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. » Cyprianus lib. I. epist. 12. « Oleum, inquit, in altari sanctificatur; sanctificare autem olei creaturarum non potuit, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritualis apud hæreticos esse potest, quando constet oleum sanctificari, et Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. » Auctor sermone de unctione Chrismatis, apud eundem Cyprianum : « Hodie, (id est, feria 5. in cœna Domini) unguentum ad sanctificationem paratur. » Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27. « Benedicimus, inquit, aquam Baptismatis, et oleum Unctionis. » Cyrillus cateches. 3. mystagog. « Sanctum unguentum non amplius est unguentum nudum, posteaquam consecratum est, sed Christi Chrisma. » Optatus lib. II. « Ut omnia, inquit, sacrosancta Episcopi vestri violarent, Eucharistiam jusserunt canibus infundi; et ampullam Chrismatis per fenestram, ut eam frangerent, projecerunt. » At certe nec sacrosanctum Chrisma vocaretur, nec cum Eucharistia conferri posset, nisi consecratum. Augustinus lib. V. de Baptismo, cap. 19. et 20. tractans argumentum Cypriani, quo ille probare valebat, hæreticos non habere vera Sacramenta, quia non possunt consecrare oleum, quo inunguntur baptizati, ut accipiant Spiritum Sanctum : non ait (quod certe dicere debuit secundum Calvinum et Kemnitium) non esse opus oleum consecrare, imo superstitionem, et incantationem esse olei consecrationem, sed respondet, posse hæreticos oleum consecrare, quia nimirum potestas consecrandi non est in illis ab hæresi sed ab ordinatione, quam veram, et sanctam susceperunt. Et probat a simili : nam si possunt sacerdotes homicidæ, et adulteri in Ecclesia, etiam Cypriano consentiente, oleum consecrare, cur non hæretici, modo sint vere ordinati? « Cur, inquit, ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit Deus oleum sanctificare, et in altari quod hæretici posuerunt, non possit, nescio. » Vide etiam tract. 118. in Joan. prope finem.

His accedant Beda in cap. VIII. Actor. Rupertus lib. V. de divin. offic. cap. 17. et 18. Isidorus lib. I. de divin. offic. cap. 28. Rabanus lib. II. de Institut. clericor. c. 26. Alcuinus lib. de divin. offic. cap. de feria 5. in cœna Domini, et Amalarius lib. I. de officiis Ecclesiast. cap. de eadem feria 5. et Petrus Damianus serm. 1. de dedicatione templi.

Quarta propositio : « Unctio Chrismatis ad crucis figuram in fronte hominis baptizati fieri debet, ut sit vera, et proxima Sacramenti hujus materia. » Hæc satis patet ex locis supra citatis. Expresse enim nominant signaculum in fronte ex Pontificibus Damasus, Innocentius, Leo, Joannes III et Gregorius I. Ex Conciliis II. Hispalense, et Florentinum, ex Patribus Tertullianus lib. de præscriptione : « Signat, inquit, in fronte milites suos; » Cyrillus catechesi 3. mystagogic. Prudentius in ψυχομαχία, Augustinus in Psalm. CXLI. in illa verba : *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi* (1); ubi dicit, Sacramenta varia, in variis partibus accipi, quædam toto corpore, ut Baptismum, quædam in ore, ut Eucharistiam, quædam in fronte, signaculum crucis in Confirmatione. Et causam reddit, quia frons est locus pudoris : datur autem hoc signaculum, ut non erubescamus Dominum confiteri, etiam coram persecutoribus. Idem habent Rabanus, Petrus Damianus, et alii omnes.

(1) Psal. CXLI, 4.

CAPUT IX.

Solvuntur objectiones contra materiam Confirmationis.

Prima objectio Brentii in Confessione Wirtembergensi, cap. de Baptismo. Usus Chrismatis ad elementa hujus mundi pertinet, et ad Judaïcas cæremonias, a quibus nos revocat Paulus Coloss. II. *Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi hujus, quid adhuc his detinemini?* Respondeo; Si argumentum valeret, probaret etiam non esse utendum aqua in Baptismo, nec pane in Eucharistia, quia his rebus utebantur etiam Judæi, cum haberent aquam expiationis, et panes propositionis : quare sicut potuit aqua, et panis deservire umbræ, et veritati, sic potest etiam oleum. Paulus autem revocat nos a cæremoniis Judaïcis, quæ vere elementa erant, et egena, ut ipse alibi dicit, cum justificare non possent : non autem a Sacramentis Christianis, licet in eadem materia consistant.

Secunda objectio. Dionysius Areopagita non obscure significat ritum Chrismatis desumptum ab athleticis unctionibus Ethnicorum, et partim ex lege Mosaica. At Moses Deuteronom. XII. « Cave, inquit, ne imiteris Gentes, et requiras cæremonias eorum etc. » Respondeo; Dionysium tribuere Chrismatis doctrinam Apostolis Christi, non Ethnicis, aut Judæis, ut supra ostendimus. Quod autem ait de Judæis, pertinet ad figuram hujus Sacramenti, non ad ipsam essentiam, et veritatem. Quod vero de athletis dicit, non pertinet ad cæremoniam et cultum, ut somniat Brentius, sed ad effectum Sacramenti per similitudinem explicandum : ut enim athletæ ungebantur, ut vincerent in certamine corporali, ita nos ungimur sancto Chrismate, ut vincamus in certamine spirituali. Qua similitudine utuntur plurimi Patres, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, et alii. Non igitur facit ad rem testimonium Deuteronomii : non enim athletæ unguntur, ut ea cæremonia Deum colant.

Tertia objectio. Acta Conciliorum testantur Chrisma institutum esse a Sylvestro; non igitur Apostolis in usu esse potuit, ut Fabianus scribit. Respondeo; Acta Conciliorum, seu potius Damasus in vita Sylvestri, solum testatur, Sylvestrum præcepisse, ut presbyteri tangerent verticem baptizati Chrismate, quæ unctio distincta est a Sacramento Confirmationis, quod in fronte ab Episcopo datur. Non potuisse autem Chrisma a Sylvestro institui, evidenter patet ex Tertulliano, Theophilo Antiocheno, Cypriano, Cornelio, et aliis supra citatis, qui fuerunt ante Sylvestrum, et expresse Chrismatis meminerunt.

Primum argumentum objicit Kemnitius contra propositionem primam ex Scripturis. Nam Act. II. et X. datur Spiritus sanctus sine ullo Chrismate. Item Actor. VIII et XIX fit mentio impositionis manuum, non autem Chrismatis.

Respondeo : Quod attinet ad cap. II et X Actor. non fuisse in his locis ministerio Sacramentorum datum Spiritum sanctum, sed singulari privilegio datum a Deo effectum Sacramenti sine Sacramento.

Quod vero pertinet ad alia duo loca, duæ dari solent responsiones. Prior est aliquorum Scholasticorum, qui dicunt, Apostolos vario modo ministrasse hoc Sacramentum; ac primis quidem temporibus, quia visibiliter descendebat Spiritus sanctus, non usos fuisse eos ulla unctione, sed simplici manus impositione : siquidem, effectum internum satis testabatur externus ille ignis, qui divinitus apparebat. At postea cum formæ illæ visibiles cessassent, tum adhibere eos cœpisse unctionem, ut per eam significarent id, quod antea visibili specie divinitus apparente significabatur. Si objicias non potuisse Apostolos instituere materiam Sacramenti : Respondent, eos non instituisse, sed a Christo id mandatum accepisse, ut modo uterentur manus impositione, modo Chrismate, prout opportunum esse judicarent. Hæc solutio non est omnino improbabilis, et ab ea non adhorret Sanctus Thomas, 3. par. quæst. LXXII. art. 2. et fortasse possent huc trahi testimonia Concilii Florentini, et Innocentii cap. Cum venisset, extra de sacra unctione, qui dicunt dari in Ecclesia Sacramentum Confirmationis loco manus impositionis Apostolicæ.

Est tamen alia solutio, quæ longe mihi probabilior videtur, Thomæ Waldensis tom. II. de Sacramentis, cap. 113. et Hugonis de S. Victore lib. II. de Sacramentis, par. 7. cap. 2. qui dicunt idem esse unctionem Chrismatis, et manus impositionem;

qui enim inungit, manus imponit : et idcirco utrumque significari, etiamsi alterum tantum exprimi videatur. Hæc solutio probabilior est. Nam constat Apostolos in Confirmatione usos esse Chrismate, cum id asserant Dionysius, et Clemens; et præterea unctionis meminerint antiquissimi auctores, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Cyprianus, Cornelius, Origenes, et alii, ante quos non fuit ullum Concilium Œcumenicum, in quo id institui potuerit. Constat etiam optandum esse, ut possit defendi, Apostolos semper eadem materia usos, et non modo una, modo altera : id enim tutius, et expeditius est. At cur, quæso, id non potest defendi? « Quis, inquiunt, Lucas meminit impositionis manuum, et non meminit Chrismatis. » Sed nec usquam Lucas, aut alia Scriptura, aut etiam ullus veterum dicit, Apostolos vario modo hoc Sacramentum ministrasse. Et præterea in verbis Lucæ posse intelligi etiam Chrisma, multis modis probare possumus : Apostolos autem mutasse materiam, nescio an ullo modo probari possit, nisi recentiorum auctoritate.

Primo igitur sic probo : Apostolos semper manus imponendo signasse Chrismate, ac proinde Lucam ritum illum compendio perstrinxisse, et ex una parte rem totam intellexisse. Nam Patres, qui uno in loco dicunt per impositionem manus dari Spiritum sanctum, iidem in alio loco dicunt dari per unctionem Chrismatis, et aliquando utrumque simul conjungunt; ex quo apparet utrumque ad ritum hunc pertinere, et illis perinde esse, sive unum, sive alterum exprimant. Tertullianus libro de resurrectione carnis supra citato, tractans hunc ritum, dicit, carnem ungi, signari, et manus impositione obumbrari : tamen in libro de præscriptionibus solum exprimit signari in fronte; et lib. I. in Marcionem, solum exprimit unctionem; libro de Baptismo exprimit unctionem; et manus impositionem. Ita videmus unum auctorem modo unam partem, modo duas, modo tres ejusdem ritus exprimere; et tamen semper rem eamdem significere. Cyprianus lib. I. epist. ult. solum meminit unctionis; lib. II. epist. 1. solum meminit manus impositionis, cum de una re, et eadem loquatur; in epistola vero ad Jubajanum, cum manus impositione addit signaculum dominicum, de quo nihil dixerat in prioribus duabus epistolis. Sic etiam Concilium I Arelatense, cap. 8. tantum nominat manus impositionem; et tamen Concilium II Arelatense paulo post celebratum, et eandem rem tractans, canon. 17. nominat unctionem Chrismatis. Damasus, et Leo supra citati, dicunt non licere Chorepiscopis ungere frontem baptizatorum Chrismate : et tamen Joannes III, hoc ipsum decretum citans, et nominatim allegans Damasum, et Leonem, ne semel quidem meminit Chrismatis, aut frontis, sed perpetuo hunc ritum vocat manus impositionem; ac hujusmodi exempla plurima possent adferri. Quid igitur mirum si S. Lucas ex una parte totum ritum significarit?

Secundo, idem probo alia ratione. Nam Patres, quando dicunt solos Episcopos, per unctionem Chrismatis dare Spiritum sanctum, semper allegant verba Lucæ Act. VIII. ut patet ex Innocentio epist. 1. Damaso epist. 4. Leone epist. 88. Cypriano ad Jubajanum, Augustino lib. XV. Trinit. cap. 26. et ex aliis supra citatis. Ergo aut Apostoli Actor. VIII. manus imponendo ungebant Chrismate, aut isti omnes Patres male argumentantur. Dices, Bene illi argumentantur, quia licet Apostoli, Actor. VIII. non uterentur Chrismate, tamen Chrisma successit in locum manus impositionis, qua illi utebantur. Sed contra; nam si ita esset, saltem aliquis Patrum aliquando id significasset, ut intelligeremus vim argumenti ipsorum.

Tertio, idem probo ex aliis similibus Scripturæ locis, ubi brevissime aliquid comprehenditur, et tamen necesse est plura intelligere. Exemplum esse potest, quod Paulus in epistolis ad Timotheum, et ad Titum semper ordinationem vocat manus impositionem. Exemplum adfert Augustinus lib. de fide et operibus, cap. 9. ex cap. VIII. Actor. Ibi enim legimus, Eunuchum a Philippo baptizatum, cum dixisset : *Credo Filium Dei esse Jesum* (1). Augustinus autem recte notat Lucam per compendium rem attigisse, sed omnino credendum esse de multis aliis interrogatum Eunuchum, et multas alias cæremonias adhibitas in illo Baptismo. Alterum exemplum esse potest id, quod Lucas ait, Apostolos baptizasse in nomine Christi, Actor. VIII. XIX. et alibi.

(1) Act. VIII, 37.

Nam ut supra ostendimus, Apostoli baptizabant in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : sed Lucas id per compendium dicere maluit, sciens rem esse notissimam. Aliud exemplum esse potest in eo, quod Paulus ait ad Tit. III. nos salvari per lavacrum regenerationis : ubi nihil dixit de verbo, et tamen intellexit sine ullo dubio lavacrum cum verbo, ut ipse idem alibi expressit Ephes. V. Et multa sunt hujusmodi, quæ longum esset recensere.

Una est hic difficultas, quod videtur hæc nostra solutio repugnare Innocentio III, cap. Cum venisset, extra de sacra unctione, et Concilio Florentino in instr. Armenorum. Nam Innocentius dicit, per frontis Chrismationem designari manus impositionem Apostolorum : Concilium autem dicit loco illius manus impositionis dari nunc in Ecclesia Confirmationem.

Respondeo : In primis, non omnia quæ habentur in Decretis, aut Conciliis ad fidem pertinere, sed solum ea, quæ definiuntur : hoc autem, de quo agimus non definitur, sed tantum obiter dicitur ad rem explicandam.

Dico tamen Secundo et melius, ac tutius, Innocentium, et Concilium non velle dicere, Chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non uterentur Chrismate, et nos non utamur impositione manus : sed velle dicere, id ipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur imponere manus, facere nunc Episcopos, cum dicuntur Confirmare, vel Chrismare. Distinguitur enim in his locis, non ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi; et personæ a personis; et denique illa particularis impositio manuum ab ista, quæ modo est : siquidem tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum impositio manus, nunc dicitur communiter Confirmatio; præterea illam dabant Apostoli, istam Episcopi; denique illa erat efficacior, quia cum effectu interno, dabat etiam externum, et cum gratia gratum faciente, dabat etiam dona gratis data linguarum, et miraculorum etc. Hac ergo ratione dici potest id, quod nunc fit, esse loco ejus, quod tunc fiebat, licet sit idem, quoad substantiam. Et quod hic sit sensus eorum locorum, probatur dupliciter. Primo, quia Concilium et Innocentius, non dicunt, Chrisma esse loco impositionis manuum, sed Sacramentum Confirmationis esse loco impositionis manuum. At certe Apostoli omnium consensu dabant Sacramentum Confirmationis, sive adhibuerint Chrisma, sive non. Secundo, quia Concilium et Innocentius ibidem dicunt Episcopos esse in Ecclesia loco, seu vice Apostolorum. At certe Apostoli veri Episcopi erant, licet aliquid etiam amplius haberent.

Secunda objectio Kemnitii contra eandem propositionem sumitur ex Patribus. Nam ut ipse dicit, Tertullianus in lib. de Baptismo dicit, hanc unctionem sumptam esse ex veteri disciplina, id est, ex Testamento veteri; proinde non a Christo institutam. Cyprianus in sermone de ablutione pedum, dicit has cæremonias non a Christo, sed ab hominibus institutas, et in sermone de Chrismate dicit, relictam esse hanc unctionem ex Testamento veteri. Basilius ait, nullam extare λόγον γεγραμμένον de unctione Chrismatis. Atque ex his auctoribus dicit Kemnitius satis aperte refelli mendacium Fabiani Papæ et Martyris, qui asseruit hanc unctionem a Christo ipso Apostolis traditam.

Respondeo, Tertullianum id solum asserere, præcessisse in Testamento veteri figuras hujus Sacramenti; ex quo non sequitur non esse a Christo institutum : nam ibidem asserit diluvium fuisse figuram Baptismi, et tamen fatetur Kemnitius non negasse Tertullianum Baptismum a Christo institutum. Cyprianus in sermone de ablutione pedum non loquitur de Sacramento Confirmationis, cum dicit cæremonias Sacramentorum ab hominibus institutas, sed intelligit alios ritus, quos adhibemus : imo contrarium colligitur ex hoc auctore, nam in isto sermone de ablutione pedum, dicit Christum esse auctorem sui Sacramenti, et sermone sequenti, qui est de Chrismate, dicit hunc unctionem esse divinitus institutam; et esse Sacramentum : ex quo certe colligitur a Christo institutam. Neque obstat, quod asserat manasse ex Testamento veteri, quia id intelligit ratione figurarum, ut diximus de Tertulliano. Porro Basilius nihil affirmat contra nos, aut S. Fabianum : neque enim aut S. Fabianus, aut nos dicimus esse scriptam in divinis litteris institutionem Chrismatis; sed dicimus haberi ex traditione non scripta, et tamen certissima; et cui fides habenda est, ut ipsi verbo scripto, ut ibidem scribit Basilius, libro videlicet, de Spiritu sancto, cap. 27. Neque id repugnat iis, quæ dicta sunt initio capitis superioris.

Nam in epistolis Pauli et Joannis habetur mentio, non tamen institutio Chrismatis.

Tertia objectio Kemnitii contra secundam propositionem. Nativum balsamum una cum arboribus jam periisse constat. Scribit enim Plinius lib. XII. cap. 25. verum balsamum solum in duobus hortis Judææ nasci solitum : qui horti jamdudum vastati sunt : « Periit igitur, inquit Kemnitius, materia Confirmationis, si ea necessario balsamum requirit : neque potest suppleri artificio, et fictitio balsamo balsamum naturale : quemadmodum nec aqua Baptismi fictitia aqua nec vinum Eucharistiæ fictitio aliquo vino. » His addunt quidam Catholici, non esse probabile Christum instituere voluisse Sacramentum aliquod in re tam incerta, rara, pretiosa, quæ vix magno labore, et sumptibus obtineri potest.

Respondeo : Quæstionem esse inter Theologos, utrum balsamum requiratur in Chrismate necessitate Sacramenti, an solum necessitate præcepti. Et quidem veteres omnes Theologi dist. 7. lib. IV. sent. et Jureconsulti in cap. Pastoralis, extra de Sacramentis non iterandis; docent balsamum requiri necessitate Sacramenti, ita ut Sacramentum irritum sit, si absque balsamo detur. Tamen recentiores quidam, Cajetanus in 3. part. quæst. LXXII. art. 2. Dominicus a Soto lib. IV. sent. dist. 7. quæst. 1. art. 2. et Franciscus Victoria in summa de Sacramento Confirmationis, putant balsamum non requiri ad essentiam Sacramenti, sed necessario adhibendum ex divino præcepto. Utrique nituntur quodam textu Juris canonici cap. Pastoralis, extra de Sacramentis non iterandis; quem textum utraque opinio ad se trahit. Neutra opinio est de fide, vel contra fidem; et fallitur Kemnitius pag. 309. ubi docet, Concilium Florentinum definivisse contra Scholasticos, balsamum requiri in Chrismate. Nam Concilium non expressit, quo modo requiratur, sed dixit materiam esse oleum cum balsamo, ut etiam in Eucharistia dixerat materiam esse vinum cum aqua : et tamen omnes fatentur aquam non esse ita de essentia, ut sine ea sit irritum Sacramentum.

Ad argumentum autem Kemnitii nego balsamum verum, et nativum periisse. Nam etsi aliquando opinione Plinii tantum in duobus hortis Judææ nascebatur balsamum; tamen in Indiis nascitur, et inde adhuc advehitur. Neque refert si id Plinius ignoravit : nec enim ille omnia scire potuit. Neque balsamum, quod affertur ex Indiis artificiosum, aut fictitium dici debet, licet forte non sit idem specie cum eo, quod nascitur in Palæstina. Variæ enim possunt esse species balsami, ut sunt variæ species vini; et quælibet idonea est ad Sacramentum conficiendum. Adde, Plinium id, quod refert de duobus hortis, referre de tempore antiquo : nam suo tempore fatetur multas fuisse arbores balsami in Palæstina : et Hieronymus, qui trecentis annis fuit post Plinium, in cap. XXVII Ezechielis, imo et Gregorius qui ducentis annis post Hieronymum, et quingentis post Plinium, in cap. 1. Canticorum, affirmant tempore suo in vineis Engaddi balsamum gigni solitum. Falsum igitur est balsamum nativum periisse. Ad confirmationem respondet praxis Ecclesiæ. Licet enim rarum et pretiosum sit balsamum : tamen adhuc numquam defuit Ecclesiæ, neque ex penuria balsami prætermissa est aliquando Confirmatio. Quod si per annos mille, et ferc sexcentos Deus providit, certe non deerit deinceps.

Quarta objectio est contra tertiam propositionem, quia videtur esse quædam species magiæ et incantationis, ritus consecrandi Chrismatis. Sed de hoc argumento supra diximus in materia de Sacramentis in genere, et dicemus etiam postea cum agemus de cæremoniis hujus Sacramenti.

Quintam objectionem contra quartam propositionem sumit Kemnitius ex Cyrillo et Ambrosio. Cyrillus enim catechesi III mystagogica dicit, Chrismate inungi omnes fere corporis sensus; Ambrosius autem lib. de iis qui initiantur mysteriis, cap. 6. dicit, caput inungi, et inde unguentum ad barbam defluere. Non igitur certum est, quod nos diximus, Chrisma in fronte adhibendum esse. Respondeo : Cyrillum loco citato, præcipue velle frontem inungi, ut ipse expresse ait, deinde alios sensus; quod quidem non est contra nos : siquidem id solum asserimus, nisi in fronte adhibeatur Chrisma, Sacramentum nullum esse; non tamen negamus, quin deinde possit juxta varios Ecclesiæ mores inungi etiam alia aliqua corporis pars. Porro Ambrosius loco citato a Kemnitio, non agit de confirmatione, sed de unctione, quæ fit in Baptismo, quam etiam nos fatemur in vertice capitis faciendam : de Confirmatione autem agit Ambrosius, cap. sequenti.

CAPUT X.

De forma Sacramenti Confirmationis.

Forma hujus Sacramenti sunt hæc verba: « Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ». Neque dubitari potest, quin hæc sit conveniens forma, cum aperte explicet, et causam principalem, quæ est sancta Trinitas, et causam ministerialem, quæ est ille, qui verba ipsa profert, et denique effectum Sacramenti, qui est facere Christi militem insigniendo illum cruce, et roborare, atque armare confirmando Chrismate. Habetur autem hæc forma disertis verbis in Concilio Florentino in Pontificali Romano, et apud S. Thom. III par. quæst. LXXII art. 4.

Apud antiquiores auctores non habentur hæc omnia verba, et hoc ordine, tamen habetur idem sensus, et hoc sufficit. Nam vis formæ Sacramentalis posita est in sensu, non in sono, aut numero litterarum : alioqui si quis Græce, aut Hebraice, aut alio idiomate ista verba proferret, nihil efficeret. Igitur Ordo Romanus, qui est antiquissimus liber, cum ab Alcuino, et Amalario citetur, qui fuerunt ante annos 800. in officio Sabbathi sancti describens ritum confirmationis, dicit Episcopum per modum orantis hæc verba pronuntiare : «Signa eos Domine signo crucis » ; ac deinde cum tangit pollice frontem, dicere : « Ego te confirmo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ». Ubi videmus plane eundem sensum verborum. Neque refert, quod ibi dicatur : « Signa eum », et nos dicamus : « Signo te » : nam semper significamus Deum esse, qui signat principaliter, et hominem qui signat ministerialiter : unde etiam forma Græcorum, qua in Baptismo utuntur : « Baptizetur servus Christi », consetur ab omnibus legitima, etiam si nos alio modo dicamus. Quod etiam in Ordine Romano non habetur (*Chrismate salutis*) non videtur multum referre : nam includitur in verbo (*Confirmo*) et satis ostenditur ipsa actione, Chrismate illum confirmari; quomodo idem esset si quis diceret, baptizo te, vel baptizo te aqua. Quare non videtur illa particula essentialis, licet omitti non debeat, quia Ecclesia præscribit, ut dicatur : quemadmodum in forma Baptismi : « Ego te baptizo etc. » illud (*ego*) non est de essentia, et in forma Eucharistiæ : « Hoc est enim corpus meum », illud (*enim*) et in forma calicis (*mysterium fidei*) et quædam alia non sunt de essentia.

Ex quo duo quædam intelligimus. Primo Alcuinum in lib. de divinis officiis, cap. de Sabbato sancto, ubi dicit, Romæ Pontificem, cum confirmat, solitum ungere frontem, et dicere : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti », non integram formam retulisse, sed solum partem : nam citat Ordinem Romanum, in quo expresse habentur plura, ut jam dixi. Secundo intelligimus, falli quosdam, qui existimant Ambrosium posuisse formam Confirmationis, cum ait : « Venisti ad sacerdotem; quid tibi dixit? Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam », lib. II de Sacramentis, cap. 7. Nam hæc verba, quæ Ambrosius ponit, in Ordine Romano dicuntur a presbytero, cum linit verticem baptizati; post quam cæremoniam sequitur postea Confirmatio Episcopalis. Unde etiam Amalarius lib. I de officiis Ecclesiasticis, cap. 27. dicit, ista verba esse presbyteri, qui solum forma deprecatoria utitur. Episcopus enim non solum deprecatorie, sed etiam ex potestate sua, quam a Deo accepit, dicit : « Ego te confirmo ». Porro ex Patribus Ambrosius satis aperte hujus formæ meminit, cum ait in lib. de iis, qui initiant. mysteriis, cap. 7. « Serva quod accepisti; signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus ». Neque est mirum, quod quædam omiserit : nam eo loco non referebat ipsam formam, sed tantum revocabat in memoriam Confirmatorum ipsum ritum, quo fuerant confirmati; ad id autem satis erat si principalia verba commemoraret.

Non debet autem mirum videri, si Patres non expresse ponunt hanc formam : nam neque aliorum Sacramentorum formas describunt, tum quod res essent omnibus Christianis notæ ob quotidianum usum, tum etiam ne Gentilibus, qui libros nostros videbant, proderent ejusmodi mysteria sine necessitate. Itaque nullus fere est veterum, qui disertis verbis scripserit formam Baptismi esse : « Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti », tantum dicunt

Baptisma dari cum invocatione Trinitatis. Imo Dionysius, cap. ult. hierarchiæ Ecclesiasticæ dicit fas non esse litteris mandare verba, quibus in administratione Sacramentorum utitur Ecclesia. Et Innocentius I, in epist. 1. cap. 3. de Confirmatione loquens: « Verba, inquit, dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere. » Denique ipse etiam Magister sentent. lib. IV dist. 7. noluit verba formæ hujus Sacramenti ponere: tantum ait, formam esse manifestam, nimirum verba, quibus Episcopi ubique utuntur, cum hoc Sacramentum administrant.

Sed objectiones hæreticorum videamus.

Prima objectio Calvini est lib. IV Institut. cap. 19. §. 3. ubi postquam recitaverat formam illam: « Signo te signo crucis etc. Pulchre, inquit, et venuste, sed ubi Dei verbum? » Respondeo: Dei verbum non scriptum, sed traditum, satis testari morem universæ Ecclesiæ Catholicæ. Nam neque aliorum Sacramentorum formæ expresse in Scripturis habentur: nusquam enim scriptum est, in Baptismo dicendum esse: « Ego te baptizo ». Et præterea Calvinus fatetur Ordinationem ministrorum esse Sacramentum in eodem cap. 19. lib. IV. Institut. §. 31. et tamen nusquam inveniet verbum in Scriptura, quod cum elemento faciat Sacramentum, ut ipse requirit de Confirmatione. Addo præterea, nos in genere verbum habere Act. 8. ubi dicuntur Apostoli orasse cum manus imponerent. Nam formæ Sacramentorum passim a Patribus dicuntur preces mysticæ, licet interdum proferantur per verbum indicantis: nam semper a Deo expectatur, et petitur principalis operatio in Sacramentis. Denique II. Cor. I. alludens Paulus ad formam hujus Sacramenti, expressit principalia verba, cum ait: *Qui nos confirmat Deus, et signavit etc.* (1).

Secunda objectio, §. 7. « Unde, inquit, vocant oleum salutis? quis eos in oleo salutem quærere docuit? » Et infra: » Hoc vero non a me, sed a Domino, audacter pronuncio, qui oleum vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est, abjurant, Christum abnegant, partem in regno Dei non habent. Oleum ventri, et venter oleo: utrumque Dominus destruet ». Respondeo: Totum hoc argumentum niti Calvini auctoritate. Nam verbum Dei non protulit, quamvis se ex Dei nomine loqui mentiatur, ubi dicatur salutem, quæ est in Christo, abjurare, qui oleum Confirmationis vocant oleum salutis. Et quidem si in oleo sine Christo salutem quæreremus aliquid Calvinus diceret, sed cum oleum faciamus instrumentum dumtaxat applicandæ gratiæ Christi; mirum est unde suspicari potuerit Calvinus, Christum negare, qui oleum vocat oleum salutis. Adde, quod ejusmodi phrases sunt in Scripturis frequentissimæ, ut IV. Reg. XIII. sagitta salutis, II. Cor. VI. dies salutis, Actor XIII. verbum salutis, Luc. I. scientia salutis. Adde etiam, quod Calvini argumentum non minus valet contra aquam Baptismi, et panem Eucharistiæ, quam contra oleum Confirmationis: nam et illa dicitur lavacrum regenerationis, et renovationis, Tit. III. et panis Eucharistiæ dicitur panis vitæ, Joan. VI. Respondet ibidem Calvinus in Sacramentis duo spectanda esse, naturam elementorum, et eam esse corruptibilem, et salutem adferre non posse; et vim spiritalem a verbo Dei impressam, et ratione illius aquam in Baptismo, et panem, ac vinum in Eucharistia salutem adferre. At cur, quæso, non idem nos de oleo dicere possumus?

Tertia objectio est Kemnitii in 2 part. Examinis, pag. 288. forma hujus Sacramenti: « Signo te signo crucis etc. » non habetur in vetustis scriptoribus, nec in ipsis Canonibus etc. Respondeo: Jam redditi causam hujus rei.

Quarta objectio ibidem. In ipsis Pontificalibus non est eadem forma. Nam Gabriel recitat quosdam pro « Chrismate salutis », dicere: « Chrisma sanctificationis »; et Gerson habet formam: « Firmo te signo crucis, et Chrismate salutis ». Respondeo: Ista omnia in idem coincidere cum nostra forma: semper enim est idem sensus, sive dicas Salutis, sive sanctificationis, sive confirmo, sive firmo etc., quamvis enim oporteat præscriptis verbis uti, et nihil mutare, et qui secus faciunt, peccent, tamen (ut sæpe diximus) dum idem sensus manet, semper Sacramentum conficitur: et potest facile fieri, ut in variis Ecclesiis sit aliqua varietas in vocibus, modo maneat sententia eadem: ut

(1) II. Cor. I. 21 et 22.

etiam patet in forma Baptismi Latinorum et Græcorum.

CAPUT XI.

De effectu hujus Sacramenti.

Duplex est Sacramenti hujus effectus. Unus, quod gratiam confert gratum facientem, et quidem majorem, quam ipse Baptismus, in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus: sed minorem in ordine ad remissionem peccati, quia non remittit totam pœnam, ut facit gratia Baptismi. Neque est opus hic aliquid addere, cum id satis copiose probatum sit supra in prima Controversia: inde enim probavimus, Confirmationem esse Sacramentum proprie dictum, quia Scripturæ, et Patres omnes affirmant dari per hanc cæremoniam copiosissimam gratiam, atque adeo ipsum Spiritum sanctum.

Alter effectus est character, quo adscribimur in Christi militiam, sicut per Baptismum in Christi familiam. Probatur autem iste character Confirmationis, eo modo, quo character Baptismi, ex eo, quod non potest repeti Confirmatio. Nam supra ostendimus, rationem, cur Sacramenta quædam sint initerabilia, nullam posse reddi sufficientem, præter characterem; quocirca etiam ab effectu demonstratur evidenter character, cum ostendimus aliquod Sacramentum esse initerabile.

Esse autem initerabilem Confirmationem, Primo expresse probatur ex Apostolo. Hebr. VI. *Non iteram jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum etc.* (1) ubi teste Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto et aliis, Apostolus per impositionem manuum intelligit Confirmationem, quæ debatur statim post Baptismum; ac docet non licere ei, qui labitur post Baptismum et Confirmationem, iterum redire ad Baptismum, et Confirmationem: hæc enim sunt fundamenta, quæ non jaciuntur nisi semel. Secundo idem patet ex Concilio Toletano VIII, can. 7. ubi aperte dicitur, Chrisma semel collatum repeti non posse, ut nec sacrum Ordinem. Item ex Concilio Tarraconensi, et ex decreto Gregorii II, apud Gratianum, distinct. 5. de consecratione, can. Dictum est, et can. De homine: quibus adde Concilium Florentinum in instruct. Armenor., et Tridentinum sess. VII. can. 9. Tertio idem patet ex Patribus. Nam Cyprianus, seu quicumque fuit auctor, in sermone de ablutione pedum: « Baptismum, inquit, repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ: nemo sacros Ordines semel datos iterum renovat: nemo sacro oleo lita iterum linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat sacerdotum: quia contumelia esset Spiritus sancti, si evacuari posset, quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit, et confirmat ». Augustinus lib. II contra litteras Petiliani, cap. 104. (ut supra notavimus) aperte docet, Sacramentum Chrismatis semel datum, permanere etiam in pessimis, nec unquam aboleri: ex quo manifeste sequitur repeti non posse. Similia docet Rabanus lib. I. de Instit. Clericorum, cap. 30. Amalarius lib. I. de officiis Ecclesiasticis, cap. 7. et alii recentiores.

CAPUT XII.

De ministro hujus Sacramenti.

Sequitur controversia quinta; Utrum minister Sacramenti Confirmationis sit solus Episcopus. Et quidem hæretici licet hunc ritum et numero Sacramentorum auferant, tamen etiamsi Sacramentum esset ipsorum quoque opinione, negant ad solos Episcopos ejus ministerium ullo modo pertinere. Joannes Wiclef lib. IV. Trialogi cap. 14. aperte negat esse Episcoporum proprium munus confirmare. Idem habet Calvinus lib. IV Institut. cap. 19. § 10. Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 324. et alii forte omnes, præsertim cum ipsi vix agnoscant differentiam inter Episcopum, et presbyterum, ut in lib. de clericis ostendimus.

Ex Catholicis solus est Richardus Armachanus, qui in lib. XI. Armenicarum qq. cap. 4. existimat, commune esse Episcopis,

(1) Hebr. VI, 1 et 2.

et presbyteris munus confirmandi, atque ab hoc Armachano arbitratur Thomas Waldensis lib. II de Sacramentis, cap. 114. hausisse Wicleffum suam hæresim : Fuit enim Armachanus paulò antiquior Wicleffo, quamvis eodem sæculo vixerint. Cæteri omnes communi consensu docent, solum Episcopum esse proprium hujus Sacramenti ministum.

Est quidem inter Catholicos quæstio, an saltem ex dispensatione possit presbyter hoc Sacramentum conferre. Nam S. Bonavent. Durandus et Adrianus in 4. dist. 7. contendunt id nullo modo committi posse presbyteris ; sed S. Thom. 3. p. quæst. LXXII. art. 11. et omnes ejus discipuli, et multi alii Theologi in IV dist. 7. ut Richardus, Paludanus, Marsilius, et alii, et omnes Canonistæ in I. dist. 95. contrarium docent : et quidem longe verius est, quod isti posteriores affirmant. Nam Ambrosius in cap. 4. ad Ephes. testatur in Ægypto presbyteros confirmare in absentia Episcoporum, neque reprehendit eum usum. Gregorius lib. 3. epist. 26. apertissime permittit presbyteris Sardiniæ, ut in absentia Episcoporum confirment : et quia corruptus est hic locus Gregorii, forte a fautoribus contrariæ sententiæ ; (nam dicit se permittere, « ut baptizandos ungant, » cum dicere deberet, « ut baptizatos ») conferatur hic locus cum epist. 9. ejusdem lib. 3. inde enim manifeste apparebit corruptio Si quidem in epist. 26. dicit, se permittere, quod in epist. 9. prohibuerat : prohibuerat autem, ne presbyteri ungerent in fronte baptizatos. Unde etiam Gratianus, et S. Thomas hunc locum ita citant, ut esse debet, non ut modo legitur in codicibus impressis. Præterea Concilium Arausicanum I, can. 1. et 2. et Toletanum I, can. 20. et Martinus Bracarensis, cap. 52. Græcarum Synodorum, et Florentinum in instr. Armenorum, idem habent. Denique Concilium Trident. sess. VII. can. 3. de Confirmatione, ideo ait, ordinarium ministrum esse Episcopum, ut indicaret, posse extraordinaria potestate idem fieri etiam a presbytero. Ex quo apparet error Kemnitii, qui in suo Exam. part. 2. pag. 225. dicit, Concilium definivisse contra S. Thom. et alios quosdam doctores, imo et contra ipsum S. Gregorium, solum Episcopum esse ministrum Confirmationis.

Sed his omissis, probatur Catholica veritas apertissimo Scripturæ testimonio. Nam Actor. VIII, missi sunt Petrus, et Joannes, ut per impositionem manuum darent Spiritum sanctum iis, quos Philippus in Samaria baptizaverat ; et Actor. XIX, Paulus ipse Apostolus manus imponit illis, quos alii baptizaverant. At certe nulla videtur posse fingi causa, cur soli Apostoli manus imponant ; imo cur ad hoc ipsum veniant ex uno loco ad alium, nisi quia hoc munus proprie pertinet ad primum gradum Ecclesiasticum, qui est sine controversia Episcopalis.

Ad hoc Wicleffus respondet, illos, quos Philippus baptizaverat, forte non fuisse legitime baptizatos, et ideo rursus fuisse baptizandos ab Apostolis, ut acciperent Spiritum sanctum.

Sed hæc solutio ineptissima est. Nam quis credat, Philippum Diaconum post acceptum Spiritum sanctum non recte baptizasse ? et deinde si erant rebaptizandi, quid opus erat, ut Apostoli venirent ex Hierusalem ? non poterant significare per litteras, aut alium mittere, qui illos rite baptizaret ? Denique Apostoli cur tantum imposuerunt manus, et non etiam baptizarunt, si illi non erant rite baptizati ? Neque obstat, quod dicantur baptizati in nomine Domini Jesu, et non in nomine Trinitatis. Nam (ut supra ostendimus) Lucas breviter describit ritum Baptismi, ex parte intelligi volens totum.

Calvinus loco citato respondet, quod Apostoli fecerunt non posse tribui Episcopis, aut certe non solis Episcopis. Nam Episcopi non sunt Apostoli : quod si tenent, quoad aliquid, locum Apostolorum, eundem locum tenent etiam presbyteri. Nam alioqui non liceret presbyteris, sed solis Episcopis communicare sub utraque specie : id enim soli Apostoli in cœna Domini fecerunt.

Respondeo : Episcopos solos simpliciter, et absolute Apostolis succedere. Observandum enim est in Apostolica auctoritate contineri omnem Ecclesiasticam potestatem. Erant enim Apostoli primum Christiani, et membra Ecclesiæ. Secundo erant Sacerdotes. Tertio summi Sacerdotes. Quarto summi non uno in loco, sed in toto orbe terrarum, poterant enim ubique prædicare, baptizare, ordinare, leges ferre, punire etc. Sed hoc ultimum in solo Petro fuit ordinarium munus, in cæteris extraordinarium, et quasi delegatum ; et ideirco soli Petro succedi

videmus, non autem ulli alteri Apostolo in illa summa in totum orbem potestate. Cætera tria erant omnibus ordinaria. Quare licet omnes Christiani aliquo modo succedant Apostolis, quatenus illi fuerunt primi Christiani : et omnes Sacerdotes eisdem Apostolis succedant, quatenus illi fuerunt primi Sacerdotes : et omnes Episcopi eisdem succedant, quatenus illi fuerunt primi summi Sacerdotes : tamen soli isti simpliciter illis succedunt, quia succedunt in tota eorum ordinaria auctoritate, in qua sola succedi potest. Idque patet etiam ex praxi, et testimonio Sanctorum. Nam si quis petat, quis successit Apostolo Jacobo ? omnes respondent, Episcopus Hierosolymæ. Quis Apostolo Joanni ? Episcopus Ephesinus. Ad hæc Concilium Neocæsariense can. 13. Damasus in epist. 4. de Chorepiscopis. Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani. Leo epistola 88. Augustinus in Psal. XLIV in illud : *Pro Patribus nati sunt tibi filii* (1) ; et alii veteres passim affirmant, Episcopos Apostolis succedere.

Sed dices, unde scimus Apostolos manus imposuisse, Actor. 8. ut Episcopos, et non ut presbyteros, vel ut Apostolos per extraordinariam potestatem ? Respondeo : quod non ut presbyteri, inde constat, tum quia Scriptura numquam tribuit hoc officium nisi ipsis Apostolis, cum alia officia, ut prædicandi, et baptizandi tribuat etiam aliis inferioribus ministris : quod non ut Apostoli per extraordinariam potestatem, colligitur tum ex eo, quod Heb. VI numeratur hæc manus impositio cum reliquis ordinariis Ecclesiæ ritibus ; tum ex eo, quod semper in Ecclesia mansit ista consuetudo, ut Episcopi manus imponerent baptizatis.

Secundo, probatur eadem veritas testimoniis, et traditione Ecclesiastica. Nam Concilia, Pontifices et Patres citati in prima controversia, communi consensu docent, solos Episcopos esse proprie Sacramenti hujus ministros ; idque probant ex cap. VIII Actor.

Tertio, probatur etiam ratione. Nam confirmatio est complementum, et perfectio Baptismi ; proinde convenit, ut a primario ministro detur : sic enim in omnibus aliis rebus ultima forma imprimitur a primo agente. Præterea in Confirmatione adscribimur ad Christi militiam ; adscribere autem ad militiam, proprium est Ducum, et Imperatorum.

Neque argumenta Calvini, et Kemnitii difficulter solvuntur. Argumentum primum Calvini : Error est Donatistarum, quod Sacramentum pendeat a dignitate ministri. Respondeo : Si de dignitate morali agatur, verum est, si de Ecclesiastica, falsissimum. Alioqui esset etiam error Donatistarum, quod soli presbyteri ministrent corpus Domini, imo et Baptismum, secundum Calvinum. Secundum argumentum : Presbyteri succedunt Apostolis, ut patet de ministerio Eucharistiæ, quod solis Apostolis commissum fuerat. Respondeo : Apostolos in ultima cœna presbyteros creatos fuisse, non autem Episcopos ; Episcopi enim post resurrectionem facti sunt, cum eis diceretur, Joan. XX. *Ecce ego mitto vos etc.* (2). Itaque presbyteri in aliqua re Apostolis succedunt, sed non in omnibus, neque absolute, ut diximus.

Tertium argumentum, I. Timoth. IV. Paulus ait : *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii* (3) ; et Ananias Actor. IX imposuit manus Paulo, et tamen non erat Episcopus. Respondeo ad hoc argumentum, quod est Armachani ; Non tractari eo loco de Confirmatione, sed de Ordinatione Timothei : et præterea per illam vocem *(Presbyterii)* intelligi eborum presbyterorum, id est, Episcoporum, ut exponunt Chrysostomus, et alii : multi enim Episcopi, unum Episcopum ordinant ; unus autem solus confirmat.

Ad illud de Anania, quod mutuo accepit Calvinus a Wicleffo, ut ille ab Armachano ; dico Ananiam imposuisse manum Paulo ad hoc, ut visum reciperet, ut ibidem legimus. Quare non fuit confirmatoria, sed curatoria illa impositio manus ; unde facta est ante Baptismum, non postea, ut fieri debet Confirmatio : neque descendit tunc visibiliter Spiritus sanctus, sed ceciderunt tamquam squamæ ab oculis ejus : « Ait, inquiunt, Ananias, cum imponeret manus, dicebat : Salve frater, Dominus Jesus misit me, ut videas, et implearis Spiritu sancto : igitur finis illius impositionis manus fuit donum Spiritus sancti. » Respondeo : Ananiam exposuisse simul finem proximum et remotum sui adventus. Finis enim proximus erat, curatio a cæcitate,

(1) Psal. XLIV, 17. — (2) Joan. XX, 22. — (3) I. Tim. IV, 14.

finis remotus, perfecta justificatio, et infusio Spiritus sancti, quam paulo post consecutus est Paulus per Baptismum. Unde paulo antea describitur visio Pauli, qua ante prævidit, quod futurum erat : *Et vidit*, inquit Lucas, *virum introeuntem ad se, Ananiam nomine, et imponentem sibi manum, ut visum recipiat* (1); et cap. XXII. Actor. ubi narrat ipse Paulus totam hanc historiam, nihil se accepisse dicit ab Anania, nisi depulsionem cæcitatis, et postea Baptismum. Est autem valde probabile Paulum, ut cæteros Apostolos, immediate a Deo accepisse Confirmationem sine humana impositione manuum.

Argumentum Quartum : Si jure divino Episcoporum est proprium confirmare, quomodo id etiam presbyteris Gregorius concessisse legitur? Respondeo : Jure divino solos Episcopos esse ordinarios ministros hujus Sacramenti. At non inde sequitur, quin extraordinaria concessione id possit etiam presbyteris convenire : sicut etiam jure divino proprium est Episcoporum prædicare; et tamen eorum concessione prædicant etiam Presbyteri, et aliquando etiam Diaconi.

Sed instant quidam Catholicorum : Confirmare, aut convenit Episcopo ratione ordinis, aut ratione jurisdictionis. Si ratione, ordinis, nullo modo potest id concedi iis, qui non habent eum ordinem, ut patet in similibus; nec enim potest ulla dispensatione fieri, ut Diaconus consecret Eucharistiam. Si ratione jurisdictionis : ergo posset Episcopus non consecratus confirmare; quia habet ipse ordinem presbyteralem, et jurisdictionem Episcopalem. Respondeo : Confirmare esse actum ordinis, et eum ordinem esse etiam in presbytero, saltem inchoatum, et imperfectum. Observandum est enim characterem Episcopalem, sive sit alius a presbyterali, sive idem extensior, et major, esse potestatem absolutam, et perfectam, et independentem conferendi Sacramenta Confirmationis, et Ordinis, et ideo non solum posse Episcopum sine alia dispensatione confirmare, et ordinare, sed etiam non posse impediri ab ulla superiori potestate, quin revera Sacramenta ista conferat, si velit, licet peccet, si id faciat, prohibente summo Pontifice : characterem autem presbyteralem esse quidem potestatem absolutam, perfectam, et independentem, quoad Sacramentum Baptismi, et Eucharistiæ; esse autem potestatem inchoatam, imperfectam, et dependentem a voluntate superioris, quoad Sacramentum Confirmationis. Quocirca nisi perficiatur per dispensationem superioris ea potestas, presbyter confirmando nihil ageret, at si perficiatur, jam ex ipso suo charactere confirmabit. Id quod minus mirum videbitur, si cogitemus, characterem non esse Physicam aliquam potentiam, quæ Physice aliquid operetur, (tunc enim difficile esset intelligere quomodo posset perfici per dispensationem Pontificiam) sed esse signum divini cujusdam pacti, quo Deus concurrit ad effectum Sacramentalem producendum cum eo, qui habet characterem, et non cum aliis : facile enim est intelligere, unum characterem esse signum pacti absoluti, alium autem esse signum pacti conditionati. Sed de his hactenus.

Quintum argumentum est Kemnitii, loco citato. Scriptura ignorat differentiam Episcopi et presbyteri, Respondeo : Non Scriptura id ignorat, sed Kemnitius Scripturam ignorat. Nam I. Timoth. VI. cum dicitur : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus* (2) : apertissime tantum discrimen ponitur inter Episcopum et presbyteros, quantum est inter principem, et ejus subditos. Quocirca Ariani ob hoc ipsum hæretici dicuntur ab Epiphanio hæres. 75. et Augustino hæres. 53. quod negaverint hoc discrimen.

Sextum argumentum ejusdem Kemnitii. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos dicit, ob honorem sacerdotii fieri, ut soli Episcopi manus imponant, non ob legis necessitatem. Respondeo : Locum hunc pro nobis maxime facere. Nam Hieronymus non negat, solis Episcopis licere Confirmationem dare post Baptisma; imo hoc affirmat, et infra id ipsum probat exemplo Apostolorum, qui in Samariam profecti sunt, ut eos confirmarent, quos Philippus baptizaverat. Et præterea causam reddit, cur id voluerit Dominus proprium esse Episcoporum; quia id requirebat honor summi sacerdotii. Nam ut paulo post ipse idem magis explicat, necesse est in singulis Ecclesiis esse unum Episcopum, ne si multi sint pares, et non ad unum summa referatur, schismata fiant. Hinc igitur Dominus voluit, quædam

(1) Act. IX, 12. — (2) I. Tim. V, 19.

esse propria Episcoporum, ut inde eorum eminentia supra cæteros appareret. Illud autem *(non ob legis necessitatem)* non refertur ad legem ministrandi confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis : significat enim Hieronymus non esse necessarium ad salutem absolute, ut quis ab Episcopo confirmetur; nam etiam sine tali Confirmatione per solum Baptisma salvari potest. Unde continuo subjungit, explicans quod dixerat : « Non ob legis necessitatem; alioqui lugendi essent, qui in vinculis a presbyteris, vel diaconis baptizati ante moriuntur, quam ab Episcopis invisantur. » Quod si id non placeat, dici potest, loqui Hieronymum de lege, quæ sumatur ex natura rei, ut sensus sit; id esse tributum solis Episcopis, non ob legis necessitatem, id est, non quod id necessario requirat natura rei, quasi aliter fieri non posset; sed quia voluit Dominus hac re honorare Episcopalem dignitatem.

Septimum argumentum. A multis jam annis in Germania nulli fere Episcopi confirmant, sed suffraganei quidam, qui sunt fictitii Episcopi, et larvæ Episcoporum potius, quam Episcopi. Respondeo : Suffraganeos esse veros Episcopos, quia et Ordinationem habent, et jurisdictionem, licet careant possessione propriæ Ecclesiæ. Quocirca licet non possint extra suam Ecclesiam confirmare sua auctoritate, possunt tamen si ad id invitentur a proprio Episcopo.

CAPUT XIII.

De cæremoniis Confirmationis.

Duplices sunt cæremoniæ in hoc Sacramento. Primum enim multæ cæremoniæ adhibentur in consecratione Chrismatis feria 5. in cœna Domini. Deinde quædam etiam adhibentur in ipsa collatione hujus Sacramenti.

Ac ut a Primo genere incipiamus, tractant de ritu consecrationis omnes, qui scribunt de divinis officiis, cap. de feria 5. in cœna Domini, ut Isidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Rupertus et alii.

Fiunt autem quatuor cæremoniæ. Primo benedictiones olei, et balsami per orationes : et hoc reprehendi non potest, cum Apostolus, I. Timoth. 4. dicat, omnia sanctificari per verbum Dei, et orationem.

Secundo fiunt etiam benedictiones olei et balsami per signum crucis : ac ne id quidem reprehendi potest, cum sine hoc signo nihil consecrari possit, ut testantur omnes fere Patres, sed præcipue Chrysostomus homil. 55. in Matth. et in libro quod Christus sit Deus; et Augustin. tract. 118. in Joan. et ser. 181. de tempore, cap. 3.

Tertio, halat Episcopus aliquoties super ampullam Chrismatis. Et quidem hæc cæremonia ridicula, et magica videtur hæreticis : nam id aperte scribit Kemnitius, pag. 285. et Calvinus ad hanc cæremoniam respexit, cum ait lib. IV Institut. cap. 19. §. 10. Chrisma fœtido anhelitu inquinari : tamen et antiquissima est, cum ejus meminerint auctores citati, Amalarius et alii; et præterea ab exemplo Domini sumpta, qui in Apostolis insufflavit, Joan. XX. ut ea cæremonia demonstraret, Spiritum sanctum in eos descendere. Et sane cum vult Ecclesia descensum sancti Spiritus designare ad aliquid sanctificandum; quo meliori signo uti potest, quam eo, quo Christus ipse ad rem eandem designandam uti voluit? Quod si magica est hæc cæremonia, Christum Magiæ doctorem faciemus, quod est impium et blasphemum. Neque magica dici potest ulla cæremonia, nisi cum effectus mirabilis expectatur a Diabolo, cum quo fœdus ineunt magi : nos autem effectum a Diabolo nullum expectamus, sed a solo Deo, a quo id per orationes petimus, ut sæpe dictum est.

Quarta cæremonia est, quod Chrisma jam consecratum, salutatur ab Episcopo, et Presbyteris, his verbis : « Ave sanctum Chrisma. » Atque hanc cæremoniam idololatricam esse dicunt adversarii. Tilmannus Heshusius, lib. de erroribus Pontificiorum, tit. 22. num. 26. « Chrisma, inquit, tantum non adorandum : Siquidem hæc verba dici jubent : Ave sanctum Chrisma. » Reprehendit etiam hanc cæremoniam Kemnitius, pag. 289. et Calvinus lib. IV. Institut. cap. 19. §. 21. Sed inepte in primis ad idololatriam hoc referunt, cum aliud sit salutare, aliud adorare : alioqui etiam Dominus, qui Matth. ult. dixit mulieribus : *Avete*, eas adorasse diceretur. Adhibetur quidem Chrismati consecrato reverentia, quia est res sacra, et vim habet ut Dei instrumentum

sanctificandi : sed non adoratur ut Deus, alioqui etiam Hebræi idololatræ fuissent, qui arcam Domini ligneam adorabant; idque faciebant Propheta monente Psalm. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (1). Dices : ridiculum videtur salutare rem inanimam. Respondeo : id esse usitatissimum, in signum gratulationis etiam res inanimas salutare, ac si viverent, et sentirent. Ita Nazianzenus orat. ad 450. Patres cum Episcopatu se abdicaret, vale dicit cathedræ, templo, psalmodiæ, aliisque id genus rebus. Hieronym. in epist. de obitu Paulæ, describit salutationem quam B. Paula ad Bethlehem habuit, cum eam primum vidit. Imo et Æneas apud Virgilium in VII. Æneidos Italiam salutat, cum eam primum ingreditur. Suntque ejusmodi exempla plane infinita.

Jam vero in ipsa Confirmatione præter cæremoniam essentialem ungendi, et signandi frontem cruce; adhibentur etiam aliæ octo cæremoniæ. Prima ut susceptor adsit, sicut in Baptismo, qui confirmandum offerat Episcopo. Estque hæc cæremonia antiquissima, ut patet ex decretis antiquorum Pontificum, et Conciliorum, quæ citantur a Gratiano, 30. quæst. 4. can. Si quis; et can. de his; et quæst. 4. can. Si quis ex uno; et de Consecrat. dist. 4. can. in Catechismo.

Secunda, ut variæ preces dicantur super confirmandos, et quidem cum manus impositione; quem ritum solum adversarii non reprehendunt.

Tertia, ut confirmato pax detur ab Episcopo, in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cujus effectus est pax.

Quarta, ut confirmatum Episcopus manu leviter cædat, ut is intelligat se contra ignominiam, et verba pro Christo ferenda, patientia præcipue armandum.

Quinta, ut fascia ligetur frons, tum ne Chrisma facile defluat, tum ut significet, acceptam gratiam diligenter conservandam, juxta illud I. Joan. II : *Unctionem, quam accepistis, maneat in vobis* (2). Sed in hac re servanda est Ecclesiæ consuetudo : alicubi enim ad septem dies frontis fascia conservatur, alicubi ad tres, alicubi continuo abluitur, et exsiccatur Chrisma a sacerdotibus, ut fascia opus non sit.

Sexta, ut ad septem dies non lavetur caput, seu frons. Cujus cæremoniæ meminit Hugo lib. II. de Sacramentis par. 7. cap. 6. Tertullianus lib. de Baptismo scribit a die Baptismi per totam hebdomadam Christianos lavacro abstinere solitos : quod quidem faciebant non tantum ob Baptismum, sed etiam et fortasse præcipue ob Chrisma, quod eodem die dari solebat.

Septima, ut in Sabbato Paschæ, et Pentecostes detur Confirmatio, quia videlicet iis diebus dari debet Baptismus, ut supra diximus. Hoc tamen tempore, quia ut plurimum non dantur simul hæc Sacramenta, laudabilis est consuetudo multorum Episcoporum, ut in festis Pentecostes præcipue confirmet, quia nimirum in eo festo data est prima Confirmatio a Deo sanctis Apostolis.

Octava, ut a jejunis detur, et accipiatur confirmatio; de qua re extant canones Conciliorum, apud Gratianum de Consecrat. dist. 5. can. Ut jejuni, et can. Ut Episcopi.

Ad hæc omnia Kemnitius addit pag. 323, mirum esse cur Pontificii malint has suas cæremonias, quam examen puerorum, professionem fidei, et adhortationem; ac tragice queritur, a nobis ista omnia rejici, nec pati nos velle ullam emendationem. Sed sunt ista omnia verba otiosa. Nos enim nihil horum rejicimus, sed volumus omnia fieri suo loco, et tempore; nec patimur nobis eripi Sacramentum a Christo institutum, et cæremonias a Patribus traditas prætextu examinis puerilis. Ac de Sacramento Confirmationis satis dictum est.

(1) Psal. XCVIII, 5. — (2) I Joan. II, 27.

FINIS LIBRORUM DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

QUINTA CONTROVERSIA GENERALIS

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

LIBER III.

De laicis sive sæcularibus.

Cap. I. Ordo totius disputationis. 5
II. Proponitur prima quæstio : An politica potestas sit bona, et Christianis licita. *id.*
III. Ex Scripturis asseritur politicus Magistratus. 6
IV. Idem asseritur exemplis Sanctorum. 8
V. Idem asseritur ex fine principatus. 9
VI. Idem asseritur ratione ducta ab efficiente. 10
VII. Idem asseritur ex antiquitate. 12
VIII. Principatum sive dominium in impiis esse posse. 14
IX. Proponitur quæstio de potestate magistratus. 15
X. Prima propositio : Licet christiano principi leges condere. 16
XI. Secunda propositio : Lex civilis non minus obligat in conscientia, quam lex divina, etsi minus firma et stabilis sit hæc, quam illa. 17
XII. Tertia propositio : Judicia publica exercere non est illicitum Christianis. 20
XIII. Quarta propositio : Licet christiano magistratui gladio punire perturbatores publicæ quietis. 21
XIV. Licere Christianis aliquando bella gerere. 22
XV. Quot sint, et quæ justi belli conditiones. 28
XVI. Licere bellum gerere Christianis contra Turcas. 31
XVII. Ad magistratum non pertinere judicium de Religione. 32
XVIII. Ad magistratum pertinere defensionem Religionis. 33
XIX. Non posse conciliari catholicos cum hæreticis. 35
XX. Libros hæreticorum abolendos esse. 37
XXI. Posse hæreticos ab Ecclesia damnatos temporalibus pœnis, et etiam morte mulctari. 41
XXII. Solvuntur objectiones. 44

SEXTA CONTROVERSIA GENERALIS

DE ECCLESIA PATIENTI.

PRÆFATIO. 51

LIBER I.

De Purgatorio.

Cap. I. De nomine Purgatorii. 53
II. De erroribus circa Purgatorium. *id.*
III. Purgatorium esse probatur ex Scripturis Testamenti veteris. 55
IV. Purgatorium esse probatur ex Testamento novo. 60
V. Probatur iterum ex Testamento novo. 61
VI. Probatur tertio ex Testamento novo. 69
VII. Probatur quarto ex Testamento novo. 72
VIII. Probatur quinto ex Testamento novo. 75
IX. Asseritur Purgatorium testimoniis Conciliorum. 77
X. Asseritur Purgatorium testimoniis Patrum Græcorum et Latinorum. 79
XI. Idem asseritur ratione. 83
XII. Solvuntur argumenta ex Scripturis. 86
XIII. Solvuntur objectiones ex Patribus. 89
XIV. Solvuntur objectiones ex ratione depromptæ. 90
XV. Purgatorii confessionem ad fidem catholicam pertinere. 94

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sanctificandi : sed non adoratur ut Deus, alioqui etiam Hebræi idololatræ fuissent, qui arcam Domini ligneam adorabant; idque faciebant Propheta monente Psalm. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (1). Dices : ridiculum videtur salutare rem inanimam. Respondeo : id esse usitatissimum, in signum gratulationis etiam res inanimas salutare, ac si viverent, et sentirent. Ita Nazianzenus orat. ad 450. Patres cum Episcopatu se abdicaret, vale dicit cathedræ, templo, psalmodiæ, aliisque id genus rebus. Hieronym. in epist. de obitu Paulæ, describit salutationem quam B. Paula ad Bethlehem habuit, cum eam primum vidit. Imo et Æneas apud Virgilium in VII. Æneidos Italiam salutat, cum eam primum ingreditur. Suntque ejusmodi exempla plane infinita.

Jam vero in ipsa Confirmatione præter cæremoniam essentialem ungendi, et signandi frontem cruce; adhibentur etiam aliæ octo cæremoniæ. Prima ut susceptor adsit, sicut in Baptismo, qui confirmandum offerat Episcopo. Estque hæc cæremonia antiquissima, ut patet ex decretis antiquorum Pontificum, et Conciliorum, quæ citantur a Gratiano, 30. quæst. 4. can. Si quis; et can. de his; et quæst. 4. can. Si quis ex uno; et de Consecrat. dist. 4. can. in Catechismo.

Secunda, ut variæ preces dicantur super confirmandos, et quidem cum manus impositione; quem ritum solum adversarii non reprehendunt.

Tertia, ut confirmato pax detur ab Episcopo, in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cujus effectus est pax.

Quarta, ut confirmatum Episcopus manu leviter cædat, ut is intelligat se contra ignominiam, et verba pro Christo ferenda, patientia præcipue armandum.

Quinta, ut fascia ligetur frons, tum ne Chrisma facile defluat, tum ut significet, acceptam gratiam diligenter conservandam, juxta illud I. Joan. II : *Unctionem, quam accepistis, maneat in vobis* (2). Sed in hac re servanda est Ecclesiæ consuetudo : alicubi enim ad septem dies frontis fascia conservatur, alicubi ad tres, alicubi continuo abluitur, et exsiccatur Chrisma a sacerdotibus, ut fascia opus non sit.

Sexta, ut ad septem dies non lavetur caput, seu frons. Cujus cæremoniæ meminit Hugo lib. II. de Sacramentis par. 7. cap. 6. Tertullianus lib. de Baptismo scribit a die Baptismi per totam hebdomadam Christianos lavacro abstinere solitos : quod quidem faciebant non tantum ob Baptismum, sed etiam et fortasse præcipue ob Chrisma, quod eodem die dari solebat.

Septima, ut in Sabbato Paschæ, et Pentecostes detur Confirmatio, quia videlicet iis diebus dari debet Baptismus, ut supra diximus. Hoc tamen tempore, quia ut plurimum non dantur simul hæc Sacramenta, laudabilis est consuetudo multorum Episcoporum, ut in festis Pentecostes præcipue confirmet, quia nimirum in eo festo data est prima Confirmatio a Deo sanctis Apostolis.

Octava, ut a jejunis detur, et accipiatur confirmatio; de qua re extant canones Conciliorum, apud Gratianum de Consecrat. dist. 5. can. Ut jejuni, et can. Ut Episcopi.

Ad hæc omnia Kemnitius addit pag. 323, mirum esse cur Pontificii malint has suas cæremonias, quam examen puerorum, professionem fidei, et adhortationem; ac tragice queritur, a nobis ista omnia rejici, nec pati nos velle ullam emendationem. Sed sunt ista omnia verba otiosa. Nos enim nihil horum rejicimus, sed volumus omnia fieri suo loco, et tempore; nec patimur nobis eripi Sacramentum a Christo institutum, et cæremonias a Patribus traditas prætextu examinis puerilis. Ac de Sacramento Confirmationis satis dictum est.

(1) Psal. XCVIII, 5. — (2) I Joan. II, 27.

FINIS LIBRORUM DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

QUINTA CONTROVERSIA GENERALIS

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

LIBER III.

De laicis sive sæcularibus.

Cap. I. Ordo totius disputationis. 5
II. Proponitur prima quæstio : An politica potestas sit bona, et Christianis licita. *id.*
III. Ex Scripturis asseritur politicus Magistratus. 6
IV. Idem asseritur exemplis Sanctorum. 8
V. Idem asseritur ex fine principatus. 9
VI. Idem asseritur ratione ducta ab efficiente. 10
VII. Idem asseritur ex antiquitate. 12
VIII. Principatum sive dominium in impiis esse posse. 14
IX. Proponitur quæstio de potestate magistratus. 15
X. Prima propositio : Licet christiano principi leges condere. 16
XI. Secunda propositio : Lex civilis non minus obligat in conscientia, quam lex divina, etsi minus firma et stabilis sit hæc, quam illa. 17
XII. Tertia propositio : Judicia publica exercere non est illicitum Christianis. 20
XIII. Quarta propositio : Licet christiano magistratui gladio punire perturbatores publicæ quietis. 21
XIV. Licere Christianis aliquando bella gerere. 22
XV. Quot sint, et quæ justi belli conditiones. 28
XVI. Licere bellum gerere Christianis contra Turcas. 31
XVII. Ad magistratum non pertinere judicium de Religione. 32
XVIII. Ad magistratum pertinere defensionem Religionis. 33
XIX. Non posse conciliari catholicos cum hæreticis. 35
XX. Libros hæreticorum abolendos esse. 37
XXI. Posse hæreticos ab Ecclesia damnatos temporalibus pœnis, et etiam morte mulctari. 41
XXII. Solvuntur objectiones. 44

SEXTA CONTROVERSIA GENERALIS

DE ECCLESIA PATIENTI.

PRÆFATIO. 51

LIBER I.

De Purgatorio.

Cap. I. De nomine Purgatorii. 53
II. De erroribus circa Purgatorium. *id.*
III. Purgatorium esse probatur ex Scripturis Testamenti veteris. 55
IV. Purgatorium esse probatur ex Testamento novo. 60
V. Probatur iterum ex Testamento novo. 61
VI. Probatur tertio ex Testamento novo. 69
VII. Probatur quarto ex Testamento novo. 72
VIII. Probatur quinto ex Testamento novo. 75
IX. Asseritur Purgatorium testimoniis Conciliorum. 77
X. Asseritur Purgatorium testimoniis Patrum Græcorum et Latinorum. 79
XI. Idem asseritur ratione. 83
XII. Solvuntur argumenta ex Scripturis. 86
XIII. Solvuntur objectiones ex Patribus. 89
XIV. Solvuntur objectiones ex ratione depromptæ. 90
XV. Purgatorii confessionem ad fidem catholicam pertinere. 94

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LIBER II.

De circumstantiis Purgatorii.

Cap. I. De personis quibus Purgatorium convenit. 97
II. In Purgatorio non posse animas mereri vel peccare. 100
III. Solvuntur objectiones. 102
IV. Animas in Purgatorio certas esse de sua æterna salute. 105
V. Solvuntur objectiones. 108
VI. De loco Purgatorii. 109
VII. Sitne post hanc vitam aliquis locus pro animabus justis præter Cœlum et Purgatorium. 112
VIII. Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant. 113
IX. De tempore quo durat Purgatorium. 116
X. Qualis sit Purgatorii pœna. 118
XI. Ignem Purgatorii esse corporeum. 119
XII. Sciri non posse quomodo ignis corporeus animas urat. *id.*
XIII. An in Purgatorio torqueantur animæ a Dæmonibus. *id.*
XIV. De gravitate pœnarum. 120
XV. Suffragia Ecclesiæ defunctis prodesse. 121
XVI. Quot sint genera suffragiorum. 124
XVII. Quis possit animas juvare. 125
XVIII. Quibus prosint suffragia. *id.*
XIX. De funere. 127

SEPTIMA CONTROVERSIA GENERALIS

DE ECCLESIA TRIUMPHANTE.

PRÆFATIO. 133
Ordo disputationis. 139

LIBER I.

De beatitudine et canonizatione Sanctorum.

Cap. I. Argumenta hæreticorum, quibus illi probare nituntur Sanctos nondum esse beatos. 141
II. Animas Sanctorum jam nunc frui Dei visione demonstratur testimonio Ecclesiæ. 144
III. Idem Scripturarum testimoniis demonstratur. 145
IV. Eadem veritas ex Græcis Patribus confirmatur. 151
V. Idem probatur testimoniis Latinorum. 155
VI. Idem confirmatur rationibus, quæ tamen in Scripturis fundamentum habent. 160
VII. Sanctos recte ab Ecclesia canonizari. 162
VIII. Cujus sit Sanctos canonizare. 163
IX. Credendum esse Pontificem non errare in Sanctorum canonizatione. 164
X. Sanctos non canonizatos privatim posse coli, non publice. 165
XI. Proponitur quæstio de cultu Sanctorum cum argumentis adversariorum. 166
XII. Explicatur sententia Catholica. 167
XIII. Asseritur argumentis sententia Catholica. 169
XIV. Solvuntur argumenta initio proposita. 174
XV. Proponitur controversia de invocatione Sanctorum. 176
XVI. Deteguntur aliquot fraudes et mendacia hæreticorum. *id.*
XVII. Quomodo Sancti invocandi non sint. 178
XVIII. Sanctos pro nobis orare. 179
XIX. Sanctos esse invocandos. 183
XX. Solvuntur argumenta adversariorum. 188

LIBER II.

De Reliquiis et Imaginibus Sanctorum.

Cap. I. Proponuntur argumenta contra cultum Reliquiarum. 190
II. Deteguntur mendacia Centuriatorum. 200
III. Asseritur veritas et probatur. 202
IV. Solvuntur argumenta adversariorum. 209
V. De nomine Imaginis et Idoli. 212
VI. De principibus iconomachorum. 214
VII. Licere imagines et facere, et habere. 216
VIII. Non esse prohibitas imagines Dei. 218
IX. Imagines in templis recte collocari. 222
X. Imagines utiles esse etiam extra historiam. 227
XI. Proponitur quæstio de cultu imaginum, cum argumentis adversariorum. 229
XII. Imagines Christi et Sanctorum recte coli. 230
XIII. Solvuntur argumenta adversariorum. 236
XIV. Solvitur argumentum secundum. 240
XV. Solvitur argumentum tertium. 243
XVI. Solvitur argumentum quartum. 245
XVII. Solvitur argumentum quintum. 246
XVIII. Solvitur argumentum sextum. *id.*
XIX. Solvitur argumentum septimum. *id.*
XX. Proponitur quæstio: quo genere cultus imagines sint honorandæ. 247
XXI. Imagines per se et proprie colendas. 248
XXII. Non esse dicendum imaginibus deberi cultum latriæ. 249
XXIII. Imagines Christi impropric vel per accidens posse honorari cultu latriæ. 250
XXIV. Imagines per se et proprie non esse colendas eo cultu, quo exemplar ipsum colitur. 251
XXV. Quo genere cultus adorantur imagines. 253
XXVI. De adoratione Crucis. 254
XXVII. De Cruce vera Domini. 255
XXVIII. De imagine Crucis. 259
XXIX. De signo Crucis. 262
XXX. Solvuntur objectiones hæreticorum. 264

LIBER III.

De iis rebus, quibus superna Hierusalem ab Ecclesia in terris peregrinante colitur.

PRÆFATIO. 267
Cap. I. De erroribus circa templa. *id.*
II. An templa sint erigenda. 268
III. De forma. 269
IV. De fine. 270
V. De dedicatione et consecratione Ecclesiarum. 280
VI. De ornatu templorum. 285
VII. De benedictionibus aquæ, salis, cinerum, cerei, etc. 292
VIII. De peregrinationibus. 295
IX. De votis quæ nuncupantur Sanctis. 298
X. An sint festi dies a Christianis celebrandi. 300
XI. De Dominica die. 308
XII. De Pascha. 310
XIII. De Pentecoste. 314
XIV. De Septuagesima et sequentibus Dominicis. 317
XV. De reliquis festis Domini. 318
XVI. De festis Sanctorum. 319
XVII. De Vigiliis. 322

OCTAVA CONTROVERSIA GENERALIS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PRÆFATIO. 325

LIBER I.

Qui est de natura et causis Sacramenti.

Cap. I. De erroribus. 335
II. De mendaciis, et calumniis adversariorum. 337
III. Mendacia Philippi. 340
IV. Mendacia Calvini. 341
V. Mendacia Kemnitii. 342
VI. Mendacia Tilemanni Heshusii. 344

CONTROVERSIA PRIMA.

De nomine Sacramenti.

VII. Sitne utendum nomine Sacramenti. 345
VIII. De etymologia et notione mysterii et Sacramenti. 348

CONTROVERSIA SECUNDA.

De Definitione Sacramenti.

X. Quid requiratur ad Sacramentum novæ legis constituendum. 351
X. Possitne Sacramentum proprie definiri. 354
XI. Quæ sit definitio Sacramenti. 355
XII. An definitio Sacramenti univoce conveniat Sacramentis legis veteris et novæ. 357
XIII. Solvuntur argumenta Kemnitii. 359
XIV. Refelliur definitio Lutheranorum. 360
XV. Refelluntur definitiones Anabaptistarum et Zwinglianorum. 366
XVI. Refellitur definitio Calvini. 368
XVII. Refelluntur argumenta adversariorum. 372

CONTROVERSIA TERTIA.

De Causis Sacramenti.

XVIII. Sacramenta componi ex rebus et verbis, ut materia et forma. 376
XIX. Verbum, quod cum elemento Sacramentum facit, non esse concionale, sed consecratorium. 379
XX. Solvuntur objectiones. 386
XXI. Res et verba Sacramentorum ita determinata esse, ut nihil addere, minuere, aut mutare liceat. 390
XXII. De fine et necessitate Sacramentorum. 393
XXIII. Auctorem Sacramentorum solum esse Christum. 397
XXIV. Ministrum Sacramentorum ordinarium non esse quemlibet hominem etiam baptizatum. 399
XXV. Solvuntur argumenta Lutheri. 403
XXVI. Non requiri fidem, aut probitatem ministri, ut sacramenta esse possint. 407
XXVII. Requiri intentionem faciendi quod Ecclesia facit. 412
XXVIII. Solvuntur argumenta. 416

LIBER II.

De effectu, numero et cæremoniis Sacramentorum

QUARTA CONTROVERSIA.

De effectu Sacramentorum.

Partitio hujus Controversiæ. 421
Cap. I. Quis sit status quæstionis de efficacia Sacramentorum. *id.*
II. Sententia hæreticorum de efficacia Sacramentorum. 426
III. Quod Sacramenta ex opere operato conferant gratiam ex Scripturis probatur. 428
— Prima classis testimoniorum ex novo Testamento. 429
IV. Secunda classis testimoniorum, vaticinia Prophetarum. 432
— Figuræ Sacramentorum. *id.*
V. Tertia classis argumentorum ex Concilis. 434
VI. Quarta classis ex Patribus Græcis. 435
VII. Idem probatur ex Latinis. 436
VIII. Sexta classis ex ratione. 438
IX. Solvuntur objectiones ex Scripturis depromptæ. 441

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

X. Solvuntur objectiones ex Patribus. 443
XI. Solvuntur objectiones ex ratione depromptæ. 445
XII. Explicatur controversia de differentia Sacramentorum legis novæ et veteris. 452
XIII. Explicantur sententiæ Catholicorum. 453
XIV. Probatur nullum Sacramentum legis naturæ aut scriptæ, justificasse ex opere operato. 454
XV. Idem probatur ex Patribus. 458
XVI. Idem probatur rationibus in Scriptura fundatis. 460
XVII. Solvuntur objectiones. 461
XVIII. De Charactere. 469
XIX. De Charactere sententia Catholicorum. 470
XX. Probatur Character ex Scripturis. 472
XXI. Idem probatur ex Patribus. 473
XXII. Idem ostenditur ratione. 475

CONTROVERSIA QUINTA.

De numero et ordine Sacramentorum.

XXIII. Quid hæretici sentiant de numero Sacramentorum. 479
XXIV. Ex Scripturis, et Patribus probatur veritas catholica de numero septenario Sacramentorum. 481
— Quod Baptismus sit Sacramentum. *id.*
— Quod Eucharistia sit Sacramentum. 482
— Quod Confirmatio sit Sacramentum. *id.*
— De Pœnitentia. *id.*
— De Extrema-Unctione. 483
— De Ordinis Sacramento. *id.*
— De Matrimonio. *id.*
— Lotionem pedum non esse Sacramentum. 484
XXV. Septem esse Sacramenta probatur ex posterioribus Conciliis et Doctoribus. 485
XXVI. Idem probatur ex congruentibus. 487
XXVII. Solvuntur objectiones. 488
XXVIII. De ordine et comparatione Sacramentorum novæ legis inter se. 492

CONTROVERSIA SEXTA.

De cæremoniis Sacramentorum in genere.

XXIX. De nomine, definitione, et partitione cæremoniarum. 494
XXX. De statu causæ. 495
XXXI. Explicatur et defenditur veritas. 496
XXXII. Solvuntur objectiones contra cæremonias. 504

NONA CONTROVERSIA GENERALIS

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

LIBER I.

De Sacramento Baptismi.

Argumentum et partitio disputationis de Baptismo. 513
Cap. I. De nomine, definitione et partibus Baptismi. *id.*
II. De materia Baptismi. 514
III. De forma Baptismi. 515
IV. De necessitate et institutione Baptismi. 519
V. Quo tempore cœperit Baptismus esse necessarius. 524
VI. De Baptismo sanguinis et flaminis. 526
VII. De ministro Baptismi. 531
VIII. De Baptismo infantium, contra Anabaptistas. 536
IX. Solvuntur objectiones Anabaptistarum. 539
X. Quid sentiant adversarii de fide, quæ requiritur in Baptismo parvulorum. 545
XI. Declaratur quæ fides requiratur in Baptismo parvulorum, et refelluntur errores adversariorum. 547
XII. Qui sint veri, aut falsi effectus Baptismi. 552
XIII. Quod Baptismus vere tollat peccatum. *id.*
XIV. Quod Baptismus non faciat homines impeccabiles. 555
XV. Per Baptismum non liberari homines a servanda lege Dei. 558
XVI. Per Baptismum non liberari homines ab obligatione legis Ecclesiasticæ. 560
XVII. Per Baptismum non fieri irrita omnia vota. 561
XVIII. Sola memoria Baptismi non posse dimitti peccata, quæ fiunt post Baptismum. 562
XIX. De Baptismo Joannis, qui fuerint errores. 567
XX. Baptismum Joannis non fuisse Sacramentum idem cum Baptismo Christi. 569
XXI. Baptismum Joannis non habuisse eamdem vim et efficaciam, quam habet Baptismus Christi. 570
XXII. Quod post Baptismum Joannis necessario percipiendus erat Christi Baptismus. 574
XXIII. Solvuntur objectiones. 576
XXIV. De cæremoniis Baptismi. 579
XXV. Cæremoniæ ante Baptismum sunt duodecim. 580
XXVI. De cæremonis quæ Baptismum comitantur. 582
XXVII. De cæremoniis, quæ sequuntur Baptismum. 584

LIBER II.

De Sacramento Confirmationis.

Cap. I. De erroribus, et mendaciis circa Sacramentum Confirmationis. 588

II. Probatur ex Scriptura Sacramentum Confirmationis. 590
III. Probatur veritas testimoniis SS. Pontificum. 594
IV. Idem probatur ex Concilliis. 595
V. Idem probatur ex Patribus Græcis. *id.*
VI. Idem probatur ex Latinis. 597
VII. Diluuntur solutiones adversariorum ad Patrum testimonia, quæ sunt etiam argumenta ipsorum contra veritatem. 599
VIII. De materia Sacramenti Confirmationis. 603
IX. Solvuntur objectiones contra materiam Confirmationis. 607
X. De forma Sacramenti Confirmationis. 611
XI. De effectu hujus Sacramenti. 613
XII. De ministro hujus Sacramenti. *id.*
XIII. De cæremoniis Confirmationis. 617

FINIS TOMI TERTII

LAON. — IMPRIMERIE ET STÉRÉOTYPIE DE H. DE COQUET ET Cie.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS